EICASMI
SEV MEDITATIONES,
IN SACRAM APO-
CALYPSIN.

Authore IO. FOXO
Anglo.



LONDINI
IMPENSIS GEOR.
BYSHOP.

1587

Liber Tho: Thackh ex Do=
=no Secen Omi Ellij.

S. A. Kappler

REVERENDISSIMO IN CHRISTO Patri, Domino Iohanni Whitgifto, Archiepiscopo Cantuariensi, totius Angliæ Primati ac Metropolitano, Regiæque Maiestatis Conciliario.



I vlla mihi magna satis aut luculenta à patre defuncto hæreditas obtigisset (Reuerendissime in Christo Pater,) quæ sentio quam fuit exigua, locupletiorem me fortassis reddidisset, liberaliorẽ certè quã quæ relicta est nulla vnquam potuisset. Nam cum præter exemplamorum ac doctrinæ, nihil ab eo ad hæredes obuenerit, quorum ius ac possessionem non magis ad liberos, quã cunctos ciues pertinere voluit, factum est, vt ex mea hac angusta re familiari (quæ tamen omni patrimonio maior est) hoc capiam commodi, vt & vti ea ad vitæ necessitatem, cum meo magno commodo, & eam insuper ad liberalitatem conferre, absque vllo dispendio possim.

Quamobrem cũ inter cæteras quoque paternæ industriæ reliquias, hoc opus extaret, non minimum summi eius & supremi laboris ac studii monumentum, celare id ac supprimere diutiùs non potui, ne eos qui ad communem eius hæreditatis societatẽ mecum vna vocati sunt, suo iure defraudasse viderer.

Enimuerò pro ea quæ a me paternis exequijs iure debetur cura ac solicitudine, anceps diù animi ac dubius fui, satiusne foret, mancum adhuc & imperfectum opus in lucem ac conspectum hominum prodire, an verò in tenebris perpetuò delitescere, nec fas esse duxi, versari in hominum manibus quicquam ipsius, cui ipse supremam manum non imposuisset. Verũ cũ illud non modo anxia nimis pro patre meo defuncto amicorũ solicitudo, verũ etiam typographorũ importuna sedulitas efflagitaret, vt excusũ iam propè opus, non tam impedire nollem, quàm promouere vellem: neq; horum cupiditati resistere potui, nec eorũ voluntatẽ erga patrem aspernari debui, quominus per me res succederet, atque exitum quem ipsi optabant sortiretur.

Quare cũ detrectare diutiùs non potuisse, ne id fieret, tum vt quàm minimo fieret paternæ famæ cũ dispendio cæpi anxius mecum illico cogitare. Ac cũ nullum mihi ad huius periculi vitandi rationem remedium aptius visum sit, quàm potentis alicuius patroni ac Mecænatis summa gratia niti, cuius in tutela, tanquam summi Iouis sinu depositus, partus hic vix dum satis maturus, contra omnes scarabeorum impetus & insultus, sartus tectus esse possit: tum tua in primis occurrebat Reuer. pietas digna tanto patrocinio, cuius fidei ac tutelæ imperfectam hanc autoris defuncti opellam præcipuè commendarem. Quod enim præsidium firmius comparari, quod patrocinium iustius implorari, quibus

auspicijs comparere, ac in lucem prodire tutius posset, quam R.P.T. quæ quãtum valet, quia cæteris præest, nemo ignorat, quantumque velit, quia omnibus prodest, nos ipsi non dubitamus. In quo enim summa dignitas cũ optima voluntate coniuncta est, dignitas operi autoritatem, voluntas fauorem conciliabit.

Neque vero me iam nunc primum hæc tam iusta ratio, ad hoc tam necessarium præsidium impulit, neque meum hoc consilium solum fuit, sed cum ipsius etiam voluntate coniunctum, qui si in viuis fuisset, idem ipse fecisset, occasionẽque diù optatam arripuisset, inscribendi nomini tuo, aliquid depromptum ex studijs ac laboribus suis, quo extaret monumentum posteris, & indicij de singularibus tuis virtutibus, & amoris etiã sui. Sed optime ab eo destinata, omni consilio potentiora fata peruerterunt, præuenitque cogitationes ac conatus eius mors. Quæ etsi propter varia vitæ ac senectutis incommoda, non potuit illi longe abesse: dolendũ tamen est eum vita prius quam ijs officijs functum fuisse, quæ in ipso erga R.P.T. desiderari potuissent. Quanquã voto sane ac voluntate nemini vnquã eorum quibus R.P.T. chara vnquã fuit, cesserit, re vero atque opere ideo non præstitit, quia occasionem illi qua obseruantiam suam testimonio hoc si fieri posset sempiterno declararet, fata importuna præripuere.

Quod cum intelligerem, memoriaque probe tenerem, ad liberos pios non magis bonorum paternorum possessionem, quam votorum etiam ac voluntatum executionem pertinere, etsi non lectus ego qui id iussu ipsius facerẽ, tamen relictus qui etiam iniussu suo, omnia quæ ad ipsius voluntatem pertinent adimplerem, non committendum putaui, vt quod viuus ipse decreuit, mor tuus, aut fatorum iniuria, aut mea incuria voto frustaretur.

Qua propter offero R.P.T. paterno quidem nomine munus hoc, si vel ex sua vel tua dignitate metiare, perexiguũ sane atque imperfectũ, sin autẽ animũ autoris spectes, aut naturæ tuæ bonitati obsequare, spero fore, vt & operis tenuitatem magnitudo humanitatis tuæ subleuet, ac defectus autoritas suppleat.

Atque istud dum offero munus, ne cui de alieno solũmodò liberalis de meo parcus videar, quod vnum in me est meipsum offero, deferoque vna R.P.T. officia mea omnia, studium, operam ac laborem. Peto à R.P.T. vt qua patrem defunctum beneuolentia ad extremam vsque senectutem ac rogum prosecuta est, eadem porrò posteros etiam eius complectatur, qui si beneficijs promereri tantam gratiam non possumus, officijs certè cotendemus vt a nemine vincamur. Hac spe desiderium defuncti patris consolabor, ac quod reliquum mihi est vitæ, id totum ad R.P.T. voluntatem ac nutum conuertam.

R.P. Tuæ studiosissimus
Samuel Foxus.

PRÆFATORIA AD LECTOrem protestatio ipsius autoris.

EXantlatis tot tantisque nostra causa laboribus, partáque immensa illa victoria, qua Satanã tanquam fulgur de Coelo deiecit, potentiã mundi debellauit, mortem moriendo, portásque refurgendo inferorum perfregit: Cuncta denique, quæ in cœlo, & quæ in terra sunt nobis pacificauit ter Maximus ille victor Agnus, vindex salutis nostræ clementissimus, cum iam nihil restaret amplius ab eo prætermissum, quòd ad explendum redemptionis nostræ negotium pertineret, non potuit sic tamen conquiescere Redemptoris charissimi pietas infinita, quin pergeret, porrò assidua solicitudine, rebus Ecclesiæ laborantibus ac commodis suorum consulere. Præsentiens itaque diuina mens inueteratam illam antiqui Serpentis rabiem, quas turbas ille & tragœdias, se absente, in suos excitaret, ne quid lateret eorum, quæ Tartareus insidiator posteà moliturus erat, Ecclesias suas iam ante commonendas, velutque salutari antidoto, aduersus venenatas incursiones turbulentissimi Draconis præmuniendas statuit.

Singularis Christi pietas, bonitas, beneficia infinita in nos derivata.

Perpetua Christi cura & solicitudo erga ecclesiam suã.

Hincque Apocalypsis ista, id est, rerum in ecclesia gerendarum Prophetica reuelatio, quam is à patre acceptam, à se dictatam, ab Angelo delatam, exceptam, à discipulo, perferri ad ecclesias in se crédentiũ mandauit. Quod ab eo factum non sine grauissimâ causâ haud quisquam dubitare possit, qui rerum, quæ in libello hoc consignantur, variam ac multiplicem cognitionem, summamque tum vtilitatem, tum necessitatem ecclesiæ rectâ secum ratione perpenderit. Quòd si verò in historijs alijs tantâ cum delectatione ac studio versari solemus, fructusque ex ijsdẽ ingentes referrimus, quæ rerum tantum præteritarum notitiam adferunt, eorumque quæ precesserunt memoriam tantum ad posteritatem transfundunt: quid de mystica hac, & plusquam prophetica reuelatione censendum, quæ velut in depictâ tabulâ mirifico Spiritus sancti penicillo res nobis delineat, non modo præteritas vt recordemur, sed futuras in posterum atque dehinc subsecuturas, vt admoniti præmuniamur contemplandas exhibet? Quid enim hactenùs ad hanc vsque ætatẽ tot iam seculis in ecclesia gestum, aut posthac gerendum expectatur ad mundi exitum, cuius non figuratio aliqua καὶ ἡ διατύπωσις in hac ipsa Apocalyptica narratione & auribus & oculis representetur intuentium? vt non immerito dubitari possit prophetiamne magis hanc, an historiam dicas ecclesiasticam. In qua res non aliter euenturæ referuntur, atque si iam ante euenissent, neque aliter rursus euenerunt, quàm eadem hæc prophetia prænunciat euenturas. Quo magis admiranda in eo elucet diuina ac ineffabilis Agni beatissimi omnibus adoranda immensitas, qui vt solus pro sua autoritate ac reuerentia potuit librum, tot firmatum signaculis aperire, ita apertus hic idem ab illo liber tam admiranda nobis aperuit mysteria, adeoque vniuersam ecclesiæ historiam, vno velut spectaculo perlustrandam seruis suis proposuit. Non secus, ac si quis in publicum proscennium drammata suas quæq; partes actura ostendat, inter quæ primas sustinet partes princeps ille tenebrarum, infestissimus omnium bonorum inimicus, malorum omnium colophon, Serpens antiquus Satanas. Proximum ei locum occupat bestia duplex, altera ex mari, altera ex arena erumpens, meretrix Babylonça cum suo Antichristo perditissimo perditionis filio, qui non instrenuè cum mereticia sua ecclesia, aduersus veram Christi Ecclesiam dimicat. Accedit huic collegio & tertius, quisquis ille sit Pseudopropheta, siue ex Mahumetismo, siue ex Monachismo satus. Nam hi tres præcipuas obeunt personas in hoc choragio. Quanquam neque his desunt præsidiarij commilitones ijque ingenti etiam numero, qui eodem insigniti charactere, bestiæ & Antichristo operam suam nauant, quantum queunt maximè. Cuiusmodi sunt

Quam necessaria sit historia apocalyptica præ cæteris quibusque historijs

Aduersarij ecclesiæ.
1 Serpens antiquus.
2 Duplex bestia.
3 Meretrix Babylonia.
4 Antichristus
5 Pseudopropheta.
6 Insigniti Characterе bestiæ.
7 Locustæ, Cantharidæ.

8. Myriades myriadum, fumo, igne, sulphure omnia populantes.

Locustæ & Cantharides illæ, ex ima barathri abyssō profluentes, simúlque cum ijs equestris ille exercitus, myriades videlicet myriadum, fumum, ignem & sulphur spirantes, in hoc à Dæmone excitati, vt Agnum cum pijs suis cultoribus persequantur.

Vtilitas ex cōsideratione huius reuelationis.

Hæc omnia ecclesiam sanctorum prænouisse permagni refert. Quæ si præterita fuerint, recordari non parum iuuat, si præsētia iam peragātur, haud mediocriter ad fidem & patiētiam ānos confirmant. Sin futura ad cautionē & consilium conducunt plurimū. Vt interim cætera, quæ in hoc libello continētur, permulta taceā: admonitiones grauissimas, consolationes piorum insignes, præduras ecclesiæ afflictiones, sanctorum in hoc seculo pathemata, in futuro coronas, hostium pugnas, malignantium copias, ac sempiternum dehinc impiorum supplicium. Iam verò vt cœlestem illam ac nouam Hierusalem, in hac depictam historiâ intueamur, quid pulcherima eius contemplatione delectabilius? amplitudine quid excellentius? quid gloria admirabilius? quantus regni splendor? quem non ad se rapiet vitæ omnisque felicitatis illic promissæ recordatio? Quis non toto suspirabit pectore, beatissimis illis interesse nuptijs sponsæ, hoc est, ecclesiæ iam iam se parantis ad nuptialem diem CHRISTI sponsi sui, sine quo nulla constat pax miseris conscientijs, nulla vitæ promissio, nihil in hac vita diligendum, nihil in altera perfruendum? Quis iam diuinissimum Agnum illum Dominum dominantium, paterni throni consortem, in terris non toto spiritu adorabit, cuius tanta in cœlis gloria præfulgeat, cui supernorum spirituum & angelorum omnis cadit altitudo, cui ὑπερχύσμιοι ὦδαὶ μυρίαι, cui quatuor animalia & seniores coronas ad pedes proiectāt, cui irrequietâ cantione honorem, benedictionem, gloriam, omnemque regni magnificentiam cum perenni gratiarum celebratione nunquam occinere desistunt?

Ecclesia quot quātisque impetitur hostibus.

Quin neque id obfuerit ex eadem hac scriptura Apocalyptica rectè edoceri, quæ quantaque posthac impios supplicia maneant in sempiternum, ni rectius sapiant. Impios dico, non solum qui à flagitiosa vita non resipiscunt, sed & hos in primis, si qui eiusmodi existant, qui bestiæ sese adiungunt, eiusque consignentur charactere, qui cum Babylonica meretrice conspirantes, ex insito natiuæ peruersitatis ingenio, atque inflammati à Diabolo, bellum aduersus Agnum, ac pacificum eius Euangelium iniustissimè comparant, qui CHRISTVM in membris persequuntur, adeóque in cædem piorum sine omni pietate ad sanguinis vsque ebrietatem desæuiunt tam impotenter. Neque de his solùm hìc agitur, qui cum se hostes profitentur Christiani nominis & sanguinis, apertâ vi infestant ecclesias CHRISTI, sed qui intus, non foris, intra ipsas ecclesiæ caulas, dissimulato religionis prætextu, sub CHRISTI nomine lupinam tegentes immanitatē, id agunt, in hoc omnes vires, omnes contrahunt copias, vt CHRISTVM cum è cœlis nequeant, eius tamen in terris gloriam, fideique synceritatem, cæde & crudelitate penitus excindant. Si nulli sint in Repub. Christiana huiusmodi, atque inter eos etiam, qui in templo Dei sedeant, adeóque in ipsa etiam puppi gubernaculis rerum præsideant, rectè habet, nihil ergo hic est, quod à lectione diuinæ huius prophetiæ eos deterreat. Sin aliter, plus nimio istorum quotidiè magis magísque increscunt exercitus, cum bestia militantium, at ne his tamen ipsis nocebit hanc prophetiam perlegere, quo admoneantur, monitique meliora sequantur, ac sibi maturè caueant; nihil addubitantes, quin iuxta verissimam huius vaticinij sententiam, victor tandem euadet Agnus, quamlibet frementibus atque rumpentibus omnibus huius mundi copijs. Ex quo perfacilè cuique liquere potest, quid sibi metuēdum sit, nisi per tempus circūspiciat. Quod si enim duplicia ijs ominatur prophetica hæc vaticinatio, qui vim ac truculentiam Christi cultoribus moliantur, quid isti iam credent sibi non metuendū, aut quas tandem pœnas illi suæ crudelitatis effugient, qui flammis, ferro, cæde, carceribus, patibulis, omni telorum & tormentorum genere rabientes, in innoxia sanctorum corpora, sine modo, sine misericordia, tantam in eos exercerint lanienam? Quamobrem nemo falsa impunitatis opinione frustrà sibi blandiatur, quamtumuis in hoc seculo potens, qui cum meretrice impurissimâ castris Domini sese opponere sit ausus. Rursus neque hi despondeant animos, qui CHRISTI causâ vim

Inimicis Christi non nocebit huius prophetiæ lectio.

ho-

hostilem subeunt: quin vtrique ex hac Apocalypsi addiscant, quod commodo sit ipsis, futurum: Hi vt in sustinendis periculis per patientiam nitantur ad proposita præmia: Illi vt in euitanda tam horribili damnatione cautius suæ saluti consulant, idque eo maturius, quo propius in foribus vltima iam rerum, mundique totius dissolutio imminêre videatur.

Quod quum ita sit, quumque tanta ex libri huius fatidici lectione redit ad omnes vtilitas, quid quisque agat consultius, quàm vt ad sacram hanc auscultationẽ suum quisque studium, omnẽque animi curam conferat? Legant Turcæ, legant Christiani, auscultent pij, auscultẽt & impij. Euoluant qui velint, intelligant qui possint, intelligent autem facilius, quo legant frequentius. Nemo est, qui non hauriat hinc aliquid, quod non publicè ad vniuersos, tum priuatim in rem suam cuiúsque pertineat. Neque nos hinc deterreat perplexa & obnubilata quædam rerum nonnullarum obscuritas. Quomodo multos affectos video, maximè ex genere hoc & numero pontificiorum, qui religione quadam, ex omnibus scripturæ libris, hanc vnam Apocalypsin minimè solent attingere, causantes sublimitatem mysteriorum, omni humana explicatione superiorem, eóque probè se excusatos arbitrantur, si metu difficultatis, nihil vnquam ex hoc libro sapiant, aut intelligant. Quanquam si verum fatendum sit, aut me fallit coniectura, aut aliud quiddam hic subest, quicquid id sit, quam obscuritatis causa, quod eos ab hac lectione abarceat. Neque enim tã stupidi sunt homines, aut incallidi, vt non persentiscãt, quid hâc agatur prophetiâ: sed postquam ita apud se decreuerunt, Rom. Pontificis imperio, in quo viuunt tam suauitèr, omninò se obstringere, eiusque præscriptis acquiescere, videntque fieri non posse, vt prophetica hæc vaticinia studiosè excutiant, quin Romanum hîc antichristum suis expressum coloribus ad amussim intelligant, atque ab eo totâ spiritus detestatione abhorreant, hinc illa non scripturæ obscuritas, sed obscuritatis prætextus, quo sese, cæterósque à veri inuestigatione distineant.

Nemine m deterreat obscuritas à libri huius lectione.

Callida causificatio quorundam quo minus attingant scripturas, maximè Apocalypsin.

Quanquam neque id inficiamur, existere hoc in libro nonnulla τὰ μυστικώτερα, quæ figuratis & sub obscuris obuoluta σκιογραφίαις non mediocri fortassis difficultate lectorem remoueantur, at eadem tamen neque tam multa, vt legi à nullis debeant, neque adeò rursus obscura vt percipi nulla ratione queant, modo pia accedat & studiosa indagatio. Age, & quid si huiusmodi hic quædam videantur ad quæ subhæsitet lectoris animus, at quam multa sunt tamen satis per se conspicua, quæ non minori cum vtilitate, quàm facilitate intelligantur. Vt hoc etiam addamus neutiquam defuturam CHRISTI gratiam, ijs qui ad intelligenda mysteria tam sacra, cum precatione ardens cognoscendi studiũ adiunxerint. Non enim frustra CHRISTVS librum hunc in cœlo aperuit, neque ideo apertum dimiserat in terras, vt dimissum intelligeret nemo, verum vt benignissimâ voluntate arcana mentis suæ secreta cum suis communicata legerent, qui vellent, intelligerent qui possent.

Non omnia, nec omnibus obscura in his mysterijs.

Quod autem subintricatis, & obliquis nominum & numerorum inuolucris, quædam hic mysteria obnubilare voluerit, neque illud destinato diuinóque consilio caruisse existimandum est: siue ita CHRISTO visum est diuinas suas opes, quæ ad ecclesiam propriè spectabant prophanis ac impijs Euangelij hostibus minimè conuenire, siue vt hac difficultate segnitiem nostram excitaret, pijsque scrutatoribus maiorem quærendi materiam, studiáque exacuendi subministraret, siue ipsa rerum natura id postulabat. Solent enim, nescio quomodo, quæ sacra sunt, plus habere maiestatis sub nubilo velut per transennã eminus ostensa, quàm si prorsus retecta visantur. Vti sunt quæ per Christallum aut succinũ gratius pelluceãt, quàm si nuda exhibeantur. Ita & veritas nonnunquam maiore nos afficit desiderio, non sine negotio deprehensa, siue quia ita expediebat, ventura ecclesiæ fata non temerè quibuslibet innotescere, siue quia non prius cognoscẽda statuerit, quã tempus ea & historia patefaceret. Ideo maximè placuit spiritui sancto hæc prophetandi ratio, quæ superiorum maximè prophetarum morem atque spiritum referret.

Quædam in his mysterijs obscura existere non sine diuino fieri consilio.

Veritas sæpe subocculta latet.

Qui quum multa de CHRISTO, eiusque morte & resurrectione, de veteris Synagogæ ruina, & vocatione Gentiũ prænunciassent, suas tamen prophetias, & oracula diuinæ sapientiæ vmbris ac tropologijs velut sub velo, & externo sermonis

Antiqua prophetãdi ratio.

tice ita contexerunt, vt ne Iudæis etiam ipsis priùs perspecta, quàm re ipsa perfecta, peractáque fuerint. Etsi enim aduenturum Messiam plerique ex prophetarum oraculis non dubitarint, at eâ tamen venturum formâ, quam non domini, sed serui abiectissimi gessit erat, quódque sub ea forma necem pro nobis vt acerbissimam, ita probrosissimam oppeteret, quódque sese die tertio in vitam resuscitaret: tum quòd deserta nativa Iudæorum olea, syluestres vndicunque ex omni natione gentes, in sanctam fidei ac radicis communionem essent inserendæ, vix doctissimus eorum quisquam, ac ne Apostoli quidem ipsi, licèt in scripturis lectitabant, quo ordine ac ratione hæc fierent, intellexerunt. Id quod Iohannes ipse de Apostolis testificans apertè refert: Nondum enim nouerant, inquit, scripturas, quòd oportuerit eum à mortuis resurgere cap 21. Ad eundem modum Paulus, de gentium vocatione disserens, mysteriũ esse confitetur huc vsque opertum & cælatum alijs generationibus, ac nunc primum reuelatum sanctis eius Apostolis & Prophetis per spiritum, Gentes esse cohæredes & concorporales, & comparticipes promissionis eius in Christo Iesu per Euangelium.

Ioan. cap. 21.

Eph. 3.

Quamobrem si tam multa in mysticis illis Prophetarum latuerunt vaticinijs obuelata, quæ nisi tempore, & per reuelationẽ patefieri non potuerunt: quid mirũ si in diuinissima hac Apocalypsi, non omnia assequatur humana intelligentia, Neque tamẽ obsistere ea causa debet pijs studiosorũ conatibus, quo minus pro sua quisque virili, pergat in eruendis his mysterijs eniti, quod queat. Imo quo maior obijcitur difficultas, eò magis res ipsa postulat strenuam & lectorum operam, & interpretũ adminicula. Quo nomine nequeo eorum satis laudare, meritâ laude dignissimam promptitudinem, qui otiũ hic suum in materia tam graui & necessaria, conferendum, neruósque omnes ingenij explicandos censuerunt. Quid enim professione sua dignius, quid temporibus accommodatius, ipsa quæ tractatiõe illustrius aggredi potuerunt? quàm vt salutari indagatione, diuinissima mysteria, tanquam opes propheticæ scripturæ altissimè reconditas in lucem effoderent? Vbi etsi non omnia ad amussim sint assequuti, neque id in illis mirum, nec à quoquam expectandũ, nec merito interim præcõio fraudãda est pia sedulitas. Imo multo potius CHRISTO Domino debetur gratia, cuius singulari dono, tam multa illi hactenùs & eruditè & feliciter è densissimis eruta tenebris patefecerint, cæterisque ad se imitandum theologis, viam tam pulchrè munitam suo exemplo aperuerint. Atque vtinam eadem mens, quæ illos in sacro hoc instituto exercuit, omnes consimiliter afflaret eiusdem professionis symmystas, vt pro suo quisque talento, quod posset ad explicandam diuinam hanc Apocalypsin depromeret. Neque enim aliò spectasse arcanum Dei consilium in tradendis ijs oraculis videtur, quàm vt sensus precèsque suorum in sacrâ istâ diuinarum opum prescrutatione, tanquam in assiduâ quadam palæstrâ exerceret.

Interpretum merito laudata industria.

Arcanum dei consilium in velandis ijs oraculis.

Quæ res vt me etiam cum cæteris alacriorem ad capescendam hanc prouinciam reddidit: ita & faciliorem mihi veniam, spero, apud lectores minimè morosos conciliabit, si post tantorum theologorum tam erudita commentaria, vnus inter tam multos, omnium postremus, tantóque his, qui hactenus præcesserunt, inferior, operam hic ingerere meam minimè dubitarim. Quòd si quis ita animo habeat constitutum, vt quod ad rectam prophetiæ huiusce intelligentiam attinet, satis sibi iam antè factum putet, ex eorum, qui hactenus antegressi sunt lectione, equidem nullius hic ego iudcio obstrepo, nec sententiæ præiudico. Cum autem in ea versamur ecclesia, in qua cunctis ex æquo proposita semper fuit veritatis indagatio & professio, liberaque semper (vt par est) fuerunt suffragia nullius coacta iurare in verba Magistri, præterquam illius, qui solus omnis veritatis tenet Magisterium, solúsque in partiendis muneribus sua dispensat, quibus atque vbi lubet: nihil video quur quæ cæteris antehàc concessa sit prophetãdi & interpretãdi libertas, eadem & mihi in ecclesia Domini hoc tempore denegetur. Quòd si rei, quam adgredimur, ea natura foret, quæ humanæ facundiæ præsidiis, aut ingenij viribus, ac naturæ opibus, aut tractãdi subtilitate niteretur, cederem, vt par erat, literis, cederem industriæ, cederẽ doctrinæ & autoritati, nihilque mihi pulchrius hac in re, quàm

Autoris supplex apud lectorem deprecatio.

quàm silentium ducerem. Nunc cum in hoc prophetandi genere versandum sit, in quo nihil efficiat omnis humana facultas, certè vt meritam ferant laudem, qui studiosâ sedulitate glaciem hanc nobis priores secuerunt: ita nullam in his iustam video reprehensionem, qui eodem incitati studio posteriores subsequuntur.

Atque quod ad superiores illos quidem attinet, quam vellem eos, qui tempore priores antegressi sunt, eâ pariter præcessisse interpretandi felicitate, vt nullũ deinceps locum interpreti sequuturo reliquissent, sicque abstrusa ista visionum & numerorum mysteria singula expediuissent, vt ne adhuc quidem liber latêre in suis mysterijs videretur. Quod non ideò tamen à me dictum quisquam putet, quo illorum quicquam vel dignitati vel diligentiæ diminutum velim, qui doctissimis suis cõmentarijs, Apocalypticas has visiones illustrare sunt conati. In quibus quum multa quidem præclarè, plæraque ad rem etiam non inappositè, omnia certe ornatè, eruditeque confecta iam esse, impudentissimus sim nisi fatear: tum verò an ad plenum omnia vbique resecuerint, an mentem ipsam animamque prophetæ attigerint in omnibus, nonnihil addubito. Ac primùm quod ad primores illos priscæ antiquitatis scriptores attinet, quàm longe à scopo abfuerint, res ipsa abundè clamitat. De his loquor, quorum scripta ad nos peruenire potuerunt. Complura enim intercidisse temporum iniuriâ intelligo. Post hos deindè subierunt alij, velut intermediæ ætatis scriptores, Cassiodorus, Isidorus, Beda, Alcuinus, Haymo, Rabanus, Rupertus, Alexander Halensis, Thomas Aquinas, qui glossam maximè ordinariam imitari videtur: quanquam & istorũ plæraque super Apocalypsin non extant, nomina tantum librorum reperio, nonnulla etiam alienis titulis conficta, qualis est liber ille Ambrosio inscriptus, cuius geminus autor est, quidam nomine, Beringindus. Et tamen in ijs ipsis, quos hactenus quidem legi & contuli, quã multa parum πρός ἕπος? quam multa Thomas Aquinas satis quidem ad tropologiam non inutilitèr, sed quæ ad sensum prophetæ non admodum colliniant.

Interpretes in explicandis his mysterijs non omnia fortasis assecuti.

Interpretum differentia.

Interpretes intermediæ ætatis.

In recentioribus verò nostræ memoriæ interpretibus, quos multo plures, quã superioribus seculis, effudit posterior hæc ætas, felicior cernitur horũ mysteriorũ intelligentia, multoque aptior interpretatio. Qui etsi non omnia ad amussim sunt assequuti (quis enim id vnquam poterit) tamen tempore ipso, rerumque praxi & historiâ adiuti, permulta certè in hisce visionibus clariùs vident, iudicantque, quàm prisci illi potuerunt, quamlibet doctissimi theologi. Qui etsi iam olim à primaria origine, ex hoc ipso libro, alijsque scripturis admoniti rectè quidem illud prespexerunt, vnóque ore omnes in eo consensere, ante nouissimum mundi exitum, exoriturum Antichristum esse, qui omnia turbaret ab imo: tamen quis hic esset Antichristus, è quo populo emersurus, quibus vteretur fallendi præstigijs, quæ esset annorum, & mensiũ recta supputatio, ne diuinare quidem satis potuerũt καὶ οὐδὲν μυστηριῶδες. Etenim quis vnquam prioribus illis seculis, viuente Augustino, Irenæo, Tertulliano, Primasio, vel animo id præsagire potuisset, rem eò redituram, vt Romana sedes, quæ tot ante dedit martyres, tantisque celebrata præconijs, vt arx ipsa Apostolicæ successiõis censeretur, ea tandem foret ipsa, quæ hunc nobis Antichristum æderet, quem depingit hæc Apocalypsis? Aut quis putaret id vnquam fore, vt tam laudata sedes in tam insignem meretricem pluſquam Babylonicam degeneraret, quæ tantos conscisceret furores & tragœdias, quantas nunc in orbe conspicimus? Quis tantam sanguinis Christiani stragem, tantam fidei defectionem, religionisque ruinam, à sacris istis patriarchis vnquam expectaret, aut fieri potuisse id vnquam crederet, vt bestia fatalis & inauspicata, quam Apocalypsis hæc designat, non in alium, quàm in Romanum solùm caderet pontificem? Quod nunc res ipsa temporumque historia, non modo apertissimis indicijs manifestum reddit, sed ipsis penè sensibus verissimum deprehendimus, adeoque ex ipso bestiæ numero ac nomine, tanquam digitis manifestè, supputamus. Eóque fit (meo quidem iudicio) vt qui posterioribus hisce seculis ad Apocalypsin enarrandam se contulerunt, non paulò felicius hic se gesserint, propiúsque veri scopum attigerint, de rebus iam præteritis ἐφορῦλες, quàm antiquissimi illi primores, qui quo longius abfuerint à gestis nostrorum pontificum, hoc minùs iudicare de futuris potuerunt.

Recentioris memoriæ interpretes.

Sedes Antichristi veteribus incognita.

Quanquam ex his ipsis etiam recentioris memoriæ scriptoribus, quos tam

multos hactenùs penéque innumeros quotidiè producunt hæc tempora, non omnes fortaſſe inter ſe conueniunt per omnia: nec ſcio, an cuiquam iſtorum omnium adhuc datum ſit, ita verſari in hoc curriculo, vt non aliqua ſint, quæ ipſos fugerint: tamen ſi facienda collatio ſit, facile res ipſa indicabit, haud parum inter hos, atque illos intereſſe. Quod ex eorum commentarijs haud obſcurum fuerit, qui poſt Aretam, Ioachimũ, Abbatem, & Richardum de S. Victore, recentiore hac tempeſtate ſubierunt. Qua in claſſe feruntur in primis Henr. Bullingerus, Bibliander, Auguſt. Marloraus, Borrhaus, Ioan. Leonardus, Sebaſtianus Meyr, Cælius Panonius, Petrus Artopæus. Gulielmus Fulco Anglus, Alfonſus Conradus, Dauid. Cythræus, Iacob. Brochardus, & ſi qui ſint præterea alij, quos nondum videre licuit. Hos interim quos comparare potui, nominatim hîc commemorare viſum eſt, partim honoris & officij cauſâ, quòd eis & debeo, nec minus libenter defero; partim quo lector recognitis autorum nominibus, ſcripta eorum ſibi vndecunque poſsit, comparare ſatagat, incumbatque lectioni. Quod per ſe quidem primum longéque omnium præſtantiſsimum iudico, ſi queant aſſequi. Sin nequeant, ſaltem vt benigniori venia noſtram hanc, ferant audaciam, ſi congeſtis in vnum velut faſciculum plurimorum ſententijs: ita lectorum hac in parte moleſtiam ſubleuemus, vt qui hanc vnam ἰδιάγνοιαν perlegat, cæteros quoſque penè interpretes in hanc Apocalypſin eadem ferè operâ perſpexiſſe videatur.

Aretas. Ioach. 1200. Richar. 1140. Henr. Bulling. Aug. Marlorat. Sebaſt. Meyer. Cel. Panonius. Ioan. 1553. Borr. 1554. Artop. 1563. Fulc. 1573. Alfon. 1574. Cythr. 1575. Broch. 1580. Bibliander.

Quo fiet, vt ſingulis quodam modo perſpectis atque in medium propoſitis, liberum lectori relinquatur id ſequi, quod maximè probandum exiſtimarit. Quoniam autem in tantâ ſcriptorum copiâ, & ſententiarum diſcrepantiâ, immenſi fuerit negotij, integras ſingulorum referre opinationes, ita rem temperabimus, vt carptim ac vellicatim ijs perſtringendis, quæ lectiſsima videbuntur, & breuitas tædio careat, nec quicquam interim prætermiſſum à nobis ſit, quod conferat inſtituto. In quo neque illud moleſtum lectori fore confido, ſi quidem poſt hos, quos dixi, tam eximios profeſsores, qui hactenùs in oracularem hanc & myſticam prophetiam ſuas ædiderunt diuinationes, & ipſi pariter noſtros modo eicaſmos & diſquiſitiones coniungamus. Non quòd profitear aliquid reuelatum mihi eſſe in hoc prophetandi genere ſupra cæteros. Quid enim poſt tot clariſsima lumina ipſe me poſſe dicendo conſequi confidam? ſed quòd immenſo, neſcio quo flagrans deſiderio, nihil prius velim, magiſque in votis habeam, quàm vt liber hic Apocalypticarum prædicationum quàm explicatiſsimè patefactus in publicam aliquando lucem prodiret, oculis animiſque omnium infixus ac penitiſsimè impreſſus. Neque enim in rem eccleſiæ quicquam magis referre arbitror, præſertim vt res nunc ferunt iſtorum morũ ac temporum. Videmus ſiquidem quibus concuſsionibus & periculis miſera hactenus perfuncta ſit eccleſia, tum maximè quibus nunc malorum æſtibus fluctibuſq; perturbationum flagrant feruentque omnia, maioréſque quotidiè tempeſtates impendere videantur, vt nihil vſquam in toto Reipub. Chriſtianæ corpore ſanum eſſe, vixque cuiquam verè pio, vlla in ciuitate aut regione tutus viuendi locus appareat. Id quàm ver ũſit, ſatis nuper declararunt ſuperiorum temporum cædes, parricidia, nefariæque in capita bonorum conſpirationes, per Galliam, Belgiam, Hiſpaniam, Britanniam, Scotiam, Germaniam, Hiberniam, tum verò maximè iudicio ſit rerum hodie præſentium ſtatus, nimiſque lugubris eccleſiæ facies. Quippe quæ non vnò hoſtium agmine impetitur, ſed quaquauerſum confertis oppugnantium impreſsionibus, copijſque circumfunditur, dum hinc à fronte irruit armatus Turca, hinc à tergo imminet Papa, cum ſuis phalangibus, hic intus, foris ille: ferro ille, hic incendio ſæuiẽs: ille aperto marte ac hoſtili impetu, hic ſub blãdo prætextu, ac clancularijs technis, idem vterq;, ſed hic tamen multò pernitioſius, rem agens. Ille, vt vniuerſalis ſit orbis Monarcha, hic vt vniuerſalis ſit eccleſiæ pater & Papa, diſpari quidem titulo, ſed pari vterque ambitionis & malitiæ ſpiritu exagitatus. Vt ne cætera commemorem inteſtina iſta intra ipſas eccleſiæ caulas diſſidia, pugnaſque contentionum, quibus miſerè hodiè dilaceratur Chriſtianæ ſocietatis vbique tranquillitas.

Conſilium autoris in hoc opere adgrediendo.

Difficultas temporum.

Lugubris hodiè eccleſiæ facies.

Turca.

Papa.

Contentionũ diſſidia.

Quæ tot tantæque aduerſitates etſi non parum, nec immeritò pias mentes concutiunt:

cutiunt: tamen mitius, neſcio quo modo, feruntur, quàndo ex hac Apocalypſi, non modo non præuiſa prænunciataque à Dõino hæc mala, ſed ab eodẽ etiã velut immiſsa indictaque, qui indixit militiam intelliguntur. Id enim cuique ſit perſuaſiſsimum, nihil vnquam eorum, quæcunque hactenùs perpeſsa ſit eccleſia, euenisse, aut deinceps euenturum, quod non multò priùs in hac prophetia expreſſum ſit, etſi ſub tectis quibuſdam figurarum notis ac σκιογραφίαις, pauló fortaſsis inuolutius, at non ita tamen, quin qui propius oculos admoueat, perfacilè intelligat. Neque equidem iſtos audio, qui obſcuritatem huius libri falsó calumniantes, nec ipſi ſemel attingere dignantur, tum etiam vt cæterorum manibus excutiant, adnituntur ſedulò. Sed de his iam antè aliquid, poſthac plura fortaſſe dicentur.

Fructus prophetiæ huius lectionis.

Etſi verò non eſſe hîc nulla fateor, quæ obſcuritatem, præ ſe ferunt, vt dictum eſt, at hæc obſcuritas non tam in rebus ipſis, quàm in temporibus ſita videtur. Olim priuſquam fierent, ſubobſcura videbantur, quæ nunc temporibus & euentis patefacta omnium oculis & ſenſibus expoſita ſunt. Quis tam luſcioſus, aut nullo imbutus iudicio, qui quid velint vmbræ iſtæ & picturæ Apocalypticæ, non ipſâ aurorâ clarius iam conſpiciat? Quæſo enim te, Chriſtiane lector, per prudentiam tuam, quid Babylon illa ſepticollis, quid beſtia altera bicornis, quid ſedes beſtiæ obtenebrata, quid pellex purpurea, ſãguine ſanctorum ebria, quid numerus & nomen beſtiæ, quid poteſtas & character illius, tot hominum frontibus & dextris impreſsus, quid ſigna & præſtigiæ mẽdaces, quid reges & mercatores terræ, illius ditati mercimonijs & veneficijs dementati, quid hæc, inquam, omnia deſignant, quid volunt, quem produnt, imo quem iugulant, niſi Romanum ſolum pontificem? Vtcunque reges terræ & aduerſariæ poteſtates eius occæcati offutijs, aut lenocinijs deliniti, partes iſtas Romanas tanto ſtudio ſibi tuendas ſuſcipiunt; quæſo quid aliud iſti omnes, quàm ſub pontifice, Antichriſtum colunt? dumque illius patrocinantur ambitioni, quid aliud quàm Agnum Dei, in ſanctis ipſius perſequuntur? quod quanto ſuo faciunt periculo, ſi nondum perſentiant, vel ex hac ipſa tandem diſcant Apocalypſi. Neque enim tam obſcuris hæc coloribus adumbrata ſũt, vt non omnium aſpectui facilè eluceſcant. Imo tam perſpicuè per ſe elucent conſtantque tam manifeſtè, vt nemini non apertiſsimè videre, negare nec ipſis etiam aduerſarijs liceat, etiam ſi velint maximè. Quin neque adhuc tamen deſiſtunt iſti, vltro videntes, & volentes ſeſe in barathrum tam apertæ perditionis præcipitare. Quòd ſi enim tam atrox illis exitium hæc portendit prophetia, qui characterem ſolum beſtiæ frontibus ſuſcepêre: quid illis fiet, qui totam ipſam beſtiam corpore & animo toto ſuſtentant, armis & copijs vniuerſis propugnant, contra CHRISTVM & verbum Dei depugnantes.

Tempus huius prophetiæ interpres optimus.

Admonitio ad Reges & principes.

Quamobrem, quo magis iſtorum ſaluti conſultum cupio, hoc maiore teneor curâ & ſolicitudine ædendæ huius prophetiæ, quam cunctis eſſe quàm notiſsimã peruelim, tum maximè proceribus & dynaſtis huius ſeculi. Qui quod nunc ignoratione faciunt, falſaque religionis perſuaſione, id nunquam eos facturos ſcio, ſi myſticæ huius vaticinationis oracula dextrè ſaperent, atque expenderent. Sic enim mihi hæc perlegenti, mentemque huius ſcripturæ perluſtranti perſuaſum eſt, quum multa ſint hactenùs, contra Romanam ſedem diſputantium theologorum grauiter copioſeque deprompta ex ſacrarijs diuinæ ſcripturæ argumenta, quæ apertiſsimis notis & indicijs ſedem eſſe non Chriſti, ſed Antichriſti conuincunt: tum verò cum omnes omnia contra hunc eccleſiæ aduerſarium produxerint, nihil eſt, quod certiore euidentiâ Antichriſtum hunc depingat ſuis veſtibus, & coloribus, quod vel grauiore eum vulnere confodiat, totâque eius ſedem euertat conficiatque, quàm ſpiritus ipſemet oris Chriſti in hac Aocalypſi: Idque vſq; adeo dilucidè & luculenter, vt vel prorſus expũgenda ſit hæc ſcriptura, aut nemini certè dubitandum, poſt Antichriſtum hunc, in eccleſia aliquum vnquam expectandum eſse. Cuius rei, quis certius indicium pętat, quàm quòd poſt Thomam illum, quem dixi, haud quiſquam ferè ſit, ex totâ illâ cohorte pontificiâ, infinitâque ſcribentiũ multitudine, qui vel verbũ in hanc Apocalypſin cõmentari ſit auſus. Cæterum hac de re, liberam lectori relinquo æſtimandi copiam.

Antichriſtus apertiſsimis notis reuelatus egregiè.

Curin grege põtificio tam pauci attingũt hanc Apocalypſin.

piam. Nos ad id, quod institutum est, nè longius rem trahamus, σὺν τῷ χριστῷ accingamur.

Est autem institutũ (donante CHRISTO) vt in librum hunc, cuius ipse nobis sigilla apperuit, pro talẽto nostro dicamus aliquid, ita quidẽ, vt quæ per se expedita, atque intellectu faciliora, minus egeant interprete, ea in medio ex aliorum petenda commentarijs relinquamus. In ijs verò quorum impeditior videtur intellectio, in quibus aut parùm inter se conueniunt interpretes, aut non satis genuinum mysterij sensum assequũtur, aut ad imum literæ, vt ita dicam, minus perueniunt, in ijs si quid conferre nostræ quærant diuinationes, ad quædam apperienda mysteria, lubuit pro qualicunque nostro modulo experiri. In quo etsi nihil aliud consequar, at experiri tamen nocebit nihil, saltem promptæ sedulitatis studium nemini spero offensioni futurum.

(:·)

EICASMI
SEV MEDITATIONES I. F. IN
S. APOCALYPSIN.

CAPVT I.

APOCALYPSIS *Iesu Christi, quam dedit illi Deus, vt palàm faceret seruis suis, qua oporteat fieri citò: & significauit, cum misisset mandatum per angelum suum seruo suo Ioanni, qui testificatus est sermonem dei, & testimonium Iesu Christi, & quæcunque vidit. Beatus qui legit & audit verba prophetiæ, & seruat ea quæ in ea scripta sunt. Tempus enim propè est. Ioannes septem ecclesiis quæ sunt in Asia. Gratia vobis & pax ab eo qui est, & qui erat, & qui venturus est: & à septem spiritibus, qui in conspectu throni eius sunt, & à Iesu Christo, qui est testis fidelis primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ: ei qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris per sanguinem ipsius, & fecit nos reges & sacerdotes deo & patri suo: ipsi gloria & imperium in secula seculorum, Amen.*

Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum compunxerunt. Et plangent se super eum omnes tribus terræ, etiam, Amen. Ego sum Alpha & Omega, principium & finis, dicit dominus: qui est, & qui erat, & qui venturus est omnipotens. Ego Ioannes frater vester & particeps in afflictione, & regno, & patientia in Christo Iesu, fui in insula, quæ appellatur Patmos, propter sermonem dei & testimonium Iesu Christi. Fui in spiritu in dominico die, & audiui post me vocem magnam tanquam tubæ, dicentis: Ego sum Alpha & Omega, primus & nouissimus. Quod vides scribe in libro: & mitte septem ecclesiis, quæ sunt in Asia, Epheso, & Smyrnæ, & Pergamo, & Thyatiræ, & Sardis, & Philadelphiæ, & Laodiciæ.

Et conuersus sum, vt viderem vocem quæ loquebatur mecum. Et conuersus, vidi septem candelabra aurea: & in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis, vestitum veste ad pedes vsque demissa, & præcinctum ad mamillas zona aurea. Caput autem eius & capilli erant candidi, velut lana alba, & tanquam nix. Et oculi eius tanquam flamma ignis, & pedes eius similes chalcolibano, velut in camino ardentes, & vox illius tanquam vox aquarum multarum: & habebat in dextera sua stellas septem. Et de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat. Et facies eius sicut sol lucet in virtute sua. Et cum vidissem eum, cecidi ad pedes eius tanquam mortuus.

Et posuit dexteram suam super me, dicens mihi: Noli timere, ego sum primus & nouissimus, & viuus: & fui mortuus, & ecce sum viuens in secula seculorum: amen. & habeo claues inferorum, & mortis. Scribe quæ vidisti, & quæ sunt, & quæ oportet fieri post hæc. Sacramentum septem stellarum quas vidisti in dextera mea, & septem candelabra aurea. Septem stellæ, angeli sunt septem ecclesiarum: & candelabra septem quæ vidisti, septem ecclesiæ sunt.

ADMONET primùm ipsa ἐπιγραφὴ seu titulus libri frontispicio adscriptus, quid in vniuerso opere sit expectandum. Dicitur enim *Apocalypsis*, quæ patefactio est aut reuelatio, ἀπὸ τοῦ ἀποκαλύπτειν Græca voce, quia palam ea facere dicimur & manifestare, quæ obtecta prius latebant: Cui contrarium est quod Græcè ἀποκρύπτειν καὶ ἀπόκρυψις dicitur. Ex qua ipsa *Apocalypseos* voce, id in primis docemur, non occultationem esse rerum, quas nesciremus, sed apertionem & retectionem eorum, quæ seruis suis cognoscenda & communicanda proponere voluit dominus. Quod propterea hic annotandum duxi, ob quosdam non optimè feriatos, quicunque illi sunt, sunt autem omnes ferè isti pontificio imbuti charactere, qui vt cæteras scripturas omnes obscuras esse clamitant, quo minus vulgo legantur, ita hanc potissimùm scripturæ Titulus libri.

partem obscuritatis insimulant,quo è manibus elidant studiosorum,hoc maximè prętextu ac fuco,acsi nihil his occultissimis oraculis proditum sit, quod perspicuè à nobis perspici aut explicari possit.Qui etsi minus id verbis affirment,at re tamen ipsa,nihil eos velle aut sentire aliud,vel hinc liquidissimum sit , quòd ab omni huius scripturæ non tractatione modò,verum ab omni etiam eius commercio ac contemplatione quàm longissimè sese remouent. At qua ratione istuc?Nam si fatidicam hanc prophetiam, verissimas res complecti (quod verissimum est) minimè denegabunt:cur igitur veritatem hanc,si non vident,non inuestigant? si vident,cur dissimulant?cur non veritati cedunt?cur ad lucem non expergiscuntur veritatis?Sin obscuritatem causentur, qua impediti,in tam abstrusa sacramenta intueri nequeant: quid tum dicent titulo inscriptionis?Quòd si enim arcana sua consilia voluisset in hoc libro Dominus tam atra obscuritatis caligine obtegere,nō pandere,cur libro inditum est nomen reuelationis & *Apocalypseos*, cur non *Apocryphon* potius nomine dicebatur ? Quis reuelare ea solet,quæ clam habere cogitat? Quis seruis suis significare dicitur, quæ ab his intelligi nolit? aut quid retulit *Christum* sigilla huius libri septena nobis resignâsse,pérque seruum suum, communicanda cum Ecclesijs altissima Dei secreta reuelâsse, si in his nunc reuelatis, tanta adhuc manet obscuritas,vt nemo intelligat?

Secreta quæ reuelãtur, quo modo obscura dicuntur?

At mihi contra videtur,adeò nihil obstare obscuritatem percipiendis ijs,quæ hoc libro referuntur,vt nemo sit tam parui animi,quin si mentem adhibeat, nullo adiutus interprete,nec obscuritate impeditus, plæráque fermè omnia, non modo quæ ventura hic prænunciantur,per se satis consequatur,sed maximam etiam eorum partem iam præteriisse,ex euentis ipsis comperiet. Quis enim non videt septem illa ecclesiarum candelabra loco,multo iam antè,reuulsa?quis non septimum libri signaculum iamdudum apertum esse. Itémque septimam Angeli tubam iam personuisse , aut proximum esse certè vt è cœlo audiatur? quis librum prophetici ministerij iam diu ante deuoratum , duósque prophetas illos dudum mactatos ac rediuiuos : quis regem abysi Abadonem cum equestri exercitu infinitorum milium multis iam annis tumultuantem non perspicit? Ad hæc quis Draconem tartareum illum non luce clarius cernit, tot iam seculis mulieri, eiúsq; partui insidiantem, ipsámq; fuga adactã in solitudinem?Quis non geminam illam bestiam,pari euidentia non perspicit,alteram è pelago, alteram ex arenis prorumpentem? atque in his omnium maximè furentem Romanam sedem,ecquis tam cæcus qui non persentiat?quid meretrix velit Babilonica, cum monticulis suis & regibus,quid character, & numerus bestiæ includat, quid denique reges quidem terræ,cum pseudopropheta,& bestia, contra insidentem equo candido, ad cædem & furorem exagitati prænuncient?Postremo, quid post mille annos solutus Satan multis his annis egerit , quidque agat quotidie,qui non videt ,eum nec solem ipsum videre suspicor.Quæ omnia quum in hoc volumine tam perspicuè reteguntur, haud proinde immeritò titulus hic Apocalypseos seu reuelationis, καὶ προγνωσις τῶν μελλόντων prophetiæ huic inscriptus videatur.

Plæraque ferè omnia in hac Apocalypsi præterita esse, vt nihil iam desit præter 7. angeli classicum,& 7.angeli phialam.
Liber propheticus deuoratus.
Duo prophetæ mactati ac rediuiui.
Rex Abyssi Abadon.
Draco tartareus mulierem persequens.
Fuga mulieris.
gemina bestia.
Meretrix Babylonica.
Vrbs Septicollis.
Reges terræ contra insidẽtem equo albo depugnantes.
Satan post annos mille solutus.

Additur huc nomen IESV CHRISTI, cuius reuelatio esse dicitur. At cur non & patris additur,quum à patre datam,atque à filio acceptam audimus? Accepit quidem à patre CHRISTVS, non vt seruus tamen,sed vt filius,vtque solent à parentibus filij accepere,quæ sua videlicet sunt,& quodam modo propria. Iuxta quem loquendi modum, ipse de se testans:Omnia,inquit,quęcunq; habet pater, mea sunt.Rursusque, Mea omnia tua sunt,& tua mea sunt,& clarificatus sum in ijs,&c. Idem quum missus à patre venisset in mundum,in propria quidem venisse, suósque eum non recepisse legimus.Haud dissimili ratione accepit ille arcana huius reuelationis verba à patre vt seruis suis filius palam faceret , vnde non absurdè & filij reuelatio habetur à seruis,qui à filio acceperunt, quemadmodum & filius accepit à patre.Accepit autem ille,iuxta eam scilicet naturam, qua mediatoris fungitur persona & legatione,pro seruis suis apud patrem:hoc est,ea ratione, qua homo pro nobis factus, subijciensque se patri,omnia illi tribuit,cunctáq; ei accepta refert,nihil sibi ipsi,tanquam à seipso vendicans. Vnde ait: Omnia quæ dedisti mihi,abs te sunt,quia verba, quæ dedisti mihi,

Ioan.16.
cap.17.
cap.1.
Reuelatio à patre accepta.

dedi

dedi eis, & ipsi acceperunt. Et iterum; Omnia quæcunque audiui à patre meo, nota feci vobis. Et alibi rursus: Verba quæ ego loquor vobis, à me ipso non loquor. Similiter ab eodem audimus: Ego ex me ipso non sum loquutus, sed qui misit me pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam & quid loquar. Quæ ego loquor, sicut dixit mihi pater, sic loquor, &c. Accepit itaque, vt dictum est, datam hanc à patre reuelationem, iuxta humanam suam naturam, vt Moses olim CHRISTI vmbram gerens à Deo detulit, quæ propterea lex Mosis, aut tabulæ Mosaicæ vulgo appellari solent, sicut & hæc reuelatio dicitur IESV CHRISTI: Inter Mosen tamen & Christum hoc interest, quòd ille non suis, sed Dei seruis, legem acceptã promulgauit: Christus autem multo superior persona ita arcana hæc suscepit, vt eadem populo ipse suo proprijsque seruis communicaret. Sic enim ipsa habent verba: *quam* (inquit) *dedit illi Deus, vt palam faceret seruis suis, quæ oporteat fieri citò, & significauit, mittens per Angelũ suum, seruo suo Ioanni, qui testimonium perhibuit verbo Dei, & testimonium Iesu Christi, quæcunque vidit, &c.*

Ioan. 17. cap. 14. cap. 12.

Moses legem à Deo in monte accipit.

Atq; hæc de inscriptione hactenus, in qua habetis principio patrem ipsum suprem̃um omnis scientiæ & sapientiæ propheticæ colophonem, quo maiore fide legatio excipiatur. Habetis & filium τὸν λόγον eiusdem vt naturæ consortem, ita & sapientiæ consciũm, simul et voluntatis interpretem: habetis porrò prophetiæ spiritum, qui spiritus dicitur Iesu Christi. Subsequitur deinceps hunc spiritum, Angelus administer, nunciúsque verborum. Post quem, postremo accedit loco scriptoris nomen, qui Ioannes sit appellatus: non sine loci insuper & diei adiecta mentione. Locus Pathmos erat insula, vbi exulabat sanctus Dei vir ob testimonium, vt fatetur, Iesu Christi. Dies verò susceptæ reuelationis Dominicus erat, is nimirum, quem nos nunc Christiani solenni celebratione, præcedentis loco Sabbati, ob reuerentiam (vt fert Augustinus) dominicæ resurrectionis colimus. Ex quo intelligitur, primam istius diei institutionem, vel ab ipsis Apostolorum temporibus ad nos deductam, vel Ioannem hunc non Euangelistam, sed alium hoc nomine virum fuisse sanctum, vt quorundam habuit olim opinio, qui hãc nobis ædidit τὴν καταφανείαν Apocalypticam. Nunc verò quum Apostolum illum fuisse, nemini sit dubitandum, liquidò proinde hinc constat, cultum Dominici huius sabbati, quod octauo nunc, non septimo die, ex antiquæ legis præscripto honoramus, autoritate niti institutionis Apostolicę.

Pater. Iesus. Spiritus Iesu. Angelus nuncius. Ioannes Pathmensis.

Dies dominicus eiusq; prima institutio.

Porrò, ne quis parui æstimet diuinitùs has à Christo Domino donatas propheticarum visionum reuelationes, aut ne frustra putet operã se nullo fructu legendis istis perditurum, accipite nunc haud cõtemnendam, ab vtilitate, libri commendationem, imo etiam felicitatem. *Quippè beatum prædicat, quisquis legit & audit verba prophetiæ, & seruat ea, quæ in libro hoc præscribuntur &c.* vt enim reliqua omnis scriptura diuinitùs inspirata, vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum: itidem ex hac cœlesti reuelatione, longè latéque ad omnes patet vtilitas. Habent hîc pij, quæ doceantur. Habent impij, quæ admoniti præcaueant. Habet denique tota ecclesia, quæ iam antè præuideat ventura, per omnes ætatum decursus, fata, futuras in hoc seculo afflictiones, in altero glorias. Quæ omnia si rectè attendantur, haud leue ad perfectam beatitudinem momentum sunt allatura. Siquidem pios seruos confirmabunt in fide, patientia, & persceuerandi constãtia. Qui hostes sunt Euangelij, si sapiãt, ad meliora sese consilia metu periculorum reflectent. Vniuersam porrò ecclesiam non solum munient ad constãtiã in sustinendis agonibus, verum etiam summa consolatione perfundent in expectatione sui sponsi, qui veniens veniet, & non tardabit. Atque vt non tardat ipse, ita neq; tardant ea, quę reditum ipsius sunt præcessura. Neque enim finis rerum procul abesse, aut tardare diu potest. Hincque est quod ait: *Tempus propè est:* ne quis inanes sibi spes, aut peccandi licentiam, fretus temporum tarditate, concipiat. Festinant enim tempora, quibus nihil velocius, miráque celeritate præteruolat ætas, quę vtcunq; cessant homines, ipsa nunquam cessat. Quòd si verò in scripturis dies nostri, velut vmbra, feruntur super terram, neque vlla est cessatio: quanto minus mirandum, si apud Deũ anni mille instar diecułæ vnius videantur? Quo magis cuique aduigilandum est, ne

Vtilitas ex hoc libro perpenditur.

Dies domini non procul abest.

quid sibi ex tempore quisquam polliceatur, cum nihil in vita hac diuturnũ, nihil temporibus fugacius existat. Quæ si cum æternitate conferre volumus, quid aliud homo videbitur, quàm animal μιγκρόβιον atque ephimerũ? quid vniuersa mundi moles, quid collecta hominum multitudo totaquè potentia, nisi quiddam quasi quod esse dicas, tamen non est, vt verbis vtar Apocalypticis?

Narratio.

Atque hæc hactenus primum de inscriptione & argumento libri: tum de reuelationis autoritate, tertio de vtilitate lectionis præfatus, diuinus vates, nunc ad narrationẽ rerum ipsarum, quas à Christo suscepit, describendas se vertit. Est autem narratio tota prophetica, dicam, an historica, quippè quę varijs ac mirís constans visionibus, res partim anteactas, tum maximè futuras, ac citò gerendas, varietate multiplices, grauitate immensas, fructu ac vtilitate amplissimas complectitur. Iam quòd visiones has vsitata distinctione in septem ordines deducunt ij, qui Thomam & Bedam sequuntur, mihi non valdè improbatur. Quanquam hac de re dici fortassè posset nonnihil. Sed de numero non contendam acriter. Non enim de varietate, sed de veritate, rectaquè intelligentia earum rerum, quę his visionibus continentur, laborandum censeo. Tũ maximè vt scopum ipsum totius prophetię diligenter aduertamus. Qui mihi quidem vnicus ac præcipuus hic esse videtur, vt statum ecclesię nobis depingat, oculisque intuentium præfigat. Statum, inquam, ecclesię, non vnius, sed totius ecclesię, nec vno duntaxat tempore, sed per omnes omnium hominum ætates, à primis euulgati euangelij exordijs, ad supremum vsque mundi exitum.

Visiones huius prophetiæ septem. Beda. Thomas.

Scopus totius Reuelationis.

Quo autem plenius certiùsque status hic ecclesię cunctis eluceret, prophetica hac narratione consignantur, si non omnia, quę in singulis gerẽda sint ecclesijs, at quę principui esse momenti videntur, maximequè ad publicam totius vniuersitatis necessariã admonitionem pertinent, videlicet vt præmoneantur pij, quænam ipsis subeunda sint certamina, quæ ferendæ asperitates, quæ quantaque post obitas afflictiones eosdem expectat victoriæ corona. Contrà, quænam aduersarijs inflicta à Deo supplicia in hoc seculo, in altero nunquam desitura impendeant. Additur & ijs personarum, locorum, temporum & causarum designatio, in quibus potissimum omnis consistit libri huius obscuritas. Et si enim satis constat ex prophetica hac prædicatione, oborituras ingentes in ecclesia perturbationes per Antichristum, & sæuos Christi aduersarios, quis tamen hic Antichristus, quinam hostes existant, vnde emersuri, ex qua potissimum gente, ciuitate, ac populo proficiscentur: circa quę maximè tempora: quam diu edurabunt, quem denique habitura finem, non perinde omnibus fortassè conspicuum est, quæ omnia hoc in libro, Apocalyptica patefactione luculenter sunt explicata.

Circumstantiæ rerum, personarum, locorum, temporum.

Ac personarum primùm duplex genus est, quorum alterum pios complectitur, alterum ex impijs consistit. Qui autem pij isti existant, non obscuris hìc notionibus depinguntur, qui per fidem & patientiam infracti persistunt & obdurant, qui à mundo segregati Agnum sequuntur, eiusque in sanguine eluunt stolæ suæ maculas, qui incorruptos se seruant à mulieribus, qui vacant bestiæ charactere, quorum fides, charitas, ministerium, patientia, piaque operum exercitia conspiciuntur, qui denique iacturas & blasphemias sustinent propter nomen Christi, nec deficiunt. Quorum in albo nominatim referuntur septem illæ ecclesiæ, ad quas diuus hic scribit Ioannes verbisque Domini salutat.

Personarum circumstantia. Piorum descriptio.

Porro his aduersi impij in genere omnes dicuntur, quicunque extra Christum verbo illius non acquiescunt, vimque nefariam aduersus pios verbi cultores comparant. Quorum triplex videtur agmẽ in hac descriptum Apocalypsi. Primum est monarcharum ac Cæsarum, qui primis illis persequutionibus, in summo constituti imperio nihil non agebant, quo Christi nomen funditus abolerent: sed frustra. Hique imaginem gerunt prioris bestiæ, cuius incisum caput à secunda bestia denuo redintegratur. Porro secundus ordo est Saracenorum & Turcarum, qui etsi non pari imperio, pari tamen odio & malitia hostes se Christiani nominis profitentur: iamque non solum ecclesias illas septem de quibus hic agitur, cum suis candelabris deuastarunt, sed & magnam orbis Christiani partem vel pessundidêre, vel sub se subegerunt tyrannidi,

Impij, eorumq; triplex ratio.

Prima impiorum turba. Bestia prima. cap. 13.

Impiorum sec. ordo. Turcæ, seu Locustæ. cap. 21.

rannidi. Atque hos quidem repræsentant Locustæ illæ Apocalypticæ, & equestris exercitus infinitorum milium cum suo rege Apollione. Tertiam deinde aciem occupat Antichristus filius ille perditionis, sedens in Dei templo, cum insignitis suo charactere cultoribus, qui licet non eadē via, qua superiores aduersarij, nihilo tamen mitiorem, imò multò grauiorem pestem intulerunt ac quotidiè inferunt sanctorum castris. Propterea quòd illi, qui aperta vi grassantur, minùs hoc ipso lædunt, vel facilius certè cauentur. Isti in ipsis ecclesiæ visceribus atque intra ipsa moenia se permiscentes cum populo Dei, sub callida religionis simulatione, veram Christi religionem oppugnant, sinceræ doctrinæ fontes lætali veneno inficiunt, adeòque sub insidioso amicitiæ prætextu dum fratres patrésque videri volunt, priùs occidunt, quàm intelliguntur, adeòque multò grauiorem vastitatem non in animas solùm, sed in corpora etiam sanctorum moliuntur, sæuiúsque grassantur, quàm quiuis Selymus aut Domitianus. Vndè non insicita hypotyposi Antichristus hic cum suis symmistis Agnum mentiri dicitur, cornuum quidem similitudine, quum re ipsa sub agnino vellere plusquam lupum occultat Tartareum. Quibus addas licebit Monachorum, Sacrificulorum, Canonicorum phalanges, quippè qui euangelium Christi fideique synceritatem commentitijs regulis, infestis erroribus, confictis miraculorum mendacijs adulterant, qui sectas & schismata concitant: qui fucatis titulis vulgi oculos perstringunt, qui præstigijs fallacibus & hypocrisi seducunt, cæteríque id genus consimiles, qui sunt crucis Christi inimici, quantumuis nomen Iesu præ se gerunt.

Tertius nefariorum hostiū ordo. Antichristus cum suis. Bestia videlicet c. 2. 13.

Hypocritæ. Monachi. Iesuitæ. Multi venient in nomine meo Mat.

Atque de aduersarijs quidem ecclesiæ iam dictum est, quos triplici varieate distinximus. Ad loca verò ipsa, & sedes quod attinet, vnde hæc lues sit nascitura, vbi arcem suæ impietatis potissimùm extruet, si quis scire gestiat, ne id quidem supprimet scriptura hæc prophetica. Quippe de puteo, inquit, abyssi, & de fumo putei exibunt, quo significatur, cruentas has turmas hostium, ortum vimque suam à Diabolo accepturas. Additur deinde mentio Aegypti & Sodomæ. Auditur & magnum flumen Euphrates deiccandū: quo præpararetur via regum ab ortu solis. Auditur & Gog & Magog. Deinde agens de duplici bestia, hoc est, de priore bellua semimortua, & demum per alteram restituta, subit mentio ciuitatis Babyloniæ, quæ & septicollis demonstratur, ex qua nomen trahit meretrix, quæ Babylonica dicitur. Vt iam nemini esse dubium possit, ex qua potissimùm ciuitate Antichristus erumpet, totáque adeò hæc persecutionum tempestas sit oritura.

Circumstantia locorum.

Puteus Abyssi. Fumus Putei.

Ægyptus. Sodoma. Euphrates Fl. exiccatū. Gog. Magog. Babylonia.

Supereſt vt tempora nunc ipsa, quæ à Deo præfinita sint ferendis hisce ærumnis, ex Reuelatione adnotemus. Nam vt nihil est eorum omnium, quæcunq; hactenus perpessa sit ecclesia aut deinceps passura, quod fortuita aut incōsulta acciderit temeritate, multóq; priùs à Deo non animaduersum, & in hac prophetia expressum sit: ita & temporū ipsas præfinitiones, quando, & quovsque duraturæ sint hæ calamitates, diuina nequaquam carere prouidentia, at statis, certisque suis periodis tanquam limitibus circumscribi atque deuinciri haud dubitandum est, quos egredi Antichristus nunquam valebit. Quæ res nec minùs ex hac ipsa reuelatione constare poterit, si quis attentiusculè numeros temporum à spiritu sancto hìc positos ad calculos reuocet. Veluti quum legimus, datam esse belluæ potestatem faciendi menses 42. Rursúsque vbi mulier euolans in desertum persequente Dracone, locum illic occupat per tempus, & tempora, & dimidium temporis: siue vt ipsemet spiritus certiore mox numero tempus illud explicat, diebus, vt ait, mille ducentis sexaginta sex. Porrò vbi de Martyricidio duorum prophetarum vaticinans tres dies cum dimidio eis assignat, quibus insepulti iaceant, quoad vita demùm restituta, in coelum viui susciperentur. Habetur præterea in hac ipsa reuelatione de mille annis, quibus regnabunt cum Christo sancti super terram: quo temporis spatio constringendus sit Satanas: donec emenso tandem mille annorum curriculo, iterum produci eum oporteat, vt castra ecclesiæ obsideat modico tempore. Quæ omnia vt certam nobis designant tēporum notationem, fusiùs dehinc suo loco & ordine, Christo duce, dicetur. Interea illud in genere sat fuerit admonuisse, in describendis his ecclesiæ afflictionibus, tria potissimùm temporum discrimina spectari oportere. Quo-

Temporum consideratio.

Menses 42.

Tempus, tempora, dimidium temporis. Dies 1266. Tres dies & dimidium cap. 11. 1000. anni.

Tria temporum notanda discrimina.

rum primùm referendum est ad tempus primarum persecutionum sub tyrannide Romanorum Cæsarum, quod ad Constantinum vsque per annos plus minus trecentos perdurauit. Posterior temporum ordo spectat nouissimas has persecutiones sub Antichristo post solutum Satanam. Intermedium illud spacium, quod inter has persecutiones interfluxit, mille annos illos continet, quibus vincto Satana, nonnulla interim contigit ecclesiæ respiratio. Etsi verò nullum ferè tempus vnquam fuit ecclesiæ liberum prorsus ac vacuum ab omni molestia, quin aliqua perturbationis procella subinde concuteretur, vel errorum dissidijs, vel intestinis dissentionibus, vel sectarum aut schismatum tumultibus exagitata: tamen quia vincto Satana, incensæ illæ faces horrendarum persecutionum, non adeo tanta crudelitate per vniuersum ecclesiæ corpus publicè incruduerunt, ideò ad duo illa, quæ dixi, grauissimarum persecutionum tempora potissimùm, harum omnium visionum maxima pars respicere videtur.

De septem minoris Asiæ ecclesijs.

Primúmque quod ad septem illas Asiæ minoris ecclesias attinet, quoniam de ijs, prima visione agitur, quid ad eas scribat, quid de ijs dicat Apostolus, accipiamus. *Ioannes septem ecclesijs quæ sunt in Asia. Gratia vobis & pax ab eo qui est, & qui erat, & qui venturus est, & à septem spiritibus, & à Iesu Christo. Ipsi gloria & imperium in secula.* Salutatio est epistolaris pia & Apostolica, quæ summa illis bona exoptat atque annunciat, inuocato nomine patris, & filij, & spiritus sancti. patris, qui vbique præsens, nusquam sui dissimilis, sine fine ac tempore sempiternus in sese, qui sit idem, semper fuit, eadémque æternitate semper futurus est. Filij, qui missus a patre, abluit nos à peccatis nostris. Spiritus sancti, qui multiplici donorum varietate ditat ecclesiam, quam redimit filius. Post redditam salutationem, pergens mox ad ea referenda, quæ iussus est eis renunciare, exponit cælitùs ostensas sibi à Christo reuelationes, tum eam inprimis, quæ septem has ecclesias nominatim attingant. Ea autem cuiusmodi sit, quo tempore, quo die, quo loco edita reuelatio, ipsum apertè testantem Apostum audiamus.

Salutatio epistolaris.

Ego Ioannes frater vester & particeps in afflictione, &c. fui in insula, quæ appellatur Pathmos, fui in spiritu in dominico die, & audiui post me vocem magnam tanquam tubæ, dicentis: Ego sum Alpha & Omega, primus & nouissimus. Quod vides scribe in libro: & mitte septem ecclesijs, quæ sunt in Asia, Epheso, Smyrnæ, &c. Et conuersus vt audirem vocem, quæ loquebatur mecum, vidi septem candelabra aurea: & in medio candelabrorum similem filio hominis, vestitum veste ad pedes vsque demissa, & præcinctum ad mamillas zona aurea. Caput & capilli erant candidi, velut lana alba. Oculi eius tanquam flamma ignis, & pedes eius similes chalcolibano, velut in camino ardentes, vox illius tanquam aquarum multarum: & habebat in dextera sua stellas septem. Et de ore eius gladius vtráque parte acutus exibat. Et facies eius sicut sol lucet in virtute sua &c.

In hunc itaque modum quæ vidit ἀυτοπτης hic propheta, audistis: nunc quæ audiuit itidem spectate. Ita enim consequitur.

Et cum cecidissem ad pedes eius tanquam mortuus, posuit dexteram suam super me, dicens mihi: Noli timere, ego sum primus & nouissimus, & viuus, & fui mortuus. Et ecce sum viuens in secula seculorum. Et habeo claues inferorum, & mortis. Scribe ergo quæ vidisti, & quæ sunt, & quæ oportet fieri post hæc. Sacramentum septem stellarum, quas vidisti in dextera mea, & septem candelabra aurea. Septem stellæ, angeli sunt septem ecclesiarum: & candelabra septem quæ vidisti, septem ecclesiæ sunt, &c.

Hæc quoniam per se satis explicata sunt, propriam ferunt interpretationem: iamque multò ante multis eruditorum commentarijs pertractata, nihil est quod in singulis hîc apiculis discutiendis prolixiùs immoremur: quum id abundè ab alijs sit præstitum, quos lector pro suo delectu, maiorique fructu, mea maximè sententia consulat, tum inprimis H. Bullingerum, Dauidem Cythræum, & Guliel. Fulconem nostrum, quique his consimiles sunt alij.

H. Bullingerus Cythræus. Guliel. Fulco.

Neque enim eò spectat huius laboris nostri institutio, vt iusta commentatione singu-

ne singulos huius libri sensus prosequar, aut verbis inhæream, vel vt rebus insistam, præsertim his, quæ per se satis expeditam reddunt intelligentiam: verùm vt de ijs solùm, quæ perplexa aliqua obscuritate, nonnullam fortassè lectori molestiam facessere queant, eicasmos nostros ac μικρολογήματά τινα, cum cæteris coniungam, morèque disputantium, quædam velut erotemata proponam in medium, quæ studiosis Theologorum ingenijs vberiorem præbeant de ijs cogitandi materiam.

Candelabra 7. Stellæ 7.

Ac primùm quod ad candelabra & stellas istas attinet in dextera Christi descriptas, quæ ecclesias septem earúmque angelos designant, subit hoc loco mihi sciscitandum. Quum Christus dominus in coelis ad dexteram sui patris assidere credatur, quo modo igitur inter ecclesias in terris hic militantes versari atque etiam ambulare dicitur? Quòd si respondeant hac ambulandi voce non personalem Christi præsentiam, sed spiritualem illius curam solicitudinémque, in administrandis ecclesiæ rebus significari, quod necessariò fatendum est, rogabo iterum: Cùm assidua hæc Christi inspectio nusquam non adsit ecclesiæ suæ cuncta vbique perlustrans, vniuersa procurans, quorsum illi igitur opus generali quoquam vicario in subeunda hac prouincia, cui ipsemet præsit tam diligenter? aut quid agat sedens in ecclesia Romanus pontifex, ambulante in ecclesia Christo? Quòd si respondeant, Christum ita adesse ac præesse suæ ecclesiæ, vt eam nihilóminus, per administratorias operas pastorum res suas administret: Age, vt hoc verum non abnuamus, quid hoc pro Romano magis Pontifice, quàm pro cæteris Euangelij doctoribus, ecclesiæque administris quibuscunque? Quid enim Rom. efficiet vicarius, quod non idem peragat Christus æquè per aliorum circumspectam sedulitatem? Siue ecclesias ipsas, siue pastores spectemus ecclesiarum, quid vel Romana ecclesia supra cæteras habet ecclesias, vel Romanus quid præstat præsul, quod non item alij peragant, multóque fortasse feliciùs in sua quisque Sparta Episcopus?

Quæstio seu problema. Responsio. Instantia. Christus in ecclesijs ambulans. Pontifex sedens. Obiectio pontificiorum. Vicarius Christi. Romana ecclesia supra cæteras ecclesias nihil habet.

Versatur igitur, vtì audistis, in medio ecclesiarum filius Dei: verissimum, versantur & cæteri item episcopi non segniter per suas quique ecclesias. Vtinam. Sed age, vt id etiam donemus. Non eodem tamen vtrique modo, at longè dispari ratione. Quemadmodum enim capitis superior illa vis, in qua ratio inest, sensuúmque agilitas, per vniuersas corporis compages se diffundens, membra artúsque omnes sibi subiectos irrequieto motu permeat, ac prouida dispensatione singulis partibus arcanam influentiæ energiam subministrat: ita solus Christus est, ad quem totius corporis publica gubernatio atque inspectio vnicè pertineat, qui pro diuina sua potentia, nusquam non adest rebus & priuatis & publicis, perpetuus suorum custos, varia donorum operatione singulas fœcundans ecclesias, mittensque alios Apostolos, alios verò Prophetas, alios Euangelistas, alios pastores ac doctores ad instaurationem sanctorum, in opus administrationis in ædificationem corporis ipsius &c. Atque has quidem administrationis partes solus hic obire potest, qui solus vniuersorum Dominus existit. Quanquam & pijs interim ministris non desunt particulares suæ functiones, quas sub Christo obeant in sua quisque præfectura. At maneant tamen isti intra ministerij sui pomeria, quibus eos circumscripsit diuina vocatio, ambulétque, vt ita dicam, vnusquisque episcopus in sua ecclesia. In medio omnium ecclesiarum solus consistat Christus, qui solus omnia nutu potentiæ suæ implet in omnibus.

Quid agat Christus in sua ecclesia. Quid cæteri eius pastores. Ephes. 4. Functiones ministrorum, suis locis circumscriptæ. Solus Christus præest & prospicit vniuersæ ecclesiæ.

Iam verò si nomine hoc & numero septem ecclesiarum, vniuersitas nobis adumbratur totius generis, omniúmque ecclesiarum vbique hîc in terris peregrinantium, teste Augustino, Primasio, Haymone, Beda, Richardo, Thoma & alijs: ex hoc igitur fundamento, pontificium nunc dogma excutiamus, quo pontifex non contentus statione sua eoúsque sese dilatat in orbem vniuersum, vt nulla sit in terris ecclesia, cuius ipse vicaria authoritate non se principem esse & caput iactitet. At quid ita obsecro? Quia, inquiunt, sicut ecclesia est visibilis & manifesta: Ita necesse est, vt caput in ea sit visibile & manifestum, sic vt nulli satis sit Christo in cœlis regnanti adhærere, nisi in terris vicario suo subiectionem deferat. In hunc enim illi modum ex professo prædicant, vt quemadmodum duplex existat ecclesia, itidem

Augustinus. Primasius. Haymo. Beda. Richardus. Thomas in Apoca. Peresius de traditionibus part. 3. Pontificiæ doctrinæ ratio.

itidem & duo ſtatuantur capita, Chriſtus, & pontifex vicarius, quippe qui imperium inter ſe vtriúſque eccleſiæ ita partiantur, vt quæ inuiſibilis ſit eccleſia, caput vnum habeat Chriſtum, qui in cœlis (vt refert Sanct. Hoſius) vnitatem ſeruet perpetuam: altera quæ viſibilis exiſtat, caput habeat viſibile Petrum, eiuſque ſucceſſores, qui vnitatem in terris retineant &c. O ſancta ſophia. Quænam hæc Theologiæ ratio? Et quî tandem iſta cum Symboli verbis cohærebunt, in quo confitemur eccleſiam non niſi vnam eſſe ſanctam, Catholicam, & Apoſtolicam? quam ſi iſti geminam eſſe volunt, quo modo iam non geminum erit Chriſti corpus myſticum? Sin vnam fateantur, qua ratione vnum, idémque Chriſti corpus, in capita duo diſtinguetur? Quòd ſi vnius capitis non niſi vnum corpus neceſſariò concedant, qua ratione Chriſtum totius eccleſiæ caput vnum conſtituent, non excluſo pontifice? aut quonam modo pōtificem admittent, niſi Chriſtum ipſum ab huius honoris conſortio exturbent, quandoquidem in vno corpore caput non niſi vnum præſidêre neceſſario oportebit?

Petrus Auratus in paradox. 70.
Hoſius conſeſſ. cap. 26.
Duo capita, Chriſtus, & pontifex.
Vna eccleſia, vnum Chriſti corpus myſticum.

Cæterum non deſunt hic ſophiſticæ diſtinctionis ſcita quædam pharmaca, quibus Romanenſes iſti figuli veritatis ſimplicitatem affabrè eludant. Cùm enim duplex ſit ſanctorum in eccleſia ſtatus, alter eorum, qui cœlos iam incolunt, ac beatitudinem poſſident: alter eorum, qui in terris adhuc velut in caſtris militant: ex duplici hoc eccleſiæ vnius ſtatu, geminam iſti eccleſiam ſtatuunt, quarum illam in cœlis inuiſibilem, hanc in terris viſibilem prædicant. Atque pro duplici hac eccleſiæ ratione, duo item capita geminis iſtis eccleſijs, pro generis vtriúſque proportione deſignant. Quoniam autem in ſuperna illa beatorum hierarchia, Chriſtus ſecundum corporis ſui præſentiam verſatur ſemper in aſpectu præſens, in eo proinde nullo eget vicario. In terris verò quia iuxta corporis ſui modum Chriſto adeſſe non liceat eccleſiæ ſuæ viſibili, ea ratione vicarij ſtatuitur neceſsitas, qua Chriſti ſpectabilis illa præſidentia deſideratur. Age, & quæ tandem ratio hæc ſit neceſsitatis, perlubens ab iſtis edoceri velim. Quia, inquiunt, quum Chriſtus hinc abierit, qui tamen negligere eccleſiam ſuam nullo modo potuit, non tam malè proſpectum illi voluit, quin ducem poſt ſe aliquem ac rectorem relinqueret, qui vices ſubiret ipſius, in procurandis atque adminiſtrandis eccleſiæ ſuæ rebus. Quid ego audio? an non ſatis ille proſpexit eccleſiæ ſuæ, qui hinc diſcedens, tot poſt ſe reliquit diſcipulos, tot œconomos, & diſpenſatores myſteriorum? qui tot extruſit & extrudit quotidiè operarios ad excolendam vineam? qui denique iuxta D. Paulum, tot non modò promittit, ſed etiam mittit quoſdam Apoſtolos, alios prophetas, quoſdam Euangeliſtas, alios paſtores, alios doctores, ad inſtaurationem ſanctorum, in opus adminiſtrationis, ad ædificationem eccleſiæ? Quæſo qui tot tantáq; præſtat eccleſiæ ſuæ, an nihil is agere in eccleſia, an non ſatis hæc ſufficere ad neceſſariam eccleſiæ procurationem perfectámque ædificationem totius corporis videantur? Et quid præterea Rom. deſiderabit pontifex, niſi id ſit fortaſſe, quod fitiat, vt ſuo magis imperio, quàm publicæ ſanctorum ædificationi proſpiciatur?

Sophiſtarum obiectio.
Romani vicarij neceſſitas, iuxta pontificios.
Reſponſio ad ſophiſma aduerſariorum.
Ephe. 4.

Sed non ſunt omnes, inquiunt, paſtores iſti & miniſtri inter ſe pares. Eſto ſane. Quanquam aliter docebit D. Cyprianus, qui omnes pari conſortio prædito & honoris & poteſtatis non negabit: Verùm vt hoc ipſis indulgeamus, quod tantoperè arripiunt, quid inde conficient? Ergó ne omnia, peſſum ruant, ac confundantur: Vnum oportet eſſe caput. Quid ergo, an vnum non habet eccleſia caput, quæ Chriſtum habeat? An non vnum ſufficiet caput vni corpori? Atque iſtud, opinor, illi haud prorſus inficiantur, ſed adhibetur hîc diſtinctio. Etſi enim Chriſtus caput exiſtat vniuerſæ eccleſiæ vnum quidem, proprium, principale, ac vitale, à quo principium vitalis energiæ reliquo corpori proueniat: attamen quia is præſens non adſit, qui cerni & audiri poſſit, quique imperio ſuo externas corporis perfunctiones moderetur, idcirco alterum caput miniſteriale & viſibile, quod eiuſdem ordinis & generis exiſtat, neceſſariò adhibendum eſſe. Ridiculum, quaſi caput eſſe poſſit, quod vitale non ſit, ſed tantum miniſteriale: aut quaſi Rom. pontifex in eccleſia propria, miniſter Chriſti eſſe non poſſit,

Alia obiectio.
Cyprian. de ſimplic. prælat.
Cauillatio cum diſtinctione.
Stapeltonus lib. primo.
1. Caput vitale.
2. Caput miniſteriale.

posſit, in eaque videri & audiri, niſi etiam caput aliarum omnium eccleſiarum ſeſe vē-
ditet. Age, & quæ tādem iſtæ ſunt externæ corporis functiones, quas ſuo vendicat im-
perio caput hoc miniſteriale? Si ciuiles ſint & externæ, cur non ciuili magiſtratui, qui
Chriſti æquè miniſter ſit, quæ ciuilia ſunt & externa permittit? cur non Cæſari, quæ
Cæſaris ſunt, quæ Dei, Deo referat Romanus hic miniſter? Sin ſpirituales ſunt functi-
ones, lubens ab his perconter, vtrum feliciùs eas Chriſtus inuiſibili ſuo ductu, an pon-
tifex viſibili ſua poteſtate procuret?

At preſens, inquiunt, Chriſtus in terris non adeſt, qui res componat, lites viua vo- Pontificiæ cauillationis dilutio.
ce dirimat. Age, & quo modo adſit pontifex ſingulis eccleſiæ Chriſtianæ partibus, re-
ſpondeant mihi velim qui iſta diſputant: peto enim vtrum ab Indicis eccleſijs, aut ab
Anglia noſtra propius diſtet Chriſti perſona, an pontificis? Quorum altera in cœlo,
altera Romę verſatur? Sed ſit nobis Roma, quàm cœlum vicinior, quid cauſæ ſit, quum
neuter vbique adſit corporaliter, qui videri & audiri queat, quur pontifex ipſe ſeſe
magis obtrudat nobis, quàm nos Chriſtum ipſum, quamuis abſentem ad negotia ec-
cleſiæ noſtræ admittamus? præſertim quum clariſſima ſcripturæ deſcriptio Chriſtum
ita nobis depingat hoc loco, adeò ab eccleſia ſua non ſemotum, vt in medio etiam ec-
cleſiarum non ſtantem ſed ambulantem, tenentemque dextera ſtellulas ſuas ipſas ni-
mirum eccleſias, ipſasque inſuper eccleſias expreſsa legatione coarguentem producat.
Quid ergo? qui pernuncios inuiſit eccleſias ſuas verbisque apertis increpat, an is ni- Tertullianus.
hil agere in eccleſia, nec quicquā poſſe ſine vicario dicetur? Vt verbo dicam, Chriſtus Spiritus dei, vicarius Chriſti in terris iuxta Tertullian.
certè vicario non eget. Nec quiſquam eſt, qui muneris huius molem ſuſtinere queat,
præter vnum hunc, cuius meminit Tertullianus, qui eſt ſpiritus Ieſu Chriſti. Age, &
quicunq; Romanus hic vicarius ſit, quid agere poſsit, quod non Chriſtus ipſe, ſine vi-
cario per nuncios ſuos præſtitit, præſtatque quotidiè. Præterea cùm ſtellæ ſeptem, Thom.
quas dextra Chriſtus complectitur (authore Thoma, Haymone, Beda, & alijs) non Haymo.
ſeptem modo, ſed omnium eccleſiarum quoſcunq; paſtores promiſcuè deſignat, quid Beda. &c.
Romana hîc habet eccleſia eiusque præſul, in quo cæteris præluceat eccleſiaſtis? quum
vna eademque Chriſti dextera, pari fauoris dignitate & gloria, quoſque eccleſiarum
angelos ita contineat, vt nulla videatur eminentiæ aut ſplendoris cuiuſquam præ cæ-
teris prærogatiua, præſertim quum nullus hîc Romanæ ſtellæ, nec locus, nec men-
tio audiatur.

Sed intermiſſa hac de Romano contentione, curſum orationis eò inflectamus, quo
reuocat nos inſtituti ratio. Quoniamq; de ijs, quæ viſa & oſtenſa ſunt diuino vati cœ-
pimus nonnihil attingere: ad ea, nunc quæ reſtant explicanda progrediamur. Quan-
quam quid noſtra explicatione hîc opus, quum propheta optimus ſui interpres myſte- Explicatio
ria viſionis ipſe per ſe abundè exequitur. Primum enim quid Sacramentum ſtellarum, ſeptem ſtellarum & candelabrorum.
quid item candelabra aurea ſeptem deſignant, ſeptem nimirum eccleſias, earumq; an- Angeli eccleſiarum paſtores repręſentant maximo interpretum conſenſu.
gelos, commonſtratum audiſtis. Quæ porrò ipſæ ſint eccleſiæ, quibus in locis ſitæ, ſin-
gulas ſuis nominibus appellatas atque recitatas accepiſtis. Ad hæc quid ſub angelo-
rum ὑποκλοπῇ intelligatur, haud obſcura apparet cordato lectori ſignificatio. Certè
qui commentantur in diuinam hanc Apocalypſin, omnes vna ſymphonia in hoc con-
cinunt, Angelos hoc loco paſtores eccleſiarum denunciare. Vt enim ſtellæ imagines Angeli repræſentant non tã perſonas paſtorum, quam functionem ipſã paſtoralẽ Marlorat. in Apoc. cap. 1.
gerunt Angelorum: Ita Angeli nihil hîc aliud, quàm miniſtros Chriſti repræſentāt.
Quod tamen ita mihi videtur verum, dummodo hoc ipſum intelligatur non de
perſonis ipſis paſtorum, ſed vt functionem ipſam potius paſtoralem, ſeu præfec-
turam in tuendis regendisque eccleſijs ſpiritualem, teſte Marlorato, exprimat. Quę
vt à Chriſto ipſo authore ad ædificationem eccleſiæ neceſſariò inſtituitur: ita ſem-
per per ſe res ſacra ac diuina habetur, vtcunque paſtores ſe aliter habent ac miniſtri
gregis. Quos tamen ipſos oporteat non ſecus atque angelos lucis vbique præfulgere
in domo Domini, ſicq; claritatem puriſſimæ doctrinæ, ſtellarum inſtar, à Chriſto vi-
nico lucis ſole haurire, vt eandem ipſi in alios, doctrinæ & vitæ exemplo tranſfundāt.
Cæterum eo nunc mores & tempora eccleſiæ degenerarunt, vt huiuſmodi aſtra cæli Stellæ de cælo cadentes.
iamdudum è cœlo neſcio in quas tenebras decidiſſe videantur.

Sed

Sed pergamus in huius ſpectaculi deſcriptione, in quo accedit porrò quod vnum omnium longè præſtantiſsimum eſt ac diuiniſsimum, ipſe nimirum Chriſtus Dominus, qui Deo patri ad dexteram aſsidet, paternæ gloriæ conſors, idémque nunc in medio ſuorum candelabrorum viſus conſpectúsque Ioanni, quem & ipſi pariter cum Ioanne defixis oculis pauliſper contemplemini rogo hortórq; (fratres, lectores,) qua ſpecie, quo habitu, quanto ſplendore, quanta maieſtate & gloria hic ſe ſpectandum non vni ſolum Ioanni, ſed in hoc vno Ioanne, nobis omnibus exhibeat. Quid enim ad illuſtrandam eius maieſtatem magnificentius? quid ad conſolationem cultorum ſuorum excellentius? quid ad comprimendos aduerſarios efficacius? Quod ſi enim charisſimus illi diſcipulus, tantæ maieſtatis gloriam non ferens, ad conſpectum modò illius concidiſſe ad pedes eius tanquam mortuus dicitur, quid de hoſtibus, apparente Domino in ſua gloria, futurum exiſtimemus? Quod ſi mundi huius principes non ferro, non telo armati, vel verbo ſolùm in ſubditos tantùm valent, ſiue vitæ velint parcere, ſiue neci mãdare libeat: quid mirùm ſi ab huius ore, qui rex ſit regum, & dominantium dominus, gladius gemina acie vtrinque feriens exire conſpiciatur? Quod porrò adijcitur de veſtium cinctura aurea, de capite & capillis niueis, de oculis flammea ſimilitudine fulgurantibus, de pedibus velut in camino ardentibus, de vocis terribili tonitruo &c. Ex hac, inquam, deſcriptione varia, nobis præbetur cogitandi ac quærendi materia. Primum cur hoc cultu atque habitu Dominus apparere voluit? Cur ita viſum eſt, vt literis etiam conſignata hæc illius ſpecies oculis legentium proponeretur? tum an eadem hac forma, qua hic viſus eſt, aſsidet ille ad dexteram patris; denique an ſimili habitu rediturus ſit ad iudicium?

Qua forma apparet Chriſtus, conſiderãdum.

Terribilis Chriſti aſpectus, hoſtibus præſertim ſuis.

Quæſtiunculæ aliquot de externo habitu Chriſti.

Primum quænam propria ac perpetua illius ſpecies ſit, qua ad dexteram ſui patris aſsidet, quaque venturus eſt, ex hac viſione certò colligi non poteſt, nec debet. Siquidẽ ſæpe ille aliâs viſus à ſuis, alia atque alia forma apparuit, vel pro loci ac temporis conditione, vel pro imbecillitate intuentium. Ita Magdalenæ hortulanus videbatur. Aliter ſe aperuit euntibus Emaum, aliter Thomæ Apoſtolo, aliter piſcantibus diſcipulis, alio modo Saulo perſecutori, fierique poteſt, nec dubium eſt, quin longe alia circundatus maieſtate, vitos iudicabit & mortuos, qua verò ſpecie nec nobis certum eſt, nec ſcire in præſentia refert. Cur autem hoc loco tam diligenter totius corporis, ſingularúmq; ferè partium deſcriptionem exprimere nobis voluit propheta, ſingulari quadam ratione nõ caret. Vel quia ſic expediebat, ne quid omitteretur, quod ad certiorem prophetiæ fidem faceret: vel quia non parum id conferre viſum eſt, tum ad terrorem atque admirationem credentibus incutiendam: tum maximè ad exprimendam immenſæ maieſtatis gloriam illius, in quem credimus. Vt vt enim humili & abiecta corporis conditione hîc olim conuerſatus eſt, velut ex deſpicata plebis ſorte omnium nouiſsimus, ac infimorum infimus, quippe qui iuxta humanæ humilitatis diſpenſationem, nullam præferret dignitatis magnificentiam: tamen qui nunc eum in cœlis regnantem contemplari poſſet, longè alium certè cerneret, imo talem cerneret ea circumfuſum maieſtate, qualem ne fuſtinere quidem intuendo, neque aſpectum perferre vllo modo poſſent mortales oculi. Id quod vt Ioanni huic, itidem & ante eum D. Paulo accidiſſe diuina teſtatur hiſtoria. Quorum vterque ad ſolum eius conſpectum mortuus concidiſſe dicitur. Quæ res tanto magis animos noſtros attollere debet ad cogitandi adorandique reuerentiam, ſimúlque ne nihil hinc diſcat Antichriſtus, quíque cum Antichriſto Chriſtum Dominũ tanta perſequuntur tyrannide, argumentum hinc arripiant, vel timendi, vel deſiſtendi, quum ex hac ipſa viſione facilè intelligant, qualem quantúmque principem, in ſuam ipſi prouocant perniciem. Tum verò in primis fidelis credentium populus multo pleniſsimam, ex diuina hac contemplatione, benè ſperandi fiduciam concipiat. Quid enim ipſis deeſſe poterit in tanta hac celſitudine, in qua tantum decus, tantum ineffabilis gloriæ ſplendorem, cum pari adiuncta potentia conſpiciant, ad cuius non nutum modò, ſed conſpectum etiam cuncta cadunt genua, contremiſcunt vniuerſa, & in cœlo & in terra?

Chriſtus diuerſa ſpecie diuerſis apparuit.

Maieſtas Chriſti.

Atque hæc de viſione hactenus. Quod ſupereſt, verba nunc ipſa attendamus, quæ,

Domino

Domino dictante, in auribus insonuerunt prophetæ. *Ego sum, inquit, primus & nouissimus.* Quod primus hic dicitur, idem est, quod alibi in Euangelio idem testatur Euangelista. In principio erat verbum: quibus verbis æternitas filij Dei astruitur, qui iuxta diuinam eius subsistentiam, qua Deus est ex Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero, eximitur ab omni creaturæ temporali conditione, quum omni principio careat, qui erat à principio. Atque vt principio caret, itidem & finem nescit. Vnde & primus dicitur, & nouissimus, alpha, & Omega. Christus enim heri, & hodie, & idem in secula. Qui tamen nihilo minus, iuxta humanam suam naturam, quam in tempore assumpsit, & nascendi tempus habuit, & vitæ finem accepit, sed temporarium & momentaneum. Mox enim, recuperata vita, prodijt de tumulo, viuitque nunquam deinceps moriturus: vnde subiungit: *Et viuus & fui mortuus, & ecce sum viuens in secula seculorum, Amen.* Subsequitur porrò, *Et habeo claues inferorum, & mortis, &c.*

Christus alpha & Omega.

Amplissimæ consolationis verba sunt. Mortis autem & inferorum quanta viguit hactenus in miseros mortales potẽtia & crudelitas, satis hoc ipsum indicat, quòd nulla vnquam opum humanarum tanta vis, nulla regum aut regnorum tanta vnquam fuit aut futura est præstantia, nulla denique sub cœlo creatura, quam non duo isti omnium acerbissimi, siue hostes eos, siue iusta Dei supplicia dicemus, non suo vendicant imperiõ, sibiq; subijciant. Vt ex ipsis audimus poëtis: pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas, regúmque turres. Quæ duæ aduersariæ potestates, quamdiu claues totius regni administrabant, cunctaque occupabant, nihil in vita felix, nihil vsquam esse tutum potuit. Hinc bella, cædes, homicidia, lanienæ, incendia, demersiones, pestes, infinita mortium genera, cadauerum funeribus quotidianis plena vbique omnia, ciuium contrucidationes, regnorum interitus, familiarum distractiones, bonorum pariter ac malorum, omnium denique ætatum ac seculorum ruinæ. Breuiter, quid illic beatum aut liberum esse possit, atq; non omnibus modis miserum, vbi in perpetua mortis vmbra, metúque inferorum viuitur? Atque in hac quidem omnes conditione versabamur miserrimi mortales aliquando, lachrymis, ærumnis, doloribus, metu, vinculis, supplicijs, molestijs infinitis vndique constricti, semperque in miseranda hac nunquam finiendæ captiuitatis seruitute manendum fuerat, quamdiu manebat mortis huius inconuulsa potestas, clauésq; gerebat ille, qui mortis habebat imperium.

Mortis potentia in miseros mortales, quãta.

Miseria humanæ conditionis.

Sed consuluit tandem creaturę suæ pietas immensa, visitauitque nos excelsa Dei gratia, oriens ex alto, gratia, inquam, ἡ καταυγάσασα τοῖς κρίσιν. Vicit enim Leo de tribu Iudæ. Vicit Agnus ille occisus ab origine mundi, qui dilexit nos, lauitque in sanguine suo, qui fecit nos reges & sacerdotes Deo & patri suo, cuius singulari beneficio perfectum est, vt expoliatis principatibus, & potestatibus, absorpta sit mors in victoriam, omnisque potestas, quam hactenus incolumi tyrannide exercuit, in miseros mortales princeps huius mundi, eadem inuersa nunc rerum vice, in illius deuenerit possessionem, qui solus claues habet, semperque habiturus est, mortis & inferorum. Quo fit, vt non solum mortem & inferos ipse suo nunc subigat imperio, sed cultores etiam suos, quotquot fide illi se adiungunt, ab ipsorum seruitute, omníque crudelitate liberos prorsus eximat atque emancipet. Quum mortem dico, non hanc modò communem nostræ naturæ dissolutionem, sed eum etiam, qui mortis habebat imperium, diabolum intelligo. Quum inferos nomino, supplicia illa designo commeritæ damnationis, quæ iustissima diuinæ legis vindicta nobis infligebatur. Quamobrem si quis nunc exístat in hac humanarum rerum ruina, quem vel mortis metus fatigat, vel aduersaria vis Satanæ infestat, vel peccatorum constringat conscientia, beatissimam hanc clauem adeat, Christum hunc vnicum salutis asylum auxilio sibi comparet, hunc alacri fide suspiciat, totaque fiducia ei se adiungat, in eius se clientelam recipiat, qui claues habens mortis & inferorum, claudit & nemo aperit: aperit & nemo claudit. Idq; pro sua quisque salute tanto faciat obnixius, quanto certius ex scripturis constat, extra hunc solum non esse aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.

Mortis & inferorum potestas, non aliter nisi per Christum solum deuicta.

Diabolus deiectus, profligatus.

Clauis Christi super mortem & inferos.

Consolatio Christianorũ.

Nulla salus nisi in Christo.

His in hunc modum percursis, ad ea porrò tendamus, quæ vates hic, Christi legatione, missus est suis perscribere ecclesijs, non omnibus quidem illis, sed septem duntaxat,

Ecclesiæ septem in Asia.

at, iisque solum Asiaticis. Quæ res neque suo fortè caret mysterio: vel quia mystica quadam significatione cæteras omnes ecclesias admonitas esse, sub septena comprehensione voluit: siue quia in has primùm ecclesias incursuram vim Satanæ, spiritus Domini iam ante præsenserat: quod & euentus rerum consequentium manifesto experimento posteà comprobauit. Nam alioqui quid hic nobis suspicandum. An solæ septem istæ ecclesiæ ita laborabant vitijs, vt nihil præterea in cæteris omnibus hæreret, quod parem aut acriorem fortasis promerebatur castigationis seueritatem? Non equidem arbitror. Sed ita visum est Domino, his velut exempli vice, propositis, cæteras quasque submonere ecclesias, quid singulis sequendum, quid fugiendum esset. Quod quum ita sit, tanto acriori mentis cogitatione nobis videndum censeo, quid cælestis legatio ad has perferat ecclesias. Neque ita existimemus, hæc ideo ad nos nihil attinere, quòd nominatim in hoc catalogo ecclesiarum non recenseamur. Quod si ijsdem aut gratioribus ipsi scatemus malis, an ideo non eadem vbique sempérque sui erit similis diuini iudicij seueritas? Si istorum candelabra motà iam suo loco conspicimus, ob labes non rectè administratæ professionis, quid ipsi nihilo minus commeriti, an maiorem candelabris nostris securitatem pollicebimur? Scio nunquam prorsus perituram ecclesiam Christi, quam is singulari numinis sui potentia, immotam atque infractam aduersus omnes tartarorum portas & conseruauit hactenus, sempérque se promisit seruaturum. At hæc ecclesia, vt nullis vnquā vel locorum spatijs definitur, vel personarum munitur prærogatiuis, sed fide solùm cernitur: Ita nec alia in re vlla præterquam in eadem fide, atq; in syncera professionis integritate, conclusam habet omnino stabilitatem.

Ecclesiæ non locorum successione, sed fide, & doctrinæ integritate consistunt. Ioan. 8.

Non Romæ, non Angliæ, non Franciæ, regnum Christi diuináque obstringitur promissio. Vbicunque spiritus viget veritatis, vbi vera pietas, vbi euangelicæ doctrinæ nullis fermentata erroribus institutio, vbi cultus summi numinis retinetur illibatus, ibi ecclesia est. Si manseritis, inquit, in sermone meo, verè mei discipuli estis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos. Cōtra, vbi perturbatis Apostolicæ doctrinæ fontibus, vbi à recta veritatis linea, à synceritate fidei discedit, vbi vis languescit pietatis, verbiq; negligitur institutio: vbi per opes, luxum, & socordiam, vita Christianorum à genuina morum simplicitate, in fastum, in crudelitatem, auaritiam degenerans, contra Apostolicam regulam, præsenti huic seculo accommodatur, titulus illic ecclesiæ residere poterit, res ipsa non poterit. Neqūe enim ita locis & sedibus inhæret diuina vocatio, ritu politicæ successionis, vt nusquam sedem mutare illa soleat semel recepta. Non locis ista definiuntur, sed moribus, non ordinis successione, sed fidei confessione, non vrbium amplitudine, sed vitæ ac virtutum dignitate. Non locus, inquit ille, sanctificat hominem, nec cathedra facit sacerdotem, sed Sacerdos cathedram. Quemadmodum rursus neque sanctorum filij existimandi sunt, quicunque tenent loca sanctorum, sed qui exercent opera eorum. Neque enim ita vnquam figit tabernaculum suum altissimus vlla in sede, vt nullo pacto ab ea dimoueri possit, si ipsa se prius ab eo abduxerit. Quod quum pluribus aliarum gentium historijs, tum hoc ipso inprimis exemplo constare possit, septemplici huius candelabri, septena spiritus sancti luce refulgentis. Non quòd lux illa diuinæ gratiæ prorsus iam refulgere desierit, aut quasi nusquam candelabra sua habeat Christus in terris, etiamsi apud Ephesios, Smyrnenses, cæterósque quosdam non perinde habeat, vt olim.

Chrysost. dist. 40.
Hieronym. ad Heliod. dist. 40.

Vniuersalis ecclesia perire non potest.

Mutari aut moueri possunt ecclesiarum sedes, imo sæpè easdem transferri aliunde alio conspicimus, mutari tamen ac dimoueri suo quidem loco, vt nullo loco consistant, nemo vnquam visurus est. Vt vt gentes ac nationes forsan nonnullæ abutentes vocationis suæ beneficio, sese indignas aliquando præbeant diuini numinis consortio, semper tamen domicilium inueniet atque ædificabit sibi Christus, vbi habitet. Vbinam autem ædificaturus sit ille, vox subindicat Euangelij: Et super petram hanc, inquit, ædificabo ecclesiam meam. Nusquam ergo ædificat Christus, nisi super Petram. Neque tamen quęuis petra idoneam præbet Christo structuram. Permultæ sunt excelsæ rupes, & cautes præduræ, quas non incolit, sed deserit Dominus. Desertos, inquit ille, faciam montes & colles, & ponam flumina in insulas & stagna arefaciam. At quinam petrosi isti colles

Petra ecclesię.

Esai. 42.

sunt

sunt montésque prærupti, quos desertos faciet Dominus? videat id primum septicollis hæc Roma nostra. Pessimus mons superbiæ est, quem semper auersatur Dominus, cuiusmodi erat olim fastus Pharisaicus, qui suis tumidus operibus suámque quærens iustitiam, iustitiæ Dei superbas subijcere ceruices detrectabat. Quo factum est, vt sectantes illi legem iustitiæ, ad legem iustitiæ non peruenerint. Quid ita? Quia non ex fide ac petra confessionis, sed quasi ex operibus. Periculosus certè mons, nimísque indigna petra est, quæ fastuosè sese attollens contra Christum, euangelio suam non submittit celsitudinem. Quanquam sunt etiam montes, in quorum sublimi vertice procul hinc inde emicat ciuitas Christi. Sic & petræ sunt, quæ salutari sua quadam duricie & celsitudine oportunum Dominicæ ædificationi fundamentum suppeditant. Nec mirum, quum nunquam ædificare solet Christus nisi super petram. Nec ilico tamen quælibet petra illius seruit ædificationi: imò non nisi vna quidem existit. Quænam autem sit illa, videndum est.

Montes superbiæ.

Montes humilitatis.

Nullam ædificat Christus ecclesiam nisi super petram.

An scire ergò cupis, quænam petra sit hæc, qua cælestis delectatur ædificator? Vnica duntaxat illa in toto terrrarum orbe existit, quemadmodum & vna apud omnes ecclesia est, eadémque communis omnium mater, vt vnitas vbique constituatur. Atque in eo quidem nulla est, vt arbitror, inter nos dissentio. Sed vbinam vnica hæc consistat petra, non omnes perinde in eo consentimus. Iactant Romanenses petram hanc Petrum esse, eiúsque cathedræ successores, sic vt nusquam defigatur petra hæc, præterquam Romæ: nec aliud sit Romana iam sedes, nisi petra ecclesiæ. Quo quid dici possit insanius, aut audiri insulsius? Quid autem, an non Petrus, inquiunt, petra dicitur? At non quid dicatur, sed qua causa dicatur, spectandum est. Neque enim Petrus nisi confessus fuisset filium Dei, id vnquam accepisset cognominis, quo Petrus appellaretur. Rursúsque nec id vnquam confessus fuisset, nisi supernè doctus. Quòd si igitur iuxta ipsorum dogma: propter quod vnumquodque tale est, id ipsum magis tale. Certè quum Petrus propter confessionem petra dictus sit, necessariò hinc efficitur, vt petra hæc iam non hominis, sed fidei: non Petri, sed confessionis existat, qua edoctus non à sanguine & carne, sed à patre cœlesti institutus, Christum Dei filium profitebatur, & agnouit palam, auctore Augustino & Chrysostomo. Est igitur fides hæc à spiritu sancto accepta, innixáque fundamento Apostolorum & Prophetarum, petra ecclesiæ firmissima. Atque vt fides hæc petra est ecclesiæ, ita & eadem ingressum præbet ad ecclesiam. Quandoquidem Baptismus quid aliud est, quàm Sacramentum fidei, cui non solùm ecclesiæ innititur firmamentum, sed omnis etiam salus incumbit credentiũ? Cùm autem ecclesia cœtus sit rectè credentium & confitentiũ nomen filij Dei: quicunque igitur hominum cœtus accensa in Christum fide, & constanti illius confessione imbutus est, ibi ecclesiam existere certum est. Porrò vt fidem hanc & cognitionem nemo sibi ipsi largitur, sed Dei donum est, qui quos vult præuenit, spirátque vbi vult. ita fit, vt sicut fides nullis sit personis aut titulis addicta, nec locorum spatijs definita: Itidem & ecclesia nullis vnquam ciuitatum aut populorum terminis circumscripta, nulla locorum sede, aut hominum successione externa, aut titulis metienda est, sed fide solùm & syncera religione, eaſdémque semper comitatur.

Vna duntaxat petra ecclesiæ.

Vbinam petra hæc quærenda?

Petrus falsò dicitur petra à Romanensibus.

Obiectio.

Responsio.

Confessio petri,

Augusti.

Chrysost.

Baptismus Sacramentum fidei.

Ecclesia quid sit.

At sesitauit Petrus Romæ. Apud homines fortasis id aliquid est, qui personas hominum spectare solent: apud Deum nihili penditur. Non quis sedeat, aut vbi sedeat, sed quonam modo sedeat, id demum pensi habetur. Vt hoc donemus versatum aliquando Romæ Petrum. Longè tamen aliter confidebat Romæ Petrus, aliter nunc pontifex. Ille pauper, hic diues, subditus ille magistratibus, hic nulli se subijciens terrenæ potestati, nemini secundus. Ille ministet Christi, hic vicarius, pari potestatis plenitudine. Membrum ille ecclesiæ, consórsque communium afflictionum: Caput hic totius vniuersitatis. Ille συμπασοβυτικων in clero, hic καταπρυτων. Christi

Non vbi quis sedet, sed quomodo sedeat, videndum.

Collatio inter Petrum & pontificem.

en. Christi Euangelium docens ille: hic doctrinam Dæmoniorum. Petrus vt fidus pastor, haud aliter quàm verbo prædicationis oues instituit Christi: pontifex quid aliud quám opprimit ouiculas Christi? non prædicat, sed dissipat, mactátque caulas Domini. Ille vt præco & martyr Christi, pro quo martyrium subijsse Romæ dicitur: hic non martyr, sed mastiga martyrum, cui nihil aliud videtur curæ esse, quàm vt pios persequatur martyres, hauriátque sanguinem Abelis sui fratris. Sed iam dudum me pudet tam inauspicatæ collationis: in qua nihil prorsus videas, quod vlla similitudinis parte respondeat, ac non prorsus repugnet ἐξ ναντίας. Quapropter quod ad successionis prærogatiuam attinet, quid hoc ad rem, quis priores occupauit sedes, aut vbi quisque resideat, etiamsi in ipsa Christi dextra sedeat (quemadmodum Asiani isti olim pastores) si qui succedunt alijs, indignos se præbent loco quem possident? Atqui hoc modo in cathedra Mosis sedebant olim Scribæ & Pharisæi, iactántque etiamnum Israelitæ generis sui originem ex sanctissimis patriarchis, quos tamen posteà per incredulitatem excisos commemorat Apostolus. Quòd si igitur genuinis, propriisque ramusculis nihil profuit tanta successionis dignitas, quid exoticis istis exterisque expectandum, si fructus ædant nihilo istis suauiores? Sin obtenditur promissionis fides, certissima esse fateor, quæ promittit Deus. Sed vbi sic fidem ille suam astrinxit Senatui populóque Romano, quasi nusquam haberet firmam ecclesiæ suæ sedem, nisi Rome? aut vbi is legitur sic candelabra sua vlli populo aut nationi affigere, vt ab Ephesinis, Smyrnensibus, Pergamensibus, cæterísque gentibus eadem aliunde aliò emigrare possent, à solis Romanis non possent?

Prærogatiua successionis in rebus spiritualibus, nihil valet.

Promissio nulla vnquam facta Romanæ cathedræ.

Sed ne longiùs digrediamur, dicamus nunc de ecclesijs, ad quas scribit ex cœlesti oraculo nuncius Apocalypticus: simúlque quid contineant singula hæc ad singulas ecclesias septem literarum monumenta, videamus. At quid hîc dicendum, cùm Euangelium Christi longè latéque per tot vbique ecclesias, adeóque per omnes ferè mundi plagas diffundatur, quid causæ dicemus, quo minùs ad cæteras æquè ecclesias dictarentur à Domino epistolæ? Quid an nihil in illis putandum est, quod vel culpari merito posset, vel quod commendatione, aut commonitione dignum videbatur? Nihil quod asperitatis perinde egebat correctione? Et quur non ad omnes proinde, quur ad istas solùm in minori Asiæ parte ecclesias literæ mittuntur admonitoriæ? Quur ex omni numero septem modò deliguntur vrbes, quas nominatim compellare voluit cœlestis pietas, quum præsertim pari conditione, nihilo minùs ad omnes pertinebat communis quædam & periculorum societas, & persecutionum participatio? Verum aduertendum hîc est, quòd neque singulari caret mysterio. Quippe quum tota huius libri confectio prophetica existat, perpetuis scatens mysterijs, eo maximè gaudere numero visa est diuina mens, quo sic velut sub arcano mysterio se admoneri cæteræ intelligerent ecclesiæ. Eáque causa quoniam propheticam quandam in se perfectionem gerit hic numerus, qui vbique in scriptura solennis & sacer esse solet, ad mysticam perfectionis ostensionem, teste Augustino, hinc scripturus ad ecclesias Dominus per suam amanuensem, neque ad omnes (quod esset infinitum) neque ad nullas scribit, sed solùm in prophetico hoc numero * septem, ecclesiarum, se continet. Id quod per cæteras omnes huius prophetiæ visiones obseruatum ab eo cernimus. Veluti quum septem astra, septem candelabra, septem spiritus, lampades septem, sigilla septem, septem item angeli, cum tubis septem, totidémque plagarum phialis: septem porrò tonitrua, septiceps Draco, septicollis ciuitas, septicornis bestia, septena & agni cornua, omnia deniq; sub typica huius numeri figura commemorantur. Deinde quoniam in Asia primum effloruit ecclesiarum propagatio, par erat vt indè potissimùm emanaret ad cæteras ecclesias ecclesiasticæ huius reuelationis testificatio.

Quæritur cur ad istas potius quam ad cæteras ecclesias scribat Dominus.

Causa excutitur.

Augu. de ciuit. lib. 11. cap. 13.

Septenarius numerus.

* Septenarius numerus pro cuiúsque rei vniuersitate poni solet. Idem in Apocalyp. hom. 2.

Quicunque ad sept. ecclesias loqui videtur ad vnam ecclesiam loquitur toto orbe diffusam.

Audistis

Audistis de numero, nomina nunc accipite ecclesiarum, quo modo & ordine describuntur. 1. Ephesus, 2. Smyrna, 3. Pergamus, 4. Thyatira, 5. Sardis, 6. Philadelphia, 7. Laodicea. Scripturus itaque ad has ecclesias Apostolicus nuncius, diuinique consilij testis, quid nunc à Domino perscribendum acceperit, quæ ad singulas ecclesias singula sint literarum argumenta, superest, vt ex ipso rerum atque verborum contextu percipiamus.

CAPVT II.

EPISTOLA PRIMA AD *Ephesinos.*

ANGELO *Ephesinæ ecclesiæ scribe: Hæc dicit qui tenet septem stellas in dextera sua, qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum. Scio opera tua, & laborem & patientiam tuam, & quòd non potes sustinere malos, & tentasti eos, qui se dicunt Apostolos esse, & non sunt, & inuenisti eos mendaces, & tulisti & patientiam habes, & propter nomen meum laborasti, & non defecisti. Sed habeo aduersum te, quod charitatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque vnde excideris, & age pœnitentiam & prima opera fac. Sin minus, veniam tibi citò, & mouebo candelabrum tuum de loco suo, nisi resipueris. Sed hoc habes, quòd odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi. Qui habet aurem, audiat, quid Spiritus dicat ecclesiis. Vincenti dabo de ligno vitæ, quod est in medio Paradisi Dei.* 1 Epist. ad Ephesios.

EPISTOLA SECVNDA AD *Smyrnæos.*

ET *Angelo Smyrnæorum ecclesiæ scribe: Hæc dicit primus & nouissimus, qui fuit mortuus, & viuit. Scio opera tua, & afflictionem & paupertatem, sed diues es, & blasphemiam eorum, qui se dicunt Iudæos esse, & non sunt, sed sunt Synagoga Satanæ. Nihil horum timeas, quæ passurus es. Ecce missurus est Diabolus aliquos ex vobis in carcerem, vt tentemini, & habebitis afflictionem dierum decem. Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat ecclesiis. Qui vicerit, non ladetur à morte secunda.* 2 Epist. ad Smyrnæos.

EPISTOLA TERTIA AD *Pergamenses.*

ET *Angelo Pergamensis ecclesiæ scribe: Hæc dicit, qui habet rompheam vtraque parte acutam. Scio opera tua & vbi habitas, vbi sedes est Satanæ, & tenes nomen meum, & non negasti fidem meam, Et in diebus meis Antipas testis meus fidelis, qui occisus est apud vos, vbi Satanas habitat. Sed habeo aduersus te pauca, qui habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filijs Israel, edere ex his, quæ simulachris immolantur, & scortari: Ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum, quod odi. Resipisce, alioqui veniam tibi citò, & pugnabo cum illis gladio oris mei. Qui habet aurem, audiat quid spiritus dicat ecclesiis. Vincenti dabo edere ex manna abscondito, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum, quod nemo scit, nisi qui accipit.* 3 Epist. ad Pergamenses.

EPISTOLA QVARTA AD *Thyatirenses.*

4 Epist. ad Thyatirenses. ET Angelo Thyatirensis ecclesiæ scribe: Hæc dicit filius Dei, qui habet oculos tanquam flammam ignis, & pedes eius similes chalcolibano. Noui opera tua & charitatem, & ministerium, & fidem, & patientiam tuam, & opera tua, & nouissima plura prioribus. Sed habeo aduersus te pauca, quia permittis mulierem Iesabel, quæ se dicit prophetam, docere, & seducere seruos meos, scortari, & edere ex ijs, quæ simulachris immolantur. Et dedi illi tempus vt resipisceret à scortatione sua, nec resipuit. Ecce ego mitto eam in lectum, & qui adulterio miscentur cum ea, in afflictionem maximam, nisi pœnitentiam egerint ab operibus suis: & filios eius interficiam morte. Et scient omnes ecclesiæ, quòd ego sum ille scrutans renes & corda, & dabo vnicuique vestrum secundum opera sua. Vobis autem & cæteris, qui Thyatira estis, quicunque non habent doctrinam hanc, & qui non cognouerunt profunditates Satanæ, quemadmodum dicunt, non mittam super vos aliud pondus: tamen id quod habetis tenete, donec veniam. Et qui vicerit, & custodierit vsque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, & reget eas virga ferrea, & tanquam vasa figuli confringentur. Sicut & ego accepi à patre meo, & dabo illi stellam matutinam. Qui habet aurem, audiat, quid spiritus dicat ecclesiis.

CAPVT III.

EPISTOLA QVINTA AD *Sardenses.*

5 Epist. ad Sardenses. ET Angelo ecclesiæ quæ est Sardis scribe: Hæc dicit, qui habet septem spiritus Dei, & septem stellas. Scio opera tua, quia nomen habes, quòd viuas, & mortuus es. Esto vigilans, & confirma cætera quæ moritura erant. Non enim inueni opera tua plena coram Deo. In mente ergo habe qualiter acceperis & audieris, & serua & resipisce. Si ergo non vigilaueris, veniam ad te tanquam fur, & nescies qua hora veniã ad te. Habes pauca nomina & Sardis, qui non inquinauerunt vestimenta sua, & ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt. Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, & non delebo nomen eius de libro vitæ, & confitebor nomen eius coram patre meo, & coram angelis eius. Qui habet aurem, audiat, quid spiritus dicat ecclesiis.

EPISTOLA SEXTA AD *Philadelphenses.*

6 Epist. ad Philadelphenses. ET Angelo Philadelphiẽsis ecclesiæ scribe: Hæc dicit sanctus & verax, qui habet clauem Dauid, qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit. Scio opera tua. Ecce dedi coram te ostium apertum, & nemo potest claudere illud, quia modicam habes virtutem. Et seruasti sermonem meum, & non negasti nomen meum. Ecce de synagoga Satanæ, qui dicunt se Iudæos esse, & non sunt, sed mentiuntur. Ecce adigam illos vt veniant & adorent ante pedes eius, & sciant quòd dilexite. Quoniam seruasti sermonem patientiæ meæ, & ego seruabo te ab hora tentationis, quæ ventura est in orbem vniuersum, vt tentet habitantes in terra. Ecce venio citò, tene quod habes vt nemo accipiat coronam tuam. Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & nomen ciuitatis Dei mei, nouæ Hierusalem, quæ descendit de cœlo à Deo meo, & nomen meum nouum. Qui habet aurem, audiat, quid spiritus dicat ecclesiis.

EPIS-

EPISTOLA SEPTIMA AD Laodicenſes.

ET Angelo Laodicenſium eccleſiæ ſcribe: Hæc dicit amen teſtis fidelis & verus, principium creaturæ Dei. Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque feruidus: vtinam frigidus eſſes, aut feruidus. Itaque quia tepidus es, & nec frigidus nec feruidus, incipiam te euomere ex ore meo, quia dicis, diues ſum & ditatus ſum, nullius egeo, & neſcis quòd tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cœcus ac nudus. Suadeo tibi emere à me aurum ignitum ex igni, vt locuples fias, & veſtimentis albis induaris, & non appareat dedecus nuditatis tuæ, & collyrio inunge oculos tuos, vt videas. Ego quoſcunque amo, arguo, & caſtigo. Aemulare ergo ac reſipiſce, ecce ſto ad oſtium & pulſo. Si quis audierit vocem meam, & aperuerit ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum. Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo, ſicut & ego vici, & conſedi cum patre meo in throno eius. Qui habet aurem, audiat, quid ſpiritus dicat eccleſijs.

7 Epiſt. ad Laodicenſes.

QVOD ad epiſtolas attinet, nihil opus eſſe cenſeo, quur multis moremur: vel quia iamdudum à multis huic negotio ſatis factum video: vel quia res ipſa ſatis per ſe dilucida, nullisque obtecta figurarum inuolucris, vix vlla egeat commentatione. Quis enim ex ipſo ſermone tam per ſe aperto, non dilucidè perſpicit, quid probet, laudétque in ſuis Dominus? Quid rurſus improbet, quid ſuadeat ac diſſuadeat, arguens eos de peccato, de iudicio, & iuſtitia, quid in ipſis deſideret, à quibus eos vitijs reuocet & erroribus, quæ pericula, ac certamina ventura prænunciat; ad Fidei conſtantiam, & ad fortitudinem excitans? Quæ denique præmiorum proponit ſolatia, ſtrenuè in curriculo hoc Chriſtianæ militiæ pergentibus? Hæc vt præcipua ferè rerum capita exiſtunt, quæ iſtis aguntur epiſtolis: Ita lectorem magis attentum, quàm ſubtilem interpretem deſiderant. Quo æquiorem mihi veniam à benigno lectore fore confido, ſi leuiùs hæc percurram, quo citiùs ad ea perueniamus, quæ acriorem exigunt inueſtigationem.

Præcipua rerum capita, quæ in epiſtolis aguntur.

Ac primum, quod ad præfixam literarum inſcriptionem attinet, eam quoniam non eccleſijs in genere, ſed ſuo cuiuſque eccleſiæ angelo tribuitur, quid angeli huius vocabulo effiguratur, videndum eſt. Nam Angeli ipſi aliorum literas ad alios, nullas ad ſe miſſas lectitare, nec alijs vnquam perlegendas formare ſolent. Sub hac itaque appellatione aliud quiddam ſubeſſe neceſſe eſt. Quanquam nec ita difficilis huius myſterij videtur explicatio, quum collectis omnium ferè interpretum, quos legere in hunc locum licuit, ſuffragijs, in hoc omnes conſentire videam, vt ſub perſona Angeli, paſtores & miniſtri eccleſiarum intelligantur. Quod vt mihi non improbabile videtur: ita nec meum fuerit, velle ab iſtorum ſententijs, tanquam extra viam publicam deflectere, ne non Hercules dico vnus contra duos, ſed ne vnica potius muſcula contra herculanam aciem ridiculè non minùs, quàm impudenter prodire videar. Quod ni eſſet, non deerat fortaſsis ratio, qua videri poſſet Angeli huius, quem dico, interpretatio, nihilo inconcinniùs ad ſtatum totius eccleſiæ referenda, quàm ad miniſtros, qui pars duntaxat eccleſiæ exiſtunt: præſertim quum teſtis ipſe accedat Auguſtinus, his verbis: Vbicunque ponit in Apocalypſi Angelum hominis, ipſum hominem ſignificat, ſicut & eccleſiæ. Et mox: In tantùm Angelorum nomine eccleſias catholicas voluit intelligi, vt iubeat Angelos pœnitentiam agere. Neq; enim ſoli, opinor, miniſtri, ſed & vniuerſitas totius eccleſiæ vocatur ad pœnitentiã. Quod ſi igitur Angelus hominis iuxta Auguſtinum, ſemper in ſcripturis hominem denotat: quid obſtat, quũ auditur angelus eccleſiæ, quo minùs hac ipſa notatione tota eccleſia nõ pars

Inſcriptio harum ad Angelos Eccleſiarũ.

Angeli eccleſiarum quid ſignificant.

Miniſter non eccleſia ipſa eſt, ſed pars duntaxat eccleſiæ.

Auguſt. in Apoc. hom. 2.

aliqua ecclesiæ intelligatur? Quanquam neque hæc ideo à me ingeruntur, vt non lubentiùs interim in eorum concesserim sententiam, qui septem stellulas in dextera Domini, septémque angelos ecclesiarum, ad legatos & ministros verbi accõmodant. Illud certè optandum, vt qui doctores sint & pastores ecclesiæ, angelicam hanc legationem ita obeant, vt verè angeli videantur ecclesiarum.

Ad sacros pastores & ministros admonitio. Thom. Aquin. in Apoc. cap. 1.

Scio, nec inficior, nihil in rebus humanis excellentius sacra istorum functione, quibus deligata sit à Domino verbi propagatio, si modò fideliter munus suum exequantur. Quod qui præstiterint, cui dubitandum est, quin isti quàm proximè ad Angelorum accedere conditionem videantur. Idque multiplici ratione, quemadmodum à Thoma Aquinate, ὡσπερ ἐν δίλτῳ, descriptum, legimus ijs verbis. Primùm, ratione *a* charitatis & solicitudinis in diligendo. Secundò, *b* ratione prudẽtiæ in eligendo, 3. *c* ratione sanctitatis in viuendo, 4. *d* ratione scientiæ in cognoscẽdo, 5. *e* ratione informationis in instruendo, 6. *f* ratione medicationis in curando, 7. *g* ratione velocitatis in discurrendo, 8. *h* ratione officij in ministrãdo, 9. *i* ratione deuotionis in contemplando, 10. *k* ratione zeli in suffragando.

a Diligunt enim suos conciues & pro his qui hæreditatem consequuntur, soliciti sunt.

b Quia non curant de vanis, non de auro & argento, sed solum Deum desiderant.

c Quia angelicam castitatem hîc meditantes non nubunt, sed sunt sicut Angeli Dei.

d Quia labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est.

e Ego, dixit Angelus ego, inquam, veni vt docerem te. Daniel. 10.

f Tobias per Raphaelem visum recepit: ita & prælatus vita sacramentis, exemplis debet sanciatos sanare.

g Volauit ad me vnus de Seraphim Esa. 6. Discurre, festina, suscita amicum tuum. Prou. 6.

h Omnes sunt administratorij spiritus. Heb. 1.

i Angeli eorum semper in cælis vident faciem patris mei. Mat. 18.

k Angeli hominum orationes offerunt Deo, ego obtuli orationem tuam Domino. Ioh. 3.

Insignis profectò ecclesiasticæ vocationis dignitas, siquidem tales contingant pastores, qui legitimè fungantur officio. Cuiusmodi hos tũ fuisse non dubitamus, qui primis illis temporibus præfecturas gerebant ecclesiarum: eóque non abs re velut Angelorum loco, suscipi promerebantur, vt Polycarpus, Timotheus, Ignatius, Antipas, cæterique his consimules non ductores modò, sed martyres etiam ecclesiæ. Atque vtinam aurea illius seculi felicitas, aut diutius durare in hac vita, aut meliorem post se relinquere posteritatem potuisset. Nunc angelicis istis luminibus successerunt alij, nescio qui pastores, tum maximè, qui hodiè sedes occupant ecclesiasticas, quorum mores si cum professione, vel doctrinam cum primis illis maiorum vestigijs conferas, adeo nihil præ se ferunt in vita Angelicum, nihil in doctrina euangelicum, vt pestes potius, quàm pastores gregis Dominici videantur. Quod tamen in contumeliam totius ordinis nemo à me dictum accipiat. Scio non deesse, nec vnquam defuturos, Christi dono, idoneos ecclesiæ ductores, non indignos huius honoris titulo, vt pro angelis aliquo modo accipiantur. Hoc tamen obiter pro re præsenti subnotandum duxi, ex eorum occasione, qui ministros in ecclesijs constitutos Angelos hîc dici, ac significari existimant, nec malé, mea quidem sententia. Atque vellem equidem eodem item modo plures, imò omnes haberemus Angelos istiusmodi.

Indigni tantũ pastores notantur.

Sed non est, quòd in huius vocabuli interpretatione scrupulosiùs inhæreamus. Illud magis retulerit, vt quæ scribendi causa fuerit, quid in litteris nos doceat, quid admoneat Dominus, attentiusculè aduertamus. Neque enim dubitandum, quin præsentiens clementissimus Seruator oborituras malorum procellas, pro sua erga ecclesias solicitudine, ne imparatos, aut securè oscitantes subitò ferirent mala, tantóque grauiùs opprimerent, iam antè eos præmonere voluerit, quo cautiores redderet ad præcauendum, & ad ferendum accinctiores: simúlque eadem opera subindicans, quid in quibus ecclesijs placeret, quid contra displiceret, nunc consolans, nunc expostulans, nunc minitans, atq; ad resipiscentiam reuocans. Quæ omnia etsi

Causa scribendi ad ecclesias.

peculi-

peculiari nuncupatione, septem solùm ecclesias attingere videantur, non inutile tamen fuerit,& nos ipsos,digna hîc attentione,aduigilare,vt admoniti illarum exemplo literarum, nobis ipsis maturè caueamus, idque tanto maturiùs atque enixiùs, quanto grauioribus flagitijs exulceratissima hæc nostra tempora laborare videantur:præsertim quum ipse disertè quosque admoneat:vt qui habeat aurem, audiat quid spiritus dicat ecclesijs.Quod si enim incensa diuini numinis iracũdia,tam acerbè in ecclesias illas commota sit,ob pauculas quasdam labes, in quibus tot enituerunt ægregiæ virtutes,in sustinendis laboribus, in defungendis periculis, in tuenda constantia & patientia,in deprehendendis pseudoapostolis, in auersandis improbis,& Nicolaitis,in ferenda cruce & paupertate,in tenenda fide & nomine Christi, in nouissimarum virtutum incrementis,in candore vestium retinendo &c, quid nostris hodiè ecclesijs sit metuendum,quæ nulla virtutis parte cum illis conferendæ videantur?Quanquam neque carebant illæ sua etiam reprehensione. Quæ omnia non inutile fuerit,à nobis idcirco accuratiùs obseruari, vt illorum admonitu, quid nobis similiter imitandum,quid fugiendum sit,edoceamur.

Collatio inter septem illas Asiæ ecclesias : & nostras hodie Europæas.

EPISTOLA PRIMA.

Epist. prima.

In Ephesinis primum,præter fidem, patientia, cæteráque non indigna ornamenta,id laudi ducitur,quòd quum Apostolicis illis temporibus , nonnulli se ingererent,qui sub simulato apostolorum nomine,simplicibus facilè illudere potuissent, illi tamen,pro sua prudentia,neque fidem temerè præcipitare didicerunt, factáque exploratione,mox deprehenderunt,id quod res erat,non omnes apostolos esse,qui Apostolorum titulo se venditant.

EPISTOLA SECVNDA.

Epist.secunda.

Quin neque Ephesinis solum hæc laus tribuitur, itidem & Smyrnæi eodem nomine bene audiunt,quòd vt Ephesij falso nomine Apostolos refugiebant,itidem & isti cauebant sibi ab iis, qui Iudæos se mentiebantur, quum nihil essent minus, sed synagoga essent Satanæ.

EPISTOLA TERTIA.

Epist. tertia.

De Nicolaitis vide Clem. Alexan.Strom. Eus.lib.3.c.19. Iren.lib.1.c.27

Accedit huc & Pergamensium non indigna approbatio,qui tenentes nomen & fidem Christi constanti grauitate, ab ijs abhorruerunt,qui se Nicolaitas, à Nicolao diacono ostentarent,meritò ob id detestandos,quòd nomine Nicolai fœdissimè abuterentur, in prostituendis coniugibus, fouendísque impurissimis scortationibus.

EPISTOLA QVARTA.

Epist.o.quarta.

Quarta deinde epistola mittitur Thyatirensibus, quorum, præter alia, laudatur charitas,ministerium, fides, patientia, operáque nouissima prioribus digniora.

EPISTOLA QVINTA.

Epist.quinta.

Quin neque Sardensis ecclesia suo fraudatur præconio.Cuius licet non plena essent opera coram Deo:fierètque apud ipsos,quod solet in omni ferè populo accidere,vt plures cum probis improbi admiscerentur hypocritæ, hoc tamen laudis ferebant , quòd nomina nonnulla haberent honestorum ciuium , qui non

inquinauerunt veſtamenta ſua, ambulantes cum Chriſto non atratis veſtibus aut vitiorum impuritate ſordidatis, ſed eo candore veſtium conſpicui, qui decebat ſanctos.

EPISTOLA SEXTA.

Epiſtol. ſexta.

Conſequitur proximo ordine, eccleſia Philadelphenſis, in hoc laudata, quòd aliqua ſaltem pietatis ſemina retineret, quòd ſermonem ſeruaret Chriſtianæ patientiæ, nec nomen deſereret ſeruatoris.

EPISTOLA SEPTIMA.

Epiſt. ſeptima.

Reſtat ſeptimo deinceps ordine, Laodicæna eccleſia, in qua quoniam nihil reperio ἀξιεπαίνετον, plura autem, quæ graui increpatione redarguũtur, ad ea igitur nunc verto, quæ tum in hac, tum in alijs illis ſuperioribus eccleſijs reprehenſa, emendationem videbantur efflagitare.

Vitia in ſeptem his eccleſiis reprehenſa

Ac primùm cum Epheſinis expoſtulat Dominus, quòd charitatem primam reliquiſſent. Smyrnæos ne deiecto eſſent animo, excitat ad perferendas afflictiones. In pergamenſibus, hoc inerat vitij, quod prorſus à ſe non repellerent pſeudodoctores, qui perniciоſo Balami exemplo, velut cum Balac inſanientes, ea docerent, cum Nicolaitis, quæ populum in ſcandalum Idololatriæ, & ruinã fœdæ ſcortationis pertraherent. Ab his non multum diſcrepare videntur Thyatirenſes, quibus hoc vitio vertitur, quòd mulierem permitterent Hiezabel, ſuſcepta prophetiſſæ perſona, nefaria docere, ſeruóſque Domini ſeducere, ſcortando, ac veſcendo ijs, quæ ſimulachris immolabantur.

Quin neque Sardenſes ſua carent reprehenſione, eaque graui, quòd nimirũ falſa pietatis ſimulatione, & ſeipſos & alios fallerẽt, fruſtrà ſibi applaudentes, ac ſi viuerent, quum re ipſa mortui eſſent, nec opera plena apud Deum gererent. Philadelphis item obiectum accepimus, quòd non plenam, ſed modicam haberent virtutem.

Grauis reprehenſio Laodicenſium.

Cæterum in his, quos hactenus recenſuimus, haud ſcio an vlli grauiore perſtringuntur increpatione, quàm Laodicenſes, idq; duplici nomine, primùm propter tepiditatem, qui nec frigidi eſſent, nec calidi, hoc eſt, nec verè amici, nec planè hoſtes viderentur: ſed vel οὐδέτεροι, qui præſidium neutri parti adferrẽt. Quod genus hominum (quo nihil fere in ſocietate hominum, turpius aut abiectius habetur) ſi Lycurgus neque in prophana etiam repub. admittendum ſenſuit: ſi neque in ſacra inſuper hiſtoria Ioſuah in Caſtris Domini dux inclytus: ſi neque in Iſraelitis Helias propheta tales ferendos exiſtimauit, qui inter Iehoua, & Baalem in vtramque partem velut medij fluctuarent: ſi Moſes denique in externo cultu, indumenta huiuſmodi populo non permitteret, quæ ex diſcolori diuerſitate, aut ex diſpari materia partim ex lino, partim ex lana conficerentur: Quin ſi nec Dominus ipſe in euangelio duobus ſeruientes dominis in rempub. ſuam recipere videtur, quid quæſo mirum ſi hoc loco idem Dominus tepiditatem hanc iſtorum hominum nauſeare videatur, qui in ſacra Chriſtianæ religionis militia, vbi fraus cum fide, error cum veritate pugnat, ita ſe partiuntur inter deum & Mammona, inter vitam & mortem, inter Chriſtum & Antichriſtum: ita in vtrumq; latus claudicantes, vt neutri ſe parti vel amicos adiungant, vel inimicos? Atque huic non diſſimile quiddam pati videbantur Laodicenſes. Atque vtinam ſoli hi eſſent Laodicenſes, ac morbus hic non maximã hodiè partẽ Chriſtiani populi corripuiſſet. Siquidem in capitali hac lucta, qua contra Chriſtum, & manifeſtas ſcripturas, beſtia dimicat apocalyptica, quam paucos hodiè videas, qui non vel periculi metu deterriti, vel ignauo torpentes ocio, inter ocioſos ſedeant, rerum geſtarum ſpectatores, ipſi interim nulla manu militiam adiuuantes, ſed vt cadere vident victoriam, ita in feliciori

Veſtes Iſraelitarum diſcolores, partim ex lino, partim ex lana prohibitæ.

Tepiditas in religione.

ſemper

semper consistunt parte, in mundo strenui, in Christo frigidi, non causæ sed scenæ seruientes. Quos rectè neutrales dixeris, siue Atheos magis, & Epicureos. Neutri, seu Neutrales.

At excipiet ex hac omnium farragine aliquis. Quid, inquiens, Itanè factiones & disidia in ecclesia tibi probantur, vt non liceat, cum pace & tranquillitate, à partiũ studijs abstinere? An non modestissima sæpe ingenia à contentiosis factionibus abhorruerunt? Quid? an non virtus ipsa medium locum inter vitia obtinet, ita vt cũ neutra extremorum parte quicquam participet, & tamen hanc neutralitatem, in virtute nemo non probandam dixerit? verum ad hæc tam frigida, ac tepida suffugia procliuis est responsio. Siquidem quæ de rebus medijs & adiaphoricis, ita suscipiuntur controuersiæ, vt in vtramque partem, citra grauem pietatis iacturam disputare, vel sententiam sedatiùs moderari queas, Platonis in eo consilium audire, quem Cicero vehementer autorem sequitur, nihil obfuerit: qui iubet in republic. tantum contendere, quantum probare tuis ciuibus possis, vim neque parenti neque patriæ afferre oportere, &c. Certè quæ ita adiaphora sunt, vt neque per se valde necessaria sint, neque ad cultum Dei admodum pertineant, in his contentionis funiculum pertinacius pertrahere, nihil necesse esse, vel ex sententia etiam augustini, iudico. Qui haud multum ab ijs descrepans, in hunc habet modũ: quippe in ijs rebus, inquit, de quibus nihil certi statuit diuinæ scripturæ certa præscriptio, mos populi Dei, vel institutia maiorum, pro lege tenenda sunt. De quibus si disputare voluerimus, & ex aliorum consuetudine alios improbare, orietur interminata luctatio, quæ quum certa documenta veritatis nulla insinuet, cauendum est, ne tempestate contentionis, serenitas charitatis obnubiletur. Quin & Hieronymus: In his, inquit, quæ Græci ἀδιάφορα, καὶ ἀνὰ μέσον appellant, abundet quæuis prouincia in suo sensu. Et Ambrosius quemadmodum citatur ab Augustino ad Ianuarium: Si non vultis errare, facite, inquit, quod ego soleo: Ego enim ad quãcunq; ecclesiam venio, ad eius ceremonias me accommodo. Neque certè ecclesia ea libertate priuari debet, quam illi Christus semper voluit esse integram.

Cauillatio diluta.

Responsad diluta cauillationem.

Plato.

Cicero epi. 10.

Res adiaphoræ.

Augustepist. 86. ad Casula.

Contentio in ecclesia quatenus improbanda, aut probanda sit.

Hieronymus.

de Adiaphoris Ambrosius.

Aug. ad Ianu.

Contrà verò quæ huiusmodi sunt, vt necessariam postulent defensionem, ad tuendam dignitatem & gloriam Christi capitis & principis nostri, ad fundamenta fidei ac salutis asserenda & propaganda, ad beneficia Christi, gratiámque euangelij astruendam, in ijs quidem, dicendo ac docendo incalescere nemo satis poterit. Cum autem nulla tam feliciter instituta sit Respub. in qua non necessario boni cum improbis admisceantur: fieri proinde non potest, in tanta rerum hominúmque diuersitate, quin ingentes sæpè perturbationum tumultus exoriantur, dum meliori parti aliquam semper facessit molestiam pars deterior. Quæ vt studiorum dissentione discrepat, ita eadem, si auctoritate etiam & numero vincat, nulla illic piorum tranquillitas, nihil innocentiæ tutum esse potest. Nimium hoc experimur in regno Romanensium. Quorum cum vniuersa ferè religio ab institutis Euangelicæ doctrinæ ex aduerso reluctatur, eo nunc magnitudinis processit pestis hæc adulteratæ religionis, vt cum ecclesia pontificia, sic vndique contaminata, neque congruere sine impietate, nec dissentire sine capitis periculo liceat. Vt igitur non omnis laudanda pax est, ita incidunt nonnunquam tempora, vt sanctiùs sit, bellum quàm pacem sectari. Sed commoda hîc adhibenda est animaduersio, ne se intermiscent priuati affectus, ne quid per ambitionem humanam, per odium, aut malicioſum animi impetum geratur. Deniq; ne quid omnino fiat, quod non iustam ferat necessarij officij excusationem. Sic olim Apostoli igne diuini spiritus incaluerunt, contra Pharisæos, priùs habentes Deo obtemperare, quàm hominibus. Ignea res est spiritus summi numinis, flagrans, non tepens aut torpens in animis eorum, quos imbuit. Ignem hunc venit Christus vt in terram mitteret. Habet enim ille vt pacem, ita & ignem: habet & gladium suum non seditionis, sed iudicij & defensionis, non quo occidat corpora hominum, sed quo errores resecat, regnum tenebrarum discutit, mundum de iudicio, de peccato, de iustitia coarguit.

Pax quatenus retinenda

Bellum quandoque paci præferendum.

Cautio.

Ignea vis spiritus.

Gladius spiritus christi.

Quoniam verò coruſcantem huius ignis lucem perferre, mundi poteſtas cum ſuo pontifice non poſſit: ideo fremit ac furit. Hinc ille tragediæ, hinc παντὸς ὁ θόρυβος turbarum ac ſeditionum, non à Chriſto, non ab Euangelio excitatus, ſed quia, regnante Chriſto, regnare princeps huius mundi non poteſt, hinc fons & ſcatebra tantorum tumultuum. Quanquam neq; Chriſtus cuiquã regnum ſuum in hoc mundo eripit: Nec pilum vnum detrahit Romanæ Monarchiæ, quin liceat principibus Rom. imperare ſuis, vt libeat. Hoc certè minimè permittit, vt miniſtri ipſius, ſub ſuo nomine, principatum, quem ſemper a ſe repulit, in terris occupent aut affectent. Tum neque minus illud indignum, prorſúſq; deplorandum eſt, tot errorum abſurditates, cultus Idololatricos in eccleſias Chriſti inualuiſſe, tot aſcititijs oneribus humanarum conſtitutionum, decretorum rapſodijs, traditionum laqueis, tot denique formulis Romanæ obedientiæ miſeram inuolui plebeculam, contra vocem ipſam ſpiritus diuini manifeſtam. Quæ quum ita habeãt, non eſt quòd mirentur aut agrè ferant Rom. præſules, ſi viri boni ac docti, diuino igne ac zelo pietatis commoti, pro fide & neceſſario officio, in tanta hac errorum caligine, ſinceræq; religionis ruina, Chriſti cauſam & gloriam, aduerſus mendacia, fucos, nefarias impietates, turpiſsimarum denique abſurditatum peſtes, atque furores non ferendos, à multis antehac ſuſceptam, minimè deponendam ſibi cenſeant. Nam quid hic quæſo poſtulabunt a pijs doctoribus Romani proceres? An vt ipſorum cauſa Chriſti gloria obruatur, mendacijs, offutijs conſpurcetur? Vt ſuperbiæ, crudelitati, inſcitiæ atque iniuriæ contra ius & fas impunè liceat, tacentibus & tepentibus doctis viris, graſſari contra veritatem? At quid hoc aliud eſt, quàm veritatis cauſam prodere, quam tueri quum debes, non audeas?

Cauſa tumultuũ in eccleſia.

Chriſtus pacificus nullum regnum, aut imperium euertit.

Vnde errorum tot abſurditates.

A Romana eccleſia, neceſſaria diſceſſio, & diſſenſio.

Scio non defuiſſe, neque adhuc deeſſe, qui feruorem illum M. Lutheri, in ſuſtinenda Euangelij cauſa, vt nimis acrem ac incitatum criminentur. In quo nec minùs & ipſe temperatiùs quoddam dicendi genus fortaſsis deſiderarem, ſi aut ille ſuam egiſſet cauſam, aut ſi ardor hic à priuata aliqua affectuum concitatione, non inſito potius numinis afflatu gubernaretur. Cæterum vt vt de Lutheri genio iudicandum ſit, illud modò ex Laodicenſi hac epiſtola perſpicuè liquet, eam eſſe fidei & euangelij profeſsionem, vt qui eam ſuſcipiant, non frigidè, non oſcitanter in rebus domini verſari oporteat. Regnum, inquit ille, cœlorum vim patitur, & rurſus alibi: Qui non eſt mecum contra me eſt. Poſtulat fides Chriſti conſtantiam, charitatis alacritatem, vires ac robur ſpiritus, aduerſus ſatanam, aduerſus mundi procellas, & peccati illecebras, talem denique animum, qualem nobis Euangelica depingit parabola, in eo, qui poſt diu quæſitam Margaritam, ſimulatque reperiſſet, tanto illius tenetur deſiderio, vt cæteris poſthabitis rebus, nihil aliud ſibi in vita expetendum duceret. Ad hanc effigiem ſeſe componant oportet, qui Chriſti ſe diſcipulos profitentur, primùm, vt ſerio ſtudio, ac intimis precibus, quæſitam Chriſti cognitionem ex ſacris ſcripturæ fontibus hauriant, eiusque fidem imbibant. Hęc certè fides & contemplatio Chriſti, ſi recta ſit, nunquam eſſe poterit ocioſa, quin mirabiles deinde amores excitabit, quibus accenſa mens electorum, ſpretis ijs, quæ in mundo ſunt ſublimia, ſemper ad ea, quæ ſunt æterna nitatur.

M. Lutheri feruor in cauſa Euangelii defenditur.

Math. 11.

Mat. 13.

Fides, & cognitio vera Chriſti nunquam ocioſa.

Atque hi demum exiſtunt, quos fide & ſpiritu feruentes, commendat hoc loco laus prophetica. Contra verò algere dicuntur ij, qui fluxis præſentis vitæ curis, & profanis voluptatibus abducti atque emolliti, nullo diuinarum rerum ſenſu, nulla veritatis cura, nec Chriſti zelo afficiuntur: quin in hoc potius occupati, vt cum hoſtili hoc mundo, Chriſtum, eiuſque fidem infeſtent. Quod etſi non leue quidem malum videatur ac Chriſto inimicum: tamen neſcio quo modo, minùs deteſtandum videatur altero hoc genere eorum, qui in medio huc illuc fluctuantes, nec in frigidis conſiſtunt, neque in calidis: eò quòd qui apertos hoſtes ſe profitentur, ab his cauetur faciliùs: ſimúlque vſu ita venit, vt poſita pertinacia, ſæpius ijdem in mentem mutentur meliorem. Vnde non abs re dominus, ex duobus, oppoſito-

Feruentes.

Frigidi.

Neq; feruidi, neque frigidi.

positorum extremis, alterum præoptans: *Vtinam*, inquit, *aut frigidus esses aut fervidus*, ac proinde monet acriter vt resipiscant.

Quanquam neq; hoc vno malo laborabāt Laodicenses. Accessit huic & alia pestis, qua nulla atrocior. Propriæ nimirum iustitiæ non minus cæca, quam inflata persuasio. Quæ lues vtinam non tam latè serperet hodiè inter mortales: vt non tam multos videremus ineptissimè sibi placentes, falsa quadam iustitiæ opinione, tanquā splendidè vestitos, virtutum dotibus ac ornamentis pulcherrimè ditatos, velútque Deo proximos: quum, Deo iudice, nihil minùs sint, quàm quod sibi esse videantur: nec quicquam nudius, abiectiúsque oculis Dei appareat. Vnde rectissimè hîc admonentur, qui eiusmodi sunt, vt proiecta omni suorum operum fiducia, veras opes, cultúmque iustitiæ, tegendæ suæ nuditati ab eo emendicent, qui solus nos per fidem sua iustitia vestit, ornátque ad æternam salutem.

Propriæ iustitiæ cæca persuasio.

Fiducia propriæ iustitiæ, Deo inprimis exosa.

Atq; hæc de ecclesijs hactenus satis opinor multa. Quarum vt nulla vacabat sua quadā labe, iustæq; reprehensionis stigmate: ita in ijs rursus aliæ alijs puriores extiterunt, in quibus nonnulla etiam præclara eminuerunt fidei ac constantiæ documēta, cuiusmodi multa optarem in nostris hodiè ecclesijs, eiusdem imitationis exempla residere. Inter cætera illud minimè quidem prætermittendum, in quo Ephesij prudentissimè se gesserunt, tam fortiter sibi cauentes à Pseudoapostolis, nec temerè permittentes illorum se fascino illaqueari. Quæ vna res non parum mihi videtur habere momenti, ad tuēdam veram cuiusque ecclesiæ incolumitatem. Quemadmodum enim in veteri olim ecclesia, nunquam defuerunt Pseudoprophetæ, qui iniussu Domini sese ingererent, loquentes quæ nunquam à Domino perceperunt: haud secus in ecclesia Christi, inde à primis ipsis Apostolorum temporibus, huc vsque obuolitant errones eiusmodi aliquot, qui sumentes sibi personam, quam nunquam eis imposuit Dominus, quum nihil nisi fraudes, fucos, ac fumos populo venditant, pro Apostolicis tamen summéque catholicis, se auditi postulant, etsi nihil habeant omninò catholicum, præter nomen, & externam solùm authoritatem: sub hoc nomine ita tamen triumphant ac gloriantur, ac si pro hęreticis ac damnatis habendi sint, quicunque impostoris eorum ac mendacijs fidem aurésque deludendas non præbeant.

Ephesiorum prudentia in cauēdis pseudoapostolis.

Pseudocatholici horum temporum notantur.

Ex quo vix dici potest, in quas pestes & corruptēlas errorum, ignara Christi plebecula, tum maximè posterioribus hisce seculis aliquot, miserè prolapsa videatur. Idque non alia, vt mihi videtur, causa, quàm nostræ stultitiæ & credulitatis, qui adeo defixi in externas solùm formas, res interim ipsas ad trutinam diuinæ institutionis, priusquam assentimur, non appendimus. Probate, inquit ille, Spiritus num ex Deo sint. Prædicit quidem Euangelica cautio futurum, vt multi veniant in nomine ipsius tecti agnino vellere, quum longe aliud intus lateat, quàm foris præ se ferunt. Non contendam hîc cum Pseudolis istis Romanensibus, de visibili suæ ecclesiæ natura & statu. Ex quo ceu firmissimo argumento, sibi persuadent, vnicam hanc ecclesiam Romanam certam & indubitatam esse Christi ecclesiam, quippè quæ talis existat, vt sola in toto terrarum orbe habeatur, quæ nomen ecclesiæ inde ab initio huc vsque retineat, quę velut in ædito vertice sita, cunctorum oculis videri, ab vniuersis audiri possit. Esto sanè, vera hæc esse, quæ ferunt, nomen ecclesiæ hanc solam retinere & oculis & auribus expositam omnium hominum. Verùm quid hoc ad rē, quo quisq; nomine foris censeatur, si nihil ostendat aliud præter nomen? Nulla re facilius populo imponitur, quàm nominibus & titulis. Sic in Ephesinam irruperunt ecclesiam, qui Apostolos se, aut missos ab Apostolis dicebant, quos res ipsa pseudoapostolos coarguebat. Nec dissimile quiddam Smyrnæorum accidit ecclesię, in sustinendis ijs, qui falso nomine se Iudeos dicebāt, qui non essent, sed Synagoga Satanæ. Ad eundem modum ecclesia Sardicensis nomen habebat, quasi viueret, quę tamen, aliud præsentiente Domino, mortua esset, ideóq; inuitatur ad pœnitentiam.

1. Ioan. 4. Iesuitæ in nomine Iesu.

Nomen ecclesię Apostolicæ soli Romanenses sibi vendicant.

Titulis & nominibus non temerè credendum.

Cum

Collatio Rom. eccleſiæ, cum ſuperioribus Aſiæ eccleſiis.

Cum his nunc conferatur Romana ſedes, quæ vtcunque titulo palliatur Catholico, nomenque habeat, quaſi viuat, quid id refert, quantumlibet nomen gerat eccleſiæ, ſi vitam eccleſiæ non gerit. Faceſſat prætextus, nihil moramur externas perſonarum laruas, res ipſas inſpiciamus. Non quid vendicat ſibi Rom. pontifex, ſed quo iure, qua ratione vendicat, videndum eſt. Scio nullam eſſe eccleſiam, quæ in terris non ſit viſibilis. Sed non ideo conſequitur, quia viſibilis ſit eccleſia, ideo verè Chriſti eccleſiam exiſtere, quin potius quid in ea geratur, videndum eſt. Age & quid tandem in tota viſibili hac hierarchia videamus, ſi ſcire vis, lector, paucis accipe.

Aliud eſt nomen eccleſiæ, aliud vitam gerere.

Viſibilis eccleſia.

Primum in templo Dei, è ſublimi protocathedria non ſedentem, ſed præſidentem, non vnus vrbis epiſcopum, ſed totius orbis pontificem maximum & œcumenicum, diademate non vno, ſed triplici, inſtar numinis, imo ſupra numen, redimitum gemmis, auro, argento, non dico ad Chriſti exemplum, ſed ad Tarquinianam ſuperbiam conueſtitum, oſcula beatorum pedum à ſummis, ab infimis, à regibus, à Monarchis excipientem, imò pede ipſo etiam ceruices calcantem imperatorias, iura ac leges imponentem eccleſijs, regnis ac populis, nutu deniq; cuncta formantem ac reformantem. O egregium & ſingulare planè ſpectaculum! Numquid aliud? Proximo huic ordine purpuratus Senatus occurrit Cardinalium, mirum hominum genus, toto vitæ genere ocioſum, ornatu Perſico conueſtitum, opibus, luxu, delitijs huius vitæ diffluens, quos non in aliud natos dicas, niſi ad pompam & ſtrepitum huius ſeculi. Iam ſi totam perluſtres Romam, quid in tota illa reperies curia, niſi inexplebilem auaritiæ charybdim, in quam vndecunq; confluunt cenſus, rédditus, opes, pẽſiones, tributa infinita, ex cunctis mundi plagis, pro annalibus, primitijs, decimis, præbendis, vectigalibus, pro indulgentiis, caſibus, pallijs, relaxationibus &c. Nulla natio tam procul hinc ſemota, vnde non aliquid demetitur. Nec mirum, quum nulla vnquam in toto Chriſtiano orbe lis exoritur, quæ non ad hanc curiam, tanquam ad legitimum tribunal pertrahitur. Quod ſine immenſo litigantium ſumptu fieri nemini dubium id eſſe poteſt. Nec multo res melius habet in Epiſcoporum palatijs, vbi nihil ferè præter mitras, pallas, tiaras, ſublimes titulos, ſublimiores ſpiritus, nihil humile, nihil manſuetum aut moderatum ferè quiſquam conſpiciet. Si non in omnes hæc quadrant, multo certè latiùs patet querela noſtra quàm vellem.

Faſtus Pontificii ordinis.

Cardinalium pompa, luxus, purpura.

Curia Romana ſuis coloribus depicta.

Epiſcoporum ordo, & ſtatus qualis hodie ſit.

Moueamus poſt hæc, ad templa & phana hæc papalia. In his quid reperiatur, quis non videt? ſtatuis, idolis, ſimulachris mortuis, mortuorum inuocatione, icolatrijs, artolatrijs, reliquiarum fabulis vndique differta omnia. Quid de ſacrificijs, ſtationibus, exorciſmis, peregrinationibus hic referam? Quis ſingula percenſeat mendacia, ludibria, quibus miſera plebs cogitur adorare, quæ in aris videt? imò ea videre etiam, quæ re ipſa non videt, reclamante ſcriptura, repugnante natura, imitis ipſis denique ſenſibus? Quis poſt Thyeſtæas illas epulas, vidit vnquam aut audiuit, humanas carnes ad eſum propoſitas, aut cruorem ad epotandum propinari, præſertim quum vox ipſa ſcripturæ non vno loco diſertè id vetat, nequis humanum ſanguinem quoquo modo deguſtet. Si corpora paſcenda ſint, ſi ſanguis reficiendus, cur panem & vinum pellimus? Si ſpiritus ſolum in ſacramento paſcendus, quur ſpiritualis ſolum refectio non admittitur? quur ſpiritualia ſpiritualibus, cum Paulo, non cõparamus? quur carnis literam, quæ nequicquam prodeſt inſequentes, ſpiritualem intelligentiam, quę ſola viuificat, remouemus contra mentem Auguſtini à Sacramento? Quis Iudæus, aut turca aut paganus ſi in templis noſtris adeſſet, conuertendus ad fidem, turbãq; cerneret panem & cyathum, à ſacerdote oſtenſum, toto corporis geſtu adorare ac procumbere, non aliter atque ad ſummi numinis conſpectum, non omnes inſanire iuraret, ac ſtultitiam derideret? Quid? an Chriſtiana religio, qua nihil ſpiritualius, quę ad altiora myſteria nos vocat, tam ſui diſſimilis eſſe poteſt, vt ſacramenta, quæ ipſa ſtatuat, eadem rurſus euertat? Quæ enim con-

Templa papalia, & quæ in his geruntur.

Cultus, ſacrificia papalia, Idololatria.

Sanguis humanus deſertè in ſcriptura veteris teſtamenti, interdictus.

In cœnæ ſacramento, non corpora, ſed ſpiritus ſolum paſcendus. Auguſt.

constabit Sacramentorum ratio, si mysteria ex illis eximas? Si panis mysticus Sacramentum existit corporis pro nobis traditi, quo modo idem & sacramentum rei, & res ipsa esse potest, quæ sacramento significatur? hoc est, quî fieri potest, vt quæ relatiuè sunt opposita, eadem & sibi opponantur, & mutua nihil omninus ratione inter se conueniant, aliter quàm significandi duntaxat mysterio? Quamobrem quod in cœna sacra recipitur, aut Christi corpus esse negent, aut sacramentum corporis. Vtrum velint è duobus videant. Vtrúmque idem esse, simúlque consistere, & signum rei, & res significata, respectu eiusdem, non potest. Si corpus est, quid opus Sacramento corporis? Si Sacramentum, quid corporali illius opus præsentia, quę representetur?

Sacramenta plena misteriis.

Quia, inquiunt, visibili ratione non adest, ideò sacramentali representatione opus est, qua adesse credatur, etsi non videatur. Age, & quidnam tandem visibile illud esse dicemus, quo corpus inuisibile representatur habeturq; pro sacramento? Accidentia, inquiunt, panis & vini. Quid audio? Itanè accidẽtia panis, sine pane, sacramentum corporis efficiunt? Qua ratione istuc, aut qua similitudine? Etenim nisi similitudinem teneant Sacramenta earum rerum, quarum sacramenta existant, teste Augustino, in sacramentis numerari non possunt. Age, & quæ igitur constat similitudo inter signum, & rem signatam, videamus. Caro Christi & sanguis pro nobis fusus nos vegetat, viuificat, exhilarat, intus pascit ad vitam æternam. Quid præstant nunc visibiles formæ panis & vini, sine pane & vino? Ecquem ipsæ per se pascunt aut vegetant? Minime opinor. At huiusmodi Sacramentum esse oportet, quo corpora vescentium foris foueantur ac saginentur. Formæ panis & vini, sine elementis ipsis, nec pascunt nec reficiunt. Sacramentum igitur sine elementis constare nullo modo potest.

Sophistica papistarum cauillatio.

Corpus in Sacramento verum, sed inuisibile iuxta Rõ. Auguſt.

Error papistarum, de Transubstãtiatione.

Succurrit hic Lombardus. Hactenus pascere dicuntur ista, quatenus nomen panis & vini retinent, & si res ipsas amiserunt. Ficulnea nimis responsio & ludicra. Habentur accidentia panis pro pane: putemus. Quid tum, si panis re ipsa non adsit, certè non pascit imaginatio. Neque enim nominibus alimur, sed rebus ipsis. At Christus interitu carnis suæ ieiunas animas credentium non titulo tenus, sed reipsa refocillat & ad salutem immortalem regenerat. Huius proinde refectionis, quod sacramentum gerat, tale sit oportet, vt corporibus accumbentium, non opinione, sed rei veritate & essentia, pastum præbeat. Quod quia aliter præstari non possit, nisi panis cum vino perfungendis misterijs adhibeatur, nemini dubitandum, quin Christo iniuriam, Sacramentis ludibrium, Christianis denique vniuersis impium planè Sarcasmum inferant, qui panem eximunt è Sacramento. Cæterum hac de re aliâs, dignante Christo.

Recensui interim nonnulla, plura possem, at nihil opus, quum ex ijs abundè videat Lector non omnino cæcus, quid de tota hac visibili ecclesia, quam efferunt tantoperè Romanenses, æstimandum sit. Quam nec ipse visibilem esse negauerim, sed ita, vt nihil in eorum templis, palatijs, monasterijs, nihil in regulis, in cultu, cœtúque ferè sanum, nihil humile, simplex aut spirituale, nihil verè antiquum aut cœleste: sed humana & terrena, omnia noua plæraque, adulterata vniuersa, rapinis, crudelitate, sanguine, carceribus, vinculis, pompa ac strepitu, titulorum magnificentia, supercilio, hypocrisi, superstitione, idololatria vndique referta conspiciantur.

Ecclesia visibilis aliqua ratione.

In Romana religione nihil spirituale: terrena ferè omnia.

Quæ quum ita habeant, admonendæ sunt piæ mentes, ne externo & plausibili ecclesiæ huius quamlibet visibilis splendore capiantur. Verum vt Ephesiorum, Smyrnæorum, & Philadelphensium inhærentes exemplis, Silenos istos inuersos aperiant. Quid reperient? Certè quod Ephesij non Apostolos omnes, non verè Iudæos esse qui dicuntur: sed pseudoapostolos plærosque, permultos de synagoga Satanæ, non omnes vero nomine Catholicos, sed plures histriones pietatis. Quin nec minus admonendi sunt hi ipsi etiam Roma-

Visibilis splendor Rom. eccl.

Histriones pietatis.

nenſes,vt diſcant,cum cæteris illis eccleſijs, maturè reſipiſcere.Qui etſi nomen eccleſiæ fortiter ſibi rapiant,non eſt quòd ideo ſibi placeant nimiũ,ne quod vſu venit Sardinæ eccleſiæ,& ipſis eueniat, qui quum nomen apud homines haberent, quaſi viuerent, apud Deum non pro viuis deprehendantur, ſed pro mortuis.

Sed nimium fortaſſe in his ceſſare epiſtolis videar,præſertim quum nihil hic ſit, quod grauiori aliqua explicationis difficultate lectorem torqueat. Propero igitur ad alia,ſi tamen vnum addidero,quod ſpiritus propheticus ad Smyrnæorum ſcribens eccleſiam,de afflictione *Decem dierum* vaticinatur. Qui numerus arcano fortaſſis & ſingulari aliquo propheticæ ſignificationis myſterio non caret,quamuis ex noſtris interpretibus, quos hactenus conſului, haud quenquam video,qui non diuerſum ſentiat.Maxima pars in eo conueniunt, vt numerus certus ponatur pro incerto.Alij aliter commentantur,numero dierum decem breue tantum temporis ſpacium,nobis licèt incognitum, deſignari. Sunt qui decem has dies ad decem decalogi præcepta referunt. Nonnullos reperias,qui ex decenario numero ſeptenarium, quo vniuerſitas ſignificatur, & ternarium colligunt, quo ternarius vitiorum comprehenditur, quæ ſunt, concupiſcentia carnis,concupiſcentia oculorum, & faſtus vitæ. Quidam rurſus ex profeſſo verſantes in prophetiæ huius explicatione,locum hunc prorſus intactum relinquunt. D. Auguſtinus decenarium pro numero perfecto interpretatur,in quo populus Chriſtianus, per multas totius vitæ tribulationes intrat in regnum cœlorum.Quem ſecutus Rupertus, decem dies, id eſt, vſque ad mortem accipit. Alijque alium ſenſum,pro ſuo quiſque captu,extrahit.

Decem dies.

Bullingerus.
Cytræus.
Fran.Lamb. in Apoc.lib. 1.
Beda in Apoc. cap.3.
Thom. Aquin. in Apoc.cap.2
Haymo in Apoc.lib.1.
Auguſt. hom. 2.in Apoc.
Rupertus in Apoc.lib.2.

Inter quos, ſi mihi liceat,æqua bonorum venia,calculum noſtræ coniecturę adijcere,etſi nihil certum ſit,quod de hac re affirmem,tamen ſi in libera eccleſia, libera permittatur facultas proferendę ſententię, dicam, ſi non ex tripode, quod vim oraculi habeat ,id ſaltem dicam , quod ſentio , quodque mihi non improbabile ex hiſtoria rerum geſtarum , & numerorum collatione videatur.Sic equidem accipio,vaticinium hoc dierum decem,non ita intelligendum, quaſi id voluerit mens diuina, vt ſub certo numero, vel totum vitæ tempus ſignificaret, vel incertum pro certo poneret, ſiue vt breuitatem temporis dubiam,quæ nulla conſtaret certitudine, definiret. Imò id arbitror potius, diuinam ſapientiam in eo , vim ſuam atque opes admirabiles explicare voluiſſe, vt venturas non afflictiones ſolùm, ſed fines etiam & diuturnitatem, quàm diu eſſent duraturæ,teſtatum ſuæ relinqueret eccleſiæ. Primùm, quis id neſcit, inter perſecutiones & multas & graues, à Romanis quondam imperatoribus infligtas, nullam vnquam acriorem extitiſſe ea, quæ ſub Diocleſiano,eiuſque complicibus efferbuit in pios Chriſtianos,quæ decima & poſtrema,ijs tum temporibus,numeratur.Quin neque illud rurſus minùs compertum,hanc ipſam afflictionis procellam tam acerbam, qua nulla vnquam immanior ab inferorum portis ad extinguendum Chriſti nomen commoueri potuit, vltra decennium non exceſſiſſe, referente in eccleſiaſtica hiſtoria Euſebio. Sic enim ille: Quæ inquit,anno decimo per gratiam Dei prorſus ceſſauit, &c. Quanquam ſcio non defuiſſe, teſtante Beda, qui decem hoſce dies, ad decem perſecutiones, à Nerone ad Diocleſianum referre maluerunt : mihi tamen minùs à ſcopo aberrare videbitur, qui ad decennale hoc incendium Diocleſiani quo longè latèque vniuerſa conflagrauit eccleſia,numerum hunc dierum decem reduxerit.

Decem Dierum diſcuſſio.

Decennalis Diocleſiani Perſecutio.

Euſebius.
Beda.
Decennalis perſecutio,ſub diocleſiano. &c.

Aut ſi minus hæc probabitur interpretatio,liceat alteram adijcere coniecturam, quæ mentem prophetæ propiùs fortaſſis attinget , ſi modo decem hos dies per ſeptenarium numerum reſolueris in menſes:ita vt ſingulis diebus menſes ſeptem tribuantur , vſitato videlicet more ſcripturæ , tum maximè Danielis exemplo , cuius omnia ferè numerorum myſteria per numerum ſeptinarium explicantur , dierum quidem in menſes , menſium verò in

Dies in ſeptenarium numerum menſium reſoluti quemadmodum menſes in ſeptenarium annorum colliguntur.

annos

annos semper seruata deductione. Quemadmodum igitur apud Danielem, quandocunque mensium fit mentio, singuli menses in septem annorum hebdomadas supputantur: Itidem & in hac decennali dierum numeratione, si singuli dies in septem menses colligantur, exurgunt decem mensium hebdomadę, in annos quinque & menses 10. Sin verò ità fiat diductio, vt singuli dies pro hebdomada non mensium, sed dierum numerentur, ita vt vnaquæque dies pro septem diebus ponatur, excrescet numerus in dies 70. hoc est, in duos integros menses & dies decem. Anni 5. & menses 10.

Cæterum de ratiocinatione hac temporum, quoniam nihil certum est, quod liquidò affirmemus, ad ea interim diuertamus, quę magis animaduersionem postulant, propiúsque fortasis scopum attingunt propheticæ predictionis: Præmunciat siquidem dominus ad Smyrnæos scribens, venturas in ecclesias afflictiones, nec fefellit euentus. Subsequuta post hęc persequutio in copora & facultates Christianorum non mediocriter incruduit, siue illam notemus, in qua sub Antonino vero succubuit beatus Smyrnæorum episcopus Polycarpus, crudeli vastatus incendio, simulque cum eo alij complures eadem tempestate sanctissimæ memoriæ martyres conciderunt: siue quæ non multo post, sub Seuero, deinde sub Maximino, siue quæ sub Decio, moxque sub valeriano & Aureliano, siue quæ sub Diocletiano contigit. Quæ per decennium, siue quæ harum postrema sub maximino, deinde quę sub Licinio per quinquenniũ perdurauit, vt ex historijs probabiliter colligi poterit. Constat enim his temporibus non vnam aut alteram, sed plures maximeque atroces efferbuisse persequutionum turbas, quæ non vnam solum Smyrnæorum ciuitatem, sed plures per Asiam ecclesias incredibili vastatione concusserant. Iam verò quænam hæc fuerit dierum decem persequutio, quæ Smyrnæis peculiariter, voce prophetica, præmonstratur, haud certò liquet ex vlla historiarum descriptione, nec valde id sciri retulerit. Interim illud non indignum quod aduertamus: primùm nihil nouum esse aut insolens in Christi ecclesia, vt quæcunq; est sanctior, Christoq; coniunctior, ita grauiùs in hoc seculo adflictetur malorum procellis. Quamobrem si disputandum sit, de veris certisque indicijs, quibus maximè exploranda sit ecclesia Christi, quæ certa sit, quæ secus, nulla externa notione exploratiùs deprehendas, quàm ferenda persequutionis cruce. Porrò quum fata ita ferè ferant ecclesiæ, tum priuatim, tum publicè, vt quisquis studeat in Christo piè viuere, persequutionem patiatur: subit proinde cuique id necessariò obseruandum, nihil hic infligi malorum his, qui pij sunt, quod sine permissu, siue voluntate Dei, res humanas moderante, immittatur. Ex quo non parum solatij comparent piæ afflictorum mentes, quòd paucorum dierum afflictiones haud diuturnę esse solent, tum grauitatem malorum, multo maiore, adeoque ineffabili præmiorum fœnore benignissimus repensat Dominus atque coronat. Quemadmodum sæpè his in literis promittentem audimus. *Vincenti*, inquit, *dabo edere de ligno vitæ, quod est in medio Paradisi Dei mei.* Tum ad hos ipsos Smyrnæos scribens: *Esto*, inquit, *fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Et rursus ad Pergamenses: *vincenti* daturum se dicit *ex Manna abscondito, & calculum porrò additurum, in quo nomen nouum inscribatur, nulli nisi accipienti cognitum.* Consimiliter & ad Thyatirenses. *Qui vicerit & custodierit vsque in finem opera, inquit, mea, dabo illi potestatem super gentes, & reget eas virga ferrea &c.*

Smyrnæorum ecclesia.

Smyrnæorum Episcopus Policarpus.

Smyrnæorum persecutio.

Persecutio sub Seuero, sub decio, sub valeriano, sub diocletiano.

Nouissimè sub Maximino, & Licinio, quæ per quinquennium durauit.

Veræ Ecclesiæ Christi notæ.

2. Tim. 3.

Ad Ephesinos: Ad Smyrnæos Ad pergamenses. Ad Thyatirenses.

Quid quod ad reliquas tres mittens ecclesias, Sardensem, Philadelphensem, & Laodicensem, eadem ferè verba ingeminat. *Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, & non delebo nomen eius de libro vitæ, & confitebor nomen eius coram patre meo, & coram angelis eius.*

Ad Sardenses.

Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius. Et scribam super eum nomen Dei mei, & nomen ciuitatis Dei mei nouæ Hierusalem, quæ descendit de cœlo à Deo meo, & nomen meum nouum &c.

Ad Philadelphenses.

Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici, & consedi cum patre meo, in throno eius. &c.

Ad Laodicænos.

Romanæ ecclesiæ examinatio ad normam diui. scripturæ.

Quod si verò nulla contingere solet victoria, sine dura militia, & acri certamine, videat proinde Romana ecclesia Albanique patres, videant Tridentini præsules, totúmque hoc Catholicorum genus, quid de gloriosa hac ipsorum ecclesia, quid de luxu, vitæque delitijs & securitate, quid denique de tota huius Catholicismi institutione sit sentiendum, quos, tot iam retro seculis, adeò nulla perstrinxit persequutionis castigatio, vt ipsi non satis suo functi ministerio videantur, nisi ferro & flamma grassantes in pios & innocuos Christi seruos, nullum faciant sæuiendi & persequendi finem. Quibus neque id satis est in ocio viuere, mundique totius ad se gloriam pertrahere, nisi in pias ecclesias, et innocuos Christi seruos tyrannidem moliantur. Sed istos suo relinquamus iudici, nos ad diuinas promissiones hisce in literis propositas redeamus. Quæ quàm magnificæ existant, nemo non videt. Promittitur enim vita immortalis, Regnum promittitur æternæ felicitatis. Quo quid optari possit in humanis aut diuinis rebus immensius? quid augustius? Certè qui tanta hæc præstare promissa & velit & possit, eius singularem esse benignitatem, potentiam plusquam immensam oportebit. Quisnam igitur tantarum autor promissionum existit, quibus, quamque ob causam promittit ille, prospiciamus. Ita enim Christi Domini nostri immensitas, ita officium, beneficia facilius apparebunt. Quæ cuique spectatissima esse, cunctisque innotescere in primis referre arbitror: quando non ex alio fonte pullulare videtur, quicquid vel in moribus prauum, vel in religione corruptum cernimus, nisi quòd veram certámque totius felicitatis nostrę causam non satis apud se perpendunt mortales miseri.

Officia & beneficia Christi spectanda. Ex certa christi notitia, omnis fluit vitæ rectè instituendæ ratio.

Primùm Iudæi factis suis innixi, sine Christo omnia sibi pollicentur apud patrem Deum. Saraceni, cum Turcis & Tartaris, etsi Christo non nihil tribuere in Alcorano videntur: iustam tamen dignitatem ei eripientes aliò transferunt. Quid de Romanensibus nostris dicam? qui non multum his dissimiles, diuinitatem Christo verbis tribuere videntur, factis ipsis detrahunt, cuius imperium, cum amplissima seruandi et iudicandi potestate coniunctum, vel non agnoscunt satis, vel minus certè eidem se subijciunt. Nunc quum vniuersa scripturæ ratio, quum prophetæ omnes, Apostoli et Patriarchę, quum ipsa denique paterna autoritas, cœlitus dimissa voce, ad filium, tanquam ad vnicum omnis præsidij nostri asylum transmittit, quid nobis agendum magis, quàm vt agnita Seruatoris huius tanta potestate, contentique ipsius imperio, relictis cæteris quibusque prędidiarijs & tutelaribus aduocatis, totos nos ei dedamus, vitámq; in eo omnem constituamus, cui soli in manu est omnis et seruandi et iudicandi autoritas? Et ego, inquit, dabo ei coronam vitæ. Et alibi, Et ego resuscitabo eum in nouissimo die. Et quur non ait, pater meus resuscitabit eum? Quia nimirum, omnis ei commendata est à patre, potestas in cœlo & in terra. Nec pater nunc pro summo iustitiæ suæ rigore iudicat amplius, sed vniuersas has iudicandi partes transtulit in filium, vt Christus nunc solus sit omnia in omnibus. Vndè rectè dicit: Et dabo eis coronam vitæ. Age, et quibus tandem, quámque ob causam daturus est? Vincentibus inquit, et decertantibus pro nomine ipsius. Qui vicerit, inquit, et non negabit nomen meum, dabo ei sedere &c.

Diuinum Christi imperium plærisq; incognitum.

Iohn. 5.

Apocal. 2. 3.

Obiectio contra solam fidem.

At excipiet hic iterum curiosulus forsan aliquis: Quòd si ad supernas regni sedes non alia tenditur via, nisi per dura pericula et laborum molestias, quid igitur ijs dicetur, qui sola fide sine operibus gratuitam constare iustificationem contendunt?

Responsio ad obiectionem.

Ad hæc satis parata est responsio. Vincenti quidem datur hæreditas, fateor. Sic et pœnitenti condonari peccatum dicimus. At non quia pœnitet patrati sceleris, idcirco consequitur indulgentia: sed quia qui ducitur pœnitentia, ad Christum confugit per fidem, hinc veniam obtinet.

Pari

Pari ratione,non ideo, quisquis in certamine exuperat, patiendo ac ferendo statim coronatur immortalitate,sed quia pro Christo certat & patitur. Præclara res cum primis sanctorum Martyrum,in perferendis afflictionibus, patientia: at minimè tamen ipsa regnum promeretur immortalitatis, nisi superior alia accedat causa,fides nimirum Christi,pro quo certatur. Clamat Paulus,non esse dignas afflictiones huius vitæ,ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Si ineunda sit mutua rerum inter se collatio,nulla comparatio est eorum, quæ finita sunt,cum infinitis. Audimus in Euangelio promissum denarium æstum diei grauiter sustinentibus. At enim neque hi etiam, qui postrema venerunt hora, suo frustrantur denario. Sit ergo prima sanctorum Martyrum corona, qui Christi nomine vitam profundunt. At non omnes tamen occumbunt Martyres,nec perpetuò sæuit in ecclesia persequutio. Habent item & pij Confessores lauream suam, habent prophetæ,& patriarchæ aureolam suam. Debetur trophæum legitimè in stadio currentibus,& in palæstra strenuè vincentibus, at nihil ea res obstat tamen, quin gratuita sit salutis æternæ hæreditas quæ dono constat, non pactione, fide sola, non operum viribus,sanguine non nostro,sed morte solùm sanguinéque Christi comparatur. Quanquam neque interim frustrantur sancti Martyres dignis labore præmijs. At aliud est in agone vincere,aliud iustum effici apud Deum. Fide hoc constat sola: illud spe & patientia,quæ nisi cum fide coniuncta parum per se præstat,ad promerendum Deum. Vnde fides est, quæ patientiam sanctorum illustrat,atque iustificat apud Dominum,non ab ea fides iustificatur,sed exploratur tantummodo. Ideoque fidem Christi sæpè subsequitur persequutio, præcedit nunquam. Neque vllis ferè crux imponitur nisi fidelibus, & propter fidem Christi, quæ non solùm iustos homines efficit apud Deum, sed multos etiam martyres spectatos & glorioſos reddit. Contrà,qui fidei expertes sunt, nulla ferè attinguntur persequutionum asperitate. Causamq; reddit Dominus ipse: Quia mundus, inquit,quæ sua sunt, diligit. Tametsi inter Ethnicos etiã audiuntur nonnulli,quorũ meritò miremur in moriendo constantiã. Socrates quàm intrepidè cicutam bibit,qui quũ effugere etiam potuisset,recusauit. Plato,Alcibiades,Aristides,Scipio,Cicero,quàm iniustè vexati sunt à suis,& pertulerunt? Sub Dionysio & Phalaride, complures ad pœnam vocati sunt, quam fortasis non commeruerunt. Infinitum esset de singulis καταλογὴν,qui tamen omnes,quoniam alijs de causis, non Christi nomine aut fide occubuerunt,magna licèt virtute & constantia,in Martyrum tamen corona & gloria non recensentur. Ex quo vides in cœlestis præmij retributione, non id spectari adeo,quid homines simpliciter ab hominibus patiantur,sed qua fide, cuiusq; causa vim sustineant. Benedicti,inquit Christus,quum persequuti vos fuerint propter nomen meum. Cur autem propter Christum patiatur aliquis, causa non in constantia est,sed in fide,quæ constantiam parit. Cæterum quoniam de ijs sat dictum videtur,ad ea quæ deinceps proxima referuntur visione, ope diuina, progrediamur.

Math.20.

Coronantur Martyres Sed habent et confessores suas coronas.

Hereditas vitæ nõ morte martyrum,sed sanguine solùm Christi comparatur.

Fides sola.

Persecutio fidem subsequitur, præcedit nunquam.

Ioan. 15.

Socrates.

Plato.

Alcibiades.

Aristides.

Scipio.

Cicero,eorùmque in ferendo constantia.

Math.5.

CAPVT. IIII. ET V.

POst hæc vidi,& ecce ostium apertum in cœlo,& vox prima quam audiui, tanquam tubæ loquentis mecum dicens. Ascende huc & ostendam tibi, quæ oportet fieri post hæc. Et statim fui in spiritu. Et ecce sedes posita erat in cœlo, & supra sedem sedens. Et qui sedebat similis erat aspectu lapidi Iaspidi, & sardo, & Iris erat in circuitu sedis, similis aspectu smaragdino. Et in circuitu sedis sedilia viginti quatuor, & super thronos vidi viginti quatuor Seniores sedentes,circumamictos stolis albis, et habebant in capitibus suis coronas aureas. Et de throno procedebant fulgura et tonitrua, et voces, et septem lampades ignis ardentes ante thronum, quæ sunt septem spiritus Dei. Et in conspectu sedis tanquam mare vitreum simile Chrystallo.

Romanæ ecclesiæ examinatio ad normam diui. scripturæ.

Quod si verò nulla contingere solet victoria, sine dura militia, & acri certamine, videat proinde Romana ecclesia Albanique patres, videant Tridentini præsules, totúmque hoc Catholicorum genus, quid de gloriosa hac ipsorum ecclesia, quid de luxu, vitæque delitijs & securitate, quid denique de tota huius Catholicissimi institutione sit sentiendum, quos, tot iam retro seculis, adeò nulla perstrinxit persequutionis castigatio, vt ipsi non satis suo functi ministerio videantur, nisi ferro & flamma grassantes in pios & innocuos Christi seruos, nullum faciant sæuiendi & persequendi finem. Quibus neque id satis est in ocio viuere, mundique totius ad se gloriam pertrahere, nisi in pias ecclesias, et innocuos Christi seruos tyrannidem moliantur. Sed istos suo relinquamus iudici, nos ad diuinas promissiones hisce in literis propositas redeamus. Quæ quàm magnificæ existant, nemo non videt. Promittitur enim vita immortalis, Regnum promittitur æternæ felicitatis. Quo quid optari possit in humanis aut diuinis rebus immensius? quid augustius? Certè qui tanta hæc præstare promissa & velit & possit, eius singularem esse benignitatem, potentiam plusquam immensam oportebit. Quisnam igitur tantarum autor promissionum existit, quibus, quamque ob causam promittit ille, prospiciamus. Ita enim Christi Domini nostri immensitas, ita officium, beneficia faciliùs apparebunt. Quæ cuique spectatissima esse, cunctisque innotescere in primis referre arbitror: quando non ex alio fonte pullulare videtur, quicquid vel in moribus prauum, vel in religione corruptum cernimus, nisi quòd veram certámque totius felicitatis nostrę causam non satis apud se perpendunt mortales miseri.

Officia & beneficia Christi spectanda. Ex certa christi notitia, omnis fluit vitæ rectè instituendæ ratio.

Primùm Iudæi factis suis innixi, sine Christo omnia sibi pollicentur apud patrem Deum. Saraceni, cum Turcis & Tartaris, etsi Christo non nihil tribuere in Alcorano videntur: iustam tamen dignitatem ei eripientes aliò transferunt. Quid de Romanensibus nostris dicam? qui non multum his dissimiles, diuinitatem Christo verbis tribuere videntur, factis ipsis detrahunt, cuius imperium, cum amplissima seruandi et iudicandi potestate coniunctum, vel non agnoscunt satis, vel minus certè eidem se subijciunt. Nunc quum vniuersa scripturæ ratio, quum prophetæ omnes, Apostoli et Patriarchę, quum ipsa denique paterna autoritas, cœlitus dimissa voce, ad filium, tanquam ad vnicum omnis præsidij nostri asylum transmittit, quid nobis agendum magis, quàm vt agnita Seruatoris huius tanta potestate, contentique ipsius imperio, relictis cæteris quibusque prędidiarijs & tutelaribus aduocatis, totos nos ei dedamus, vitámq; in eo omnem constituamus, cui soli in manu est omnis et seruandi et iudicandi autoritas? Et ego, inquit, dabo ei coronam vitæ. Et alibi, Et ego resuscitabo eum in nouissimo die. Et quur non ait, pater meus resuscitabit eum? Quia nimirum, omnis ei commendata est à patre, potestas in cœlo & in terra. Nec pater nunc pro summo iustitiæ suæ rigore iudicat amplius, sed vniuersas has iudicandi partes transtulit in filium, vt Christus nunc solus sit omnia in omnibus. Vndè rectè dicit: Et dabo eis coronam vitæ. Age, et quibus tandem, quámque ob causam daturus est? Vincentibus inquit, et decertantibus pro nomine ipsius. Qui vicerit, inquit, et non negabit nomen meum, dabo ei sedere &c.

Diuinum Christi imperium plærisq; incognitum.

Iohn. 5.

Apocal. 2. 3.

Obiectio contra solam fidem.

At excipiet hic iterum curiosulus forsan aliquis: Quòd si ad supernas regni sedes non alia tenditur via, nisi per dura pericula et laborum molestias, quid igitur ijs dicetur, qui sola fide sine operibus gratuitam constare iustificationem contendunt?

Responsio ad obiectionem.

Ad hæc satis parata est responsio. Vincenti quidem datur hæreditas, fateor. Sic et pœnitenti condonari peccatum dicimus. At non quia pœnitet patrati sceleris, idcirco consequitur indulgentia: sed quia qui ducitur pœnitentia, ad Christum confugit per fidem, hinc veniam obtinet.

Pari

Pari ratione,non ideo, quisquis in certamine exuperat, patiendo ac ferendo statim coronatur immortalitate,sed quia pro Christo certat & patitur. Præclara res cum primis sanctorum Martyrum,in perferendis afflictionibus, patientia: at minime tamen ipsa regnum promeretur immortalitatis, nisi superior alia accedat causa,fides nimirum Christi,pro quo certatur. Clamat Paulus,non esse dignas afflictiones huius vitæ,ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.Si iucunda sit mutua rerum inter se collatio,nulla comparatio est eorum, quæ finita sunt,cum infinitis. Audimus in Euangelio promissum denarium æstum diei gnauiter sustinentibus. At enim neque hi etiam, qui postrema venerunt hora, suo frustrantur denario. Sit ergo prima sanctorum Martyrum corona, qui Christi nomine vitam profundunt. At non omnes tamen occumbunt Martyres,nec perpetuò sæuit in ecclesia persequutio. Habent item & pij Confessores lauream suam, habent prophetæ,& patriarchæ aureolam suam. Debetur trophæum legitimè in stadio currentibus,& in palæstra strenuè vincentibus, at nihil ea res obstat tamen, quin gratuita sit salutis æternæ hæreditas quæ dono constat, non pactione, fide sola, non operum viribus,sanguine non nostro,sed morte solùm sanguinéque Christi comparatur.Quanquam neque interim frustrantur sancti Martyres dignis labore præmijs.At aliud est in agone vincere,aliud iustum effici apud Deum.Fide hoc constat sola: illud spe & patientia,quæ nisi cum fide coniuncta parum per se præstat,ad promerendum Deum. Vnde fides est, quæ patientiam sanctorum illustrat,atque iustificat apud Dominum,non ab ea fides iustificatur,sed exploratur tantummodo. Ideoque fidem Christi sæpè subsequitur persequutio, præcedit nunquam. Neque vllis ferè crux imponitur nisi fidelibus, & propter fidem Christi, quæ non solùm iustos homines efficit apud Deum, sed multos etiam martyres spectatos & glorioſos reddit.Contrà,qui fidei expertes sunt, nulla ferè attinguntur persequutionum asperitate. Causamq; reddit Dominus ipse: Quia mundus, inquit,quæ sua sunt, diligit. Tametsi inter Ethnicos etiã audiuntur nonnulli,quorũ merito miremur in moriendo constantiã.Socrates quàm intrepidè cicutam bibit,qui quũ effugere etiam potuisset,recusauit. Plato,Alcibiades,Aristides,Scipio,Cicero,quàm iniustè vexati sunt à suis,& pertulerunt? Sub Dionysio & Phalaride, complures ad pœnam vocati sunt, quam fortasis non commeruerunt. Infinitum esset de singulis καταλογεῖν,qui tamen omnes,quoniam alijs de causis, non Christi nomine aut fide occubuerunt,magna licèt virtute & constantia,in Martyrum tamen corona & gloria non recensentur.Ex quo vides in cœlestis præmij retributione, non id spectari adeo,quid homines simpliciter ab hominibus patiantur,sed qua fide, cuiusq; causa vim sustineant. Benedicti,inquit Christus,quum persequuti vos fuerint propter nomen meum. Cur autem propter Christum patiatur aliquis, causa non in constantia est,sed in fide,quæ constantiam parit. Cæterum quoniam de ijs sat dictum videtur,ad ea quæ deinceps proxima referuntur visione, ope diuina, progrediamur.

Coronantur Martyres Sed habent et confessores suas coronas.

Hereditas vitæ nõ morte martyrum:sed sanguine solùm Christi comparatur.

Fides sola.

Persecutio fidem subsequitur, præcedit nunquam.

Ioan. 15.

Socrates.

Plato.

Alcibiades.

Aristides.

Scipio.

Cicero,eorùmque in ferendo constantia.

Math.5.

CAPVT. IIII. ET V.

POst hæc vidi,& ecce ostium apertum in cœlo,& vox prima quam audiui, tanquam tubæ loquentis mecum dicens. Ascende huc & ostendam tibi, quæ oportet fieri post hæc.Et statim fui in spiritu.Et ecce sedes posita erat in cœlo, & supra sedem sedens. Et qui sedebat similis erat aspectu lapidi Iaspidi, & sardo, & Iris erat in circuitu sedis, similis aspectu smaragdino.Et in circuitu sedis sedilia viginti quatuor, & super thronos vidi viginti quatuor Seniores sedentes,circumamictos stolis albis, et habebant in capitibus suis coronas aureas.Et de throno procedebant fulgura et tonitrua, et voces, et septem lampades ignis ardentes ante thronum, quæ sunt septem spiritus Dei. Et in conspectu sedis tanquam mare vitreum simile Chrystallo.

Et in medio ſedis & in circuitu ſedis, quatuor animalia plena oculis ante & retro. Et animal 1. ſimile Leoni, & 2. animal ſimile vitulo, & 3. animal habens faciem velut homo, & 4. animal ſimile Aquilæ volanti. Et quatuor animalia ſingula eorum habebant alas ſenas in circuitu, & intus plena erant oculis. Et requiem non habent die ac nocte dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt.

Et cum darent animalia gloriam & honorem & benedictionem ſedenti ſuper thronum, viuenti in ſecula ſeculorum, procidunt 24. Seniores ante ſedentem in throno, & adorant viuentem in ſecula ſeculorum, & abiiciunt coronas ſuas ante thronum dicentes: Dignus es, Domine, accipere gloriam & honorem, & virtutem, quia tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam ſunt, & creata ſunt.

CAPVT. V.

ET vidi in dextera ſedentis ſuper thronum, librum ſcriptum intus & in tergo, ſignatum ſigillis 7. Et vidi Angelum fortem prædicantem voce magna: Quis eſt dignus aperire librum, & ſoluere ſignacula eius? Et nemo poterat neque in cœlo, neque in terra, neque ſubter terram aperire librum, neque aſpicere illum. Et ego flebam multum, quòd nemo dignus inuentus eſſet, aperire & legere librum nec videre eum.

Et vnus de ſenioribus dicit mihi, ne fleueris, ecce vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid, vt aperiat librum, & ſoluat ſeptem ſignacula eius. Et vidi & ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio ſeniorum, Agnus ſtans tanquam occiſus, habens cornua 7. & oculos ſeptem, qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei miſſi in omnem terram. Et accepit de dextera ſedentis in throno librum.

Et cum accepiſſet librum, quatuor animalia, & 24. ſeniores ceciderunt coram Agno, habentes ſinguli citharas & phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ ſunt precationes ſanctorum, & cantant canticum nouum, dicentes: Dignus es accipere librum, & ſoluere ſignacula eius, quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo per ſanguinem tuum, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & feciſti nos Deo noſtro reges & ſacerdotes, & regnabimus ſuper terram.

Et vidi & audiui vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium et ſeniorum, et milia milium dicentia voce magna: Dignus eſt agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem & diuitias, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Et omnem creaturam, quæ in cœlo eſt, et quæ ſuper terram, et ſub terra, et in mari, et quæ in eis ſunt, omnia audiui dicentes: Sedenti in throno et agno benedictio, et honor, & gloria, et poteſtas, in ſecula ſeculorum. Et quatuor animalia dicebant, Amen. Et viginti quatuor ſeniores ceciderunt in facies ſuas, et adorauerunt viuentem in ſecula ſeculorum.

Generalis reuelatio, non ad certas eccleſias, ſed promiſcuè ad omnes pertinens reſpub. In 4. & 5. capite velut introductio ad ſequentes viſiones cõtinetur. In 4. cap. quæ propriè continentur.

QVæ hactenus in ſuperiore præceſſerunt viſione, ad certas duntaxat vnius gentis ac generis eccleſias perſcripta, accepiſtis. Quæ deinceps conſequuntur fuſiùs latiúſque ſe porrigunt, nullis certis regionum aut gentium finibus circumſcripta, ſed in genere, totius eccleſiæ fata ac progreſſus, ad finem mundi, generali reuelatione deſcribunt. Vnde hæc quidem Apocalipſis à ſexto maximè capite exordium ſumit. Vbi myſtica ſecretorum ſignacula primùm aperiuntur. Interim his duobus capitibus, velut Iſagoge quædam & introductio continetur, quæ præparatione, ceu manu nos ducat ad hiſtoriam libri conſignati, eiuſque fauſtiſsimã ſolutionem. Eaq; cauſa primum in quarto hoc capite exhibetur cõſpectui noſtro paternę maieſtatis imago, inſtar ſedentis in ſublimi throno, librũq; in dextera tenentis. Qui quũ ſigillis non minus ſeptem firmiſsimè obſignatus eſſet,

certum

certũ eſt,ſine ingenti profectò difficultate aperiri eũ nunquã potuiſſe. Quæ enim tanta exiſtit ſiue in cœlo,ſiue in terra poteſtas,quæ,quod diuina tenetur manu,indè extrahere: quod ab ipſo clauſum ſit, aperire: quod porrò iuſta ipſius ſententia damnatum ſit,idem in integrum reſtituere,ac in vitam reuocare poterit? Quæ omnia quum in duobus ijs capitibus ſpectanda nobis occurrant, tanto ardentiore cura, animos atque aures arrigamus ad tanta hæc rerum myſteria: Chriſtóque Domino noſtro ſempiternas agamus gratias oportebit: qui ſolus hæc omnia, cauſa noſtra,præſtare potuit,præſtitítque.

Accedamus proinde propius ad viſionis huius deſcriptionem. In qua primùm paterna maieſtas in throno recumbens cernitur. Accedunt huc ex ordine velut Senatorio Seniores viginti quatuor, vndiq; per circuitum cœleſtis throni circumfuſi, decoro inſignes ornatu,veſtéque refulgente candidati, aureis inſuper coronis ſinguli regali magnificentia redimiti. Adſunt præter hos & animalia quatuor, quaquauerſum oculata, ante & retro, quorum primum ſimile Leoni,ſecundum vitulo conſimile, tertium hominis vultum referens, quartum ſimilitudinem gerens aquilæ volantis. Adduntur prætereà ijſdem animalibus alæ, quorum ſingula habebant animalia alas ſenas, in circuitu, quæ & intus, foriſque oculis vndique differta dicuntur. Ad hęc ex throno audiuntur tonitrua, fulgura & voces, & ſeptem lampades ignis ardentes ante thronum, quæ ſunt ſeptem ſpiritus Dei. Et in conſpectu denique throni tanquam mare vitreum ſimile Cryſtallo.

Deſcriptio viſionis in 4.cap.
Thronus Dei.
Seniores,24.
4. Animalia oculis plena.
Tonitrua, fulgura,voces, lampades 7. ante thronũ.
Mare vitreum.

Habetis diuinæ huius viſionis ſummam. In qua, de rebus quidem futuris nihil propheticum capite hoc quarto toto oſtenditur, tantummodò Deus ſeipſum nuncio ſuo Apoſtolico conſpiciendum prębet, idque non ſine graui cauſa. Cùm enim præcipua totius huius prophetiæ ratio,in libri obſignati ſolutione ſita ſit, qui aliter accipi à Chriſto,atque aperiri non potuit, niſi is à quo clauderetur, & acciperetur, in medium atque ob oculos prophetæ produceretur, poſtulabat idcirco ſeries hiſtoriæ, vt Deus primùm,qui librum teneret,filius deinde, qui acceptum aperiret è manu patris,ad demonſtrationem propheticam patefieret. At occupabit hic forſan aliquis, quum Deus mens ſit æterna,potentia infinita,expers omnis formæ viſibilis, nullo circumſcripta loco aut ſede,cuncta vi ſua luſtrans, vniuerſa complens ac permeans, quî credibile ſit aut conſentaneum, poſſe eius naturam prorſus inaſpectabilem, vlla viſibili forma aut ſpecie comprehendi? Idémque rurſus, quum nullius egeat conſilio, cuius ſolius numine ac prouidentia, cęteræ res quæque adminiſtrantur, quid igitur volunt viri iſti Senatorij,& cœleſtis Seniorum λειτουργία per circuitum diuinæ ſedis circumfuſi? Quid animalia quatuor, quid iris? quid mare vitreum, quid fulgura & tonitrua? quid dextera librum geſtans, quid libri obſignatio? quid ſigilla ſeptem? quid acclamationes,proſtrationes, hymnologiæ Seniorum, & quatuor animalium,cæteráq; id genus conſimilia?

Nihil propheticum in 4 hoc cap.
Cauſa huius viſionis,ſeu patefactionis.
Obiectio.
Deus,quum natura ſit inuiſibilis,an induit aliquando formam viſibilem.

Certè ſi ipſa per ſe ſpectetur ſummi numinis maieſtas,longè ſuperior gloriæ illius exiſtit excellentia, quàm vt vlla humanæ rationis acies eam, vel cogitando aſſequi, vel vlla rerum creatarum ſpecies vllo modo referre poterit. Quo magis ridenda eſt anilis illa Romanenſium deliratio, qui Deum,ſub grandæui cuiuſdam patris effigie, populo ſpectandum atque adorandum in templis exhibent. Quod non ſolùm à Dei natura, ſed à pręſcripto etiam ipſius mandato longiſſimè diſcrepat, quum nec cerni ipſe oculis, nec verbis exprimi, nec comprehendi vllo humano captu, nec vlla ſimilitudinis imagine repreſentari queat. Quin nec minùs execranda, mendax illa hiſtoria fabuloſi cuiuſdam nugatoris,in qua Trinitatis numen perſonaliter apparuiſſe Ignatio Ieſuitarum primario auctori ac patrono fertur. Neque huic diſſimile eſt,quod in eadem hiſtoria, Deus pater eidem Ignatium Chriſto filio crucem ferentem oſtendiſſe dicitur. Age,& quid hinc igitur dicemus? Siquidem nulla capitur repreſentatione Dei maieſtas, quid hæc ſibi vult pictura, qua deliniatur ſub forma Iaſpidis, & Sardij lapidis, quorum ille purpureo ac viri-

Reſponſio.
Imago Dei nulla ſimilitudine efformanda.
Ex hiſtoria Petri Maſſeij, de Vita & moribus Ignatij Loiolæ.cap.7. lib.1.cap.5. lib.2.

di colore, hîc igneo maximè rubore notatur? quid vult Regius Senatus consiliariorum coronas suas proiectantium? quid alata & oculata animalia? Quorsum fulgura & vocum tonitrua? quorsum mare Chrystallinum, cæteræque apparitionis circumstantiæ? De significatione rerum istarum, quando diuersa & multiplex constet interpretum sententia, dicam itidem & ipse pro coniectura nostra, si non rectè, at breuiter.

Primùm, quum deus aliter sese visendum præbere suis prophetis non possit, nisi sub ænigmate terrenæ alicuius similitudinis, quid obstat, quin ascisere sibi ipsi liceat, quācunq; velit rei speciem, siue gemmæ siue ignis, siue auræ &c. Sic olim Mosi in aspectu ignis flammantis, itemque aliâs alia specie apparuit Dominus exercituum. Esaiæ sub alia figura. Ezechieli apperuit dominus gloriam suam velut in visione Electri. Alibi apud Danielem sic visus est tanquam antiquus dierum, solio insidens. 3. Reg. Iussus est Elias in monte consistere, transeunte Domino, in sibilo auræ tenuis. Neque hæc tamen exempla nobis ita rapienda sunt, vt quisquam audaciam hinc sumat, Deum siue stantem, siue sedentem, vlla specie aut colorum lineamentis effigurandi, quum nihil sit rerum creatarum, quæ creatoris inscrutabilem essentiam, vlla ex parte referre poterit.

Exod. 24. Esai. 6. Ezech. 8. Dan. 7. 3. Reg. 19.

Supereſt vt de Senioribus, de mari, de animalibus, eorúmque significatione dicamus aliquid. Quòd igitur in hac pictura cernitur sublimis Dei sedes, in media corona viginti quatuor Seniorum, id nemo perinde accipiat, quasi suprema illa & infinita mens illius Senatus consilio indigeat, more cæterorum principum. Quis enim cognouit mentem domini? aut quis consilium daturus sit illi? Aut quis prior dedit, & reddetur ei? Verum aliam habet interpretationem, vt nos ex his Senioribus proijcientibus coronas suas, veras rerum causas & principia, ad quæ cætera nobis omnia sunt referenda, addiscamus. Quæ res non parum habet momenti in omni disciplinæ genere, non in philosophia modo naturali aut morali, sed in Theologia etiam quàm maximè. Quod igitur vides in hac pictura Senatorios hos consiliarios, coronas suas ante thronum proijcientes, quid aliud intelligas, quàm fontem atque originem omnis sapientiæ & consilij, non in hominibus positā, sed à Deo solo, tanquam prima scaturigine, ad homines atq; angelos ipsos deriuari, atque in eundem referri oportere? Quoniam ex illo, & per illum, & in illum omnia, ipsi gloria in secula, Amen. Alioqui quid aliud nobis designat proiectio hæc coronarum, ante sedentem in throno, humilisque confessio, qua vniuersam gloriam, honorem, & virtutem soli creatori transcribunt, nisi vt hoc exemplo, omnes admoneantur creaturæ quantumuis sublimes, nihil esse, quod quisquam sibi arroget, sed omnia Deo soli accepta referri oportere, à quo ceu vnico fonte, & autore proficiscitur, quicquid vsquam habetur in cœlo aut in terra honorificum. Quod autem Seniores hi numero viginti quatuor recensentur, id ex consuetudine Hebræorum desumpsisse videtur spiritus propheticus, apud quos eodem numero celebrari solebant pontificia Synedria.

Seniores 24. circa thronū.

1. Cor. 2. Rom. 11.

Seniores proijcientes coronas suas.

Rom. 11.

Seniores 24.

Nec aliò tendit, si commodè inspiciatur, quatuor animalium descriptio, quę tanquam vehicula throno æternæ maiestatis subiecta, & à Deo gubernantur, simul & ipsa vicissim deum celebrant, & honore prosequuntur. At nascitur hic interim scrupulus, ex ipso verborum contextu, non indignus fortasis animaduersione. Sic enim narratur, *Et in medio sedis, & in circuitu quatuor animalia*. Si in medio sedis, quo modo in circuitu? Si in circuitu, quo modo in medio sedis? Huic quid tandem respondebitur, nisi vt rem ita intelligamus, animalia hæc alata sic dispositā apparere sub sede, quam ceu vehicula ac fulcra medio dorso sustinent, ac velocissimo alarum volatu transvehunt, quocunque imperatur, vt prima eorum facies extra thronum promineat, reliqua pars intra sedem consistat. Itaque fit, vt animalia hæc partim in medio sedis, partim in circuitu versari

Animalia 4.

non

non incommodè existimentur. Quod verò ad mysterium spectat animalium, de his vt dixi, non vna est omnium existimatio. Plerique veterum scriptorum, in quibus est Irenæus, Hieronymus, Augustinus, Lyra, præter alios complures, animalia hæc quatuor, ad quatuor Euangelistas ita accommodant, vt hominis similitudo Matthæum referat: Marcus Leonis facie: vituli figura significetur Lucas: Ioannes verò Aquilæ volantis specie adumbretur. Verùm non satis quadrare videtur hæc diuinatio ad genuinum prophetæ sensum. Quis enim credibile id putet, Ioannem Euangelistam, κατ' ἐξοχὴν huius visionis, in numero animalium seipsum pro aquila volante posuisse? Addit Beda animalia hæc, nunc Euangelistas, nunc totam significare ecclesiam. Cuius, vt ait, fortitudo in Leone, victimatio in vitulo, humilitas in homine, sublimitas in Aquila volante monstratur. Alij transferunt ad quatuor præcipuas animæ vires, seu passiones. Quidam ad elementa quatuor, alij aliter, pro sua quisque diuinatione, exponunt. Sed omnium ineptissimum nugamentum illud est, nimisq; ridiculum eorum, qui cœlum exponunt ecclesiam Catholicam, & in hac, esse sedem Romani Pontificis, qui sit Agnus: quatuor animalia esse quatuor ecclesias Patriarchales. &c. Et tamen non desunt, quibus hoc commentum placet: adeóque se solos esse volunt, quorum debetur auctoritati omnis mysticæ scripturæ interpretatio.

4. Animalium explicatio.
Irenæus l. b 3. cap. 11.
Iero. in proœ.
Math. in comment in Ezec.
August.
Lyra in proœ.
comment in Nouum testament.
Beda, in cap 4. Apocal.

Inter recentiores verò, qui saniore donati sunt iudicio, sunt alij, quibus ita videtur, similitudine quatuor horum animalium, vniuersa Christi membra, quæ Deum rectè agnoscunt, confitentur, & celebrant, significari, atque inter hos maximè pastores & episcopos, qui vigili oculo, consilio, & doctrina, versantur in publico docendi officio.

Dauid Cythræus, & alii in Apoc.

Alij aliter, quatuor hæc animalia, ad quatuor mysteria nostræ fidei trahunt, ita, vt incarnationis negotium hominis faciem habeat: vituli conditionem sequatur negotium passionis, & mortis Christi: Leonis autem, resurrectio ad vitam immortalem in cœlis: denique ascensio gloriosa aquilæ volatum repræsentet. Quin nec ita multum à vero digreditur, quamuis an scopum rei satis attingat, haud scio, eorum interprætatio, qui animalia hęc, cum quatuor illis animalibus componunt, quæ Ezechieli in visione ostensa, Cherubim fuisse dictitat, id est, spiritus angelicos, quorum ministerio Deus vtitur in mundi & creaturarum gubernatione. Sub qua animalium figura, (quæ plena essent oculis ante & retro) intuitus ille diuinæ prouidentiæ omnium acutissimus, singulari hypotyposi, nobis ad viuum depingitur. Nam vt oculata hæc animalia, res vniuersas, siue à fronte, siue à tergo positas, propter oculorum multitudinem longè latéque prospiciunt ac contuentur: Ita sub eadem figura ostenditur, nihil esse tam reconditum, abditúmque in natura rerum, quod oculum diuinę prouidentiæ fugiat, quod ineffabilem illius fallat potentiam, cuius nutu & arbitrio, rerum omnium, quamuis minutissimarum, motus & agitatio gubernatur.

Aretius in 4. cap. Apoc.
Aug. Marlorat in Apocal.
Guliel. Fulco in Apoc.

Scio hæc quidem omnia & plausibiliter dici, nec minus etiam cum veritate coniuncta. Quis enim ignorat, spiritus Angelicos administros esse occultatissimæ Dei prouidentiæ, quorum opera vtitur ille in mundi, & creaturarum omnium gubernatione? Cæterum an spiritus illi Angelici explicant satis varietatem horum animalium subdubito.

Accedit his porrò alterius cuiusdam interpretatio, nihilo minùs, mea ratione, plausibilis, nec aspernanda, qua similitudo quatuor animalium, ad filios ecclesiæ cognoscendos reducitur, quippe qui quatuor his maximè notis discernuntur, primum à Leonis similitudine, eò quòd induerunt Dominum Iesum Christum. 1
Deinde, à facie vituli, si abnegent se ipsos, & veterē hominem crucifigentes, crucem 2
pro Christo non reformident. Tertio à facie hominis, siquidem in eis insit iustorum 3
prudentia.

Francis. Lambert. in cap. 4. Apocal.

prudentia. Quartò à facie aquilæ, nimirum dum fide in cœlum ſubuecti, in Chriſto ſpem omnem collocant, ita in carne viuentes, vt animo interim in cœlis conuerſentur.

Recenſui varias nonnullorum, hac de re diuinationes, lectori cedens interim liberam de ijs ſtatuendi copiam, quid ex omnibus vel decerpendum, vel repudiandum cenſeat. Mihi verò diuerſas horum animalium ſpecies, naturam, ingenium, conditiones, ſinguláque alia, quæ Ioanni in hac viſione obiecta ſunt, perluſtranti, ita videtur, haud aliò hæc omnia pertinere, niſi vt intelligamus, quàm glorioſus ſit Dominus in omnibus creaturis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis. Primùm panditur cœlum, iubetur aſcendere, vocatur ad contemplandum, admittitur cœleſtium rerum ſpectator cœleſtis propheta. Per thronum oſtenditur illi imperium Dei, quod per orbem vniuerſum diffunditur. Iaſpis & Sardius mediam throni ſedem occupant. Per lapides hos & colores mirè gratos, arcana numinis præſentia deſignatur. Supra verticem Iris, Smaragdinum reddens colorem, refulget. Ex eodem throno prodit ſpiritus Dei ſeptiformis, terrens, conſolans, coarguens, confirmans, varia denique chariſmata ſubminiſtrans. Audiuntur porrò tonitrua, fulgura, & voces terrificæ. Circa thronum, hinc inde, verſantur creaturarum, & animalium multiplices formæ, quadrupedum, bipedum, volatilium. Adiacet his inſuper mare hoc magnum & ſpatioſum, oculis diuinæ præſentiæ expoſitum. Stipatur præterea ſedes, ſatis numeroſo conſiliariorum Senatu. Adeſt & Agnus ipſe, de quo mox, donante ipſius gratia, inferiùs. Nec deeſt Angelorum multitudo, quorum milia milium ingenti voce laudem Deo perſonant & Agno.

Animalia quatuor eorúmq; ſpecies & proprietates diuerſæ.

Dei thronus.

Lapides preciоſi eorúmque colores.

Iris.

Spiritus ſeptiformis.

Tonitrua, Fulgura.

Mare vitreum.

Senatus ſeniorum.

Agnus.

Angelorum multitudo.

Age, & quorſum tantus hic apparatus rerum cœleſtium, terreſtrium, & marinorum? Quid Angeli, quid Seniores, quid Animalia, quid fulgura & tempeſtates, quid iridis reuerberatio, quid maris Chryſtallina contemplatio? Quid hæc omnia volunt? quo tendunt? niſi vt nos doceant, quicquid vſquam eſt rerum & creaturarum, ſiue in cœlo, ſiue in terra, ſiue in mari, in hoc producta eſſe, vt diuinæ ſeruiãt gloriæ, eiuſque imperio ſubijciantur. Ecquid enim vſquam eſt rerum conditarum, quod non admirabilem opificis in efformando potentiam, ineffabilem in gubernando prudentiam, & gloriam decantet? Cælos primùm ipſos ſuſpicis, aſtrorum curſus, planetarum viciſſitudines vides, tonitrua, fragores audis horribiles, fulgara, tempeſtates, Iridem inter hæc, mirabili colorum varietate, è nubibus emicantem cernis, atque inſtupeſcis. Quid tum de ſummo illo artifice, te quæſo, cogitandum, qui de nihilo hæc conſtituit, dirigitque conſtituta? vnde rectiſsimè in pſalmo concinit diuinus vates: Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. Ab his diuertamus inferius ad has, quæ terra marique continentur, humiliores creaturas. Inter belluas antem ſyluestres, Leonem vides, formidabile cum primis animal, qui robore & fortitudine reliquis præſtat animalibus, cui nulla occurrere beſtia audeat, aut reſiſtere valeat. Ex creatura diſce fortitudinem creatoris tui, vt illum timeas, ſub potenti manu Dei tui te ſubmittas, totáque mente illum celebres atque obtemperes. Porrò inter manſueta & innoxia pecora, numeratur vitulus, & homo, quæ duæ res Deo quàm maximè ſunt cordi, ideoque hoc animal potiſsimùm adhibetur ſacrificijs. In homine pulchritudinum, luménque rationis & intelligentiæ: in Aquila ſublimitatem notas. In his creaturis omnipotentẽ iam creatoris excellentiam collige. Quicquid enim in ſingulis vſquam creaturis, diuino munere eximium aut ſpectabile habetur, id vniuerſum ad primum ſuum principium ſi reducamus, ab vno omnium creatore atq; autore proficiſcitur, in quo omnium ſummarum rerum abſoluta perfectio, & excellentia ſimul congeſta continetur. Quo nihil fortius, nihil innocentius, nihil pulchrius, aut ſublimius exiſtit.

Viſionis explicatio.

Pſalm. 18.

Leo.

Vitulus.

Homo.

Aquila.

At quur igitur adduntur quatuor his animalibus tot alæ, tantaque oculorum copia (*habebant* enim *ſingula alas ſenas*) quum præter naturam id fit, vt volitent animalia? Nempe, vt hoc argumento admonearis, quum cætera omnia Deo inſunt,

Alę & oculi animalium.

sunt, quæcunque summa maximáque existunt, tum hoc ita intelligendum esse, summam hanc diuini roboris potentiam, sapientiam, ac sublimitatem, non ita cœcam, aut vni throno affixam esse, vt nusquam prodeat, nihil è longinquo prospiciat. Imo longe secus res habet. Vt nihil diuino numine potentius, nihil formidabilius, aut sublimius: Ita nhil prorsus hac eadem potentia oculatius, nihil sublimitate velocius Cuncta perspicit, omnia perlustrat, nihil non penetrat, acerrimo velut volatu, latebras explorat vniuersas, vbique præsens omnia complet, quæque explorat. Nihil ala illius velocius, nihil oculo perspicacius.

Pergamus ad chorum nunc venerandum viginti quatuor Seniorum. Age, & quid tandem senile hoc vult consilium regalis Senatus, throno Dei assistens? An vt Deo adsint suo consilio? aut quia egeat ille senili istorum prudentia? Nihilo quidem magis, quàm quatuor animalibus indigeat ad fulciendum ipsius solium. Verùm quia more summorum principum ita receptum cernimus, vt nusquā prodeant in publicum nisi stipati suis satellitibus & consilarijs: quoniámque solia regum, currúsq; triumphales imaginibus huiusmodi animalium, quæ ad pompam faciāt maiestatis, vel fulciri, vel exornari solent. Quemadmodū thronus Salomonis sex assurgens gradibus, miro ornatu, duodecim leunculis consternebatur: Ita nihil magis conueniebat, quàm vt summa & æterna maiestas non aliter se proferret, quā in medio suarum creaturarū. Nec aliter illis apparere potuit æternus conditor, quin omnes creaturæ sese illi submittere, potentiam agnoscere, gloriam illius decantare, laudésq; attestari summo cum applausu, gratáq; veneratione, & meritò & necessariò commouerentur, quemadmodum ab his animalibus, & Senioribus factum legimus, qui abiectis suis coronis ante thronum, in hanc erumpunt hymnologiam: *Dignus es, Domine, accipere gloriam & honorem, & virtutem, quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam sunt, & creata sunt.*

Seniores 24. circa thronum

3. Reg. 10.

His hactenus expeditis, superest deinceps, vt ad quintum nunc caput progredientes, quę porrò in consequente visione perāguntur mysteria, qua licet breuitate, Christi ope discutiamus.

IN CAPVT QVINTVM.

ET vidi in dextera sedentis super thronum, librum scriptum intus & in tergo, signatum sigillis septem. &c.

Permulta nobis in hac visione describuntur mysteria, non minùs insignia, quàm satis per se etiam luculenta: vt nihil sit opus, quur singulis explicandis curiosiùs inhæreamus. Tantùm quæ præcipui videbuntur momenti, nobis, in tanta hac támq; felici doctorum interpretū copia, obiter delibâsse sat fuerit. Summa verò totius visionis huc redit denique, vt intelligamus, quis ille sit, cui omnes ascribendæ sint partes totius redemptionis nostræ, gloriæ, & felicitatis. Quot quantáque partā nobis beneficia ex Christo charissimo redemptore, patrono singulari, principe vno omnium opt. Max. nobis accepta debeamus: Contráque quàm miserè ageretur cum vniuerso mortalium genere, nisi rebus vndique perditis & desperatis beatissimus vnus hic succurrisset Agnus: quantum polleat persōnæ huius dignitas, autoritásque apud patrem cœlestem, quid apud eundem efficiat, imo quid non efficiat agnus hic occisus. Breuiter, vt rem verbo expediam, si quid in cœlo nobis transigendum, si quid à Deo vsquam expetendum, aut obtinendum sit, hinc constare poterit, nusquam dilucidiùs, quo nobis

Summa totius 5. capitis.

Christi beneficia, officia, &c.

nobis patrono, quo proxeneta vtendum, cuius nitendum sit ope præsidiaria. Quacunque re egeat tua necessitas, nisi Christus adhibeatur, nisi eius te fides muniat, frustra cum Deo agas. Quin neque hic ipse insuper Christus quicquam tibi profuerit, nisi mortuus pro te fuisset, suóque sanguine viam tibi ad paternam gratiam aperuisset. Quæ omnia clarissime nobis in huius visionis contemplatione elucent.

Principio librum vides in dextera Dei intus forisque perscriptum, eúmque fortissimè occlusum, sigillis 7. obsignatum, quem nulla vis vel angelorum, vel sanctissimorum hominum resignare valuit. Quid ita obsecro? Audi respondentem fortissima voce Angelum: *Quia*, inquit, *dignus nemo repertus est, neque in cœlo, neque in terra, neque subter terram, qui aperiret librum, atque aspiceret illum, solueréque signacula eius. &c.* Vnde res in eam deducta videbatur desperationem, vt abiecta omni spe prorsus aperiendi, non potuerit præ dolore pius Propheta sibi à lachrymis temperare. *Et ego flebam multum, &c.* Sed bene habet, rebus in hunc modum deploratis, affulget mox lætioris nuncij serenitas. Vt vt enim res omnem humanam spem exire videbatur, apud Deum tamen, cui nihil impossibile, inuentus vnus est, inter cæteros omnes indignos, dignus satis atque idoneus, qui rem perficiat. Quisnam autem is fuerit, ex concione illius audiemus, qui vnus de numero Seniorum missus ad Ioannem consolandi gratia, faustum ei euangeliũ annunciat, ac lachrymas sistere iubet.

Fletus prophetæ.

Ne fleueris, inquiens, *ecce vicit Leo de tribu Iuda, radix Dauid, vt aperiat librum, & soluat septem signacula eius, &c.* Sic solet in rebus mortalium ludere diuina prouidentia. Post duras lachrymas, & casus asperiores, vbi omnia iam desperata & conclamata videantur, ibi potentiam suam exerit Deus, nouáque refocillatione, ac insperata salute spes suorum collapsas erigit, animos consolatur. Sic postquam diuturna legis asperitate, mundum satis sibi subegerit, spem omnem vitæ ademisset mortalibus: nouo rursus Euangelij fœdere mentes deiectas, præter omnem spem, meritáque hominum, incredibili sua pietate reficit. Nec aliter res habet in præsenti instituto. Postquam enim perlustratis omnibus spiritibus & creaturis, in cœlo & in terra, digna nulla inuenta esset persona, quæ librum attingeret, nihilque reliquum spei videbatur, at singulari tamen Dei dono, non deerat huic malo remedium, vnúsque inter omnes repertus est Agnus occisus, idémq; simul Leo inuictus de tribu Iuda, qui aditum habeat ad patrem, cæteris quibuscunque exclusis creaturis & personis, siue visibilibus, siue inuisibilibus. Quod autem agnus dicitur, id humilitati eius tribuitur, qua se paternæ voluntati ad mortem subijcit. Quòd Leo est, id diuinam, atque inuictam eius potentiam notat, qua expoliatos principatus ac potestates sibi ipsi subijcit, triumphans de illis per semetipsum. Quòd igitur Leo est, vincit ac triumphat. Quòd agnus est, accipit librum atque aperit. Sic enim legimus: *Et ecce in medio throni, animalium & seniorum, agnus stans, tanquam occisus, habens cornua septem, & oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei, missi in omnem terram. Et accepit de dextera sedentis in throno librum, aperitque signacula eius, &c.* Age, & quur vt agnus aperire dicitur, ac non vt Leo potius? quur etiam tanquam occisus producitur? Agno enim quid humilius, quid infirmius? Deinde qui occisus est, quid quæso præstare poterit?

Deus in rebus maximè deploratis, prõptissimus adiutor.

Agnus.

Leo. Coloss. 2.

In promptu responsio est. Vtrunque in Christo spectemus, agnum, & Leonẽ. Primùm, iuxta externam carnis speciem, agnum foris exhibet, quem omnes vbique populi vident ac iudicant. Neque enim mundus aliter Christum intuetur, nisi vt imbecillem quendam, vnúmque de media plebe gregarium homunculum, quem omnes foris vident, in infirmitate occisum, ac proinde parui faciunt. Cęterùm quid intus lateat sub agnina hac infirmitate, non perinde omnes intelligunt, nec ita multi perpendunt, nec vlla in re magis fallitur mundi iudicium. Nec mirum, quum nihil sit

Christum perpauci rectè norunt.

hil sit Christo abstrusius, nulla scientiæ ratio à carne & sanguine remotior, quàm hæc, quæ de Christo Philosophatur. Occisus est quidem vt agnus. Verùm secundum hominis speciem quidem infirmus, at innocens tamen. Ita enim postulabat redemptionis nostræ dispensatio. At idem, sub agno hoc infirmo, Leonem quantum tegit, inuictissimo robore quàm formadibilem? vis videre, sub tantillo agno, quantus Leo lateat? Nemo meliùs dicet, quàm ipsa prophetarum lectio. Aspeximus, inquit, nec erat ei forma, neque decor, cur desideraremus eum. Despectus nobis visus est, & reiectus inter viros, vir dolorum, & expertus infirmitatem, & quasi abscondens faciem à nobis, contemptus, ita vt nihili eum penderemus. Et nos reputauimus eum cæsum & percussum à Deo, atque afflictum.

Christo nihil abstrusius, aut à ratione humana remotius.

Esay. 53. Christus agnus.

Atque hactenus agnum vides satis, credò, simplicem & despicabilem. Nunc vicissim, sub agnina hac humilitate, Leonem specta omni humana sublimitate superiorem. Ita enim apud eundem prophetam mox subsequitur: Et tamen infirmitates nostras ipse portauit, & dolores nostros ipse sustinuit. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, & attritus propter scelera nostra, fuitque castigatio pacis nostræ super eum, & in liuore eius sit curatio nobis, &c. Rursusque alibi: Dic ciuitatibus Iudæ, ecce Deus vester, ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur. Ecce merces eius cum eo. Sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos &c. Quin & alibi iterum eundem amplius admirantem prophetam accipe. Quis est iste, inquit, qui venit de Aedom rubescente vestitu, honoratus in vestimento suo, incedens in multitudine fortitudinis suæ, &c? Breuiter, an scire vis in agnina hac humilitate, quanta vis Leonini roboris, quanta excellentia lateat plusquam regiæ maiestatis? vel ex nominibus ipsis cognoscito, quibus apud eundem prophetam describitur. Et factus est, inquit, principatus super humerum eius, vocatúmque est nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater æternitatis, princeps pacis, amplitudo principatus eius & pacis nullo fine terminabitur. Super solium Dauid & super regnum eius, (sedebit) vt stabiliat ipsum in iudicio & iustitia exhinc & vsque in seculum &c.

Esai. 53.

Esai. 40. Christus Leo.

Esai. 63.

Esai. 9.

Regia Christi maiestas apud Esaiam. cap. 9.

Quid cæteros recenseam? quum nullus sit omnium prophetarum, qui stupendam huius principis maiestatem non maximo concentu concelebret? In quibus Ieremias inter alia non pauca, quæ de Christo concinit, ita habet: In diebus illis, & in tempore illo, germinare faciam Dauid germen iustitiæ, & faciet iudicium & iustitiam in terra. In diebus illis saluabitur Iuda, & Ierusalem habitabit confidenter, & hoc est, quod vocabit eum, dominus iustitia nostra. Et mox: Sic dicit Dominus, non succidetur de Dauid, vir sedens super solium domus Israel, &c.

Ieremi. 33.

Nec minùs Ezechiel testificans de regia principis huius excellentia: Et erit, inquit, seruus meus Dauid rex super eos, & pastor vnus erit omnium eorum. Et iterum: Et erit Dauid seruus meus princeps eorum in perpetuum. Et ego percutiam cum eis fœdus pacis, fœdus perpetuum erit cum ipsis. &c.

Ezech. 37.

Adiungamus his porrò, quæ apud Danielem cap. 2. inducuntur de immensa illa statua aurea, argentea, ænea, & ferrea, in quam lapis sine manibus de monte insilijt, pedésque eius partim ferreos, partim testaceos comminuit ac dissipauit. Quo factum est, vt percussu lapidis contrita & comminuta pariter ferrum, testa, æs, argentum & aurum, redacta tandem in nihilum, velut palea & fauilla cum vento euanuerunt. Lapis verò ipse accreuit in montem immensum, adeóque orbem occupauit vniuersum. Quid statua hæc, quæso, designat, nisi regna huius mundi, atque in his quatuor præcipuè Monarchias? Lapis verò sine manibus de monte desiliens quid innuit aliud, quàm potentissimum filij regnum, quod Deus cœli, teste Daniele, solus sine omni humana opera, excuscitabit: quod non corrumpetur in secula, quódque regnum populo alieno non permittetur?

Statua aurea. Daniel. 2. Lapis de monte sine manibus.

Statuæ, significatio apud Danielem.

Ipsum verò comminuet & consumet omnia regna ista, stabitq; in secula, &c.

Quid multis? De rege hoc, eiúsque regno stabili & æterno, plena sunt Psalmorum & Prophetarum omnium vaticinia, qui nec de regno solùm, sed de morte etiam & afflictione priùs subeunda, apertissimis oraculis prænunciant. Sic in Psalmo mystico: lapis primùm repudiatus ac reiectus ab ædificantibus contemptui habetur. Postea verò, idem ipse lapis ἀκρογωνιαῖος in caput anguli ostenditur. Itidem & Zacharias vtramq; in Christo formam & serui & domini, pauperis & regis, deprædicans, hisce verbis Syonem alloquitur, & exultare iubet: Iubila, inquit, filia Hierusalem, ecce rex tuus adueniet tibi iustus & saluator. Atque hactenus de regali eius gloria: contra nunc accipe serui formam depressam ac humilem, ita enim subijcit: humilis ipse, inquit, & pauper asino insidens, &c.

Psal. 117.

Zacha. cap. 1.

Rex pauper. Rex glorioſus. Rex ſeruator.

Mira profectò res & inaudita. Si rex sit, quomodo pauper? Si miser, quomodo glorioſus? si agnus, quomodo Leo? Si aliorum succumbens tyrannidi, quo pacto seruator ipse aliorum? Hæc inter se pugnantia qua tandem ratione conuenient? Nihil facilius: quum nulla alia ratione expediri potuit redemptionis nostræ mysterium. Vrgebant enim iustitiam diuinam scelera nostra, cuius iudicio satisfactum quoquo modo oportuit. Vnde, aut nobis necessario moriendum, aut illi pro nobis litandum erat. Iam verò cùm nullum constet sacrificium pro peccatis absque sanguine, nec mori ille potuit, nisi in infirmitate, ideò voluit Dominus conterere eum in infirmitate, vt dependeret ille pro peccatis nostris, qui peccatum non nouit, sicútque ouis ad occisionem duceretur, quasi agnus coram tondente se obmutescens, & non aperiens os suum. Atque hîc agnum vides, agnique occisionem atque infirmitatem intelligis, quæ tamen occisio diuturna non fuit, sed tantum triduana.

Pugnantium rerum conciliatio.

Sine sanguine non fit remissio peccatorum. Hebr. 9.

Esai. 53.

Nunc quid indè consequutum sit vicissim specta. Quæ quantáque bona beatissimus hic agnus nobis sua morte peperit, aduerte, simúlque quantus Leo sub agno hoc tegitur, intellige. Primùm ad mortem agni innocentissimi, conscinditur medium templi velum. Sol medio ferè meridie obtenebratur, comparent è tumulis mortui, interstitium maceriæ diruitur, dilaceratur serpentis caput, potestas legis accusatoria eneruatur, chirographum aduersus nos scriptum in decretis expungitur, ac cruci affigitur, concidit vis peccati & mortis, venia laborantibus conscientijs, vita desperatis, libertas captiuis restituitur. Expoliantur principatus & potestates, inuersa scena rerum humanarum atque diuinarum, ima summis, summa imis commutantur. Vetera exoluerunt, noua facta sunt omnia, nouum cœlum, noua terra. Placatur ira patris, cœli regnum repanditur, pax conciliatur, confirmatur gratia, pacificantur denique omnia, & quæ in cœlo sunt, & quæ in terra. Adde, quòd liber hic cœlestium arcanorum, tot obsignatus signaculis, quem tot retro seculis nemo vnquam contrectare vel dignus, vel ausus fuerit, de dextera sedentis in throno, ab agno nunc occiso arripitur, euoluitur, nobísque omnium indignissimis communicatur. Et quis omnia aut verbis consequi, aut fide complecti poterit, quanta, & quam infinita commoda, quantas opes & victorias agnus hic occisus sanguine suo nobis conciliauit? Quanta denique Leonis huius validissimi vis, seruandique potentia existit erga omnes, qui fide eum colunt atque agnoscunt? Quid enim non possit nunc ille, cui in manu omnis est potestas in cœlo & in terra, cui traditum sit omne iudicium, qui imperium possidet vitæ & necis, qui solus pro officio sibi addicto peccata diluit, criminis nexu obligatos eximit, sententia implicatos absoluit, mortuos in vitam resuscitat quos lubet, resuscitatis vitam æternam irrogat. Sic enim ex eo ipso audimus. Et ego, inquit, resuscitabo eum in nouissimo die, vt nulla iam superſit vitæ restituendæ spes alia, nisi in hoc Seruatore posita.

Humilis mors Christi quot, quantáque bona orbi peperit. Immensa, innumera Christi seruatoris beneficia. Ephe. 2.

Esai 65. Coloss. 1.

Apoc. 5.

Ioan. 6.

Vtcun-

Vtcunque mundus de Christo tenuiter sentiat, hunc ipsum fide adeat, ab eo petat accipiátque necesse est, quisquis salutem impetratam velit. Tot annis iam cum Turcis belligeramur, & vincimur. Quid ita? quia Leonem hunc victorem in castra nobiscum non ferimus, aut certè eius solùm præsidio minùs innitimur. De salute tam multa docemus ac scribimus, & tamen quàm non multos reperias, qui summam salutis suæ simpliciter huic soli commendet Seruatori. Videat proinde Rom. pontifex eiúsque stipatores, qui tot nobis idola in templis erigunt, tot præsidiarios in cœlo aduocatos, tot diuos ac diuas, mediatores & mediatrices insulciunt, vt Christi nomen, eiúsque fides hodiè minima penè portio sit nostræ doctrinæ & professionis. Quòd si enim verum id (quod fatendum est) statuamus, sanguine occisi agni huius semel effuso, omnia iam antè pacificata esse in cœlo & in terra, ijs qui in eum credunt. Quorsum igitur attinet commentitium hoc figmentum ignis purgatorij, nisi vt vim Dominicę expiationis elidat atq; eludat? Quid etenim retulerit admodum, pacificata esse nobis omnia in cœlo & in terra, si nondum litatum sit pro ijs delictis, quæ sub terra luenda sunt in Purgatorio? Idem dicendum de Missarum sacrificijs expiatorijs, de operum meritis, & satisfactione, de indulgentiarum prostitutione, de cultu Diuorum, de peregrinationibus, defunctorum exequijs, de votis suscipiendis & ordinum regulis, de decretis obligatorijs, de iustitia propria, seu inhærente: præter alia id genus innumera. Quæ omnia non alio ex errore proseminata in ecclesiam profluxisse videntur, quàm quod Christi Domini nostri vis, ac potestas sempiterna, maiestas, officium, imperium, beneficia, nondum satis perspecta perpensáque plærisque videantur.

Ratio, cur à Turcis ita vincimur.

Absurda pontificis instituta

Contra purgatorium.

Missarum sacrificia expiatoria.

Pontificiæ religionis impietas.

Beneficia, officia Christi non satis a plærisque perpensa.

Quòd si verò nullus toto cœlo aut terra dignus inueniri potuit, vt librum, quem dicimus, acciperet atque aperiret, præter vnicum hunc agnum, eúmque occisum: quid isti igitur facient suffragatores, quos tanto studio nobis in cœlo aduocatos comparamus? quæ tanta eorum dignitas reperietur, vt causam nostram suo patrocinio apud Deum sustineant? iram illius auertant, fauorem concilient, sic denique in consilia summi numinis admittantur, vt quisquam eorum referre nobis queat, quid crastino die futurum sit? Agnoscamus itáque diuinam & singularem huius personæ dignitatem, simúlque in hac persona vtramque naturam, nempe cum agnina simplicitate, coniunctam Leoninam potentiam intelligamus. Denique officium illi suum, ita vt par est, integrum permittamus. Non minuamus benefica, vt ipse solus pro sua dignitate, à patre accipiat, quæ nos miselli peccatores, non nisi ab illo, & per illum recipiamus: vt neque cum Iudæis, aut Turcis, semoto Mediatore, agamus vnquam cum Deo: neque cum Pontificijs alios vnquam cum eo aduocatos admisceamus. Solus is cum Mose montem petat, solus à patre legem accipiat, quam nobis deferat. Solus is cum Deo loquatur, quem solum diligit pater. Nos in imo montis consistentes, filium paternæ voluntatis interpretem, quid dicat, audiamus, quod iubet exequamur. Sit is nobis in cœlo, quod in templo fuit oraculum, & propiciatorium. Admoneántque nos veterum rerum exemplaria. In vetere lege semper illud repetitum audimus: Dixit Dominus ad Mosen. Ad populum verò ne verbum quidem æditum vnquam audimus. Atque Moses hic templúmque ipsum, cum vniuerso cultu, apparatu, & propiciatorio oraculari, quid aliud designant, quàm Christum patris vnigenitum? Cuius nisi sola causa fuisset, nunquam æterna illa maiestas eo se demisisset, vt vel Mosen, vel alium quenquã patriarcharum, aut prophetarum verbo dignaretur: nec fœdus vnquam cum humano genere, post Adami labem, pepegisset. Itidem neque hunc ipsum reuelationis librum quisquam vnquam aperuisset, nisi solus interuenisset, qui solus est in sinu patris. Tam charum habet ille filium, vt nihil ei denegare velit, nihil eius causa non facturus sit, nec quisquam tam grauis peccator quem non

Præter christum, omnes in cœlo aduocati muti & inutiles.

Aduocati in cœlo nulli admittendi præter christum.

Exod. 24.

Christus solus Dei oraculum & propitiatorium.

Christus solus sanctus & charus patri.

recipiat in gratiam ad asylum filij confugientem, imo quem non Christus ipse, pro potestate sibi data liberare & possit, & velit. Extra hunc nemo tam iustus, quem non Deus summa detestetur execratione.

Breuis & salubris admonitio.

Quæ quum ita sint, quid est quod vel ego admoneam rectiùs, vel quod piæ mentes, salubriùs edoceantur, quàm vt agnita sua cuiúsque indignitate, in hunc vnum omnes intendamus oculos, totos nos in hunc conijciamus, huic cum senioribus, & quatuor animalibus omnes procumbamus, proiectísque gloriæ nostræ coronis ad pedes agni, hunc solùm summa gratitudine, dignáque meritis eius veneratione perpetuo prosequamur.

Canticum Seniorum.

Quippe qui solus dignus iudicatus est librum accipere & aperire signacula eius: Quoniam occisus est pro nobis, redemítque nos in sanguine suo ex omni tribu, & lingua & populo, & natione, & fecit nos Deo nostro reges, & sacerdotes, & regnabimus in seculorum aternitates.

Canticum Angelorum.

Sic igitur cum milibus angelorum, consimilis modulatio nostra cum voce ipsa Angelica concinat: *Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem, & diuitias, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam.*

Canticum omnis creaturæ.

Quin neque Angeli solùm, sed omnis etiam creatura, quæ in cœlo est, & quæ supra terram, & sub terra, & in mari, & quæ in eis sunt omnia, laudes decantent, *Sedenti in throno & agno: Cui benedictio, & honor, & gloria, & potestas in secula seculorum. Amen.*

Atque hæc hactenus de benignitate, & immensis beneficijs agni pro nobis occisi. Quæ, quo ampliora existunt, omníque cogitatione nostra superiora, hoc maiore mentes nostras solicitudine afficere debent: primùm vt ineffabilem magnitudinem excellentiæ ipsius suspiciamus. Deinde vt nostram intuentes indignitatem, in eam nos componamus submissionem, vt nos nostráque omnia ipsius imperio subijciamus, voluntati obtemperemus, vitam ad ipsius normam exemplárque attemperemus, vestigijs, quibus præcessit ille, pro virili insequamur. Siue læta, siue tristia immittat, dignos nos illo discipulos exhibeamus cum fide & patientia. Cum omnis ecclesiæ gubernatio, rerúmque administratio Agno sit commendata, nos quod officij sit nostri, præstemus sedulò. Ille, in quo omnis sita sit nostra felicitas, nobis benedicat, manum, pacémque turbulentis ijs temporibus tribuat, fluctus commotos componat, fidémque adaugeat. Amen.

In nomine Iesu omne genu flectatur. Phil. 2.

CAPVT VI.

1. Sigillum.

ET vidi cum aperuisset Agnus vnum de sigillis, & audiui vnum de quatuor animalibus dicens, tanquam vocem tonitrui. Veni & vide. Et vidi, & ecce equus albus, & qui sedebat super eum habebat arcum, & data est ei corona, & exiuit vincens & vt vinceret.

2. Sigillum.

Et cum aperuisset sigillum secundum, audiui secundum animal dicens: veni & vide. Et exiuit alius equus rufus & qui sedebat super illum, datum est ei vt tolleret pacem de terra, & vt inuicem se interficiant, & datus est ei gladius magnus.

3. Sigillum.

Et cum aperuisset sigillum tertium, audiui tertium animal dicens: veni & vide, & vidi, & ecce equus niger & qui sedebat super eum, habebat stateram in manu sua, & audiui vocem in medio quatuor animalium dicentem: Chœnix tritici denario vno, & tres chœnices hordei, denario vno, & vinum & oleum ne laseris.

4. Sigillum.

Et cum aperuisset sigillum quartum, audiui vocem quarti animalis dicentem: veni & vide. Et vidi & ecce equus pallidus, & qui sedebat super eum, nomen illi mors, & infernus sequitur eum. Et data est illis potestas interficiendi super quartam partem terræ, gladio, & fame, & morte, et bestijs terræ.

Et

Et cùm aperuisset sigillum quintum, vidi subter altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium, quod habebant. Et clamabant voce magna dicentes: vsquequò Domine, qui es sanctus & verax, non iudicas & vindicas sanguinem nostrũ de his, qui habitant in terra? Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ, & dictum est illis, vt requiescerent adhuc tempus modicum, donec complerentur conserui eorum, & fratres eorum, qui interficiendi essent, sicut & illi. 5. Sigillum.

Et vidi cùm aperuisset sigillum sextum, et ecce terræmotus magnus factus est, & sol factus est niger tanquam saccus cilicinus, & luna tota facta est sicut sanguis, & stellæ de cœlo ceciderunt super terram, sicut ficus abijcit grossos suos, cùm a vento magno mouetur. Et cœlum recessit sicut liber, qui circumuoluitur, & omnis mons, et insulæ de locis suis motæ sunt. Et reges terræ, & principes, & diuites, & tribuni, & fortes, & omnis seruus, & liber absconderunt se in speluncis & in petris montium. Et dicunt montibus & petris: Cadite super nos, & abscondite nos, a facie sedentis super thronum, & ab ira agni, quoniam venit dies magnus ira illius, & quis poterit stare? 6. Sigillum.

DE libro cœlestium mysteriorum signato abundè dictum arbitror, quem hactenus clausum in sola Dei præscientia, aperire nemo potuerat. Nunc postquam singulari Christi beneficio, liber apertus atque ad nos perlatus sit, restat proindè vt quid libro hoc cõtineatur, religiosa obseruatione inspiciamus. Continentur autem summa consilia, maxima arcanorum mysteria, occulta Dei iudicia, abditáque diuinæ præscientiæ decreta, quibus totius mundi cursus constituitur. Continetur ab initio rerum humanarum ad extremum vsque diem series temporum, exitus & euentus rerum, imperiorum status, regnorum mutationes, rerum gestarum & gerendarum historia, regum motus, & populorum æstus. Continetur diuini verbi ex virgine incarnatio, Diaboli rabies, Antichristi furor, pseudoprophetæ atrocitas, piorum cædes, persequutionum procellæ, lacerationes ecclesiæ, scortum Babylonicum, eiúsque vastitas. Vindex Dei vltio erga impios ecclesiæ hostes, coniectus in vincula Satanas, eiúsque post mille annos solutio, Antichristi descriptio, nomen & numerus bestiæ. Quę omnia etsi iam peracta sint, suisque, vt ita dicam, fatis defuncta: spero tamen non iniucundum fore in libro hoc fatidico, ista iam ante præfinita, ac diuinò decreto delineata contemplari, priusquam euenirent, simúlque ex ijsdem, quæ modò peracta sunt, facilior erit libri elucidatio. Sed accingamur ad mysteria iam ipsa septem sigillorum. Qua de re perlongum fuerit, multiplices interpretum priscorum, simul ac recentium opiniones referre. Quæ, quum non minus innumeræ, quàm inter se varietate discrepantes videantur, tanto maiore animum distrahunt incertitudine. Cùm enim vna ac simplex sit sententiæ veritas, vt singulos sine errore consectemur fieri non potest. Et tamen merita sua laude viri certè boni minimè frustrandi sunt, qui de reconditis huiusce libri mysterijs, pro suo quisque talento, quid possit, experiri non dubitarunt.

Summa rerum sub 7. signaculis contentarum.

7. sigilla.

Interpretum discors varietas.

Atque vt à D. Ambrosio primùm exordiamur si modò genuinus sit Ambrosij liber, quem nuper eius inscriptum nomini, euulgauit Tonstallus (quod falsissimum reperio, cùm liber verè sit Berengij) in hunc modum septem hæc signacula in septem mundi ætates dispartitur, vt primum sigillum iustis illis tribuatur, qui diluuium præcesserunt. Secundum eos attingat, qui à diluuio ante legem vixerunt. Tertio hi notantur, qui sub lege continebantur legis doctores. In quarto, prophetæ intelliguntur, qui populo peccanti prædicabant, quòd in rapinã, & gladium & perditionem darentur, ideóq; equum colorem pallidũ habuisse astruit. Porrò quinti sigilli, sexti & septimi apertio, ad apertionẽ noui testamẽti per-

Ambros. in Apocalyp. visione 3. Ambrosij liber adulterinus.

ti pertinet: ita vt quintum sigillum eos demonstret, qui ex Iudæis crediderant in Christum. Sexti sigilli apertione populus gentilis, septima verò apertione hi designentur, qui in fine mundi, cum Antichristo depugnabunt. Hæc ille.

Augustinus, quique cum sequuntur, longè secus interpretantur. Quorum sententia huc spectat, vt prophetica sigillorum solutio non, vt perhibet Ambrosius, ab origine ducatur, nec vniuersalem mundi historiam describat, sed tantùm ad spiritualem statum ecclesiæ, à prima Apostolorum prædicatione, restringatur. Sic enim Augustinus non sine magno multorum consensu. Equus, inquit, Albus ecclesia est: sessor eius Christus: Arcus, quem manu tenet, præcepta eius sunt, quæ velut sagittæ acutæ ad profligandā peccata, & excitanda fidelium corda diriguntur. Corona in capite, promissio vitæ æternæ est. Secundò, Equus rufus populum malum: eiusque sessor Diabolum sanguinolentum demonstrat. Quòd datus sit ei gladius ad tollendam de terra pacem, eo significatur, quòd suadente Satana, homines mali lites inter se & discordias mortiferas excitare non desistunt. Tertiò, Equus niger, populus sinister Satanæ consentiens. Stateram ideo habet in manu, quia mali fingunt se libram iusticiæ in manu tenere, & multos decipiunt. In tritico & hordeo, tota ecclesia intelligitur, in præpositis & in populis. Quartò, Equus pallidus homines mali sunt, qui sessore Diabolo persequutiones excitare minimè desinunt. Quæ si vera sit interpretatio, iuxta Augustinianam tropologiam, ita fiet, vt tres equi posteriores vnam eandemq; rem declarent, populum scilicet malum & sinistrum. Vnúmq; simul sessorem habeant Diabolū, qui tribus ijsdem equis insideat. Cæterum hic sensus plus nimio forsan allegoricus, etsi concedi aliquo modo possit, nihilque vero repugnet: tamen an proprie cum mente huius vaticinij conueniat, nonnihil hæreo.

August. in Apocalyp.

Primasius non multum ab Augustino recedens: Equus inquit, albus ecclesia intelligitur, in Apostolis & prædicatoribus verbi, cui insidet Christus. Secundò, equus rufus est spiritus contrarius, ecclesiæ victrici repugnans. Tertiò, equus niger cum statera dolosa, falsos simulatores denotat. Quartò, equus pallidus, interfector, pallore mortem denuncians. Quatuor itaque sunt equi, quorum primò tres reliqui opponuntur. Rufus cum gladio bellum: niger cum dolosa statera, suo nigrore famem: pallidus suo pallore mortem & bestias feras subindicat.

Primasius.

Nec multum ab hoc choro dissonat Haymo & Beda. Equus, inquiunt, albus est sancta ecclesia, à peccato mundata per baptismum & Christi passionem, cui insidet Dominus ipse ecclesiæ victor. Secundus equus rufus, omne corpus Diaboli & reproborum cœtus, ex sessore Dæmone sanguinolentus. Tertius equus niger, idem corpus Diaboli: Addit Beda, quo falsorum caterua fratrum repræsentatur, qui stateram rectæ professionis habentes, per opera tenebrarum socios lædunt. Quartus equus pallidus idem cœtus est malignorum, vel vt Beda, hæretici, qui se Catholicorum nomine palliant. Pergit Haymo, quintum sigillum animæ sunt interfectorum, sub altari, i. patres vtriusque testamenti. Sextum sigillum persecutio Antichristi, &c. Aretas Græcus interpretes in primo sigillo vtcunque confluere cum superioribus videtur, in reliquis non perindè conuenit, nescio in quas peregrinas allegorias sese implicans.

Haymo. Beda.

Aretas.

Aquinas nihilo minùs & ipse, omnia vertens in allegorias, septima hæc sigilla ita distinguit, vt prima quinque signacula respiciant statum ecclesiæ præsentem, & præteritum. Duo sequentia pertineant ad futurum. Et rursus prima illa quinque sic distinguit, vt primum sigillum pertineat ad primam ædificationem ecclesiæ tempore Christi, & Apostolorum. Secundum sigillum pertineat ad ædificatorum fidelium tribulationem, tempore Martyrum. Tertium sigillum pertineat ad fidelium tribulationem, tempore hæreticorum.

Aquinas.

Quartum

Quartum sigillum, tempore falsorum fratrum. Quintum sigillum ad tribulatorum consolationem. Item, per quatuor animalia, possunt intelligi quatuor euangelistæ excitantes ecclesiam, cuius typum gerit Iohannes: vel quatuor, vt ait, prædicatorum ordines. Sextum sigillum tribulatio est ecclesiæ, sub tempore Antichristi. Quod tam verum mihi videtur, quàm illud, quod mox in eodem capite, de regibus terræ, de principibus, de tribunis & diuitibus positum, ad prælatos ecclesię per allegoriam accommodat. Prælati, inquit, intelliguntur secundum triplicem gradum, vel in alto gradu, vel in altiori, vel in altissimo. Si in altissimo, sunt reges terræ, vt pontifices, Primates, Archiepiscopi. Si in altiori sunt, ita principes terræ, vt Episcopi, prælati. Si in alto, ita sunt tribuni, vt Archidiaconi, Archipresbyteri, Sacerdotes curati. Futilis Thomæ allegorismus.

Audiamus iam Rupertum, qui à cæteris plærisque discrepans, septem huius libri signacula, per allegoriam, deflectit ad totidem eiusdem agni Iesu Christi mysteria: scilicet eius incarnationem, passionem, resurrectionem, ascensionem, spiritus sancti effusionem, gentium vocationem, & seculi consummationem. Rupertus.

Propiùs accedo ad recentiora nostrorum hominum tempora, quorum vt singulas nominatim τὰς γνώμας percenseam, nec opus arbitror, nec modus patitur præsentis commentarij. Ex vno, aut altero, reliquos magna ex parte spectandos proponemus. Augustl. Marloratus in locum hunc commentans, non tam sua profert, quàm aliena citat, in quo vno multorum opiniones addiscere licebit. Eius interpretatio in hunc ferè habet modum. Equus albus Apostolos, pastores, & omnes fidos verbi administros adūbrat, quibus Christus, velut equis vtitur in spirituali illo certamine. Secundus Equus rufus in sigillo, duos significat Satanæ ministros, sæuos tyrannos, & ecclesiæ persequutores, qui sanguine sanctorum nunquam exatiantur, sed semper cædes & minas spirant, omnia pro arbitrio agentes, & securè deliciantes, quibus sessor ipse præest Satan. Tertius Equus niger in tertio sigillo, denotat omnes impostores, hæreticos, pseudoapostolos & Satanæ operarios. Quartus pallidus in quarto sigillo, describit hypocritas, & simulatos Christianos, qui pietate vacui, pietatis nihilo minùs speciem præ se ferunt. Augustl. Marloratus. Sebast. Meyr. Petrus viretus, &c. 1. Equus. 2. Equus. 3. Equus. 4. Equus.

Deinceps ex commentarijs, quæ Henr. Bullingerus & Theo. Bibliander, de quatuor his equis, eorúmque τοῖς ἱππεῦσι adnotarunt, liceat nonnulla attexere, sed paucis. Per equum album significatur, inquit ille, felix verbi Dei propagatio. Qui agit hunc equum, & arcum habet, Christus est. Cuius auspicijs cursus Euangelij instituitur ad annos maximè 500. Contrà, aperto secundo sigillo, prosilit equus rufus, quo significatur bellorum cursus, igne & cruore fœdus. Insidet huic equo Mars seu inauspicatus Dæmon, mendaciorum pater, cui ingens committitur gladius, quo profligata pace homines inter se committat, bella scelerata excscitet. Cuiusmodi bellis miserrimè concussas res mortalium iam dudum ex historijs aduertimus. Sic Iudaicus populus, sic Romani Imperatores, ob spretum Euangelium implicati grauissimis bellis dissipantur. Sic Roma à Westgotthis capta, ab Estogotthis vastata est. Hinc post annum millesimum exortum est bellum sæcum, &c. Subsequitur dehinc equus tertius, & quartus: ille niger, hic pallidus: cuius prioris sessor, malignus ille, trutinam cum ponderibus manu præferens, dimensum tritici vnum, & hordei tres chœnices denario vno metitur. Quo significatur insignis fames, & alimenti inopia. Alterius equi ductor mors est, morbo & gladio omnia peste funestans, &c. Bullingerus hic etsi à Bibliandro adiutum se in multis fatetur, in his tamen sigillorum mysterijs, non nihil inter eos interesse video. Henri. Bullingerus. Bibliander. Equus albus. Equus rufus. Equus niger. Equus pallidus.

Sic enim Babliander eadem hæc sigilla in totidem temporum discrimina distinguens: primum refert ad primam ætatem vsque ad diluuium. In iis sigillis equi, inquit, producuntur discolores, qua figura ostenditur seculorum semper in deterius vergens conditio. In equo niueo Dominus ipse inequitat, arcu Theod. Bibliander. Prima ætas iuxta Babliandrum.

& iaculis communitus, qui coronam victoriæ, contra spirituales nequitias depugnans reportauit, semperque reportabit. Etsi enim modus administrationis, formulaque docendi immutata sit, tamen quod ad rationem ipsam attinet victoriæ & salutis, nulla cernitur distantia, inter primos homines, & postremos, quum vna omnium & salus, & salutis causa existat, in eo quippe consistens, vt homines donum Dei amplectantur gratuitum, quod per Christum mundo offertur, simúlque ea exequantur, quæ diuinæ sunt voluntatis. Sequitur dehinc secundæ ætatis dimensio, quæ à diluuio ad Mosen se porrigens, annos 800. com-
2. Aetas. plectitur demptis 8. annis. Proxima porrò ætas, quæ tertio aperitur sigillo,
3. Aetas. spacium continet, quod à Mose ad Christum distenditur. Vnde hæc colligitur annorum supputatio, vt sigillum primum ab origine mundi, ad diluuium,
4. Aetas. annos contineat 1656. Secundum 792. Tertium a Mose videlicet ad natalem Domini 1530. Quartum verò, si a dominica natiuitate numeremus, annos habet 321. Sin à baptismo Christi, siue à nece Iohannis, anni aguntur plus minùs 296. quo tempore sæuijt acerrima illa in Christianos persecutio, eóque mors pallida quarto insidens equo educitur, durátque eius equi cursus, ad pacem per Constanti-
5. Aetas. num restitutam. Quintum ab hoc tempore restitutæ pacis, vlterius se porrigit, ad annum à Dominica incarnatione 763. Quo tempore, Imperante Phoca
Phocas parricida. parricida, Bonifacius primatum ecclesiæ vniuersalis obtinuit. Simúlque sub i-
Bonifacius pap. Mahumet dem tempus emersit primùm in lucem nefandus ille Mahumet. Itaque totum
6. Aetas. illud temporis curriculum, post initia Bonifacij & mahumeti, ad sigillum sex-
An. 12. Pipini tum pertinet, incipiens ab anno Dominici partus, ad 12. annum Pipini, qui
7. Aetas. primum patricius Romanus, posteà Stephani decreto Gallorum rex, ac demum Imperator designatus est. Durátque hic temporis fluxus ad concilium constantiense, & Basilienſe. Ex quo demum incipit septimi sigilli solutio, durans ad seculi consummationem. Atquè hactenus Bibliander.

Minimè prætereundus in hac classe Lambertus, cuius in hunc modum habet
Franc. Lambertus. enarratio. Primi sigilli apertio initium habuit à Christo passo, quando Apo-
1 stoli, effuso in eos spiritu sancto, in mundum emittebantur, vt D. Iesum con-
Equus albus. 1. sigillum. stanti prædicatione, & veloci cursu in omnes populos perferrent, Per eum qui in albo vehitur equo, Christus figuratur. Arcus cum iaculis verbum Domini est.
2 Secundus equus rufus typum gerit eorũ, qui sanctos passim occidebant, tyrannos
Equus rufus. 2. sigillum. nimirum & filios superbiæ. Atq; vt primũ sigillum apostolorũ diebus conueniebat: ita secundum hoc sigillum de tempore, quod Apostolos mox subsequebatur, in primis intelligendum videtur. Sublatis enim è medio Apostolis, cum primis illis discipulis, in sanctos deinde martyres & confessores, à quibus damnabantur errores, excitata est persecutio. Pax sublata de terra. Quæ pax? Spiritualis interna, an externa? Gladius ingens datus. Cui datus? Satanæ. A quo datus? haud dubium quin à diuini consilij decreto.

3 Tertius equus niger refert cohortem seductorum, pseudoprophetarum, impo-
Equus niger 3. sigillum. storum, falsorum fratrum. Postquam enim finem habuit tyrannorum sæuissima
Sessor. persecutio, increbuerunt mox sectæ & hæreses. Sessor equi nigri Satan.
Statera. Statera in manu, non dubium quin dolosa, id est, mendax, & reprobum iu-
Chœnix. dicium, peruersa & subdola scripturarum interpretatio. Chœnix mensura est,
Triticum. aut pondus, sed pondus potius. Quid enim mensura cum statera? Tri-
Hordeum. ticum typus est noui Testamenti, hordeum, veteris. *Vinum & oleum ne laseris.*
Vinum. Sermo Dei & vinum est & oleum. Vinum quo confirmantur corda cre-
Oleum. dentium. Oleum quo demulcentur & leniuntur mentium acerbitates.

4 Quartus, excisis, saltem quod ad publicam assertionem attinet, variis
Equus quartus pallidus 4. sigillum. hæreticorum molitionibus, videbatur pax esse nonnulla, & lux ecclesiæ reddita, sed perexigua fuit ex his turbis respiratio. Eruperunt protinus to-

to

to orbe perditionis sectæ, & velut arena maris, populus multus adhæsit illis. In primis Mahumetus vniuersam propè Asiam post se traheris. Sequitur deinde in Europa papatus, & Antichristi longe latéque se diffundens factio. Antichristi enim merito dicuntur, quotquot sub pietatis nomine, Christo & pietati aduersantur. Huiusmodi hypocritas scitè nobis describit equus pallidus. Atque hic quatuor potissimùm modis ecclesiam infestans, gladio, fame, peste, bestijs terræ. Gladius est mendax doctrina, fames defectus sermonum vitæ, pestis dogma peruersum, Bestiæ carnales Euangelij hostes, & ventris animalia, hique potestatem habent super quartam partem terræ, atque mysterium huius symboli in hunc vsque diem perdurat. Hæc Franciscus Lambertus.

Mahumatissmus, papismus cum suis sectis

Gladius.
Fames.
Pestis.
Bestiæ terræ.

Post Lambertum, & Henri. Bullingerum, complures item alios recentior nostra hæc memoria, in sacram hanc Apocalypsin scriptores genuit, cæterum inter hos tam multos, nulli meo quidem iudicio doctius, aut dexterius hanc scripturæ partem obierunt, quàm Da. Chytræus, Bened. Aretius Bernensis, & Guil. Fulco, quem inter doctores Anglos mihi charissimum, non tam amoris, aut notitiæ causa, quàm honoris hic commemoro, qui vt splendidè grauiter & diserte multa in propheticam hanc Apocalypsin, pro singulari illa, qua pollent, eruditione edisseruerunt, ita in hac scripturæ parte, haud multum dissimili interpretatione inter se conueniunt, de reseratione sigillorum, & equorum varietate ita ratiocinantes, vt primi equi candore, felix euangelicæ doctrinæ propagatio intelligatur, qua Christus rex ecclesiæ, corona, arcu, & sagittis, tanquam gladio oris sui armatus, totius mundi potentiam diabolos, mortem & infernum vincit, & dominatur in medio inimicorum suorum. In apertione secundi sigilli, vt fert D. Fulco, peruersum mundi ac Satanæ odium, aduersus Euangelij doctrinam sub Rom. Cæsaribus ad Constantini tempora (addit Aretius ad finem vsque mundi) sub typo equi rufi ostenditur. Ventum est dehinc ad tertij sigilli apertionem. Ex hoc sigillo prosilit equus niger, qui tristitiæ, vt aiunt, materia est. Ideóque equum hunc cum bilance in manu sessoris, Aretius reliquíque cum eo Theologi, constanti consensu ad rerum penuriam accommodant, quæ sæpè ex bello nascitur. Addit D. Fulco hac figura adumbrari statum ecclesiæ, quum, pura euangelij synceritas, animique cibus adulterari cœpit, partim per seductores, partim per traditiones, & ceremonias inutiles. Ex nigro hoc cursore subsequitur deindè equus pallidus, quo mors aduehitur. Atque quartum hoc sigillum cum equo quarto, quidam referunt ad ascensionem Christi in cœlos, alij ad quartum ecclesiæ statum accommodant. Aretius rem aliter interpretatur. Quemadmodum enim post album equum, mundo immittitur Rufus, ex illo postea nascitur niger, hinc pallidus consequitur: Ita ex euangelij doctrina, mundus primùm ad arma prouocatur, hinc nata fames, inde etiam pestis oboritur omnibus seculis. Addit Gul. Fulco pallido hoc equo mortem vehente, significari pestem, gladium, famem, & bestiarum morsus, qualia tempora contigerunt, cum à Gothis, Hunnis, Vandalis, aliisque barbaris populis Rom. imperium vastaretur. Hæc ille.

1. Equus.
1. Sygillum.
2. Equus.
2. Sigil.
D. Fulco.
Aretius.
3. Equus.
3. Sigillum.
D. Fulco.
4. Equus.
4. sigillum.
Aretius.

Exposui hactenus interpretationes quorundam tum veterum, tum recentiorum, nō rectissimè inter se cohærentes: nisi quòd in vno hoc omnes penè congruūt, quòd per Allegorissimum, & sensum Tropologicum, ad statum duntaxat ecclesiæ detorquent, quicquid quatuor his equis emissarijs, in apertione sigillorum designatur. Quod quàm appositè conueniat prophetico instituto, liberum sit candido lectori, in eo abundare suo, vt libet, sensu. Mihi quidem fas non esse fateor, & arbitror, dissilire à tanta illustrium virorum autoritate. Et tamen, si sine præiudicio melioris sententiæ, si pace incolumi, si æqua bonorū venia liceat, nostros hic eicasmos pariter cū eorum calculis, adnectere, dicā, si non quod pari cū illis certet fide, at quod sentio tamen,

Interpretum discors inter se in opinione varietas.

tamen, idque non tam mea aliqua ratione adductus, quàm liquidissima nixus scripturæ autoritate. Ac primùm, vt illud fatear, non me fugit istud, nullo modo fastidiendas esse omnes in scripturis allegorias. Cum satis constet, Christum ipsum sæpius allegorijs vsum. Itidem & Paulus, aliquot superioris Testamenti locos per allegoriam explicat. At vsus hic allegoriarum tum seruit maximè vbi, in exhortando, in consolando, in docendo versatur oratio. In prophetando, non ita propriè luditur allegorijs, aut si in prophetijs vsu ita veniat quandóq;, vt per similium collationem, parabólæ adhibeantur: at non ideo tamen sensus historicus per allegorismos & tropologias euertendus est, præsertim vbi res ipsa ad historias nos mittit, non ad allegorias. Certè similitudo hæc equorum, eorúmque vectores, nullam præ se ferunt collationem cum solo ecclesiæ statu, sed alia quædam tempora, exitusque aliarum rerum designant. Sint itáque ista, ita vt sunt, verissima, quæ prædicant de ecclesia, quæ primùm a Christo feliciter instituta, ab Apostolis deindè, sacríque prædicatoribus dilatata, postea per tyrannos Satanæ ministros, fucatos hypocritas, sectarios, hæreticos, & traditiones inutiles miserè oppugnari cœpit & dilacerari: vt hæc, inquam, vera omnia non negemus, eadem tamen certè non arbitror huius loci esse propria. Id quod nec paucis argumentis, nec obscuris inditijs constare potest, tum maximè, si quis circumstantias ipsas contextus ritè æstimet, atque inter se conferat.

Allegoriæ in scripturis non spernendæ.

Vsus Allegoriarum vbi maxime seruit.

PRIMA CIRCVMSTANTIA.

1. Circumstantia.

PRimum equos vides quatuor, non eiusdem coloris, sed diuersi, nec eodem tempore simul emissos, sed diuersis temporibus, sibi mutuo succedentes. Atque vt diuersi sunt equi, ita ijdem diuersos habeant sessores, vti diximus, necessariò oportebit.

SECVNDA CIRCVMSTANTIA.

2. circumst.

IAm qui ad statum solum ecclesiæ visionem hanc accommodant, quo pacto hanc diuersitatem expeditè distinguent suis locis, personis, & temporibus, scire ab istis velim. Si equum album Christo tribuant, reliquos satanæ deputent, age, & vbi igitur sessores, & successores, quatuor diuersi, equis diuersis, quatuor temporibus diuersis deputati, quum singuli equi singulos sortiantur equisones necesse sit?

TERTIA CIRCVMSTANTIA.

3. circumst.

DEinde, quum Christus ipse sit, qui sigillum aperiat, equúmque producat, vt ipse & equum producat simúlque equo insideat, mihi non fit credibile. Præterea, quum equus, animal sit natura ferox, & militare, quod bellis gerendis seruire soleat, quur Christo equum tribuant, nullam causam video. Cum in scripturis multa tribuuntur epitheta, nusquam eum equo comparatum reperies. Quid Christo regi pacifico cum equitatu, cum arcu, iaculísque bellicis, cum pugnis & victorijs, aut corona triumphali? Quæ si illi allegoricè interpretantur, referúntque per tropologiam, siue anagogiam, ad sensum non historicum, sed ad res solum spirituales, nihil repugno, modò quod in primo hoc equo faciunt, idem in reliquis item equis

Allegoricæ interpretationes in scripturis quatenus admittendæ.

quis, eorúmque ductoribus præstent, nimirum vt pacis subuersionem, hominum stragem, gladium, stateram, denarium, vinum, & oleum, quartam partem hominum morte, pestè, fame, & bestijs extinctam, consimili allegorismo, non historicè aut simpliciter, sed spiritualiter solùm accipiant. Quòd si verò in his dictionibus simplicem solùm historiam spectandam putant, sine aliqua adhibita allegoria, quur non idem in primo etiam equo, & equestri eius apparatu similiter sequendum arbitrentur?

QVARTA CIRCVMSTANTIA.

ACcedit & alia περίστασις, quòd quum liber hic fatidicus, quem agnus nobis aperuit, septem religatus signaculis, summam contineat æternæ præscientiæ & gubernationis, qua ab æterno Dei consilio disponuntur res non vnius modò ætatis, sed totius mundi fata & gubernacula: quæ tot tantásque in toto orbe ciuitatum ruinas, hominum, cædes ordine prosequitur: quúmque maiores inciderunt rerum humanarum perturbationes, anteactis illis seculis, quæ Dominicam incarnationem antecesserunt, multóque grauiores extiterunt bellorum æstus, gentium ac populorum tumultus, ortus & occasus imperiorum, ruinæ rerump. hominum mactationes, pestes, fames, lanienæ, & panalothriæ, equidem nihil video, quum tot tantæque res gestæ superiorum temporum, sine arcano Dei decreto euenire non potuerunt, quur eædem res extra librum hunc arcanorum positæ, nullum haberent, vel in diuina prouidentia locum, vel in Apocalypsi testificationē: præsertim quum liber ipse, non in his modò sed à tergo etiam vndique perscriptus plenissimè, tot abundet signaculis diuersis, quorum singulæ apertiones, nouam quandam & peculiarem diuersissimarum rerum, & temporum historiam contineant. 4. Circumst.

QVINTA CIRCVMSTANTIA.

VT nec illud obiter transiliam, quod cum ex quatuor sigillorum patefactione, totidem producuntur equi varij coloris, varijsque temporibus, ad res turbandas diuino decreto destinati, non potest certè fieri, quin quatuor his caballis, totidem equites necessariò imponamus, ita vt singuli equi, singulos suos sessores ac dominos habeant. Quod quum ita sit, scire velim, qua ratione constare hoc queat cum interpretatione D. Bullingeri, & aliorum qui quatuor ijs equis, duos tantum sessores ascribunt, Christum equo albo imponentes, reliquis tribus Satanam præficientes. 5. Circumst.

SEXTA CIRCVMSTANTIA.

PRæterea, quo ordine istud conueniet, vt Christus & in visione maneat aperiens sigilla septem, simul et idem in prima ipsa apertione, equum primum conscendens, exire priùs videatur ad vincendum, quàm reliqua sigilla aperiantur. Adhæc cum Christum omnes victorem sine controuersia constituamus, tamen quum spiritualis hæc sit victoria illius, quam nobis moriendo, non equitando, sanguine, non phalaris peperit, quid illi cum apparatu militari, quid cum equo albo, quando propheta Esaias non album, sed rubentem potius vestitum Christi admiratur. 6. Circumst. Esai. 63.

Quare,

Quare, inquit, rubrum est vestimentum tuum, et vestimenta tua, sicut calcantium in torculari?

SEPTIMA CIRCVMSTANTIA.

7. Circumst.

SEquitur deinde pax sublata, at vnde quæso? an de ecclesia sola? Minime gentium. Sed de terra, inquit, sine dubio vniuersa intelligens, gladiúsque magnus ei datus, quo homines intestina clade inter se collisi, mutuis concidant vulneribus, quod de Rom. Cæsaribus tempore martyrum haud scio quî possit intelligi (quemadmodum nonnullis placere video) quum prophani illi Cæsares, tempore Martyrum, nimium inter se confœderati, omnem vim suam, atque potestatem solùm aduersus Christi professores comparabant. Quin neque de Westgotthis, neque de œstgotthis, (vt putat Bullingerus) dici hæc posse videntur, à quibus etsi oppugnata & inflammata sit vrbs Roma, at nulla tamen historia hoc indicat, Romanos discordia id temporis diffluentes mutuis inter se cædibus concurrisse. Præterea, etsi pax tum sublata sit ex vrbe Roma, quum à vandalis & externis hostibus appetebatur: non ideò tamen propriè pax sublata de terra, dici possit, quia ex vna vrbe sublata dicitur.

Pax sublata de terra.

OCTAVA CIRCVMSTANTIA.

8. Circumst.

QVod verò ad equum tertium, vocémq; illam attinet in medio quatuor animalium, qua nunciabatur, chœnix tritici denario vno, hordei tres chœnices denario vno: quid de ea re dicam, haud multum habeo, minus quòd contendam. Si quis putet hac statera penuriam significari, haud equidem inficior: modò penuria hæc non rerum, non frumenti, non vini & olei, sed hominum intelligatur. Mihi potius videtur chœnicem hanc tritici, & hordei tres chœnices denario vno, non defectum rei frumentariæ, sed defectum potius hominum, qui bellis exhaurientur, significare. Quorum tanta lues, et strages equum hunc nigrum consequutura ostenditur, vt homines rebus ipsis potius defuturi, quàm vini, olei, cæterarúmque rerum copia hominibus ipsis defectura videatur. Cæterùm de hac vel hominum fame, vel rerum inopia, vt nihil est, quod tueri certò queam, ita minus est, quamobrem doctiorum opinioni libenter reluctari velim. Equidem sic mea fert opinio (quam tamen aliorum rectioribus iudicijs subiicio) vt putem in hac descriptione equorum quatuor, spiritum propheticum nihil aliud prænunciatum voluisse, quam bella, lacerationes, ruinas, horrendas cædes, quæ in regnis huius mundi, principe et autore Satana, in perniciem mortalium euenturæ definiantur. Quæ tamen mala sic accipienda sunt, vt non simul nec eodem tempore omnia incúbant, rursúsque vt non solùm tempora illa respiciant, quæ Christi ortum secuta sunt, sed quæ præcesserunt potius. Habent enim singuli equi suos cursus lætales, et tempora peculiaria, quæ nullo modo confundenda sunt, sed recto ordine proprijs suis metis et periodis distinguenda. Quod nisi fiat, nunquam constabit recta horum sigillorum intelligentia.

Vide. 2. Reg. cap. 7.

Chœnices tres hordei denario vno.

NONA CIRCVMSTANTIA.

Nona circum.

VEnio ad quartum caballum teterrimi et horrendi coloris: pallet enim. Mors aduehitur. Infernus sequitur. Quarta hominum pars extinguitur. Quid funestius? Age, et quo tempore, totam hanc perniciem humano generi inuectam dicemus? Superius à nobis adnotatum est ex Tho. Aquinate et aliis, qui quartum hunc equum referendum existimant, ad tempus peruersorum dogmatum, et falsorum fratrum. Verùm cum huiusmodi hæretici, et pseudofratres inde ab Apostolorum tem-

Equus quartus pallidus. Thom. Aquin.

temporibus semper huc vsque in ecclesia viguerunt, quúmque hi animas hominum inficiunt magis, quàm occidunt corpora, non potest genuinus huius vaticinij sensus proprie in istos cadere. Quis enim, ab hæreticis & falsis fratribus quartam partem hominum occisam audiuit vnquam? Alioqui quo modo equus hic pallidus, nisi ab externa corporum morte intelligetur?

DECIMA CIRCVMSTANTIA.

NEc multum huic dissimile videtur, quod de secundo sigillo commentantur quidam. Nam si verum sit, quod prædicat Thomas, cæterique post eum Theologi, secundum sigillum spectare ad perturbationem ecclesiæ, tempore Martyrum, sub Romanis Cæsaribus, ad Constantini tempora: quæro igitur, quid opus erat in quinto sigillo nouæ & superuacaneæ eiusdem rei repetitione? Nunc quum in quintum sigillum, tota cadat temporum illorum persecutio, & sanguis sanctorum Martyrum, quorum animæ sub sacro altari interquiescere paululum iubentur. Res quidem ipsa seriésque historiæ non patitur, Vt quod proprium sit quinti sigilli, id ad secundum, præposteró ordine transferatur. 10. Circumst. Thomas.

VNDECIMA CIRCVMSTANTIA

COnsimili ratione & ijs respondere licebit, qui singula libri huius sigilla, non nisi ad tempora, quæ Christum subsequebantur, atq; ad statum ecclesiæ, sub tyrannis imperatoribus, sub pseudodoctoribus, sub fucatis hypocritis referenda suspicantur. Quod mihi videtur non consentaneum, hoc maximè argumento, quod cum totus liber hic διεκπαλόλαως; in septem dissecatur visiones, vt ex Beda, Thoma, vnóq; omnium ferè consensu constat, quarum vnaquæq; propriam quandam suam, atq; ab alijs diuersam materiam contineat, certè si in prima hac sigillorum visione, vniuersa ea descripta constent, quæ ad ortum Christi, eiúsque regnum, & victoriã, aut ad vniuersalem ecclesiæ statum pertinent, quæcunq; perpessa sit illa sub persecutoribus, tyrannis, sub hæreticis, falsísque fratribus, nihil erat, quur diuinus propheta, quæ in prima septem sigillorum apertione exposita essent, tam distinctè & accuratè, eadem hæc in sequentibus deinceps visionibus iterum refricanda sibi existimaret. Iam verò cùm in duodecimo capite, incarnatio Christi, eiúsque regnum, ortus, & successus Euangelij, sub victore Christo, inuito Satanæ furore, inuitis inferorum portis, propriè atque amplissimè describantur, quod negari non possit: quorsum attinebat, vt sub equo candido, eadem hæc mysteria omnia priùs depingerentur? Rursùs, quum in reliquis deindè capitibus, propriam habeant tractationem res in ecclesia gestæ, impura dogmata, bicornis bestia, hypocritarum, & fucatorum fratrum pernitiosa caterua, insuper & hostiles contra ecclesiam molitiones, quid quæso absurdi, si ea, quæ in prima aperiuntur visione, non omnia ad statum ecclesiæ, sed ad superiora potius tempora accommodemus? 11. Circumst.

DVODECIMA CIRCVMSTANTIA.

SVbit post hæc & alia notio, inter reliquas circumstantias minimè prætermittenda. Quoniam autem non paucos in hac esse opinione video, vt quatuor equi cum suis sessoribus quatuor, ecclesiæ statum repræsentent, sicq; sessores istos 12. Circumst.

designent, vt equo albo Christus geratur, tribus alteris præsit Satan post Euangelij promulgationem, scire ab istis expeto, qui conuenire hoc possit cum ratione temporum, quum ex hac ipsa Apocalypsi admoneamur, cap. 20. Satanam ipsum per annos mille, catenis obstrictum ita teneri, ne gentes seducat, donec consummentur mille anni. Quod quum ita sit, aut igitur in primitiua ecclesia, ante annos mille, contigit tartarea hæc trium equorum eruptio, ductore Satana. Et quis tũ locus albo relinquetur equo? Aut certè post mille annos, soluto posteà Satana, factum id esse fatendum est. Atqui hoc tempus non diuturnum, sed modicum ei fore, in eadem hac scriptura prophetica, promittitur. Et post hoc, inquit, solui eum oportet modico tempore. &c.

Apoc. 20.

Interpretatio quatuor equorum, iuxta sensum Danielis, de quatuor Monarchijs.

Dan. 2.

His aliisq; ductus circumstantijs, tum neq; minùs loco Danielis admonitus cap. 2. quod ille de statua aurea, argentea, stannea, & ferrea, idem & hoc loco de versicoloribus ijs equis statuendum censeo. Quemadmodum enim ille aurum, argentum, æs, & ferrum: cum quatuor mundi Monarchijs comparat, haud minus mihi probabile videtur, quadruplici varietate diorum colorum, apud Ioannem, eadem monarchias quatuor, quæ tantas in mundo turbas & tragœdias excitarunt, denotari. Cùm enim certum id est, turmas istas equestres, ad pugnas & ad mactandum destinatas, atque eductas esse, non potest profectò illustrius huius rei certitudo ostendi, quàm quatuor istis fatalibus, maximéq; funestis imperijs. Quæ quantum hauserunt humani sanguinis, quas cædes, quas strages & pestes infinitæ multitudinis, perpetuis bellis ædiderunt, locupletissimè testantur historiæ. Atq; hæ monarchiæ vt quatuor, numero præcipuæ commemorantur, ita eadem hæc quatuor imperiorum genera, ordine succedendi ita se habuerunt, vt posteriora quæq; prioribus semper deteriora sequerentur. Id quòd videre est, non solùm ex huius vaticinij pictura, sed ex Daniele lucidissimè constat. Vt enim auro succesit argentum, argento rursus æs, æri denique ferrum: haud dissimili ratione in Apocalyptica hac descriptione, post album cursorem subit equus rufus, post hunc succedit niger, post nigrum apparet pallidus, mortem post se, & Infernum attrahens. In aureo capite, primam Assyriorum, seu Chaldæorum monarchiam intellige, Daniele interprete.

Monarchiæ quatuor.

4. Monarchiæ quantum fuderunt humani sanguinis.

Quatuor equi quatuor bestijs seu monarchijs comparati.

Monarchia vnde dicitur.

Monarchia autem dicitur, non vnius tantum regni ditio, sed quæ non contenta suis finibus, vlterius perrumpens, longè, latéq; ceteras quásque gentes ac nationes per vim & immanitatem peruagatur, reges terræ ac populos sibi subijciens, velúteq; vno omnia dominatu complectens. Quod quum sine ingenti rerum perturbatione, hominúmq; strage fieri non potuit, quæ tum pernicies humanæ vitæ, quanta hominũ lues & interitus, rerúmq; omnium laceratio & distractio accreuit, ex quatuor hisce mundi monarchijs, haud difficilis fuerit æstimandi copia.

Ac prima quidem ex quatuor his, quas dixi, monarchia, fuit Assyriorum. Cuius quanta fuerit potentia, ex eo constare possit, quod verbis ipsorum testatum legimus. An ignoratis, inquit, quæ ego fecerim, & patres mei cunctis terrarum populis? Numquid liberauerint Dij gentium singulos, quos vastauerunt patres mei? Gozan videlicet & Haram, & Reseph, & filios Eden, qui erant in Thalassar? vbi est rex Emath, & rex Arphad, & rex ciuitatis Sepharuaim, Ana & Aua? Nunquid liberauerunt Samariam de manu mea? Et quis est de vniuersis Dijs gentium qui potuerunt eruere populum suum de manu mea, vt possit etiam Deus vester eruere Ierusalem de manu mea, &c. Huius autem monarchię potestas tanta, quum sine immẽsa miserorum internecione & sanguine constitui nõ potuit, haud temerè quæret aliquis, qua igitur ratione, monarchia tam multo fœdata cruore, aurea appelletur, ex auro videlicet optimo constituta? quum ærea potiùs, aut ferrea, aut si quid

Prima monarchia Assyriorum.

4. Reg. 19.

2. Par. 32.

Esai. 36.

Assyrij regis verba ad Ezechiam.

Esai. 36.

ferro

ferro durius, dicenda videatur? Nempè eadem, vt scias, ratione, qua in Apocalyptica hac descriptione, eadem Monarchia, sub typo equi fulgentis, & candidi effiguratur. Quod ideò factum intelligas, & apud Danielem & apud Ioannem, non quòd talis natura existeret hæc monarchia, sed quòd alijs comparata imperijs, quæ pòst insequebantur, talis videri potuerit. Quemadmodum enim in metallis aurum, & in coloribus candor præcellit: ita quatuor hæc orbis imperia, Daniel propheta, sub quadruplici metallorum discrimine descripturus, primam monarchiam auro reliquas argento, æri & ferro comparat: consimiliter & Ioannes de ijsdem quatuor imperijs vaticinans, totidem coloribus albo videlicet, rubro, nigro, & pallido, eadem ipse depingit: ita vt posterior quæque monarchia deteriore colore depingatur.

Assyriorum monarchia quamuis per se funesta, aliis tamen comparata monarchiis aurea dicitur.

His itaque positis in hunc modum fundamentis, enarrationem modò huius propheticæ visionis aggrediamur. Quæ quidem mysterij ratio sic mihi exponenda videtur, vt primus equus, primam monarchiam Assyriorum seu Chaldæorum repræsentet, quemadmodum rectissimè diuinat Artopæus. Quæ licet ingentes sine dubio tumultus orbi excitarit, per vim & tyrannidem vicina omnia vastans ac violans, tamen si cum cæteris illis, maximè cum nigro equo, & pallido conferatur, in numero alborum non immerito, vt dixi, haberi poterit. Ideóque qui conscendit hunc equum, rectè dicitur arcum habere, datámq; esse ei coronam, vt vincens exiret ad vincendum. Quo significatur Imperator Babylonicus, qui diuturno temporis spacio, plurimis donatus victorijs, longè latéq; dominabatur. Vnde perspicua extant prophetæ verba: Deus cœli, inquit, regnum, & fortitudinem, & imperium dedit tibi, et omnia, in quibus habitant filij hominum, & bestiæ agri, dedit in manu tua, & sub ditione tua vniuersa constituit, tu es ergò caput aureum, &c. Hæc daniel. Quod quum ita sit, quùmque nulla sit potestas, quę non à Deo proficiscitur, non est quòd putemus, alienum hoc esse à consuetudine prophetarum, vt de ijs, quę diuinitùs immittuntur, diuinis prænuncient vaticinijs, tum multas ob causas, tum maximè ob hoc, quo cunctis intelligatur, quod in primis necessarium est, nihil in his terris geri, siue in ecclesiasticis rebus, siue politicis, quod singulari Dei prænotione non prouidetur, non consilio præfinitur, non imperio gubernatur.

Petrus Artopæus in 6. Apoc.

Imperium Babylonicum multis victoriis donatum. Daniel cap. 2. Danielis verba

De aureo igitur capite, atque de equo albo dictum est, qui vincens exiuit vt vinceret, nec dubium, quin dono summi numinis & plurimas & illustres habebat victorias quoad Deo visum est cursum huius victoriæ sua volùtate gubernare. Sed vt nihil est in huius mundi imperijs, aut opibus tam felix, atque excelsum præter solum Christi regnum, quod non temporibus suis, ac fine clauditur: ita expleto atque emenso tandem victoris huius equi cursu, secunda enascitur monarchia Persarum & Medorum, quæ redactis sub potestatem Assyrijs latissimè per omnes terræ plagas suum diffundit imperium, attestante eodem propheta. Et pòst te, inquit, consurget regnum aliud minus te. &c. Et rursus Cap. 5. Diuisum est regnum tuum, et datum est Medis atque Persis. &c. Et iterum cap. 8. de regno Persico subinnuens: Posteà vidi inquit arietem cornibus ventilantem contra occidentem et contra Aquilonem, et contra meridiem, et omnes bestiæ non poterant resistere ei neque liberari de manu eius, fecitque secundum voluntatem suam, et magnificatus est, &c. Et rursus paral. 36. Sic dicit Cyrus rex Persarum: Dominus Deus cœli dedit mihi omnia regna terræ. Atque hic subrufus ille equus est, non teterrimi quidem coloris, at qui minimè tamen candori respondeat equi superioris. Neque enim albus est nec ater, nec liuidus, sed medio quodam habitu, sanguinis veluti rubore tinctus. Vnde bellacem feram intelligamus, multáque sanguinis profusione aspersam, quemadmodum ex ipsis historijs non obscurè liquere poterit ijs qui ex Herodoto, et Xenophonte, res sub illa Monarchia gestas diligenter inspexerit.

Secunda Monarchia Persarum & Medorum. Danel. cap. 5. Daniel. cap. 8.

Para. cap. 36. Regnum persarum equo rufo comparatum.

Quæ enim bella, quæ exercituum trucidationes, ſub Cyro acciderunt, incredibile ferè dictu. Primùm cum rex Aſsyrius Medos bello laceſsiuit, cæſo Gobryæ filio, in quo plælio triumphatum eſt à Cyro aduerſus tyrannum, totàque ſubacta monarchia Aſsyriorum, quis eius conflictus ærumnas, quis corporum ſtrages, quis malorum atrocitatem referre ſatis poterit: præter ea bella, quæ multa magnáque, per annos amplius viginti, geſsit hic Cyrus priuſquam cepit Babylonem? Quid de Cræſo dicam Lydorum rege, qui fiducia potentiæ ſuæ, quum ſe ſocium Babylonijs adiunxiſſet, & ſe & rempub. perdidit, vixque ipſe Cyri ignoſcentia ſeruatus eſt?

Cyrus Perſarum rex eiuſque res geſtæ.

Babylonia capta.

Cræſus Lydorum rex a Cyro ſuperatus.

Fuit eodem tempore, inclyta Ionia, & vrbibus, & opibus, Et populis florentiſſima. Sed quid fit? A Cyro, & Harpago multæ magnęque vrbes deletæ ſunt, tantæque exarſerunt calamitates, vt multitudo nauigijs, ex vrbibus fugiens, vltrò ſe in mare demerſerit. Nec multo feliciùs actum eſt cũ Phocenſibus, quorum vrbs Phocea, quum obſidione cingeretur ab Harpago, cives ipſi, deſerta patria, nauigare in occidentem, non ſine graui ipſorum exilio cogebantur: vbi tandem Maſſyliam in littore Gallico condiderunt. Taceo interim crebras Cyri monarchæ excurſiones, contra gentes Scythicas in Aſia, vbi ſæpè magnas intulit vaſtationes, donec ipſe tandem bello Maſſagetis illato, à Tomyre regina ſuperatus, capitéque deinde truncato, & in vtrem ſanguinis iniecto, iuſſus eſt ſanguinem bibere quem ſitijſſet.

Ionia deleta.

Phocenſes ſubacti a Cyro

Cyrus deuictus & obruncatus.

Quid plura perſequar? quid de Xerxe, eiuſque exercitu & copijs dicam? quibus vix plena flumina ad epotandũ ſufficiebant, ex qua tamen tam infinita multitudine vix exigua pars domum incolumis redijt. Vnde minus quidem mirandum videtur, ſi in tanta cæſorum multitudine, hominúmq; paucitate is qui Stateram ferebat in manibus, quum vix emptores inueniret, tritici atque hordei choenices exiguo pretio vnius denarij vendere dicatur, affluente interim vini & olei copia, qua notatur hominum ſolùm, non agrorum defectus atque inopia.

Triticum, vinum, & oleum exiguo pretio venditum præ paucitate hominum.

Atque hic equus rufus, cum eius hipparcho, curſum ſatis quidem cruentum, non ita tamen diuturnum obtinuit, ſi cum alijs conferatur. Extincta ſiquidem ſecunda hac monarchia, tertio mox aperto ſigillo, tertia emicuit Græcorum potentia, quam Daniel æris ſimilitudine, Ioannes nigri equi typo adumbrat. Atque hæc poteſtas Monarchica initium ab ea primùm victoria ſumit, qua Alexander Macedonum rex, copias Darij vltimi Perſarum regis, bello cruentiſsimo attriuit. Vnde potitus Aſiæ Imperio, Monarchiam à Perſis ad Græcos tranſtulit.

3. Monarchia Græcorum.

Alexandri Maced. res geſtæ contra Perſas & Medos.

De hac Græcorum monarchia vaticinatur in hunc modum Daniel: conſurget, inquit, regnum tertium aliud, &c. Et rurſus cap. 8. Hircus caprarum rex Græcorum eſt, & cornu grande, quod erat inter oculos eius, eſt rex primus, &c. Iterúmque alio in loco, de beſtia tertia prophetans, hæc habet: Poſt hæc aſpiciebam, et ecce beſtia alia, quaſi Pardus, et alas habebat, tanquam auis, quatuor ſuper ſe, et quatuor capita erant in beſtia, et poteſtas data eſt ei, &c. Rurſúſque alibi apertius: Hircus, inquit, caprarum, res maximas geſsit, cùmque creuiſſet, fractum eſt cornu inſigne, et orta ſunt quatuor cornua in loco illius verſus quatuor ventos cœli. Hæc Daniel, haud dubium, quin de Alexandro, et quadruplici regni eius diuiſione intelligens. Quod Sacerdotum Hebræorum teſtimonio rectiſsimè comprobatur, qui aduentanti Alexando vaticinium hoc Danielis, quod ante annos ducentos ædiderat ille, expoſuerunt, futurum id, quod res erat, nunciantes, vt rex Græcorum Imperio Perſico potiretur. Perſtitit hæc Græcorum monarchia, ab Alexandro primùm inchoata, deinde per proximos illius quatuor ſucceſſores continuata, vſque ad bellum primùm Macedonicum, anno Vrbis Romæ 555. ex quo tempore fracto Macedonico imperio, Romani obtinuerunt principatum. Quanquam ſunt alij, qui Macedonicæ Monarchiæ annos tribuunt 282. vſque ad eum diem, quo Iulius Cæſar,

Daniel cap. 2.

Idem cap. 8.

Idem cap. 7.

Dan. cap. 8.

Seleucus in Syria.

Ptolomæus in Ægipto.

Antigonus in Aſia minori.

Antipater in Macedonia.

Ex Ioſepho lib. 11. cap. vlt.

Macedonicum imperium ſubactum a Romanis.

Cæsar, victo Pompeio, primus imperator est appellatus. Quod mihi tamen probabilius à Macedonia superata, quàm, à victo Pompeio, ducendum videtur. Interea durante ac dominante nigro hoc equo, quæ indè consequuta sunt bella tetra, dira, horrenda, nefanda quæ depopulationes, dissipationes, lanienæ, cædes, captiuitates, excidia, stupra, incæstus, parricidia inaudita, qui luctus, quàm luctuosæ calamitates, quot quam miseranda funera, passim toto terrarum orbe, per ciuitates & regna fere omnia increbuerunt, per Aegyptum, Iudæam, Syriam, Macedoniam, Pydnam, Thæbas, Aetoliam, Thessaliam, vniuersam denique Græciam & Asiam, plenæ sunt & Sacræ & prophanæ historiæ, vt nihil mirum sit, si equus hic nigro ac tetro colore à propheta depingatur.

Sub equo nigro, quot quàm horrendæ vestationes

De apertione trium sigillorum, tribusque equis, albo, rufo, & nigro sat dictum est. De quarto deinceps quid commemorat propheta attendamus: *Et cum aperuisset sigillum quartum, audiui vocem quarti animalis dicentem, veni & vide: Et vidi: & ecce equus pallidus, & qui sedebat super eum, nomen illi mors, & infernus sequitur eum. Et data est illis potestas interficiendi super quartam partem terræ, gladio, & fame, & morte, et à bestijs terræ.*

Equus quartus & pallidus.

Audistis de tribus equis, satis quidem funestis humano generi, sequitur quartus nunc omnium atrocissimus, cui tributa sit interficiendi potestas, super quartam partem, non vnius gentis, non vnius regni, aut ditionis, sed totius terræ. Quæ sanè res competere nullo modo potest, nisi in quartam solùm Romanorum monarchiam. Quum nulla vis persecutionis tanta vnquam fuit, aut falsorum dogmatum, aut hæreticorum, siue hypocritarum, vt rectè dici potuerit, super quartam totius terræ partem eos deleuisse. Quin nec in vlla alia monarchia, tanta vnquam audita est lues humani generis, terrarumque vastatio, quantam attulit ferrea hæc ætas Romanorum principum, siue temporis diuturnitatem, siue potentiæ magnitudinem, siue bellorum furias spectes, rectiùs mortem, & infernalem voraginem humanæ vitę, quàm monarchiam dixeris. Sed audiamus quid Daniel, de pallido & mortifero hoc equo prædicat. Et quartum, ait, regnum erit tanquam ferrum: Quo modo ferrum comminuit & domat omnia: sic comminuet: & conteret omnia hæc, &c. Si omnia hæc conteret, quæ tum terræ pars immunis, ac tuta eius euadet subiectionem? Idemque porrò, alio capite: Bestia quarta erat terribilis, & horrenda, & fortis nimis, dentes ferreos habebat magnos, comedens atque comminuens, & reliqua pedibus suis conculcans, dissimilis autē erat cæteris bestijs, quas videram, ante eam, & habebat cornua decem. &c. Quam quartam hic bestiam vocat Daniel, Ioannes quartum equum nuncupat. Quod ille ferreum, hic pallidum appellat, tergo mortem, comitem infernum secum vehens.

Quarta pars totius terræ occisa.

Quarta monarchia Romanorum.

Daniel. cap. 2.

Daniel. cap. 7.

Bestia quarta.

Equus quartus.

Iam hæc fatalis Bestia, hic infernalis equus, quos motus, quas turbas consciuit, terra marique per omnes mundi plagas, si quis scire aueat, ex historijs repetat, numerétque, si queat. Quæ bella quanta cum iactura humani sanguinis confecta, ducibus his Romanis narrantur, præter ea primùm, quæ intra Italiæ fines suscepta sunt: Bellum cum Pyrrho, & Tarentinis, bellum Punicum primum, secundum, & tertium, totidem rursus susceptas contra Macedonicum regnum, asperrimas dimicationes, Bellum Achaicum, Mithridaticum, Cymbricum, Syllanum, Numantinum, Bella Asiatica, Parthica, Persica, Germanicum, Gallicum, Hispanicum, Britannicum, Sociale, Nauale, Ciuile. Et quis omnes recenseat bellicas expeditiones, funera ciuium, populorum strages, gentium, & ciuitatum excidia, plena denique malorum maria, dominante & furente equo hoc, non Troiano, sed Romano? Quid verbis opus? Si mors ipsa, si infernus è Tartaris solutus, in medium emitteretur, grauiore pernicie res infestare mortalium nunquam potuisset, quam bestia hæc quarta, quam dico, cuius ne adhuc quidem tyrannidem ceruicibus prorsus excutere liceat. Quanquam exordia huius imperij mitiora fuisse non negem. Scio Camillos, Fabios, Marcellos, Fabricios, Flammi-

Romanorum Bella innumera.

Exordia Romanę monarchiæ mitiora.

nios, Scipiones, Emilios, Pompeios, Ciceronem, Catones, quanta excelluerunt virtute, quàm se non immoderatè gesserint, in suo quisque curriculo. Sed pauca hæc exempla sunt. Postea crescente cum annis ambitione, quo tandem deuenit Romanæ tyrannidis insolentia intolleranda, nulla terrarum pars est, quæ non senserit, atque etiammum persentiat. Vt non temerè à propheta prænuntiatum sit, in hæc verba. *Et qui sedebat super eum mors, & infernus sequebatur eum.*

Romana tyrannis quot quantàque mala in orbe conscinerit.

Ad sigillum quintum progrediamur. *Et quum aperuisset quintum sigillum, vidi subter altare, animas interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium, quod habebant. Et clamabant voce magna dicentes, vsquequo Domine, qui es sanctus, & verax, non iudicas & vindicas sanguinem nostrum de his, qui habitant in terra, Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ, & dictum est illis, vt requiescerent adhuc tempus modicum, donec complerentur conserui eorum, & fratres eorum, qui interficiendi essent, sicut & illi. etc.*

Quintum sigillum eiúsque apertio.

Postquam de politicis imperijs, & turbulentis eorum fatis, arcana è cœlo consilia patefacta audistis, in superioribus sigillis quatuor, ventum est tandem ad quintum sigillum, sextum, & septimum. In quibus propriè de regno Christi, de ecclesia, rebúsque ad ecclesiam pertinentibus, vsque ad consummationem seculi, mira nobis mysteria aperiuntur. Primùm vt de ortu huius regni, quo tempore propagari cœpit, tum de stabilitate, deindè de natura illius & conditione admoneamur. Quæ omnia in his sigillis dilucida hypotyposi nobis spectanda exhibentur. Ac de tempore, illud in primis animaduertendum est, in quo mira congruentia Ioannes hic cum Daniele conuenit. *Et quum aperuisset*, inquit, *quintum sigillum*, Sic noster. Quid Daniel? Postquam sub figura quatuor bestiarum, quatuor primarias mundi monarchias delineasset, protinus hæc subijciens; Aspiciebam inquit, in visione noctis, & ecce cum nubibus cœli, quasi filius hominis veniebat, & vsque ad antiquum dierum peruenit, & in conspectu eius obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem, & honorem, & regnũ: & omnes populi, tribus, & linguæ ipsi seruient. Potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur, &c. Ad eundum modum cap. 2. Vbi in descriptione statuæ, sub quadruplici metallorum diuersitate, quatuor monarchias constituisset, postea de quinto deinde regno dicturus, quod fictiles & ferreos pedes quartæ monarchiæ erat concussurum, sic habet: In diebus autem regnorum illorum, suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur, comminuet vniuersa regna hæc, & ipsum stabit in æternum, Hæc ille.

Tria posteriora sigilla. 5. 6. 7 ad ecclesiam proprie résque ecclesiásticas pertinent.

Ortus, propagatio, Stabilitas, conditio ecclesiæ christianæ.

Daniel cap. 7.

Daniel. cap. 2.

Quintum regnum Christi, post 4. priores monarchias à deo exuscitatum.

Nec aliter Ioannes noster, post euoluta quatuor priora sigilla, apertionem nunc quinti adgreditur, tempus videlicet indicans venturi Messiæ, ex eo quod, cũ quintũ apertum esset sigillum, vidisse se dicit, subter altare, interfectorum animas propter verbum Dei, & propter testimonium, quod habebant, &c. Age, & quinam isti interfecti propter testimonium Dei, nisi testes & martyres Christi? At quando quæso interfecti, nisi in quinto sigillo? Ex quo irrefabili colligitur argumento, quatuor illa præcedentia sigilla nihil aliud, nisi monarchias illas, quas dixi, quatuor præcedentes demonstrasse, ex ipsa nimirum temporis ratione: eo quòd interfectio illa sanctorum martyrum, non ante solutionem quinti sigilli contigerit. Ex quo necesse est, equos illos priores cursum suum iam ante confeciſſe. Erat quippe quartus equus in medio suo itinere, quum deus cœli apud Danielẽ, suscitabat regnum illud quintum, & æternũ, quod ruentibus cæteris omnibus regnis, *Nunquam dissipabitur*. Imperante siquidem octauio Augusto, qui annus erat vrbis conditæ 753. natus est dei filius ex virgine seruator, anno Augusti 42. quum iam ferè completi fuerant annorum mundi quatuor milenarij. Qui demum, imperante Tiberio, anno regni eius 18. in crucem sublatus pro peccatis mundi, deuicto Satana principe mundi huius, regnum sibi & suis produxit immortale, simúlque ecclesiam collegit æternam: quam furor huius seculi nunquam perferre potuit. Hincque protinus primæ illæ in ecclesia persecutiones, quæ tot interfectorum animas miserunt sub altare.

Quinti sigilli apertio regnum Christi demonstrat post 4. superiores monarchias.

Quatuor primis sigillis, quatuor primæ monarchiæ adumbrãtur. Quinta monarchia, seu regnum Messiæ.

Natus Christus an. Augusti 42. An. mundi fere 4000.

Christus passus. an. Tiberii. 18.

Primæ persecutiones sub sigillo. 5.

Atque

Atque hæc quidem gesta omnia, quinti sigilli continet solutio. In quo, duo potissimùm spectanda occurrunt: quorum alterum ad temporis seriem: alterum ad numerum ordinémque attinet. Primùm enim cum sancti interfecti, sanguinis sui vltionem exposcunt, duram ecclesię persecutionem eo intelligi, haud dubium est. Deinde quod ad numerum & ordinem spectat, hanc ipsam persecutionem, haud vnam, nec vnius temporis existere, sed plures, præter primam hanc afflictionem in ecclesia, excipiendas atq; expectandas esse, posterioribus temporibus, vel hinc clarissime lucet, quòd primi illi sancti stolis donati conquiescere iubentur, donec conseruorum compleatur numerus.

Duo spectanda in persecutione sanctorum sub quinto sigillo.

Tempus ordo rei.

Duplex in ecclesia notatur persecutio.

Generalis.

De tempore autem primæ persecutionis, satis apparet quinto hoc aperto sigillo.

Et cùm aperuisset, inquit, *sigillum quintum, vidi subter altare animas interfectorum propter verbum Dei, & testimonium quod habebant &c.*

Apoc. cap. 6.

At quo tempore, quibus sub tyrannis, visa est huius sigilli quinti afflictio? Nimirum primo illo ecclesię tempore, quando sub profanis imperatoribus, per annos ferè trecentos, grauissima piorum cęde concussa est ecclesia Christi. Quin neque sic conquiescit persequendi rabies: Age, & quænam igitur altera illa persecutio, quæ complebit reliquam aciem beatorum Martyrum? Abierunt à prima illa ecclesiæ tempestate anni mille, quando Satanas soluendus post mille annos manifestè prænunciatur. Ex quo nemini dubitandum est, quin furente post modum stygio hoc dracone, secunda persecutio, quæ numerum complebit sanctorum martyrum, ea intelligatur. Quæ nouissimis hisce nunc mundi temporibus, sub Antichristo geritur, iámq; per annos penè trecentos perdurauit. Quis autem ille Antichristus existat, quo nomine, qua vrbe, quibus notis & coloribus dignoscendus, suo mox loco, annuente Christo, videbitur. Atque interim post hęc omnia tam dira & horrenda, post tot Christianorum funera, post tot cæsorum martyrum myriadas, quot nullo vnquam tempore visæ aut auditæ sunt, mirum quàm insolenter in ferocia sua adhuc gestiunt, quasi in re benè gesta martyromastygæ illi Romanēses, vanissima ducti persuasione, quasi nondum natus sit in mundum Antichristus, sed posthac suo tempore sit expectandus. Sed de his aliâs, σὺν τῷ χριστῷ.

1. Tempus.
2. Locus.
3. Personæ.

Prima ecclesiæ persecutio sub Rom. monarchis.

Secunda ecclesię persecutio sub Antichristo.

Falsissima Papistarum opinio de Antichristo.

De quinto itaque sigillo dictum est, in quo duo potissimùm audistis persecutionum tempora. Etsi plures, scio, diuersis locis & temporibus priuatæ & particulares, à multis recensentur persecutiones, tamen duo præcipuè distincta tempora proponuntur à spiritu sancto, in quibus grauissimè affligendæ sint Christi ecclesiæ. Alterum, quod primo nascentis ecclesiæ initio, sub primis Imperatoribus contigit, quod in decem persecutiones distinguitur. Posteriùs, sub Antichristo, postremis his mundi temporibus, quando complebitur integer sanctorum martyrum numerus. Quod & ipsum in persecutiones similiter decem, aut plures fortassis diffundere liceat, si singulas recensere libeat mactationes piorum martyrum, quas à tempore Ioan. Wicleui ab anno 138. hucusque per diuersas Europæ plagas euenisse compertum est, veluti sub HENRICO quarto & quinto in Anglia. Secunda sub concilio generali in Constantia & Bohœmia. Tertia sub Romanis pontificibus in Italia, vicinisque Romæ prouincijs. Quarta, sub Carolo quinto Imperatore in Germania. Quinta, sub Henrico octauo in Anglia. Sexta sub Henrico secundo in Gallia. Septima sub Iacobo secundo in Scotia. Octaua sub Carolo nono in Gallia, sub cuius imperio occubuerunt vnius mensis spacio, supra viginti martyrum milia inaudita crudelitate sublata. Nona, sub Maria regina in Anglia, in qua persecutione flammis crudelissimè supra quadringenta viua martyrum electissimorum corpora in vno ferè quinquēnio absumpta sunt. Decima sub Philippo in Hispania, atq; Flandria, vbi in Hispanica inquisitione leguntur innumeri flāmis & ferro cōtrucidati martyres, atq; etiámnū contrucidantur quotidiè. Vt alias taceam, sine modo ac numero, virorum, fœminarum, iuuenū, & puerorū

Duo præcipua persecutionum tempora.

Decem nouissimæ persecutiones sub Antichristo.

1. Persecut.
2. Persecut.
3. Persecut.
4. Persecut.
5. Persecut.
6. Persecut.
7. Persecut.
8. Persecut.
9. Persecut.
10. Persecut.

lanienas & cędes horrendas in Angronia, Merindolia. Quæ tot tantáque perſecutionum genera multitudine penè infinita, atrocitate infeſtiſsima, pluribus in locis diuerſisque ſub principibus deſignata ſunt, cuncta tamen ſub vno Antichriſti nomine, accidere dicuntur, quòd in papæ duntaxat gratiam, eiúsque mandatu perpetrata fuerint.

Fax perſecutionis Antichriſtus.

Atque hæc quidem hactenus in quinto ſigillo expoſita vniuerſum eccleſiaſticæ calamitatis ſtatum, ſuccincta narratione continere videntur, ad extremum vſque mundi finem. Poſt has eccleſiæ calamitates ſubſequitur tandem ſexti ſigilli ſolutio, ſupremum mundi interitum portendens. In quo aperitur iuſtiſsima diuinę vindictæ ſcueritas, diésque magnus iræ eius, quæ quanto lentior fuerit, tanto grauiores exiget pœnas ab ijs, qui tantam vim & crudelitatem contra innocuum Chriſti gregem, in hauriendo ipſorum ſanguine exercuerunt, quemadmodum præcedentis ſigilli aperta prænonuit prophetia: vbi requieſcere iubentur ad tempus, quoad compleantur conſerui ipſorum &c. Ac ſi dicat: Nondum aduenisſe ſanguinis vlciſcendi tempus, ſed futurum poſteà, vt plures ipſorum adiungantur conſortio, in eadem cauſa commilitones, quorum ſimulátque explebitur catalogus, tum demum, iuſto Dei iudicio, vindicandum eorum eſſe ſanguinem: id quod ſexti nunc ſigilli aperit vaticinatio: ea quid nobis aperiat, nunc videamus.

6. Sigillum eiúſque apertio

Et vidi cùm aperuiſſet ſigillum ſextum, & ecce terræmotus magnus factus eſt. Et ſol factus eſt niger tanquam ſaccus cilicinus. Et luna tota facta eſt ſicut ſanguis, & ſtellæ de cœlo ecciderunt ſuper terram, ſicut ficus abijcit groſſos ſuos, cum vento magno mouetur. Et cœlum receſſit ſicut liber qui circumvoluitur, & omnis mons, & inſulæ de locis ſuis motæ ſunt. Et reges terræ, & principes, et diuites, & tribuni, & fortes, & omnis ſeruus, & liber, abſconderunt ſe in ſpeluncis, & petris montium. Et dicunt montibus et petris: Cadite ſuper nos, & abſcondite nos, à facie ſedentis ſuper thronum, & ab ira agni, quoniam venit dies magnus ira illius, et quis poterit ſtare.

Quæſtio.

Ex ſexto hoc ſigillo, duplex exoritur difficultas. Vtrum quæ in eo aperiuntur, ad continuum eccleſiæ ſtatum à primis Apoſtolorum temporibus pertineant: an ad tempus ſolùm nouiſsimi iudicij ſint referenda. In quo plures eius eſſe ſententiæ video, vt per tropologiam & allegoriſmos figuratè hęc dicta de corrupto eccleſię ſtatu, & vltima Antichriſti perſecutione intelligant. Sol, inquiunt, Chriſtus eſt, non in ſe, ſed in cordibus hominum obſcuratus: luna eccleſia, ſtellæ doctores cadentes in terram, hoc eſt, trucidati ab impijs, vt videantur hominibus cadere. Cœlum biblia ſacra, & ſcriptura canonica: in hac enim latet Chriſtus, eccleſia, & doctores. Hoc cœlum receſsit in regno Antichriſti, tanquam liber comolutus. Terræmotus ſeditiones, & imperiorum mutationes ſignificat, quales in papatu cœperunt. Ventus validus eſt potentia Antichriſti, cuius opera etiam terręmotus eſt factus, hoc eſt, imperiorum mutationes. Montes, Prophetæ ſunt, quos euertit Antichriſti ſpiritus, quo ſcholaſtici doctores, mala interpretatione, euertunt ſenſum prophetarum. Inſulæ ſunt ſtudia philoſophica, quę ijdem ſcholaſtici doctores contra mentem ſuam, aliò tranſtulerunt, vt nihil neque cum prophetis, neque cum vera philoſophia commune habeant, vnde dici queant Philoſophi. Reges & ſubditi abſcondentes ſe in ſpeluncis, monarchæ ſunt, & priuati homines, imperio Papę ſubiecti. Speluncæ ſunt loca ſolitaria, cuiuſmodi ſunt in monaſterijs &c.

Senſus Tropologicus.

Sol.

Luna.

Stellæ cadentes.

Cœlum recedens.

Terræmotus.

Montes.

Inſulæ locis ſuis emotæ.

Reges & ſubditi ſe abſcondentes.

Speluncæ.

Neque equidem de autoribus addubito, quin recta ſatis conſtet ipſis ſuæ interpretationis ratio. Mihi tamen, vt fatear ingenuè, magis arridet ſimplex hiſtoriæ ſenſus, vt exiſtimem ſigna hęc formam eccleſiæ, aut ſtatum eccleſiaſtici miniſterij non tam propriè attingere, ſed referenda eſſe potius, ad iudicium Dei, ſiue generale, ſiue particulare aliquod, contra impios eccleſię tyrannos & aduerſarios. In quo ſi videbor nonnihil à trita quorundam opinione recedere, non eſt quòd indignetur

dignentur mihi propterea pius lector, quum id iam ante profitear, non ideo me accedere, vt certum hic aliquid pronunciem, sed vt eicasmos solùm nostros afferam in Apocalypsin. Qui si minus placuerint, nullius ego vel præiudico, vel obstrepo sententiæ. Tantum si liceat expromere, quod conijcio, sic mea fert coniectura, totam hanc sexti sigilli historiam ad tempus aliquod seuerissimi Dei iudicij, contra infestos ecclesiæ oppugnatores referendam esse. Cùm autem duplex sit Dei iudicium, nouissimum, & temporale, vtrumcúnq; accipiamus, haud multum interest. Si de nouissimo & generali iudicio intelligatur, tum hic sensus est Prophetiæ, quem dixi, vt primi illi Martyres, qui iussi sunt ad tempus requiescere, pro his accipiantur, qui toto illo tempore decem primarum persecutionum, Christi nomine, occubuerunt. Reliqua deinde fratrum accessio pro his accipiatur, qui sequuturis Antichristi temporibus consimili constantia mortem pro Christi euangelio subierint. Quo deniq; expleto numero, mox præstò aderunt signa illa horribilis iudicij, quo vltima poena cruentis ecclesiæ aduersarijs, afflictis Martyribus æterna rependetur consolatio.

Iudicium Dei nouissimum & temporale.

Atq; hæc quidem interpretatio haud inconcinnè ex phrasi ipsa verborum, cæterisq; Scripturæ locis colligi posse videtur, maximè ex cap. Mat. 24. Mar. 13. Luc. 21. Ezech. 32. Esai. 13. Hiere. 30. Ioel. 2. Amos. 5. Soph. 1. Sic enim apud Mat. & Mar. in eadem ferè verba legimus: statimque post afflictionem illam, sol obtenebrabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commouebuntur. Et tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute & gloria multa. Et mittet Angelos suos cum tubæ voce magna, & congregabunt electos suos à quatuor ventis à summo terræ, vsque ad summum cœli, &c. Nec multum ab his discrepant, quę apud D. Lucam commemorantur: Et erunt signa in sole, & luna, & stellis, & in terris anxietas gentium per desperationem, resonante mari & fluctu, extabescentibus hominibus præ timore, & expectatione eorum, quæ superuenient orbi. Nam virtutes cœlorum mouebuntur, & tunc videbunt filium hominis venientem in nube, cum potestate & gloria magna &c. His fieri incipientibus suspicite & attollite capita vestra. &c. Quæ omnia ad extremum diuini iudicij diem spectantia, magnam lucem afferre sexto huic sigillo videntur, quemadmodum grauiter & eruditè a Bened. Aretio adnotatum est. Cæterum quia de supremo illo iudicio, propriè ac seorsim agitur inferiùs, in septimo sigillo quoniámque magnus ille dies Domini, eodem teste Aretio, varijs modis vim suam explicat etiam in hac vita aduersus improbos, nihil absurdi fuerit, si explicationem sexti huius sigilli, ad aliud quoddam tempus deflectamus, ordinem sequentes historiæ.

Matth. 24. Mar. 13. Luc. 21. Ezech. 32. Esai. 13. Iere. 30. Ioel. 2. Amos. 5. Soph. 1. Mar. 13. Luc. 21. B. Aretius.

Audistis paulò superiùs in sigillo quinto, de interfectorum animis, quibus vindictam sanguinis sui exposcentibus responsum est, vt expectarent paululum, donec plures suo numero accederent, consimili exemplo interficiendi. Habetis hactenus historiam promissæ, sed nondum expletæ diuinæ vltionis. Superest, vt ista suis nunc temporibus ritè distinguamus. Ita siquidem futurum, vt facilis sit huius nodi dissolutio. Ac primùm de martyrum interfectione id certò constat, post exortum Euangelij, grauiter sæuitum esse in corpora sanctorum, apud Iudæos primùm, annis quadraginta. Deinde sub Nerone, proximisque imperatoribus: quo tempore ingens cecidit multitudo Christianorum martyrum. Quorum cæde & sanguine etsi dubitandum non sit, quin prouocata Dei iustitia, satis iam parata fuerit ad sumendam vindictam: tamen quia præsenserat diuina prouidentia, nondum finitas esse harum persecutionum procellas, sed plures adhuc superesse, sub Diocletiano eiúsque collegis, ideò voluit vltionem protrahere ad illud vsque tempus, quo finem acciperet summa illa occidendi rabies, numerúsque compleretur sanctorum Martyrum.

Tempus Martyrum duplex.

Persecutio sub Imperatoribus.

Quod ad finem autem attinet harum persecutionum, inflictámque per-

fecutoribus vindictam, siue ad excidium regni Iudaici hæc referas, siue ad interitum Maxentij, & Romanorum ducum, nihil erit incommodi. Poterit enim vtrique accommodari prophetia. Nec multum ab eo dissentiunt veterum Prophetarum vaticinia, veluti quum Ioel de vltima vastitate gentis Iudaicæ prænuncians, signa hæc ostendit. Et dabo, inquit, prodigia in cœlo, & in terra, sanguinem, & ignem, & vaporem fumi. Sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis, &c. Quin nec dissimili dictionis phrasi vtitur Esaias, contra Babylonem prophetans: Ecce, inquit, dies Domini veniet, crudelis, & indignationis plenus, & iræ, furorisque ad ponendam terram in solitudinem, & peccatores eius conterendos de ea. Quoniam stellæ cœli, et splendor earum non expandet lumen suum: obtenebratus est Sol in ortu suo, & luna non splendebit in lumine suo. Et visitabo super orbis mala, & contra impios iniquitatem eorum, & quiescere faciam superbiam infidelium, & arrogantiam fortium humiliabo &c.

Ioel.2. Signa ante diuinam vindictam. Esai.13. Persecutorum rabies repressa.

Ex his, quę ex Esaia, & Ioele recitata sunt, satis liquere arbitror, signa hæc non semper propriéque extremum Dei iudicium denotare, sed posse ad alia etiam iudicij tempora deflecti, nempe vel ad insignem illam Babylonici regni, per Medos & Persas subuersionem: vel ad vltimam Iudęorum vastitatem per Romanos, vel ad cœlestem, planéq; diuinam victoriam illam Constantini Magni, aduersus Maxentium, ducésque Romanos: in qua non sine ingenti miraculo, sublimis Dei potentia in vindicando Martyrum suorum sanguine cœlitùs emicuit. Cùm enim Romani principes infestissimis exacerbati odijs, aduersus Christi cultores, continua quadam malitia ad delendum Christi nomen, per annos penè trecentos deflagrarent, nec vllus esset cędendi ac lacerandi finis, visum est, tandem Deo, Constantinum Constantij patris ex Helena Britana filium excitare. Qui Christi armatus potentia, obuiam se dedit Maxentio Imperatori, cæterisque Romanæ militiæ ducibus & tribunis. Cui prius apud se subhæsitanti, an Romam duceret, ostensa est medio die, clara luce, teste Eusebio, ignea crux in cœlo, cum literis, *ἐν τούτῳ νίκα*. Quid multis? Ingenti vi vtrinque concurritur. Quid accidit? vix conspiciuntur vexilla Constantini, cùm subitò tanta pauoris consternatio Maxentium, totúmque exercitum Romanum peruasit, vt in fugam omnes, nescio qua subita perculsi trepidatione, apud pontem Miluium præcipites se in fluuium abiecerunt. Quod, quid aliud est, quàm quod hic dicunt montibus: *Cadite super nos, et abscondite nos à facie sedentis super thronum, & à facie agni, &c.*

Dei potentia in vindicando Martyrum sanguine. Maxentius tyrannus à Constantino profligatus. Eusebius. Sozomenus.

Quanquam neque hæc eò pertinent, vt non putem multò verius quadrare signa hæc sexti sigilli, in supremum futuri iudicij diem. Quod ex ipsa signorum descriptione, & collatione eorum, quæ in Euangelijs, pariter cum ijs concordant, non potest non perspicuè intelligi. Vbi de cœlo primum, de sole, luna, astris, deinde de insulis loquens: *Et cœlum*, inquit, *recessit sicut liber, et omnis mons, et insulæ de locis suis motæ sunt:* Post hæc, de principibus & imperatoribus, non vno tantùm, aut altero, sed de pluribus testificans: *Et Reges*, inquit, *terræ, et principes, et diuites, et tribuni, et fortes, et omnis seruus, et liber, abscondérunt se in speluncis, et petris montium: et dicunt montibus et petris: Cadite super nos, et abscondite nos à facie sedentis super thronum, et ab ira Agni, quoniam venit dies magnus iræ illius, et quis poterit stare. &c.*

Signa supremi iudicij. Mat.24. Mar.13. Luc.21.

His verbis quid aliud subinnuere mens voluit prophetica, nisi id quod nondum euenit, futurum tamen breui, vt ingruente iudicio illo, ad conspectum tantæ maiestatis, Reges & potentes huius mundi, qui sese tam hostiliter Christo, eiúsque euangelio opposuerunt, tanto perculsi terrore, internis sensibus & conscientia cohorrescant, vt quo se vertant, quo effugiant, locus nullus eis suppetat? Futuram denique tantam confusionem humanæ gloriæ & superbiæ, vt principes & diuites huius mundi, qui opibus ita suis confidebant, inuersa nunc rerum scena, partim

Humanæ superbiæ confusio.

tim pudore, partim metu supplicij, eò adigantur, vt montibus, ac petris, si posset fieri, abscondi se cupiant, ne tanti iudicis præsentiam & sententiam subeant. Ecquis, quæso, dubitat ostenta ista atque prodigia, si per singulas partes considerentur, vt nunquam hactenus vlla in ætate visa sunt, ita non posse aliter, quàm de supremo illo die intelligi, qui exitum mundo allaturus sit? Nam quòd Aquinas suo more omnia vertens in Allegorias, locum hunc de regibus terræ & tribunis, montes super se cadere & abscondere petentibus, detorquet ad pontifices, Archiepiscopos, & presbyteros, confugientes ad inuocationes sanctorum, quibus se abscondi cupiunt ab ira ventura, quis non senile esse delirium persentiat, nulla neque fide dignum, neque nixum veri similitudine?

Aquinas in Apoc. cap. 6.

Senile Thomæ delirium.

Iam quòd alij alias adferunt rationes, & tropologias, (de quibus superiùs dictum est,) vt sol sit Christus, luna ecclesia, stellæ doctores veritatis, cœlum hæc omnia complexu suo continens biblica sit scriptura, montes prophetæ sint, quos euertit Antichristi spiritus, insulæ studia sint philosophica, quæ doctores scholastici aliunde alio transtulerunt, quando ex his & ex propheticis scriptis tertium quoddam genus doctrinæ conflarunt. Terræmotus insignes rerumpub. mutationes, seditiones, & imperiorum translationes significet. Reges terræ liberi, & serui, Monarchas & priuatos homines designent, imperio Papæ subiectos, quos ille sua authoritate eò adegit, vt soleas, crepidas, pedes, manus, chirothecas ipsius deoscu-lentur. Speluncæ denique & petræ montium loca solitaria, & monasteria denotent, in quæ homines proprijs viribus & operibus diffisi confugiant, vt per sanctorum merita, abscondantur aduersus terrores conscientiæ, & diuina iudicia &c. Hæc τὰ ἀλληγορούμενα quam propriè conueniant instituto, abundant lectores iudicio & sensu suo, quo per me fruantur. Non hîc τὰς ἀλληγορίας scribo, sed ἑκασταχοῦ, nullius obstrepens interpretationi, ex singulis verò deligens, quid suo cuiusque captui videtur.

Sensus tropologicus, iuxta recentiores interpretes.

At interim obstrepet fortassis scrupulus hic aliquis, quòd quum in septimo sigillo seorsim expressa sit mentio nouissimi iudicij, hinc videri possit in apertione sexti huius sigilli, aliam adhibendam esse interpretationem.

Instantia, seu Obiectio.

Scio nec diffiteor esse in eo nonnihil, quod obijcitur: nisi verba ipsa tam essent aperta, vt sensum nullum admittant alium, nisi vt ad formidabile illud agni iudicium accommodentur. Quod vel ex verbis ipsis, necessario argumento constare possit. Nam alioqui quæ signa vnquam eiusmodi visa sunt hactenus, aut existere vnquam videbuntur, quæ reges terræ, & principes, & diuites, & tribunos, fortes, & omnes seruos, & liberos tanta consternatione concutient, vt montes & petras super se cadere exoptent, nisi formidabilis illa iudicij species, quàm sustinere nullo modo queant omnes ecclesiæ aduersarij, quantumuis in hoc mundo sublimes, & potentes? In quo valdè mihi conuenit cum Aug. Marlorato, qui verba huius prophetiæ, tam manifesta, haud aliter intelligenda putat, quàm de supremo mundi iudicio, & aduentu Domini. *Quoniam*, inquit, *venit dies magnus iræ illius, & quis poterit stare?*

Obiectionis dilutio.

Auguſt. Marlorat.

Quis, quæso, dies magnus ille esse poterit, aut vnquam fuit, quando à facie sedentis super thronum, & ab ira agni expauescent in orbe vniuerso omnes inimici eius, nisi solus ille dies, soli Deo notus, quo rediturus est filius in gloria sui patris? Quòd autem in sigillo septimo, propria habetur mentio nouissimi iudicij, nihil id nostro instituto incommodat, nihilo magis, quàm si quis consimili argumento negaret, quæ in capite octauo continentur, ad supremum Dei iudicium attinere, eo quòd in alijs deinceps capitibus, eiusdem iudicij mentio similiter attingitur, idque non vno loco, sed alias item sæpius, pro diuersitate nimirum visionum. Ita enim quum omnium ferè doctorum consensu constat, in septem precipuè visiones, librum hunc diuidendum: tum in his distinguendis visionibus, minimè mihi absurdum videtur, vt visionem hanc sex sigillorum, à

In 7. visiones Apoc. distribuitur.

septem

septem tubis in septimo sigillo, diuersam secernamus, ita vt prima visio ad ecclesias in Asia septem pertineat, secunda publicam rerum, in regnis & in ecclesia gestarum historiam, ad mundi exitum breui enarratione complectatur. Tertia deindè subsequitur visio, complectens caput 8. 9. 10. 11. In qua variæ mundi calamitates, & perturbationes ecclesiæ, ad finem vsque mundi sequuturæ, ex cantu septem tubarum audiantur. Ex quo nihil obstare videtur, quin in secunda visione, apertio sexti sigilli non incommodè de summo & supremo mundi iudicio intelligi possit, nihilò minùs, atq; in cæteris fit visionibus. Quarum singulæ ordinem rerum contineant, ad extremam mundi dissolutionem.

Tum verò, quòd ad sextum hoc sigillum attinet, non indignum & illud animaduersione, quòd, vt mundi huius opifex sex diebus opus suum absoluisse dicitur, itidem tot annorum milibus duraturam hanc rerum fabricam colligunt nonnulli. Quod ex dicto domus Eliæ, ex Augustino, & alijs constare queat. Id si verum sit, hinc proinde consequitur, in sexto hoc sigillo, in quo septimum iam agitur mundi millenarium, magnum illud sabbatum ab omnibus cœli & terræ laboribus necessariò expectandum esse. Quandoquidem si passio Domini nostri incidit sub initium quinti millenarij, finito igitur quinto illo millenario, quod cum morte Conradi Imperatoris terminauit, sextum & postremum ab eo tempore mundi millenarium incœpisse necesse est. Cuius plusquam dimidium hoc nostro iam tempore emensum esse negari non potest, quum anni à Christo deducti in annum iam exierunt 1586. Porrò quum Christi certa promissione id constat, futurum vt dies illi propter electos abbreuientur, non potest proindè procul abesse mundi finis, prius certè, quàm sexti millenarij expirauerit periodus. Quod si verò superiorum Martyrum, qui in primitiua ecclesia functi sunt martyrio, vindicationem nulla res alia, vt supra dictum est, retardauit, nisi numerus nondum expletus eorum, qui in posterioribus ecclesiæ persecutionibus ipsorum aggregandi sint consortio: fieri certè non potest in tanta hac accessione innocentissimorum Martyrum, qui proximis his trecentis annis sub Antichristo, tam incredibili multitudine per omnes ferè Europæ regiones & ciuitates Martyricidio occubuerunt, quin recrastinatam tamdiu sanctorum vltionem, proximè quasi in foribus iam imminentem expectemus.

Aug. lib. de ciuit. Septimum mundi millenarium.

Ac quæret hîc forsan aliquis, si intra ambitum sexti millenarij finis mundi expectandus sit, quorsum igitur in figilli septimi apertione, hoc est in septimo millenario mentio fit iudicij?

Quæstio.

Haud difficilis est responsio. Primùm, quod ad septimum sigillum attinet, nihil necesse est, cur quæ in sigillo septimo continentur, ad septimum mundi millenarium referantur, quum omnia illa quæ in septimi apertione describuntur, ad sextum mundi millenarium pertineant, non minùs quam ea, quæ in sexto sigillo continentur, licèt diuersa ratione. Materia siquidem sexti sigilli tota in iudicij descriptione, & desperatione impiorum hostium versatur. Septimi verò sigilli apertio, nō solùm iudicij formam, sed nouam quandā alterius generalis visionis narrationem, váriásq; ærumnas & calamitates orbi superuenturas ex demonstratione septem tubarum ante iudiciū, velut noua quadam & diuersa visione, complectitur.

Responsio.

EXHORTATIO AD REGES TERRAE.

Deinceps, quæ in proximo sequuntur capite nunc videamus. Si tamen cbiter tria priùs verba, hoc loco, communicemus cum regibus, & principibus huius mundi, quos admonitos hîc velim, vt re diligenter & maturè deliberata, cogitent diligenter, quàm horrendum sit incidere in manus Domini, videant quid agant, quid egerint, qui tot martyrum myriadas, his paucis annis, morti ac supplicijs exposuerunt. Quis pagus, quæ ciuitas eorum sanguine non maduit? De causa si rogentur, quid dicent? Quid? an quia de Deo, de Christo, aut contra Christum, aut contra fundamentum doctrinæ Christianæ, impium aliquid vnquam docere

Commonitio salutaris ad Reges, & principes mundi huius. Tot Martyres his annis aliquot cæsi, nullo recto iure, nec iusta vlla causa.

audiri

auditi sunt? Non arbitror. Quid, num scelere aliquo contra leges publicas, & ciuiles obstringuntur? Nihil minus. Sed rei fortasis læsæ maiestatis, & rebelles obstinati, contra suos principes deprehenduntur. Quid audio? Itáne, maiestatem principum illi lędunt aut violant, quorum omnis opera, labor, cura, defensio consilia in hoc potissimùm desudant, vt ius atque autoritatem suorum principum liberam, atque inuiolatam, in sua cuiúsque ditione, ab omni externa subiectione vindicent? an hi potiùs, qui id vnum summa ope nituntur, vt principes & reges terræ sub iugo alienæ potestatis redigantur, ita vt reges & imperatores subditis suis non aliter præsint, nisi ipsi priùs Romanorum præsuli κατ' πρωτοσεβάσῳ sese subiiciant, eíque succumbant, non ad nutum modo, sed ad oscula etiam beatorum pedum? Quod hoc monstri genus? Quæ noua hæc, atque inaudita tyrannidis affectatæ ratio, vel turpitudo potiùs, vt nemini liceat aliter domi gubernare, nisi foris alienæ priùs potestati seruiat? Exemplis nimium referta sunt omnia, si quis repetitis annalibus, historias perlegat Imperatoris Frederici secundi, Henrici quarti & quinti, Philippi Gallorum regis, Anglorum Henrici octaui & Edouardi sexti. Sed nullo id argumento illustriùs elucet, quàm in Elizabetha regina nostra: quàm tragicus hic pontifex tot modis, tot iam annis, molitur è solio atque ex vita etiam præcipitare, ídque non ob aliud, nisi quòd pontifici primas in hoc regno tenere, supra Reginam, non liceat. Iam per cætera regna & gentes vicinas, oculos circumferamus, quibus suos non deesse reges video, ac fateor, at ita vt ipsi titulum gerant imperij, summa verò rerum maximè administret pontifex: nec tam plebs ipsa subiiciatur suo principi, quàm princeps ipse captiuus, sub vniuersali capite Romano, eiúsque plebiscitis restringatur.

Papa omnium maximè reus læsæ maiestatis.

Elizabetha Regina.

Papæ contra eam conspiratio.

Iam vt causam habeat pontifex æquam, honestam legitimam, vincibilem (qua nihil iniquius) vt sit Christi vicarius, Petri successor (quo nihil falsiùs) sitque ideò, ratione sui loci, infinitis partibus omni humana autoritate superior, (quod ex aduerso cum Euangelica pugnat institutione): at verbi tamen causa, vt hæc omnia ei demus, fingam úsque porrò, Christum ipsum cum Petro omnibúsque Apostolis sedisse, ac præsedisse Romæ. Age, & quid tum posteà? An Christus, quum in terris hîc ageret, ita vnquam præfuit cæteris, vt non ipse omnibus subijceretur, discipulos etiam prouocans ad sui exempli imitationem? Quid? an vnquam alienis ipse se admiscuit, aut admisceret si adesset, gubernaculis? An vnquam ille minas, insidias, bella, anathemata intentaret principibus, suis decretis minùs obtemperantibus? Age, & si mundi gloria vniuersa, Christo ad perfruendum proponeretur, quemadmodum proponebatur, quid an admitteret ille, aut admisit vnquam? Nunquam fecit. Missus ille in hunc mundum venit, non vt regnum in mundo occuparet, non vt regibus in hoc seculo, aut regnis insultaret, aut insidiaretur: sed vt verbum regni æterni cunctis patefaceret. Inuitat quidem ad se omnes, vt veniant, venire si velint recipit: inuitum cogit neminem. Nullius vitam ille, nec fortunas petit, nec corpora hominum ferit. Animas solùm pacifica doctrina imbuit. Viam ad æternam vitam laborantibus & oneratis aperit. Præterea nil captat aliud mitis ille spiritus, & humilis Euangelij functio. Et quorsum igitur tantus hic tumultus furoris Pontificij? Etiam si principes Christiani intra suas ditiones, suprenum supra se caput minùs admitterent, quid quæso ei facerent iniuriæ, si hoc ipsi negarent, quod ipsa negat Scriptura, nec Christus vnquam si adesset, sibi arrogaret?

Papę potestas nullo iure, nec ratione, nec exemplo Christi nititur.

Luc. 3.

Christi vita in hoc mundo pæ pæ ex diametro contraria.

Quo magis demiror, quid isti sibi in animo proponant principes quidam, & reges terræ, qui in tam manifesta pontificiæ ambitionis experientia, tantaque in luce melioris doctrinæ, adeò nihil persentiant, vt vltrò se deludendos Romanis artibus præbeant, ósque sibi obliniri, regna sic mutilari patiantur, adeóq; inter hostes, & amicos, nihil diiudicent, vt quibus summam debeant gratiam, ijsdem summam

Querela contra principum quorundam iniuriam.

rependant perniciem. Quòd si pro hæreticis, eos mactandos censeant, qui integram ipsis in suos subditos, & supremam, sub Christo, authoritatem deferunt: quid istis faciendum, qui principes Christianos bona magnáque potestatis parte mutilatos, ceu bubalos nare pertrahunt suis decretis, quo volunt?

Principibus quid cauendum & formidandum.

At quanto consultiùs, séque digniùs facerent isti heroes, si dicusis malorum fontibus, gladium potestatis suæ, quem acceperunt à Deo, non in Dei seruos, sed in patrocinium potiùs innocentiæ distringant, sicque rem gerant, vt ipsi suæ saluti maturè consulant, illud quod verisimum est, scientes, quod & olim, licèt sero, sentient, nisi caueant, Deum ignem esse consumentem, nullo modo ipsis tollerabilem. Nam vt vt habeat Antichristus suum hìc grassandi tempus; nec minùs certò & Christus suum habet iudicandi diem, qui vt pijs futurus est, & filijs Dei dies redemptionis, dies lętitiæ, dies retributionis: ita reprobis dies furoris erit, iræ, & vltionis. Qui dies lentiore licèt protractione βραδίως σπεύδειν videatur, non potest tamen longiùs his nunc abesse temporibus, in tanta præsertim occisorum martyrum multitudine, plenáque illa (vt ita dicam) & consummata sanguinis mensura. Quæ quum ita sint, videant proindè mactatores isti Martyricidæ, atque vel ex eo intelligant, dies ille magnus iræ, quantã Christi inimicis vindictam infliget, quando reges ipsi, & magnates, & diuites cum vniuerso hoc hominum genere, quotquot nauarunt Antichristo operam, siue serui sint, siue liberæ conditionis, eò adigentur, vt præ metu malorum impendentium, mortem, quam alijs inflixerint, non solùm ipsi sibi lubentissimè expetant, quam nec effugient, sed ex cruciatu etiam ipso cõscientiæ, tum maximè ad conspectum gloriæ illius, quem anteà contẽpserint, totos montes super se cadere, totáque mole se obruere, si fieri posset, exoptent, ac quiduis ferant potiùs, quàm vt aspectum iudicis illius, aut iudicij acerrimi sustineant.

Dies iudicij nouissima, alijs salutifera: alijs lætifera.

Psal. 2.

Det Dominus regibus istis maturè, vt intelligant & erudiantur, qui iudicant terram. Cæterum istos suo relinquentes iudici, nos interim pergamus ad ea, quæ restant, in capite sequente discutienda. Atque vtinam beatissimus ille Agnus, qui solus librum hunc aperire secretarium dignus sit repertus, dignetur animorum nostrorum sensus aperire, vt quæ aperuit ille, pro excellentia dignitatis suæ, nos gratia donati ipsius, eadem mysteriorum secreta commodè percipere, rectéq; κατ' ἁπλότητα τῆς ἀληθείας interpretari queamus.

CAPVT VII.

POst hæc vidi quatuor Angelos stantes super quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ, ne flaret ventus super terram, neque super mare, neque in vllam arborem.

Et vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem sigillum Dei viui, & clamauit voce magna quatuor Angelis, quibus datum est nocere terræ, & mari, dicens: Nolite nocere terræ, neque mari, neque arboribus, quoad signemus seruos Dei nostri in frontibus suis.

Et audiui numerum signatorum centum quadraginta quatuor milia, signati ex omni tribu filiorum Israel. Ex tribu Iuda duodecim milia signati. Ex tribu Ruben 12000. signati. Ex tribu Gad 12000. sign. Ex tribu Aser 12000. sign. Ex tribu Nephtalim 12000 sign. Ex tribu Manasse 12000. sign. Ex tribu Simeon 12000. sign. Ex tribu Leui 12000. sign. Ex tribu Isachar 12000. sign. Ex tribu Zabulon 12000. sign. Ex tribu Ioseph 12000. sign. Ex tribu Beniamin 12000. signati. &c.

Post hæc vidi, & ecce turba multa, quã nemo numerare poterat, ex omnibus gentibus et tribub at populis, & linguis: stantes ante thronum, & in conspectu agni, amicti stolis albis

albis, & palmæ in manibus eorum, & clamabant voce magna dicentes: Salus sedenti super thronum Dei nostri, & Agno. Et omnes Angeli stabant in circuitu throni, & seniorum, & quatuor animalium, & procubuerunt in conspectu throni in facies suas, & adorauerunt Deum, dicentes: Amen. Benedictio & claritas, & sapientia & gratiarum actio, honos, & virtus, & fortitudo Deo nostro in secula seculorum. Amen.

Et respondit vnus de senioribus, & dixit mihi. Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt? & vnde venerunt? Et dixi illi, Domine tu scis.

Et dixit mihi: Hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione, & dilauauerunt stolas suas, & dealbarunt eas in sanguine Agni. Ideo sunt ante thronum Dei & seruiunt ei die ac nocte in templo eius. Et qui sedet in throno habitabit super illos. Non esurient, neque sitient amplius, neque cadet super illos Sol, neque vllus æstus, quoniam agnus, qui in medio throni est, reget illos, & deducet illos, ad fontes viuos aquarum, & absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum.

De quatuor Angelis, & quatuor Ventis.

Hæc vt rectè intelligantur, cum præcedentibus coniungantur oportet. Etsi verò ordine ac numero capitum distinguuntur, minimè distinctas tamen visiones efficiunt, sed ad sextum æquè sigillum vtraque pertinet descriptio, vt rectè à Bibliandro, & Marlorato annotatum est. Quo fit, vt ex sensu vnius, facilior patefiat alterius intelligentia. In superiori siquidem capite, sigilli sexti apertio ad sextum millenarium pertinens, describit acerrimum illum diem diuinæ vindictæ, quæ sceleratos sanctorum carnifices in perpetuos conijciet cruciatus. Contra verò, in septimo hoc capite de piis fidelibus agitur, quos idem ipse iudicij dies illæsos, atque intactos, ad æternam traducet felicitatis gloriam. Quemadmodum & in mari rubro, consimile vtrinque periculum immersionis, & Israelitarum, & Pharaonis populo ante oculos obuersabatur, at Deo tamen rem gubernante, ita prospectum est, vt quæ via Dei populo tutam aperuit libertatem, eadem hostibus truculentis capitale attulerit exitium.

Theod. Bibliander. Aug. Marloratus.

Israelitarum euasio. Pharaonis immersio in mari rubro.

Consimilia passim exempla iustitiæ, simul & misericordiæ diuinæ in literis sacris referuntur, in quibus, non ante supplicium de impijs sumitur, quam electis prospiciatur. Habet enim Deus, & nouit, qui sui sunt, quos loco & tempore, sibi peculiariter electos, & cœlesti notatos consignatione, è mediis eximit periculis. Sic in generali Cataclysmo parcitum est Noe, eiúsque familiæ. Nec priùs in Sodomam diuina conflagrauit vindicta, quàm inde Lothus cum suis educeretur. In Aegipto percussis ab Angelo primogenitis, solũ Israelitæ euaserunt illi, quorum postes sanguinis signatura aspergerentur. Apud Ezechielem, emissi dicuntur Angeli sex armati, qui vrbem excinderent Hierosolymorum. At interim missus est & alter candida indutus veste, qui litera T, frontibus consignatos, è communi panalothria eriperet. Idem & Christianis illis accidisse fertur, qui cum eadem vrbs à Romanis occupata, funditùs euerteretur, admoniti priùs, vt in Pellam concederent, è communi clade asseruarentur. Extant permulta id genus in scripturis, exempla passim obuia, in quibus cùm grauissimè Deus peccatis irascitur, nunquam tamen tam grauiter in sceleratos effundit iram suam, vt non viam semper aperiat populo suo ad elabendum.

Exempla diuinæ iustitiæ, & misericordiæ.

Diluuium Noah. Sodoma Loth.

Ezech. cap. 9.

Euseb. lib. 3. cap. 5. Christiani in pellam fugientes.

Idem & hoc in loco, consimili docemur exemplo eorum, partim ex Iudæis, partim ex gentibus, quos curat Deus obsignandos, priusquam fatalis ille perdendis impijs dies destinatus immittatur. Atque illud est, quod innuit hîc propheta, quum vidisse se dicat quatuor Angelos, quibus datum hoc sit prouinciæ, vt

vt ſtantes ſuper quatuor terræ cardines, quatuor terræ ventos diuino mandato retineant, ne quis vſquam auræ ſibilus, aut ventus flatum emittat, ſiue ſuper terram, ſiue ſuper mare, ſiue ſuper vllam arborem. Quæ res quid aliud ſignificare poſſit, niſi ſupremum mundi occaſum, rerúmque omnium finem? Etenim vbi nullus venti flatus, nulla aëris permotio, nec auræ æthereæ vlla refrigeratio, ſed perpetua quædam ſupernarum motionum conſiſtentia exiſtit, nulla illic neque pluuia neque ros, nec vlla nubium condenſatio, nec concretio vaporum, maris denique nulla agitatio, nec terræ fœcunditas, nec arborum vegetatio, nec vitæ refrigerandæ ſpiraculum expectari poterit. Et quid indè conſequi neceſſe eſt niſi vt omnia rapido ſolis, & cœleſtium influentiarum feruore exæſtuent, cunctáque iam miſceantur incendio, quod nulla vi humana, nec regum potentia, nec diuitum opibus, aut ſapientum ſtudijs reſtingui poterit. Verùm priuſquam dies ille magnus iræ, tanquam caminus incenſus aduenìat, minimè interim apud Deum defutura eſt ſingularis quædam ſuorum cura, qua electorum ſaluti conſulatur. Mittet enim præcurſorem Angelum, qui impreſſo Dei ſignaculo, eos obſignet, quos è publica hac rerum omnium conflagratione ſeruare velit. Eſt autem ſignaculum Dei, de quo apud Paulum audimus: nempe nouit Dominus, qui ſui ſunt.

Signaculum Dei quid ſit.

Iam verò quinã hi ſunt, quos ad vitam ſignat Dominus, ſi quis quærat, ex verbis prophetæ intelligat, nimirum qui Chriſto per fidem inſiti, toto corde & confeſſione ipſum ſpirant, qui ſtolas ſuas in ſanguine ipſius dealbârunt, agnúmque ſequuntur quacunque iuerit. Vnde autem venerunt ſi ſcire vis: *Ex magna* inquit, *tribulatione*: id nimirum oſtendens, haud vllum ferè aditum patere ad regnum vitæ, niſi ferendis afflictionibus. De numero porrò electorum quod attinet, ne quis anxiè ſe in eo torqueat, reſponſum accipiat, numerum hunc ſine numero eſſe, quem numerare nemo poterit, præter eos, quos ex omni tribu filiorũ Iſrael certo numero conſignauit. Numerus autem ex ſingulis eorum tribubus, ad hanc ſummam redit denique, vt ad quadraginta quatuor hominum milia cenſeantur. Ingens certè cœleſtis militiæ exercitus, etiam ſi nihil his copijs ampliùs accedat. Iam infinitæ miſericordiæ vim, ſupráque modum exuberantes diuinæ pietatis diuitias ſpecta. Non enim contenta tam effuſa illius largitas his finibus, aut nominibus eorum, qui certo numero comprehendi queant, vlteriùs progreditur ad eos etiam, quos nulla neque tribus continet, nec ſignatura aliqua frontibus impreſſa dirimit ab alijs, nulla ſaltem ſignaturæ mentio auditur, nec vlla inſuper complecti, poteſt Arithmetica numeratio. Sunt enim multitudine infiniti, genere ac natione incogniti, & quod omnium maximè mirandum eſt, nullo Dei ſignaculo (quod quidem apparet) conſcripti, & tamen ad vitam recepti ſempiternam. Qua cauſa obſecro? niſi ex ſola redemptionis gratia, ſine vllis benefactorum meritis? Age, & quid tantæ huic multitudini futurum ſit, quæ quantáque eis bona, quàm admiranda in cœlis ſolatia proponuntur, non indignum fuerit in calce capitis, propheticam huius rei deſcriptionem, ſimul et cauſam immenſæ huius gloriæ adnexam aduertere. *Ideo*, inquit, *ſunt ante thronum Dei, & ſeruiunt ei die ac nocte.* In quo ætiologiam audis, cauſamque redditam, quur cœlo adſcribuntur iſti. *Nempe, quia ſanguine*, inquit, *agni intincti, fideque illius purificati conſpiciuntur.*

De numero conſignatorũ. Signati qui ſint. Afflictiones huius vitæ ſanctos dei ſemper ferè comitantur. Numerus electorum ſine numero. 44000. electorum ex tribubus.

At quæret hoc loco curioſulus fortè aliquis. Et quid igitur de reliquis illis gentibus dicetur, quæ tam multis antè ſeculis, per quatuor milia annorum, mortem Domini præceſſerunt, nec tingi eius ſanguine potuerunt, quid an in tota hac gentium multitudine nullas omnino reliquias electorum habebit Chriſtus? An fruſtra eorum omnium propagatio producta videbitur, aut Orco mox natos adiudicabimus, quotquot vſquam in terris ante Chriſti exortum ſunt procreati, atque in albo Chriſtianorum non referuntur? Quod ſi ita ſit,

Queſtio de ijs gentibus qui anteceſſerunt mortem Chriſti, an omnes damnãdi ſint.

quur

quur Deus igitur filium suum non ab ipso mox mundi primordio, quur in fine potius seculorum nasci voluit, si ante patefactam Euangelij lucem, spes nulla cuiquam esse potuit consequendæ salutis?

Huic problemati, curioso magis, vt videtur, quam temporibus hisce necessario, etsi neque instituti mei sit, nec ingenij satisfacere, tamen pro tenuitate, vt dicam aliquid: primùm ita mea fert ratio, ex omni Gentium, ac iudeorum genere, haud vllum vnquam fuisse, qui ante mortem Christi, procreari in mundum potuerit, quum occisus sit agnus à prima mundi origine. Deinde, quum hoc in loco duplex producitur electorum multitudo, altera consignatorum: altera non consignatorum, duo proindè in vtroque genere, spectanda nobis occurrunt. Primum, quod ad tribus duodecim consignatorum attinet, suboritur quæstio, vtrum consignatio hæc ad carnalem solùm Israelem referenda sit, an ad spiritualem potiùs, & oecumenicam Christi ecclesiam, & ex iudæis, simul & gentibus aggregatam, quã externa resp. Israelis representabat? Quod si duodecim has tribus signatorũ de carnali Israele intelligamus, videtur id non posse congruere, vel hoc argumento, quòd centum quadraginta quatuor milia illa consignatorum ex ijs præcipuè constare dicuntur, qui venerunt ex magna tribulatione, & stolas dealbârunt in sanguine agni. Quod minimè competere videtur in Israelitas mortem Domini præcedentes, sed in candidatos illos Martyres potiùs, qui Christum sequuti, ex omni aggregatione ecclesiæ, varias pro illo afflictiones subierunt. Ideóque isti sacro baptismo, & professione, quam gerebant conspicui, ad numerum certè signatorum necessariò pertinent, ex omni tribu, & genere Christianorum recollecti. Quod si ita sit, fieri aliter non potest, quin reliqua illa multitudo non consignatorum, reliquias earum gentium comprehendat, quas nulla conspicuo electionis signo imbutas, mortémque Christi antecedentes tum maximè, si qui per vim atque iniuriam indignè opprimebantur (quod genus non paucos veteres commemorant historiæ) sæuitia & tyrannide malorum iniquissimè sublatos, aut crudeli aliqua impietate diuexatos, quos si voluerit Dominus mortis suæ donare beneficio, quis prohibere poterit, quum cœli & terræ princeps sit ille, & iudex arbitrarius? At sine fide, inquies, nulla constat salus. Verùm, modò de ijs intelligatur, quorum incredulitas nullo necessario prætextu excusari possit. At quid de ijs dicendum, qui illis vixerunt temporibus, vt nihil de fide audire omnino potuerint. Age, & quid tum sibi volunt Christi verba illa, vbi ait: Si non venissem & loquutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo, &c. Quod si ergo qui non audiuerunt, teste Domino aliquo modo videntur excusabiles, quid vetat quo minùs ad istos etiam, qui extra numerum consignatorum commemorantur, dilatare se possit agni ab initio occisi redemptio, & beneficij prærogatiua? Sed ista prætermittamus melius arcanæ illius sapientiæ, quæ pertingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Sap. cap. 8.

Reſponſio ad problema.
Agnus occiſus ab exordio mundi.
Duplex electorum multitudo ſignatorum, & non ſignatorũ.
Queſtio.
Carnalis Iſrael.
Spiritualis Iſrael.
Dilutio quæſtionis.
Obiectio.
Reſponſio.
Ignorantia vincibilis, & inuincibilis, quarum altera excuſabilis eſt altera inexcuſabilis.
Ioan. 15.
Sap. cap. 8.

Hęcq; simplicissima mihi quidem videtur septimi huius capitis explicatio. Interim si qui sunt, cuiusmodi permultos esse video, quos delectat magis sensus allegoricus, nec inscitè hoc modo conueniet interpretatio. Atq; equidem in hanc sententiam plures inclinare persentio, vt quatuor ventos ad ministerium purioris doctrinę, ad ædificationem ecclesię accommodent. Porrò, quatuor angelos, penes quos potestas est ventorum, ceu quatuor noxios spiritus, cum his comparant, qui liberam Euangelicę veritatis aurã hic vndiq; vi sua restringũt, vt nusquã ex vlla parte cœli, vox diuina aures hominũ personare, aut mentibus influere queat. Nec inconcinna quidẽ mihi videtur allusio, quę vtcũq; prophetico sensui nimis fortasse respõdeat, certè à rerũ veritate, & historia tẽporũ nihil omninò abludit. Cui .n. obscurũ id esse potest, quẽadmodũ mũdus hic nõ paucis iã annis, sese christi euãgelio opposuit, quibuscũq; posset modis impediẽdo. Primũ, in Asia, tũ in Europa illic per Mahumetũ, Turcas, et Saracenos: hic

Senſus allegoricus.
Quatuor venti.
Quatuor Angeli poteſtatem habentes ventorum.

Pseudonomi catholici hæretici,

hîc per pontificē,& pontificij generis pseudonomos catholicos, vero nomine hæreticos. Cùm enim hæretici corrumpant solùm scripturas, istis non satis est corrũpere, nisi & easdem publico hominum vsu prorsùs interdicant. In quo quid aliud nobis exhibent, quàm quòd de quatuor his Angelis spectatur à propheta, quos vidit stantes super quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ, videlicet spirituale Dei verbum, & salutiferæ Scripturæ volumina, ita sua potestate obstruentes, ne aut Eurus aliquis propheticæ cognitionis, aut Zephyrus Euangelicæ lucis vulgi sensibus affulgeret, ea lingua, qua sacræ Dei literæ audiri atque intelligi possent. Quin eadem opera isti solem è mundo excutiant, qua sacræ lectionis consolationem denegant ecclesiæ. Neque enim minùs sole aut aura ætherea careat hic mundus, qua vegetamur, quàm sacris scripturæ documentis piorum careant conscientiæ, quibus ad salutem reficiuntur. Siquidem quod foris præstat corporibus aura hæc, qua vescimur, ætherea, hoc idem in mentibus perficit verbum Dei, vnde omnis proficiscitur & doctrinæ nostrę institutio, & salutis vegetatio. Quo magis odio digni sunt, qui tam scelerata consilia agitant in ecclesia Dei; velut in præsepio canes, quod aiunt, qui nec ipsi regnum Dei ingrediuntur, nec alios intrare sustinent. Atque interim qui hæc factitant, quasi re bene gesta, mirum quàm sibi applaudunt, ac personas induunt, ac si soli ipsi purissimæ religionis Atlantes existant, omnisq; veritatis magistri. Nec temerè id quidem illi, sinéque consilio. Vident siquidem homines non incallidi, fraudes suas, & errorum præstigias occultari non posse, prodeunte Scripturarum luce.

Vsus scripturæ sacræ vulgo interdictus,

Cæterum non desunt hîc interim prætextus fucati, quos arguti homines suæ obtendunt peruersitati. Quid, inquiunt, an non sæpè vsu videmus venire, vt vulgus imperitum ex auscultatione sacræ lectionis hereses contrahat, & errorum peste inficiatur? Ideò quod sibi commodissimum videt turbę Romanæ pontifex, huc omnia vertit consilia, vt plebs imperita quàm minimum in rerum diuinarum cognitione sapiat, ita futurum ratus, vt quum totus hic Romanissimus nihil habeat, quod quisquam meritò probare debeat, nemo sit tamen, qui quicquam in eo ausit, aut velit redarguere.

Prætextus pōtificiorum, in prohibendis scripturis.

Quin nec illud ei satis, per vim & iniuriam ignaras vulgi mentes à sacrarum literarum auscultatione procul submouere: accedunt insuper ad iniuriæ publicæ defensionem æquè callidi prętextus. Sic enim suaues homines causantur, id se facere non alio animo, quàm metu hæreseωn, & schismatum, ne plebs hoc modo ex occasione rerum non rectè intellectarum in hæreses ruat, atq; ita magistros, à quibus doceri eos conueniebat, quod sæpe, vt aiunt, euenire solet, contemnere incipiat. Pręclara nimirum ratio, ac digna magistris istis catholicis. Quòd si huiusmodi nonnulli reperiantur, qui ex optimarum lectionum authoritate contagia contrahant erroris, quid, an hoc imperitæ solùm plebeculę, an non idem doctissimis sæpè etiam ingenijs solet accidere? Quid, an quod vitio ascribendum sit abutentium, id nos legitimo Dei verbo imputabimus? Quin eadem ratione ventos prohibeant, vt neque ab Oriente, neque ab Occidente, aut vlla cœli parte, terram, mare, aut vllam arborem attingant, quòd suo afflatu pestes nonnunquam, grauésque morbos corporibus aduehant, non sua natura, sed pro locorum, aut humorum, in quos incidunt, qualitate. Et quur igitur Angelis istis data potestas dicitur nocendi terræ, in ventorum retentione, si mundus ijsdem ventis carere, sine graui pernicie, vllo modo potuisset? Et quî minùs eos ecclesiæ nocere dicemus, qui sua authoritate scripturas subtrahunt salutares, nè in populi notitiam diuulgentur?

DE QVATVOR VENTIS.

ATq; hæc quidē hactenus de sensu huius prophetiæ allegorico, quem si recipere placeat, haud equidē video, in quos huculētiùs cōpetere possit prædictio prophetica,

phetica, quàm in solos istos, quos dico, pontificij Catholicissimi confœderatos. Cetera de Romanis corruptelis vberior subsequetur inferiùs, propitij numinis præsidio, pertractandi opportunitas. Interim ad præsens institutum quatuor ventorũ quod attinet, siue per allegoriam hæc ad ecclesiæ cursum referimus, siue propriè & simpliciter citra allegoriam dicta accipiamus, vtram sequamur sententiam, quum vtraq; verò cohæreat, nihil erit incommodi, nec magni retulerit, nisi quòd maior quædam euidentia, pluréſque coniecturæ in eum potiùs sensum nos inducant, qui allegorica tropologia careat. Cum enim allegoriæ tum propriè & necessariò scripturis adhibentur, quum aliter nequeant sine tropo intelligi, sensúsque Grammaticus absurdus, pugnánsque cum sana doctrina videatur: nihil hic opus magnoperè video, quur ad mysticum allegoriæ sensum confugiamus.

De 4. Ventis.

Simplex scripturæ sensus citra allegorismos.

Quòd si verò sine aura hac ætherea qua vescimur, si sine ventorum omni permotione, nulla sit mundi perduratio, nulla terræ fœcunditas, maris nulla agitatio, nulla arborum fœtura, nec corporum respiratio, quid aliud hinc expectandum, quàm vt vniuersalis hæc omnium ventorum statio, obstructíque omnes anguli & cardines terræ, fatalem omnium rerum ruinam, totiúsque naturæ interitum portendant? Quod aliquando, re etiam ipsa, sine omni tropo futurum intelligemus. Quemobrem si negari non possint hæc, quæ de ventis hìc dicuntur, aliquando, re quidem ipsa, obuentura esse, munduſque finem suum habeat necesse sit: nihil necesse erit, quur in his igitur exponendis, ad tropum confugiamus. Ad hæc quum catalogus ille consignatorum eos necessariò designet, qui ad ecclesiam pertinent, quíq; immunes ab his malis singulari Dei ope custodiuntur, minimè consentaneum videtur, prophetiam hanc, de obstructione ventorum, ad ecclesiam pertinere: sed ad eos potius, qui extra ecclesiam, obnoxij sunt iudicio. Quemadmodum in percutiendis ægyptiorum primogenitis, Israelitas sanguine Agni notatos nulla feriebat plaga. Et apud Ezechielem, qui litera *Tau* notabantur, soli è communi contrucidatione incolumes euaserunt: ita existimandum est, pericula, quæ ex ventis orbi portenduntur, nihil omnino ecclesiæ ciues attingere, sed ad exteros solùm, qui foris sunt pertinere. Adde huc, si obstructio illa ventorum, metaphorico sensu, ministerium verbi impeditum figurat, scire id velim, quo demùm tempore ecclesia sic vnquam destituta fuerit salutifero Dei verbo, vt nullus eius afflatus, vel terram, vel mare, vel arborem vsquam vllam commouerit. Præsertim quum semper habeat Christus in medio etiam Antichristi regno, ecclesiam cui nunquam, se defuturum promittit, vsque ad consumationem seculi.

Ventorum obstructio quid portendit.

Obstructio vẽtorum quos potissimum terat.

Obstructio vẽtorum 4. ad obstructionem verbi propriè accommodari non potest.

At dices, silentium hoc ventorum ad impios duntaxat pertenere a quibus solis clauditur Euangelium, non ad pios, quos Angelus ad salutem consignauit. Vt verum hoc sit, at quæro iterum, in quod tempus hæc incidit piorum liberatio? De quo audiamus verba ipsa propheticæ visionis.

Obiectio interiecta.

Dilutio.

Et qui sedet, inquit, *in throno, habitabit super illos. Non esurient, neque sitient amplius, neque cadet super eos sol, neque vllus æstus, quoniam agnus, qui in medio throni est, reget illos, & deducet illos ad fontes vitæ aquarum, &c.*

Quòd si liberatio hæc piorum supremũ illum mundi diem designet, qui finem omnium malorum sit allaturus, certius argumentum esse possit, quin & illa, quæ vastitatem impiorum demonstrant, ad idem similiter tempus iudicij referantur? Possent & plures in hunc modum afferri coniecturæ. Sed non ero pugnax. Illud interim scisciari liceat, quænam hæc vis tanta existat, quæ ventis imperet, Dei, an hominum? Quòd si humanarum virium non sit, ventos, ne spirent, compescere, sed à diuina id solùm potentia proficiscitur, qua ratione conueniet hæc allegoria, vt ventorum obstructione, doctrina Euangelij obstructa significetur? Quæ duo, diuersis inter se causis discrepant. Quarum altera in Deo solo sit posita: altera hominum impiorum malicia conficiatur. Quanquam neque hæc ita a nobis hoc loco disputata sunt, vt non liberum sit cuique vtram velit interpretationẽ amplecti.

Vẽtorum silentium tam ad pios pertinet, quam ad impios.

Illud certum, si ad interruptum Euangelij cursum, hanc de ventis visionem accommodemus, nihil verius dici, nec vlla re illustrius describi Romanæ Babyloniæ pontificem, qui tam multos iam annos, haud aliud maiore molitur studio, quàm vt crassum hominum vulgus à sacra diuinarum literarum auscultatione submoueat, lucémque veritatis fumis caliginosis, & peregrinis ἀπὸ τοῦ ἀπατᾶν suffundat.

Pontifex Rom.

Exhortatio ad fidem Christi.

SEd hæc aliud habent explicandi tempus. Nos quod ad rem præsentem pertinet, id nunc agamus. Quoniámque de ijs tam ante dicere cœpimus, quos ad salutem diuina conscripsit benedictio, quid agamus rectius, quàm vt huc denuo reducto sermone, accuremus sedulò, eorum nos adiungere sodalitati? Id autem fiet, si ipsorum exemplo, spreta huius mundi felicitate, Christum vnigenitum Dei filium, atque vnicum salutis nostræ fontem, fide syncera imbibamus, in hunc omnem vitæ nostræ cursum, curámque intendamus, illius ante omnia, gloriæ seruiamus, nusquam nisi ad eum spectantes, quem signauit pater, ficque signauit, vt extra hunc, nulla sit ad vitam consignatio. Siquidem ita res habent nostræ, vt qui natura sumus peccatores, vitam nulla re alia consequamur, quàm gratuito ipsius dono, & beneficio, credentes in nomen eius. Fides enim illos seruat, quos natura perdit. Perdit autem natura, quoscúnque ab Adamo progenitos peccatum mortales efficit. Quo enixius nobis in hanc curam incumbendum est, vt posita omni carnis celsitudine, imperio nos illius subijciamus, cui soli in manu est omnis, & cœli & terræ potestas. Nemo sibi frustra blandiatur. Sine illo peccatum est, mors est, quicquid in mundo, quamlibet splendidum & sublime cernitur. Sine hac vna vitula quisquis agrum colit, nulla succedit aratio. Quemadmodum sine illo nulla constat pax peccatrici huic naturæ: Ita vbi adest ille, nihil deest ad perfectæ felicitatis summam. Quanquam non deesse scio permultos, qui fidem illius professione præ se ferunt, ac vtinam tam verè, quàm magno quidem prætextu. Cæterum quæ vera & genuina Christi fides sit, eius hæc natura est & conditio, vt eam plerunque, vel persecutionis probet aduersitas, vel emundet afflictio, præparétque ad coronam, quemadmodum hoc loco, vox testatur Senatoria: *Hi sunt, inquit, qui venerunt ex magna tribulatione, & dilauerunt stolas suas, & dealbauerunt in sanguine agni, &c.*

Benedictio diuinæ electionis ad quos propriè pertinet.

Fides in Christum sola.

Exhortatio ad fidem & cultum Christi.

Extra Christum nihil nisi peccatum est.

Iudic. 14.

Rogandus est igitur (clementissimus Dominus) qui ad dexteram considet paternæ maiestatis, vt misertus ecclesiæ suæ, tam exulceratis hisce temporibus, vel finem maturè imponat, indies in deterius prolabenti huic seculo, vel vires imminuat aduersariorum, vel vires saltem suis addat ferendis mundi miserijs pares, atque idoneas, per potentiam roboris ipsius, quo finito tandem militiæ huius stadio, lætissimus aliquando dies ille adueniat, quo mitissimus agnus ille, qui in medio throni considet, regat illos, ducátque ad fontes viuos aquarum, absterfurus tandem omnem lachrimam ab oculis eorum. Amen.

Precatio ad Christum dominum.

CAPVT VIII.

ET cum aperuisset sigillum septimum, factum est silentium in cœlo, media fere hora: Et vidi angelos stantes in conspectu Dei, & data sunt illis septem tuba. Et alius angelus venit, & stetit ante altare, habens thuribulum aureum, & data sunt illi incensa multa, vt daret de precationibus sanctorum omnium, super altare aureum, quod est ante thronum. Et ascendit fumus incensorum, de precibus sanctorum è manu angeli coram Deo, & accepit angelus thuribulum, & implenit illud de igne altaris, & misit in terram, & facta sunt tonitrua, & voces, & fulgura, & terræmotus.

Et

Et ſeptem angeli, qui habebant ſeptem tubas præparauerunt ſe, vt tuba canerent.

Et primus angelus tuba cecinit, & facta eſt grando, & ignis mixta ſanguine, & miſſa ſunt in terram, & tertia pars arborum concremata eſt, & omne fœnum viride combuſtum eſt.

Et ſecundus angelus tuba cecinit, & tanquam mons magnus igne ardens proiectus eſt in mare. Et facta eſt tertia pars maris ſanguis, & mortua eſt tertia pars creaturarum, quæ erant in mari, quæ habebant animas, & tertia pars nauium interiit.

Et tertius angelus tuba cecinit, & cecidit è cœlo ſtella magna ardens, tanquam facula, & cecidit in tertiam partem fluminum, & nomen ſtellæ dicitur abſynthium. Et verſa eſt tertia pars in abſynthium, & multi homines mortui ſunt ex aquis, quia amaræ factæ ſunt.

Et quartus angelus tuba cecinit, & percuſſa eſt tertia pars ſolis, & tertia pars Lunæ, & tertia pars ſtellarum, ita vt obſcuraretur tertia pars eorum, & diei non luceret pars tertia, & noctis ſimiliter.

Et vidi, & audiui vnum angelum volantem per medium cœli, dicentem voce magna: Væ, væ, væ habitantibus in terra, è cæteris vocibus tubæ trium angelorum, qui erant tuba canturi.

DE SEPTIMO SIGILLO EIVSque apertione.

DE ſex ſigillis dictum eſt: ſupereſt ſeptimi & vltimi patefactio. In qua tertia nunc prophetæ viſio oſtenditur. Sic enim vſitata plurimorũ interpretum ſententia receptum video, vt in ſeptem præcipuè viſiones, vniuerſa diſtinguatur Apocalypſis, quarum hanc tertiam faciunt, quæ tribus proximis capitibus continentur. Atque huius quidem ſigilli ſeptimi explicatio, longè latéque patens, inde adeò à primis eccleſię initijs exorſa, grauiſſima Dei iudicia, horrendas minas mundo incredulo, & maligno denunciat. Quæ omnia ſub diuerſis, & diſtinctis ſeptem tubarum temporibus diſponuntur. Ac primùm, quæ octauo hoc capite continentur, ordine exponenda ſunt. Poſt ſilentium ſemihoræ in cœlo factum, pręſto adſunt Angeli ſeptem buccinatores, quibus totidem tubæ in manus committuntur, quas non ilico tamen illi perſonant. Priùs enim interuenit Angelus alius, qui aureum geſtans thuribulum, odoriferas ſanctorum preces, ſuper altare aureum adolebat. Ex quo demùm thuribulo, cùm fumus ingens de oblatis ſanctorum deprecationibus, adminiſtrante Angelo, in conſpectu Dei aſcendiſſet, idem mox Angelus acceptos ex igne altaris carbones proiecit in terram, vnde conſequuntur tonitrua, voces, fulgura & terræmotus. Peractis ijs denique in cœlo rebus, incipiunt mox Angeli parare ſeſe, pro mandato cuique officio, ad ebuccinandum, cęteráque, quæ deinceps ſubſequuntur, plenisſima quidem omnia myſterijs, ſatisque δυνόησα, quippè quæ faciliùs humanam exerceant coniecturam, quàm interpretem inueniant. Neque tamen minùs propterea laudandi ſunt ſtudioſi illi interpretes, grauésque Theologi, qui in exquirendis hiſce myſterijs, opes ac neruos ſuæ ſapientiæ, quàm poſſent maximè, pro ſuo quiſque talento, experiri atque intendere ſunt conati. Quos ſingulos & vniuerſos producere in tanta ſententiarum varietate, vt longum foret, ita nullos omninò referre, cunctósque in vniuerſum ſupereſſedere res ipſa non ſinit.

Septimum ſigillum.

Tertia viſio.

Tertia hæc viſio in tria capita ſequentia diſtenditur.

Angelus cum thuribulo aureo.

Difficilis ad interpretandum locus.

Primùm itaque, quòd ad ſilentium in cœlo attinet, per horæ dimidium, ex his autoribus, quos probatiſſimos in hoc genere ſtatuo, ſunt qui ſilentio hoc tranſitionem & diſtinctionem intelligi putant, à ſuperioribus ad ſequentia, à ſigillis videlicet ſeptem, ad ſeptem tubas, cum præparatione ad attentionem. Vt enim

Silentium in cœlo, ad horæ dimidium.

sigillis illis septem fatales huius mundi casus, grauissimáque Dei iudicia, in vitam mortalium aperiuntur, vsque ad supremum mundi exitum: itidem nec dissimile quiddam septem hisce tubis peragitur, nisi quòd prior illa sigillorum apertio, generali velut vaticinio, vniuersa mundi tempora latiùs se porrigens, complectitur. Tubæ deindè post septimũ apertum sigillum productæ angustioribus temporum spacijs accommodatæ, ea solum personant, quæ ad postremam peculiariter monarchiam, vsque ad supremum eius exitum, spectare videntur. Ideóque aperto demum septimo sigilio, inter septem ipsa signacula, & septem tubas, medium quoddam interstitium silentij interponitur, veluti discriminis causa, ad preparationem nouæ cuiusdam visionis. Plærique nostrorum hominum silentium hoc, eò pertinere putant, vt excitentur auditores, & præparentur ad attentiorem auscultationem eorum, quæ secutura expectantur. Habet enim silentium, vt scribit Henricus Bullingerus, admirationem & expectationem rerum maximarum. Sunt tamen, qui silentium hoc aliter accipiunt. Beda, & hunc secutus Thomas Aquinas cum Glossa ordinaria, silentio illo pacem & tranquilitatem significari diuinant in ecclesia futuram, post interitum Antichristi, donec adueniat Christus in maiestate sua: cámque duraturam per dies quadraginta duos, ídque per horæ dimidium intelligunt. Augustinus ex semihoræ silentio initium æternæ quietis colligit: nec multum ab hac sententia abludit Marloratus. Aretas aliter statuit, silentij huius mysterio, angelicam designari modestiam, & reuerentiam, circa primum aduentum, deindè circa secundum aduentum ignorantiam. Theod. Bibliander in cæteris non indiligens interpres, in hoc silentio mirum tenet silentium. Alfonsus à cæteris non nihil deflectens, ita hunc nodum discutit, vt hæmiorio hoc silentio significetur, clamorem in ecclesia cessare, nec amplius audiri voces eorum, qui propter persecutionum horrorem, clament ad dominum. Nec multum ab eo recedit Franciscus Lambertus, qui interpretatur silentium hoc, pacem esse Christi, iunctã cum externa pace ecclesiæ, deuicto iam Antichristo, & bestia illa coccinea vastata. At ista interpretatio nec sibi satis constat, nec cum cæteris scripturæ huius partibus cohæret. Si enim de interna & spirituali pace Christi intelligit, qua floret ecclesia, est illa non semihoraria, sed sempiterna. Sin de externa, post profligationem Antichristi, at hoc minimè vedetur vero consentaneum, quum silentium hoc in cœlo, longè ante ruinam Antichristi præcesserit, priúsque factum sit, quam vlla vox tubæ audiretur.

Dauid Chytræus.
Bened. Aretius.
Henri. Bullinger.
Petr. Artopæus.
Guli. Fulco.
Beda.
Thom. Aquinas.
Glosa ordina-
Augustnus.
Marloratus.
Theod. Bibliander.
Alfonsus.
Conradus Mantuanus.
Franciscus. Lambertus.

Primasius Vticensis lib. 2. in Apocl.
Richard del Sancto victore
Rupertus.
Psl. 75.

Primasius Augustinum, vt videtur, sequutus, pro initio accipit æternæ quietis. Quòd autem interruptum sit, id eò fieri ait, non quòd non iuge sit silentium, sed propter seriem narrationis, quæ alioqui continuari non potuisset, nisi interrupto ad tempus silentio. A qua sententia nec multum abest Richardus de Sancto Victore, tum etiam Ruperti censura, qui locum hunc silentij, ad sensum illum Psalmystæ exponit, quo in Psalmo septuagesimo quinto canitur. Terra tremuit, & quieuit, cùm exurgeret in iudicio Deus, vt saluos faceret mansuetos terræ. Vt sensus sit redeunte de cœlo Domino, tunc impii desinent malè operari, & incipient sancti quiescere, ponéntque finem clamori suo, vindictam postulantes. At neque id quidem satis congruit, quum certissimum sit, quietem illam nullo vnquam fine perrumpendam. De Borrhao aliisque, quid dicam, quorum magna pars eius videtur opinionis, vt silentio hoc putent, tranquillitatem ab afflictionibus partam electis denotari.

Borrhaus in Apocal.

In tanta scribentium & dissidentium multitudine, vt non facile est singulorum iudicia colligere: ita difficilius est, in his certum statuere, quid sit probatissimum. Illud certum, cùm Angeli isti cornicines non priùs canerent, quàm cœptum sit in cœlo silentium, ex ipso rerum ordine, certam ac definitam temporis rationem, quando primùm cœpit silentium, necessariò spectandam esse. Quod hactenus à nemine istorum, vel animaduersum satis, vel rectè positum video.

Nam

Nam qui ad initium æternæ quietis, silentium hoc cœleste referunt, id priùs nobis dicant oportet, quo demũ tempore, qua ætate, quo seculo, æterna hæc quies sumum habeat initium, ante tubas, an postea? Si post tubas, & finem huius seculi sentiant, at hoc fieri non potest, quando post intermissionem quietis auditi sunt deindè tubarum strepitus, quibus variæ calamitates, & perturbationes designantur. Sin ante tubas: tempus igitur præfinitum huic rei assignemus necesse est. Omnia enim Dei iudicia, præsertim, quæ publica sunt, statis quibusdam, & præscriptis temporum limitibus definiuntur. Age, & quod igitur tempus huius silentij fuisse conijciemus?

Qua in re, si mihi concedatur dicere, non dico, quod sit rectius, quod tamen mihi, videatur εἰκάζεσθαι, sic mea quidem fert coniectura, per breue hoc in cœlo silentium, tempus illud spectare, quod nato Seruatore, sub Augusto Cæsare, publicam & œcumenicam orbi vniuerso pacem & tranquillitatem attulit. Neque id cuiquam scrupulum moueat, quòd in cœlo silentium factum dicitur, quum nihil in terra geritur quod non in cœlo priùs definitum, velùtque gestum intelligatur. Sequitur post hæc tubarum præparatio, neque id statim, nisi priùs interueniat alter Angelus, qui Deo litans, thymiamata de precibus sanctorum ei offerat, carbones deinde ex medio altari susceptos thuribulo, in terram profundat. Id quid habet mysterij, haud difficile fuerit æstimare, si quis non oscitanter reputet, quantam vim in cœlis obtineant sanctorum preces, tum maximè si quis ardentissimam illam Christi, sublatis in cœlum oculis, orationem Iohan 17. crebrásque ipsius in precando pernoctationes, tum Apostolorum insuper, quos ipse ad orandum instruxerat. Pauli, Stephani, sanctorum præterea marytrum gemitus, preces, lachrymas ad Deum, feruore assiduo profusas expendat, tum maximè si quis sanguinem piorum Martyrum recta ratione æstimet, qui tanquam fumus gratissimæ hostiæ in cœlos penetrans, mirabiles sine dubio odores ciet. Vnde si incensus diuinæ iustitiæ calor, carbones iræ suæ in terras proiecerit, minimè mirandum est. Illud equidem mirari satis nequeo, quid in mentem venerit Anglorhemensibus nostris theologis, qui nuper in suis in hanc Apocalypsin commentarjs, nimium perridiculis, Angelum hunc cœlestem thymiamata adolentem, ad sacrificum terrestrem accommodant, in ara hîc pontificia, Christum ipsum pro populo sacrificantem, præsertim quum, teste & autore Augustino, nullus existat, præter vnum Christum, qui typo huiusce Angeli respondeat. Quòd si enim, qui sanctorum omnium preces Deo commendet, atque conciliet, eiusmodi sit oporteat, qui singulari quadam præditus sanctitate præ cæteris quibúsque sanctis, nullius ipse conciliatione, ara, aut sacrificio egeat, nusquam certè ille inuenietur, in quem hæc cadant omnia, præter vnum eum, qui natus absque peccato, die tertia resurrexit à mortuis, qui & sacerdos ipse sit, & ara, simul & sacrificium. Ex quo necessaria consequitur ratione, vt quum sacerdos, qui pro sanctis agat apud Deum in cœlis, & sacerdos, simul & ara, & sacrificium existat, nullius ipse egens conciliatione, rursúsque quum sacrificium Christi eiusmodi sit, quod diuelli ab ipsius sacerdotio, iuxta Augustinum, non debeat: aut igitur Rhemenses Theologi tales se nobis ostendant sacerdotes, qui non commendatitia ipsi intercessione indigeant, vnúmque tantum statuant aduocatum: aut Christi sacrificium ab eius sacerdotio derimere desinant.

Silentium & pax publica nato seruatore sub Augusto.

preces sanctorum.

Anglorhemenses Theologi.

August.

Sacrificium Christi ab eius sacerdotio minimè diuellendum.

DE SEP-

DE SEPTEM ANGELIS
eorùmque tubis septem.

Pergamus modò ad tubas septem, quæ septem Angelis distributæ memorantur. quoniámque de numero septenario, de quo supra non nihil attigimus, recurrit hic iterum dicendi occasio, haud temerè prætereunda videntur, quæ de consideratione huius numeri, à scriptoribus adnotari solent. Neque enim in diuina hac solùm prophetia, totóque complexu sacrarum literarum, sed in communi etiam natura rerum, plurimus huius numeri vsus *a* cernitur, miráque obseruatio. Septem *b* in humano capite cranii ossicula, suturis colligata visuntur. Iustum humanæ staturæ complementum ad *c* septem non amplius pedes excrescit. *d* Septima ferè hebdomade totus homo in vtero absoluitur. Septenarius *e* numerus septentriones maiores, minoresque facit, item vigilias quas Pleiades *f* vocant. Septem *g* in cœlo signifero planetæ, quas stellas erraticas dicimus, numerantur, Lunæ, Veneris, Mercurii, Solis, Martis, Iouis, Saturni. Sacratus hic numerus à mundi compositione, autoritatem obtinere videtur, quòd Deus peracto sex dierum opificio, diem septimum quieti consecrauit. Ideóque in diuinis scriptis septenarius hic numerus, præ cęteris, celeberrimum omninò locum & obseruationem obtinet. Hinc celebritates veteris ecclesiæ septimo die, septima hebdomada, septimo mense indictæ. Septimo anno agrorum quies, seruorum manumissio mandabatur. Post annum septies septimum iubilæus fuit. Paschatis festo septem diebus esus erat azymorum. Diebus septem summi sacerdotis initiatio, simul & expiatio altaris, consummabatur. Mense septimo festum agebatur expiationis. Septem diebus, mense septimo, solennitas tabernaculorum instituta est. Septima expleta hebdomada, post ferias primitiarum, celeberrimus agitur dies Pentecostes. Septem brachijs, totidemque lucernis, candelabrum ante arcam adornabatur. Leprosus septimi diei inspectione à sacerdote iudicatur. Septem sacerdotalibus tubis clangentibus corruit Hierico. Septuaginta annorum periodo exilium definitur Babylonicum, apud Hieremiam. Septuaginta Senioribus partitur Deus onus Mosi, totidemque prophetæ, spiritu ipsius, in subministerium decernuntur. A primo Adamo secundum genealogias, quas Lucas comemorat, septuagesima septima generatio incidit in natalem Christi. Quid de septem petitionibus dicam Dominicæ orationis? Quid de panibus septem, quibus tot pasta sunt hominum milia?

Nusquam autem, vel frequentior, vel illustrior, mystica huius numeri ratio elucet quàm in historia hac Apocalyptica. Hic primum septē spiritus sancti donis ecclesiam suam Christus illustrat, septem recensentur candelibra, pro numero septem ecclesiarum, ad quas septem mittuntur epistolæ. Liber oracularis septem occlusus signaculis, aperiri nisi à Christo solo non potest. Dantur septem tubæ septem Angelis. Totidem angeli septem effundunt phialas iræ Dei. Ciuitas septicollis, septicépsque in eadem, bestia depingitur. Denique perpetuo diuinæ scripturæ more fieri videmus, vt numero isto definito ferè vtatur, quoties rem vel indeterminatam, siue perfectam assignare voluerit.

a Septenarius numerus.
b Septem in capite humano ossicula.
c Statura humana septem pedum.
d Septima hebdomade hominis tota genitura absoluitur.
e Septentriones maiores & minores.
f Pleiades septem.
g Septem planetæ.

Exod.12. Septimo die quies Sabbati.
Exod.29. Septimus dies.
Leuit.16. Septima hebdomada.
Leuit.23. Septimus mensis.
Exod.25. Septimus annus.
Leuit.13. Septies septimus annus iubilæi.
Ios.6. Per Septem dies esus azimorum.
Iere.25. Septem diebus sacerdotis initiatio, & altaris expiatio consumabatur.
Num.11. Septimo mense festum expiationis.
Luc.3. Septimo mense fest. Tabern. Feriæ primitiarum, Festum pentecost.
Matth.6. Septiceps candelabrum ante arcam.
Luc.11. Septimo die leprosus inspicitur.
Mar.15. Septuagesima septima generatio incidit in natalem Christi.
Mar.8.
Apoc.cap.2.
Septem spiritus sancti Dona.
Septem candelabra.
Septem eccle.
Septem libri signacula.
Apoc.cap.5.
Septem tubæ.
Septem Angeli.
Septem phialæ.
cap.8.
Septicollis ciuitas.
Septiceps bestia.

Sed

Sed audiamus tandem tubas, quid de cœlo clamitent. *Et primus Angelus tuba cecinit, & facta est grando, & ignis mixta sanguine, & missa sunt ista in terram, & tertia pars arborum concremata est, & omne fœnum viride combustum est. &c.*

Post odoramenta piarum precum, & hostias sanctorum martyrum, Christi nomine & numine, Deo redditas & acceptas, adornant se Angeli, arreptis ilicò tubis, suum quisque classicum canere, non omnes simul ebuccinantes, sed suo quisque tempore & ordine. Quænam autem temporum hæc interstitia fuerint, & quid singulis tubarum classicis significetur, non facilis videtur explicatio. Illud, meo iudicio, minimè dubitandum est, quin septem istis tubis, post preces, & hostias sanctorum in cœlo peractas, signa dentur diuinæ vindictæ, contra nefarios ecclesiæ hostes, propter effusum suorum sanguinem. Vndè non improbabilis sit coniectura, ad posteriora mundi secula, post exortum Christi Euangelium, hæc omnia esse applicanda, contra sæuos & superbos verbi contemptores. Cùm autem multa extiterunt acerba Dei iudicia, grauésque pœnæ, quibus Deus palam iram suam de cœlo passim ostendit, aduersus tetra impiorum scelera, tum ex ijs, quæ omnium grauissima fuerint, maximáinque rebus mortalium perniciem attulerint, septem præcipuè ex historijs constare videntur.

Angeli tubis canentes, non simul, sed successiuis temporibus.

Quarum prima fuit atrocissima illa, at iustissima Dei ira, in excidio Iudaicæ gentis, totiúsque terræ illius vastitate, ob contemptum ipsius Euangelium, tum maximè ob crudelissimam ipsorum contra filium Dei, rabiem & immanitatem. Quo nomine dici non potest, quas posteà pœnas, maxima cum sua pernicie, dederit gens nefaria, passim in Iudæa, primùm sub procuratore Cumano, imperante Claudio. Deinde sub procuratore Felice, qui magnas eorum multitudines frequenter cecidit, alijs insuper in vincula coniectis, alijs in captiuitatem abductis. Ne quid dicam interim, quàm multi Hierosolymis, per tumultus sicariorum cæsi: quot item multitudines circumuentæ & occisæ, partim seductione pseudoprophetarum, partim tumultuaria seditione: præter decem illa hominum milia, & amplius, quos in superiori tumultu, sub Cumano concisos obtritósque commemorat Iosephus & Egesyppus.

Prima tuba. Septem grauissima vindictæ diuinæ argumenta aduersus Euangelij hostes.

Egesyppus lib. 2. cap. 6. & 7. de excid. Ioseph. de bello Iudaic. lib. 2. cap. 11. Item lib. 20. ca. 4. Antiq.

DE DECEM PRIMIS PERSECVtionibus obiter.

Post Felicem deindè procuratores succedunt Festus, Albinus, & Florus. Post Claudium verò in Imperij habenas subit Nero, organum planè diuinæ iracundiæ, fax reipublicæ: ac hostis, vt rectius dicam, humani generis. Sic solet subindè diuina iustitia huiusmodi abuti instrumentis, ad vindicandas improborum iniurias. Cuius anno demùm duodecimo, non multò ante Martyrium Petri & Pauli, cœpit illa potissimùm Iudaicæ euersionis iustissima causa & seminarium. Cùm enim nunquam desineret gens rebellis & factiosa, contra Romanas legiones tumultuari, euenit tandem, excandescente in eos diuina vindicta, vt apud Cæsaream, supra viginti illorum milia sint trucidata, duce Floro, duo milia quingenti in Ascalone, in Ptolemaide duo milia: in Batamea regione, septuaginta nobiles & præstantes Iudæi interfecti sint. Sub idem tempus in Alexandria, quinquaginta milia cæsa dicuntur, autore Iosepho, & Egesyppo. Cestius porrò militum in Syria præfectus, perspecta furente Iudæorum rebellione, Zabulon primùm vrbem Galileæ, deindè Ioppem cœpit, vbi post cæsos homines centies mille, & quadringentos, ciuitatem incendit. Nec minùs Damasceni Iudæos apud se habitantes exosi,

Prima persecutio sub Nerone. Ann. 55.

Vindicta Dei contra Iudæos

Ioseph. lib. eodem cap. 19.

Ioseph. cap. 21.

congregatos in ſynogoga ad decies mille interemerunt.

Veſpaſianus Ioſeph. lib. eodem cap 22. Egeſyp. lib 2. cap.11.

Venit deindè in Syriam Veſpaſianus, qui apud ciuitatem Aſcalonem, primùm decies mille, mox octies mille Iudæos contrucidauit, poſtea Gadarenſium vrbem, Iotapatam deinde, tum Iapham Iotapathæ finitimam obſidione cinxit & cepit, vbi ad quindecim hominum milia interfecit. Sub hæc ad Garizim montem occiſi ſunt vndecim milia & ſexcenti. De Iopata priùs obſeſſa diximus, qua demùm capta, refert Ioſephus mortuorũ cadauera numerata, ad quadringenta milia. Perlongum fuerit ſtrages omnes ordine perditiſſimæ nationis percurrere, in ciuitate Tarachæa, ad lacum Genæſarum ſita: in hac qui perierunt, ſex milia cenſentur. Acceſſit his malis, præter exitialem famem & peſtem, inteſtina diſcordia, ſæuientibus immani tyrannide, Idumæis & Zelotis intra vrbem, vnde breui ſpatio, Hieroſolymis, abſumpta ſunt duodecim Iudæorum milia, tum multo plures ex his, qui ex vrbe Gadarenſi diffugerant in prælio cum Placido commiſſo, à Romanis partim interempti, partim ſubmerſi dicuntur. Quorum numerus ab Egeſyppo æſtimatur ad nonaginta duo milia, & ducentos.

Ioſeph. lib. 5. cap. 1.

Egeſyp. lib. 4. cap. 15. & 16.

Erat iam in medio itinere Veſpaſianus, Hieroſolymam cum vniuerſis copijs petiturus, ſed accepta Neronis morte, ſententiam atque iter ad tempus mutauit. Poſt mortem Neronis ſucceſſerunt Galba & Otho. Sed quia breuis fuit eorum principatus, capeſſit imperium Veſpaſianus. Qui miſſo contra Iudæos Tito filio, Ieroſolymam metropolim vallo cinxit, menſe obſidionis ſeptimo cepit, mœnia diruit, templum funditùs deleuit, rempublicam extinxit, Regnum, Sacerdotium, Genúsque penè vniuerſum Iudæorum aboleuit, vix exiguis relictis in miſero exilio, ad poſteritatis memoriam, reliquijs. De numero autem in vna hac republica interfectorum bello, fame, peſte, inteſtina tyrannide, & ſeditione, non attinet hic referre, quum Ioſephus ipſe omnem humanam rationem excedere affirmat, eò quòd ciuitatem tunc vndique populis ad feſtum Paſchæ confluentibus, differtam, ac totam propemodum Iudæorum gentem, quaſi in carcere concluſam, bellum & vaſtatio atrox, iuſto Dei iudicio, apprehendit. Egeſyppus decies centena milia indigenarum, eorúmque, qui ex alijs vndique regionibus, ad feſti concelebrationem confluxerant, cæſa in tota obſidione affirmat. Addit Ioſephus captiuorum, qui comprehenſi ſunt, & vel ducti in triumphis, vel beſtijs dati, vel ſupplicijs affecti, per omnes vrbes, qua iter agebat Titus, nonaginta fuiſſe, & ſeptem milia adnumerans, mortuorum verò vndecies centena milia. Sic vltus eſt Deus ſanguinem vnigeniti ſui filij: anno poſt crucem ipſius quadrageſimo, poſt annos verò Dauidis 1179. Vnde deſinant poſthac Romanæ eccleſiæ filij, cauſam ſuam ex temporis diuturnitate tueri, ſed ex cauſæ potius rectitudine, & diuini fauoris approbatione, annorum diuturnitatem æſtimare velint. Neque enim quæ tempore ſunt antiquiſſima, ſed quæ veritatis ratione ſunt probatiſſima, apud Deum firma & ſolida conſiſtunt.

Vaſpaſianus cum Tito filio mouẽs contra Iudæos. Ieresolyma capta, diruta.

Decies centena milia Iudæorum Cæſa. Egeſippus.

Ioſeph. lib. 6. cap. 16. 17. 18. Egeſip. lib. 5. cap. 49.

Veritas cauſæ non ex diuturnitate temporis metienda: Sed contra.

Habetis hactenus primæ tubæ claſicum, ſatis ni fallor, turbulentum. Niſi ſit, cui forte ea placeat magis tubæ huius interpretatio, vt motus ille terræ, grandinis concuſſio, igníſque ſanguine commiſtus, ad funeſtum illum monarchiæ ſtatum referatur, ſub Claudio, & Nerone Imperatore, quem non immeritò horrendum diuinæ iracundiæ flagellum, non ſolum contra Iudeos, ſed quem etiam turbinem totius ferè orbis, peſtem reipublicæ, propriæque cognationis lanionem, nec minùs infeſtum Chriſtiani nominis hoſtem, naturæ denique monſtrum dixeris.

2. tuba.

Sequitur proximo loco, ſecunda tuba, canente ſecundo Angelo. *Et ſecundus Angelus tuba cecinit, & tanquam mons magnus igne ardens proiectus eſt in mare. Et facta eſt tertia pars maris ſanguis, & mortua eſt tertia pars creaturarum*

rarum, quæ erat in mari, quæ habebant animas, & tertia pars nauium interijt.

Superiori tuba, quæ præcesserint exempla diuini iudicij in eos, qui Christum, eiúsque Apostolos persequebantur, explicatum est. Deinceps, quæ pœnæ publicè ac priuatim eos sunt cõsecutæ, qui posteà in pios Christi martyres cruentas conscíuerunt persecutiones, secunda hæc reliquæq; sequentes tubæ exponere videntur. Ac primum de furoribus sæuissimorum principum, aduersus innocuos Christi professores, partim sub Domitiano, vespasiani filio, partim sub Traiano, qui Neruæ in imperium succesérat, tum sub Hadriano, & Antonino Pio, quanquam sub eo remissiús, sub Antonio Vero aliquanto grauiús sæuitum est: cui quarta post Neronem ascribitur persecutio, nec minus sub Commodo Antonini Veri filio: cuius tempore occubuit Polycarpus, cum aliis quamplurimis martyribus, sat nota habetur, cunctísque exposita in historiis descriptio. Post istas tam ferales persecutionum tempestates, quæ deinde ædita sunt exempla diuinæ iustitiæ, in vindicandis suorum iniuriis, postulat hic locus, vt ex historiis colligamus. Cum multa priuatim suscipiuntur vulgò flagitia, quæ vel ad supremum seruantur iudicium, vel quæ priuata hic Deus animaduersione coercet: tum verò ea maximè, quæ publica vi atque iniuria, homines scelesti & audaces contra Deum moliuntur, publicis ferè pœnis non carent. Postquam igitur tantum effusum sit hactenus Christiani sanguinis sine omni ferè modo ac ratione, non procul abfuit vindex Dei manus, quæ pares vicissim pœnas ab aduersarijs deposceret.

1. Persecutio, sub Domitiano an. 82.
3 Persecutio sub Traiano an. 99.
4. Persecutio sub Antonio Vero an. 139.
Diuina vindicta aduersus Euangelij persecutores.

Sic enim Beda, in historia Antonini Veri: post martyrium, inquit, Polycarpi, Pyonij, & aliorum, secutam esse quasi scelerum vindicem, atrocem pestilentiam, vastantem multas prouincias, Italiam maximè & Romam. Addit Sextus Aurelius victor: ab armis, inquit, nunquam quies erat, pérque omnem orientem Illiricum, Italiam, Galliámque bella feruebant, terræmotus, non sine interitu ciuitatum, inundationes fluminum, lues crebræ, locustarum species, agris infestæ: vt propè nihil, quo summis angoribus atteri mortales solent, dici seu cogitari queat, quod non, Antonino hoc regnante, sęuierit. Quid quòd idem victor: Traiani tempore, inquit, pernicioſe Nilus inundauit, magna clade ædium, & terræmotus grauis, per prouincias multas, atróxque pestilentia, fames, & incendia facta sunt. Testatur Eusebius, anno vltimo Antonini, Smyrnam Asiæ vrbem, in qua Polycarpus, aliíque complures pasti fuerant, terræmotu corruisse. Meminit & quarundam ciuitatum, quæ sub Hadriano, terræmotibus absorptæ sunt, Nicomediæ, Nicææ, cuius maior pars terræ concussione collapsa est, deinde & Nicopolis, & Cęsareæ, quæ conciderunt, anno Hadriani duodecimo. Atque de secunda tuba hæc hactenus, quæ vim suam omnem in mare effudisse dicitur. Pergamus deinceps ad tertiam.

Beda in vita Antonini veri.
Pestis.
Aurelius victor.
Aurelius victor.
Nili inundatio terræmotus.
Pestis sub traiano.
Eusebius.
Tertia tuba.

Et tertius angelus tuba cecinit, & cecidit de cœlo stella magna ardens, tanquam facula, & cecidit in tertiam partem fluminum, & nomen stellæ dicitur absynthium. Et versa est tertia pars in absynthium, & multi homines ex aquis mortui sunt, quia amara facta sunt.

Præclarè quidem Cyprianus in Apologia: Nunquam impiorum scelere, inquit, in nomen Christi exurgi, vt non statim diuinitùs vindicta comitetur. Idque iusto planè numinis iudicio, quo fit, vt non priuata solùm supplicia, verum etiam publicas, & latè quidem grassantes calamitates semper ferè secum trahant superiorum scelera. Quod & gentium omnium, & ætatum testantur historiæ. Quoniámque de mari superiùs dictum est, de externis modò fluminibus, in mare confluentibus ex historiæ collatione agamus.

Cyprianus in Apolo. aduers. Demetrianum.

Post quartam sub Antonino persecutionem, quintam deindè referunt ad Se-

Quinta persecutio sub Seuero, an. 230.

6 Perſecutio ſub Maximino. An. 232. Ex victore.

uerum. Sexta tribuitur Maximino, qui poſt multas eccleſiæ & doctorum vexationes, à militibus, vnà cum filio adhuc puero diſcerptus eſt, conclamantibus, cunctis militari loco: Ex peſſimo genere, ne reliquendũ quidem catulum. Septima tribuitur Decio, qui quum ne biennium quidem integrum imperaſſet, mox vnà cum liberis occiditur, Scribit Pomponius Lætus, eum infelici contra Gothos bello ſuperatum, ne in hoſtium manus veniret, ſeſe in voraginem immiſiſſe, ibique abſorptum eſſe. Poſt Decium imperium capeſſit infelix valerianus, crudelis in Chriſtianos maſtyga, qui vix quadriennium ſedem tenuit Imperatoriam, quum captus tandem à Sapore Perſarum rege, illuſus, excoriari juſſus, ac ſale conditus, vt quidam referunt, grandem ſuam illam in Chriſtianos ſæuitiam merito luebat ſupplicio. Quanquam ab alijs aliter de eo narratur: Saporem, à quo captus eſſet, adeo inſolenter illuſiſſe captiuo ſeni, vt pro ſcabello, eius tergo vteretur equum conſenſurus. In eáque turpi captiuitate tandem conſenuiſſe. Imperanti hoc Valeriano, Cyprianus in affrica trucidatus eſt. Dionyſius Alexandrinus cuius celebris fertur apud Euſebium mentio, ſenex in exilium pulſus eſt.

7. Perſecutio ſub Decio. An. 237. Decius tyrannus. Ex Pomponio Læto. 8. Perſecutio ſub valeriano. An. 255. Ex Euſebi. in Sermo. ad conuentum ſanctorum. Valerianus tyrannus à Sapore captus.

Sub hoc tempus mortuo Decio, & capto valeriano, regnante Galieno ipſius filio, qui & ipſe cum Valeriano patre ſocius perſecutionis fuerat, ſequuta eſt plus quam letalis peſtis, quæ per integrum decẽnium, aut quindecim adeò totos annos, per vniuerſas orbis partes longè latéque graſſata, infinitas mortalibus ſtrages intulit: Qua de re teſtantem ſuis verbis audiamus Pomponium. Perniciosa, inquit, peſtis vndique viguit. Tabis initium fuit ab Ethiopia, fortè ex nimio ſolis ardore. Peſtilitas primò conſumptis meridianis per orientem diuagata eſt, indè cæteras orbis partes inuaſit, vbique maximam partem incolentium exhauſit, plærasque loca inhabitata reliquit. Ea labes vix intra decem annos finem inuenit. Prouenisſe ex infelicibus Galli auſpicijs viſa eſt, vt qui proditione regnum arripuit, Chriſtiani etiam dogmatis hoſtis.

Eutropius. Pollio. Sabellicus. Volateranus. Peſtis decennalis ſub Galieno Valeriani filio. Pomponius lætus in vita Galli. Gallus cum filio Voluſiano.

Meminit peſtiferæ huius cladis Dionyſius in epiſtola, quam citat Euſebius, lib. 7. In qua poſtquam cauſas primùm tantæ vaſtatis exponit, hanc ita colligit, vt præcipuam eius originem, non alij magis cauſæ imputet, quàm fluminibus, cæſorum ſubmerſionibus cruentatis, aut æthereis euaporationibus, corporum proiectorum ſanie viciatis. Quando littora, inquit, ipſa ſæpenumero imaginem accipiant rubri maris, propter cædes in illis perpetratas. Et mox paulò: Tales enim ſunt, inquit, ex terra fumigationes, è mari venti, ex fluminibus auræ, è portubus exhalationes ſpirant, vt veluti ros quidam tabidus è cadaueribus putridis, cunctis ſubiacentibus elementis inferatur. Et adhuc admirantur, & inquiunt, vnde ſunt peſtes illæ continuæ, & graues morbi, vnde corruptiones vbique graſſantes? vnde varia & multa mortalium exitia. Atque de ſua mox vrbe Alexandrina loquens, adeò eam depopulatam, ſolitáque orbatam incolarum frequentia, queritur, vt tantam nunc ciuium multitudinem non complectatur, ſi à paruulis ad decrepitos ſenes numerentur, quot antea canos ſenes, ſicuti vocant, nutriuit. Deinde, qui aſpectu fuerunt iuuenili, factos nunc eſſe inſtar grandæuorum. Pergénſque: cum ita, inquit, ſine intermiſſione genus humanum in hac terra diminui, conſumíque videant, non tamen contremiſcunt &c.

Dionyſius ex Euſebio, lib 7. cap. 21. 22. Dionyſius Alexandrinus.

Peſtis atrox inter Ethnicos.

Atque hæc lues etſi ex Chriſtianis etiam nonnullos afflauerit, at rariùs tamen, multóque maiori cum patientia, & mutua inter ipſos cura. Apud ethnicos verò omnia, ait, contraria euenerunt. Etenim vix dum initia morbi habentes, auerſati ſunt, fugerúntque ab amicisſimis, & ſemimortuos in plateas ejecerunt, & mortuos inſepultos canibus dilacerandos expoſuerunt, vt mortis eo modo contagionem effugerent, quam tamen quamlibet machinati, haud facile poterant euitare. Hæc ille.

Admo-

Admoneantur itaque hiſce exemplis, qui nulla cauſa ſic tumultuantur, fremúntque aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius. Neque enim vnquam defuit, nec defutura eſt vindex dei manus, quæ cauſam ſuam egregiè & poſſit, & ſolet aduerſus furores mundi, portáſque omnes inferorum, ſuſtinere. præclarè Cyprianus ad Demetrianum ſcribens: Certi, inquit, ſumus & fidentes, quòd multum non remaneat, quodcunque perpetimur, quantóque maior fuerit perſecutionis iniuria, tanto & illuſtrior fiet, & grauior pro perſecutione vindicta. vt memorias non teneamus antiquas, documentum recentis rei ſatis eſt, quod ſic nuper ſecuta ſit tanta noſtra defenſio, ruinis regum, iacturis opum, diſpendio militum, diminutione caſtrorum &c.

Exhortatiuncula ad persecutores.
Vindex dei manus.
Cyprianus ad Demetrianũ.

Quoniam autẽ, de fluminibus ſupra iniecta mentio eſt, quæ ſolent ex fontium ſcaturigine in oceanum deuolui, non multum ab hac prophetia abludere videbitur mirabilis illa perturbatio defectionum, rebellionum, mutationúmque regnorum, quæ ſub Galieno Valereani filio, in imperium Romanum influebant. Ita enim ſicut in hiſtorijs teſtatum legimus, illa ferebant tempora. Nulla pars fuit reipublicæ, nulla prouincia, vna duntaxat excepta Italia, in qua non ſit tumultuatum, tótque ſub eo principe rebelliones extitere, quot ante in tam longa imperatorum ſerie ferè nunquam. Triginta numero à Trebellio ponuntur, qui vno tempore, alij alijs in terris exercuere imperium. In quibus fœminæ etiam quædam Romano nomini illuſerunt: ex Vopiſco, Eutropio, Sabellico. Euſebius hoc addit, Sub Galieno Ciliciam, Syriam, & Cappadociam, à Perſis, fœda populatione vaſtatas, Alemannos in Italiam tranſgreſſos: Gothos pontum, Aſiam, Macedoniam, & Græciam populatos: Quados & Sarmatas Pannonias occupaſſe, Terraconem in Hiſpania à Germanis oppugnatam. Sabellicus de infelici hoc tempore ſcribens, hæc Subijcit: Triſtis, inquit, & terrorum plenus huius principatus fuit. Dira naturæ portenta, illo imperante, ſunt omnibus terris facta, plures dies velut tenebris obuoluta iacuit terra, auditúmque tonitruum terra mugiente, non cœlo tonante: ſecutúſque vt ſolet, motus terræ ingens, quo plura ædificia cum habitatoribus, ſubito terræ hiatu abſorpta ſunt, multique mortales nimio terrore exanimati. Id malum Aſiam præcipuè habuit obnoxiam, mota eſt Roma, mota & Lybia, terræque hiatus pluribus extiterunt locis, maritimas vrbes ſubitum mare obruit. &c.

Ingens perturbatio per prouincias Rom. Imperij.
Trebellius.
Vopiſcus.
Eutropius.
Sabellicus
Euſebius.
Sabellicus.
Enneade. 7.
Sub Galieno Imp. ingens in toto orbe commotio.
Ingens terræ motus.

Galienus etſi cum patre valeriano regnans ſocius fuerat nefandæ perſecutionis, poſtea tamen capto patre, quum Solus regnabat, mitior aliquanto viſus eſt in Chriſtianos, à cuius primo imperij anno ad decimum nonum Diocletiani, totos quadraginta quatuor annos, mediocri tranquillitate eccleſia perfruibatur, niſi quòd Aurelianus cui noua adnumeratur perſecutio, mouere contra eccleſiam non nihil cœpit. Sed morte imperatoris mox reddita eſt eccleſiæ libertas: quam libertatem altera rurſus excepit perſecutio (quæ decima numeratur) ſub Diocletiano, Maximiniano, horúmque ſucceſſoribus, Galerio, Maxentio, Maximino, in qua, continuis decem annis, toto terrarum orbe, incredibili numero clariſſima effulſerunt martyrum lumina. Adeò vt teſte Damaſo, Beda, Oroſio, Honorio et alijs, ſpacio triginta dierum, matyrij nomine ſuccubuiſſe dicantur ſeptemdecim hominum milia, præter hos, quos ad metallorum effoſſiones ſcelerata condemnauit atrocitas. Quanquã nec in hac ipſa etiam tam horrenda tyrannorũ rabie, defuit æquè horrenda diuinæ vindictæ ſeueritas, par pari referens crudeliſſimis martyromaſtigis. Vt enim ea prætereamus, quæ priuatim Diocletiano, Maximiniano, Galerio, Maxentio, et Maximino orientali omnium immaniſſimo tyranno, diuinitùs inflicta ſunt, de publicis dei flagellis, non nihil ex hiſtorijs, annuente domino, attingemus.

9. Perſecutio ſub Aureliano. An. 270. vt alij, 304.
10. Perſecutio ſub Diocletiano, ciúſque aſſeclis. An. 311.
Ex Damaſo.
Beda. faſciculo temporum.
Vindictæ diuinæ ſeueritas contra perſecutores.

Sic enim Euſebius: toto hoc perſecutionis decennio, nihil ipſis defuit, quod ad mutuas inſidias, & bellum inteſtinum attineret. Mare nauigijs clauſum & in-

Euſebius lib. 8. cap. 15.

nauigabile erat, nec fieri poterat, vt aliunde quis nauigio adpellens non omnis generis plagis & tormentis cruciaretur, & an ab hostibus explorator missus esset inquireretur, tandem verò vel crucis vel ignis supplicio traderetur. Ad expeditiones militares, omnia expedita apparamenta. In metu & expectatione nihil magis, quàm hostium irruptiones. Quæ mala omnia fames & pestis consecutæ sunt. Fames quidem tanta, vt vna tritici mensura, bis mille & quingentis atticis venderetur.

Eusebius lib. 9. cap. 8.

Factum inde est, vt per ciuitates infinita hominum multitudo fame confecta mortua sit, maior verò per vicos & agros pestilenti morbo. Alij igitur, quæ charissima & preciosissima haberēt, pro tenuissimo cibo, ditioribus venderēt, alij possessionibus suis paulatim diuenditis, ad extremam egestatem redigerentur, Quidam modicas graminis minutias mandentes, & letiferis herbis promiscuè vescentes valetudinem corrumperent: nonnullæ etiam per ciuitates nobiles fœminæ, ad extremam inopiam redactæ, in agros mendicandi gratia se reciperent. Et alij quidem veribus exhausti, velut exanima simulachra, huc illuc vacillantes, nutantes & collabentes in medijs plateis conciderent: supiníque palmis extensis, vt pauxillum cibi sibi porrigeretur supplices orare, adeoque in extremis constituti, animámque agentes, esurire se clamantes, ad hanc etiam vocem proferendam vix valere. Sic igitur in medio foro & per angiportus, mortua ac nuda corpora pluribus diebus proiecta, & inhumata, miserabile visentibus spectaculū exhibebāt. cum & canū cibus nonnulli fierent, ob eámque causam potissimùm, qui viuebant, canes interficerent, veriti ne rabidi facti ad vorandos & laniandos homines conuerterentur.

Horrendum dei flagellum in sæuos persecutores.

Pestis præterea in singulas domos & ætates horrenda sæuijt, eos præsertim absumens, quos propter alimentorum copiam, fames absumere nequebat. Opulenti igitur & principes ac præsides, aliíque infiniti, qui magistratibus fungerentur, hoc mortis genere miserandum in modum interibant. Erántque omnia vbique luctu, planctibus & ploratibus plena. Et ad hunc modum duplici velut armatura mors belligerans, fame scilicet, ac peste, totas familias breui tempore absumpsit. Atque hæc præmia quidem erant iactantiæ Maximini, & edictorum, quæ æneis tabulis insculpta, per ciuitates contra Christianos publicauit. Hæc Eusebius lib. 9. cap. 8.

Ædicta contra Christianos æneis tabulis insculpta.

Post hæc tam luculenta diuinæ vltionis argumenta, in decennali hac persecutione passim per vrbes, & regiones cœlitus ostensa, restat vnum adhuc, idémque postremum ferè, huius persecutionis tempore, iustissimæ vindicationis exemplum, quod in Maxentium sæuissimum contra ecclesiam tyrannum, eiúsque furoris administros, diuina exercuit potentia. Postquam enim ita Deo visum est, finem his tumultibus imponere, excitatus est diuino consilio ad imperium gerendum Constantinus, à quo victus, fugatúsque aliquot prælijs Maxentius, cum suis copijs, tandem in flumine perijt, ponte rupto (Nicephorus Miluium vocat) quem scaphis coniunctis, vt transire posset, ipse fecerat, & in proprium exitium instruxerat. Euseb. 9. cap. lib. 9.

Diuina vindicta contra Maxentium & legiones Romanas. Euseb. lib. 9. cap. 9. Nicephorus.

Restat quarta iam tuba, cum terribili sua percussione, cuius in hæc verba sequitur descriptio: *Et quartus angelus tuba cecinit, & percussa est tertia pars solis, & tertia pars Lunæ, & tertia pars stellarum, ita vt obscuraretur tertia pars eorum, & diei non luceret pars tertia, & noctis similiter.*

Quarta tuba. Solis & lunæ obscuratio.

Magna certè & mira huius tubæ vis, quæ soli, lunę, astrísque tenebras inducere potuit. Nec facilis quidem propheticæ significationis explicatio, quid solis nomine, quid lunæ, atq; stellarum intelligatur. Nam de visibili hoc sole, de die, noctéq; materiali intelligi non posse perspicuum est. Restat proindè, vt solaris hęc obscuratio, lunæ, & stellarum tertia pars offusa, vel ad externum reipub. statum, vel ad rem ecclesiasticam referatur.

Side

Si de politico ſtatu ciuilis imperij intelligatur, optimè quadrat in ea tempora, in quæ fatales illæ inciderunt mutationes, & direptiones regnorum in Africa, Italia, Hiſpania, aliiſque regnis, per Vandalos, Gothos, Hunnos, Longobardos, cæteráſque gentes barbaras, quæ magno Dei iudicio infuſæ in Orientem, & Occidentem, ingentes conſciuerunt ruinas, ac deletis Imperatoribus Romanis, Italiam tenuerunt, ab anno 475. ad tempora Caroli Magni. Vandali ſimiliter duce Genſerico Africam tenuerunt per annos 95.

Vandali. Gothi. Hunni.

Genſericus dux Vandalorum.

Oſtgotti pannoniam, Weſtgotti Hiſpaniam. Vt ne commemorem horrendas illas cõcisiones maximorum exercituum, duce Aetio, & Attila Hunnorũ principe, vbi in vno conflictu, propè Tholoſam, occiſi feruntur, integra die ac nocte durante pugna, centum & octoginta milia hominũ, anno Valentiniani tertij vicesimo ſeptimo, præter incredibiles dilacerationes Romanæ vrbis, quæ quater aut quinquies capta & deuaſtata breui ſpacio dicitur, à Genſerico, ab Alarico, ab Odoacro, à Totila ſemel atque iterum, eadem porrò obſeſſa ab Vtige, cuius exercitus numeratur ad centum & quinquaginta milia. Quo ipſo etiam tempore, ingens incidit Italiæ vaſtatio, Roma, vt dixi, ſæpiùs capta, Mediolanum funditus deletum à Gothis, qui triginta ciuium milia illic contrucidarunt. Fuerunt & aliæ multæ vrbes vtrinque captæ, magni exercitus trucidati, ingens multitudo hominum peſtilentia & fame abſumpta. Matres filiorum carnibus paſtæ ſcribuntur. Sed de his fuſiùs poſthac et conuenientiùs volente domino, in enarratione capitis decimi tertij. Ita ſiquidem Deus omnium gentium peccata, mutationibus imperiorum, & vaſtationibus punire ſolet. Atq; hęc hactenus de externo ſtatu rei ciuilis & politicæ.

Roma quater aut quinquies capta & vaſtata breui ſpacio Gothorum exercitus ſub vtige.

Sin erit, cur probabilius videatur, tubam hanc ſpirituali ſenſu, ad motus eccleſiæ, & doctrinæ perturbationes accommodari oportere, haud ſcio, quidnam obnubilatio hæc ſolis & lunæ nobis accomodatiùs repræſentare poſſit, quàm craſſas quidem alias ſchiſmaticæ doctrinæ prauitates, tum maximè fœdas illas pontificiæ eterodoxiæ, & Machumeticæ peſtis corruptelas, longè latéque graſſantes, quibus haud multum abfuit, quin clariſſima euangelicæ ſinceritatis lumina, toto terrarum orbe, extincta fuerint. Quanquam quod ad Mahumetanam impuritatem attinet, ad ſequentes fortè tubas aptiùs referri poſſe videatur, de quibus reſtat dinceps videre, quid Angelus per medium cœli volitans ingenti voce ſubinferat.

Et vidi, & audiui vnum angelum volantem per medium cœli, dicentem voce magna: Va, va habitantibus in terra, è cæteris vocibus tubæ trium angelorum, qui erant tuba cantaturi.

DIVINAE VINDICTAE CONTRA HOSTES *Euangelij, ſeptem diuerſa exempla.*

CVM communis hîc vitæ curſus plurima ferat exempla, ac teſtimonia diuinæ iræ, aduerſus nefariam huius mundi rebellionem, hominúmque impietates, quæ perlongum foret ſingula oratione complecti, tum verò ex his omnibus ſi præcipua maximéque inſignia grauiſſimarum afflictionum exempla notentur, Septem potiſſimùm ex omni numero reperietur diuerſa ſuppliciorum genera, quibus in vindicandis impiorum flagitijs, Deus iram ſuam grauiſſimè, indè à primis eccleſiæ temporibus, hucúſque patefecit: ſicut ſeptem his tubis, vt diximus, ſignificatum eſt. Primùm, in exterenda vniuerſa Iudaici populi ſtirpe, & cognatione ſub Nerone, & Veſpaſiano, poſt crucifixum dominum, & apoſtolorum martyria.

Septem potiſſimùm exempla diuinæ vindictæ contra hoſtes verbi ſui.

Septem diuerſa ſuppliciorũ genera diuinitùs immiſſa.

2 In grauiſſimis ijs, quas ſupra recenſuimus, afflictionibus populi, ruinis regũ, iacturis opum, diſpendio militum, diminutione caſtrorum terræmotu & concuſſione, peſte, bulimia, quæ iuſto Dei iudicio, paſſim in monarchia Romana

ſub tyrannis imperatoribus in perſecutione martyrum acciderunt.

3 3 In horrenda illa, & generali peſte, fame, pananothria gentium, quæ per de-
4 cem, aut quindecim continuos annos, paſſim per omnes imperij Romani fines, poſt
5 perſecutionem Decij, Valeriani, & Aureliani, peruagata eſt. 6. Adde his æque in-
6 ſignes illas plagas, quæ in Diocletianum, Galerium, Maximinianum, Maximi-
num, Maxentium cum totius exercitus ſubmerſione, diuinitùs immiſſæ feruntur.

7 7. In horrifica illa Quadorum, Hunnorum, Wandalorum, Gothorum, ac Lon-
gobardorum irruptione, maximarúmque gentium, ſub his, depopulatione, & ex-
ercituum laniena. Atque de his hactenus tubis quatuor, ſeu quadruplici percuſſio-
ne terræ, maris, fluminum, & aſtrorum iam dictum eſt. De reliquis tribus poſteà
ſuo loco, ſi dederit Dominus.

Interim de his tubis, quoniam variant ſcriptorum iudicia, adtexemus hoc lo-
Varię quorundam expoſitiones, de 7. angelis, eorúmq; tubis, ex Aretio, & alijs. co quorundam interpretamenta, quibus libuit hic ἀλληγορίαν, quæ ſi minùs arri-
debunt, licebit ſuo cuique abundare ſenſu pro arbitratu.

Recenſet Bened. Aretius varias multorum diuinationes. Quorum alij, angelos
nihil hîc aliud faciunt, quàm monitores contra diuerſas ſectas & hæreſes: ita vt in
prima tuba, tempora apoſtolica, hísque vicina contineantur, quibus Ebion, Cerin-
thus, Tatianus, ſanam corruperunt doctrinam, vnde Eucratitæ, & monachorum
doctrina damnans matrimonium. 2. præparatur eccleſia contra Marcionem, Ana-
baptiſtas, Manichęos, Montaniſtas, Cataphrygas. Tertia tuba contra Origeniſtas
conclamatur, qui omnia allegorijs euertunt. Itidem de reliquis tubis philoſophan-
tur, rem ad ſpeciales perſonas accommodantes.

Alij aliter primam tubam ad apoſtolorum tempora, ac deinceps, ad Origenis
Secunda interpretationis ratio. ætatem deducunt. Ab eo deinceps ad Auguſtini tempora, hinc ad Gregorium.
Quartæ tubæ curſum numerant ad incrementa Machumetæ: Quintæ ad tem-
pora Bernardi: Sextæ, Bonifacij octaui: Septimæ reliquum deinde curſum aſcri-
bunt.

Tertia interpretatio. Tertij poſt hos ſunt, qui rem altiùs repetentes, tubis his, Catholica Dei iudi-
cia deſcribunt, vt primum clangorem referant, ad tempus diluuij, & Sodomorum,
Secundam tubam ad pharaonis ſubmerſionem accommodant. Tertiam ad Cana-
næorum per Iudęos ſubuerſionem, quartam ad pœnas Iſraelis in diſerto rebellantis,
eodémque genere procedentes in ſequentibus &c. Hęc ille.

Aretij interpretatio. Poſt hæc ſubijcit ipſe ſententiam ſuam Aretius, in hanc ferè ſummam, vt tubæ
hæ ſint commonefactiones, quibus præmonetur eccleſia, contra omnes omnium
temporum hæreſes. Quare diligenter obſeruandum admonet, quæ per ſingulas æ-
tates, ſana doctrina propoſita ſit: & quæ rurſus ex aduerſo opponatur ei, errorum
corruptio. Exempli gratia, *Primus*, inquit, *angelus clanxit, &c.* Angelus hic bonus eſt,
Primus Angelus. monens adeſſe euangelii lucem. Nec procul abeſt ilicò aduerſarius, qui contra ig-
nem hunc cœleſtem, ſuas offundat tenebras & ſeductores excitet: ideò ſanguine,
inquit, & grandine mixta eſt doctrina. Grando hæreſis eſt, & perditio boni, qua-
lis eſt doctrina de traditionibus humanis. Quin nec eò contentus inimicus addit e-
tiam ſanguinem. Nam traditiones humanas negligere capitale eſt in mundo, & ſan-
guine vindicatur. Cadit itaque ignis in terram, ignis nimirum Chriſti in terram
proiectus: ſed Chriſti aduerſarius conatur doctrinam ſuis technis corrumpere.
Nam tertia pars arborum euertitur, & omne fœnum viride, vel gramen exciſum
eſt. Arbores, doctores ſunt pietatis, gramen viride, ſunt auditores ſimplices, &c.

Quæ ſubduriuſcula mihi quidem videtur ἀπόφασις. Quòd ſi enim arbores
doctores ſunt pietatis, graméque ſimplices denotat auditores, fiet hac ratione, vt
non tertia ſolùm pars piorum doctorum, ſed turba ſimul vniuerſa ſimplicium au-
ditorum intereat, teſtante his verbis ſcriptura: *Et tertia pars arborum concremata*
eſt, & omne fœnum viride combuſtum eſt &c. Pergit porrò ad ſecundum angelum.
Secundus Angelus. Ad clangorem, inquit, huius Angeli, cadit mons ignitus, in mare &c. Mons ig-

nitus

nitus est valida aliqua hæresis, quæ nititur robore carnali. Mare mundus est, in quem cadunt montes isti hæretici, cadit philosophia, & studium humanæ sapientiæ, in confusionem consiliorum humanorum.

Sequitur dehinc tertius angelus, ad cuius clangorem, cadit stella de cœlo nempè vt mons priùs de cœlo cadens significet doctores, qui velut Paulus Samosatenus, Pelagius à Christo excidunt: Nonatius, similésq; hæretici. Sic talis stellæ cadētes sunt vicarij Christi, qui facti Antichristi membra, occupant flumina & fontes, hoc est, sibi solis arrogant, scripturæ interpretationem, nihilq; aliud admittūt, nisi quod ex scrinio pectoris ipsorum promanarit, cuncta redigentes in suam potestatem. Vocatur autē stella illa nomine Absynthus, διὰ τὸ βαθύπικρον, propter quod οὐδεὶς ἀνθέξεται ὕδατος. Inde aquæ conuersæ sunt in amaritudinem, hoc est, quia scripturæ sensum peruertentes, ex illius salubri doctrina, effecerunt venenum hominum. Talis est doctrina Antichristi, Turcarum, & Iudæorum.

Tertius Angelus.

Absinthus.

Quartus iam sequitur Angelus, à quo, Sol, Luna, & stellæ percutiuntur. Sol Christus est, in eo percussus, dum eius cognitio & dignitas apud homines vilescit. Luna, hoc est, ecclesia, vim patitur, dum in angustum redigitur, orthodoxi fugantur, improbi dominantur. Stellæ, doctores eodem pacto obscurantur, dum vel hæresi inficiuntur, vel inconstantia veræ confessionis pelluntur ab ecclesijs, quæ omnia speciem habent deliquij. De die, & nocte idem similiter existimandum.

Quartus Angelus.

Hæc Aretius, de primis quatuor Angelorum tubis. A quo nec multùm discrepant, & graues & erudititi Theologi. Quorum omnium huc ferè redit interpretatio, vt rem ferè omnem, ad speciales quasdam pèrsonas accommodent. Quorum nec ipse valdè sententiam repudio. Potest enim vtraque consistere interpretatio, siue velis immissos hos Angelos ad ecclesiam præmuniendam aduersus improbata sectarum dogmata, siue potiùs ad inferendam vindictam aduersus regna, & nationes, quæ se opponunt Euangelio Dei, eiúsque persequuntur ecclesiam. Ideóque non parùm mihi placet Gulielmi Fulconis docta interpretatio, qui ex similitudine sigillorum, & phialarum, non dissimile quiddam ex his tubis elicit, quòd quum enumerat terram, plantas, mare, fluuios, solem, Cœlum, aerem, cæteráque quæ in eis sunt, prophetam velle hac enumeratione, generalem aliquam calamitatem describere, quæ ad totum corpus, omnésque mundi partes ex sententia Dei pertineat. Cæterum, vt vt hæc res habet, quicquid id sit, quod signis istis tubarum voluit Deus mundo promulgari, defuncti iam suo ministerio quatuor isti priores præterierunt. Vnde restat pari ratione aduertendum, quid reliqui tres Angeli cum suis tubis, mundo apportant. Etsi neque dubium illud quidem est, quin graues admodum tristésque calamitates, ex primis illis tubarum signis sint consecutæ: at multò atrociora ex reliquis tribus expectanda esse, volantis Angeli voce admonemur, eodem hoc capite, paulò superiùs.

Bullinger. Marlorat. Chytræus.

Guliel. Fulco. in Apocalyp.

CAPVT IX.

ET quintus, Angelus tuba cecinit, & vidi stellam de cœlo cecidisse in terram, & data ei clauis putei abyssi. Et aperuit puteum abyssi, & ascendit fumus putei, sicut fumus fornacis magnæ, & obscuratus est Sol, & aer à fumo putei. Et de fumo exierunt locustæ in terram, & data est illis potestas, sicut habent potestatem scorpines terræ.

Quintus Angelus. Quinta tuba.

Et præceptum est illis, ne laederent fœnum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem, nisi tantùm homines, qui non habent signum Dei in frontibus suis. Et datum est illis ne occiderent eos, sed vt cruciarentur mensibus quinque. Et cruciatus eorum, vt cruciatus Scorpij, quum

percusserit hominem. Et in diebus illis quærent homines mortem, & non inuenient eam, & desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.

Et similitudines locustarum similes equis paratis in prælium, & super capita earum tanquam corona similes auro, & facies earum tanquam facies hominum. Et habebant capillos, sicut capillos mulierum, & dentes earum, quasi leonum erant. Et habebant loricas, sicut loricas ferreas, & vox alarum earum, sicut vox currruum equis multis currentibus ad bellum. Et habent caudas similes scorpionum, & aculei erant in caudis earum, & potestas earum nocere hominibus mensibus quinque. Et habebant super se regem angelum abyssi, cui nomen hebraicè Abaddon, Græce autem Apollyon. i. perdens. Væ vnum abiit, & ecce veniunt adhuc duo væ posthac.

Abaddon. Apollyon.

Et sextus Angelus tuba cecinit, & audiui vocem vnam ex quatuor cornibus altaris aurei, quod est ante oculos Dei, dicentem sexto angelo, qui habebat tubam: solue quatuor angelos, qui alligati sunt in flumine magno Euphrate. Et soluti sunt quatuor Angeli, qui parati erant in diem, & horam, & mensem, & annum, vt occiderent tertiam partem hominum. Et numerus equestris exercitus, vicies millies decem milia. Et audiui numerum eorum.

6. Angelus cum sexta tuba. Quatuor Angeli soluti. Equestris exercitus.

Et ita vidi equos in visione, & qui sedebant super eos, habebant thoraces igneos, & hyacinthinos, & sulphureos. Et capita equorum, erant tanquam capita leonum, & de ore ipsorum procedebat ignis, & fumus, & sulphur. Ab his tribus plagis occisa est tertia pars hominum, de igne, de fumo, & sulphure, qua procedebant de ore ipsorum. Potestas enim eorum in ore eorum est, & in caudis eorum. Nam cauda eorum similes serpentibus habentes capita, & per hæc nocent.

Et cæteri homines qui non sunt occisi his plagis, neque resipuerunt ab operibus manuum suarum, vt non adorarent dæmonia, & simulachra aurea, & argentea, &ærea, & lapidea & lignea, quæ neque videre possunt, neque audire, neque ambulare, & non egerunt pœnitentiam ab homicidijs suis, neque à veneficijs suis, neque à fornicatione sua, neque à furtis suis.

DE QVINTO ET SEXTO ANGELO eorúmque tubis. DE LOCVSTIS. DE SOLVTIS ANGELIS in Euphrate.

QVod in superiore capite, de sequutura trium maximarum afflictionum atrocitate, præmonuerat diuinus vates, id præsenti narratione exequitur, ad eas nunc afflictiones se vertens, quæ priores quidem illas, licet per se diras satis & mortiferas, longè tamen grauitate euincant. Primùm duorum Angelorum tubas, hoc in capite describit, in sequenti capite tertiam, mox & nouissimam productu-rus. *Et quintus*, ait, *Angelus tuba cecinit, & vidi stellam de cœlo cecidisse in terram, & data est ei clauis putei abyssi, & ascendit fumus putei, sicut fumus fornacis magnæ, & obscuratus est sol, & aer à fumo putei. &c.*

Cadente igitur de cœlo stella, clauis simul aduehitur, qua aperitur abyssi puteus. De puteo velut è fornace ascendit fumus, cuius densissima caligine, sol ipse, totúsque aer obtenebratur. Age, & quid hic fumus tandem defert, accipiamus. Pergit, *Et de fumo exierunt locustæ in terram, & data est illis potestas, sicut habent potestatem scorpiones terræ. Et præceptum est illis, ne laderent fœnum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem, nisi tantùm homines, qui non habent signum in frontibus suis. Et datum est illis ne occiderent eos, sed vt cruciarentur mensibus quinque.*

Stella de cœlo cadens. Puteus Abyssi. Fumus ascendens è puteo. Sol obtenebratus.

Quis hîc non perspicit, figurata hac rerum externarum similitudine, diram aliquam

liquam sectam vel monstrum potiùs, prosiliens ex orci faucibus, pestiferæ seductionis, quæcunque ea sit, adumbrari. Quæ sub simulata fucatæ religionis imagine, fumos mendaciorum, & præstigiarum rudi popello venditat, sicque infixa mentibus mortalium inhæreat, mundúmque incredulum erroribus abducat, vt non terras modò, crassáque huius mundi elementa, sed solem etiam ipsum, aerisque puritatem, densitate tartareæ suę caliginis obnubilet? Hinc q; est, quod propheta sectam hanc, tam prodigiosè barbaram, locustis & scorpionibus comparet, ex tenebris et fumo genitis, quæ sic grassentur in terris, vt nec plantas, nec frutices, nec arbores lædant, sed homines solùm, horúmque non quosuis, sed quorum in frontibus nulla apparet signaculi impressio, spiculis suis aculeatis configant, quos nec ipsos etiam interficiant, sed quemadmodum Satanæ permissa potestas est, in fortunas & corpus Iobi, vt vitam ei non eriperet, sic locustis istis in homines non consignatos mandata est potestas, per menses quinque, vt venenato suo morsu inficiant, non interficiant, nec mortem ipsis, sed cruciatum inferant.

Secta mendicantium. Locustæ. Quinque menses.

Habetis itaque propheticæ descriptionis contextum, & externum verborum corticem. Habetis de stella clauigera, de puteo, de fumo putei, de locustis, & scorpionum cruciatu, de quinque mensibus propositam atque expressam narrationem. Nunc sub prophetico hoc verborum ænigmate, quid contegatur occultioris mysterij, quantum dederit dominus, quid stella cum claui velit, quid puteus, quid putei fumus efficiat, quid locustarum, & scorpionum similitudine significetur, quid mensium quinque spacio intelligatur, perueſtigemus.

Ac primùm de stella, de locustis & scorpionibus, tum maximè de mensibus. Cęterorum interpretum singulas colligere sententias perlongum fuerit: tanta est ipsorum varietas. Quorum alij stellam de cœlo cadentem, ad antiquum hostem, siue ad casum Luciferi de cœlo referunt. Sic Aretas, Beda, Thomas Aquinas, Rupertus, Haymo, Primasius, qui locum etiam producit Esaiæ. Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer &c. cap. 14. Quæ tamen interpretatio parum huic loco conuenire videtur, vel hoc argumento quòd Luciferi ruinam hanc de cœlo, multò ante auditam quintam tubam præcessisse nemini sit non compertissimum.

Stella cadens. Aretas. Beda. Tho. Aquinas Rupertus. Haymo. Primasius.

Iuxta Augustinum, stella de cœlo cadens, corpus multorum est cadentium per peccata de ecclesia. Ambrosiana expositio (si modò verus sit Ambrosius, quem nuper emisit nobis Tonstallus) haud multum ab eo deflectens: per stellam, inquit, hæresiarchæ designantur, qui velut stellæ in cœlo, priusquam concidissent, doctrina & sapientia refulgebant in ecclesia. Abbas Ioachim hac de re sic habet. Quis fuerit, inquit, miser ille, qui abysi puteum aperuit nescio, Deus scit. Clericum tamen fuisse, & imbutum scientia literarum, ex huius textu lectionis apparet, &c.

Augustinus. Ambrosius suppositicius. Abbas Ioachim.

Ex recentioribus nostræ memoriæ theologis Hen. Bullingerus casum huius stellæ deducit ad ordinem ministrorum, tum maximè ad tempus Bonifacij tertij. Quemadmodum enim ministri, & episcopi hactenus in cœlo stant, dum officium suum faciunt: in terram cadunt cùm obliti muneris & doctrinæ cœlestis, terrena cogitant: ita Bonifacius eius nominis tertius, reliquique eiusdem ordinis in sede successores, simul atque à natiua euangelij simplicitate degenerantes, per contentionem & fastum, ad opes & titulos maiestatis contendere, sub Phoca imperatore cœperunt, rectè sanè imaginem cadentis huius stellæ præ se ferre videntur.

Henricus Bullingerus. Bonifacius 3. papa.

Præter Bullingerum, sunt & aliorum aliæ quędam, super hac re interpretationes, quas breuitatis studio, prętermittere libuit, nisi quòd ridere satis hîc nequeam plusquam ridiculam nostrorum Anglorhemensium doctorculorũ commentationẽ, qui in suis in hunc locũ scholijs, stellam hanc ruentem torquent in Arium, Lutherum, & Caluinum. Quasi verò Lutherus & Caluinus quicquã habeant, cum Ario coniunctum. Aut quasi ipsi obsoletas sepultásque imo abysi puteo hæreses vna vnquam

Anglorhemenses.

syllaba

syllaba excitarẽt, ac non cõtra hæreses potiùs depugnantes, discussis tenebris et fumis, quibus pontifices, ordinésque monachorum, vigorem Euangelicæ doctrinæ iam diu depresserint, omnia ad purissimos scripturæ fontes reuocant, atque ad hanc solam normam, quam reliquit Christus, partes omnes Christianæ doctrinæ excutiant. Sed de stella hactenus.

Locustarum consideratio.

Quod proximũ est, ad locustas et scorpiones diuertamus. Quæ ex fumo stygiæ paludis productæ, miras turbas mũdo ædituræ prænunciantur. Iam verò cum locustæ nec fœnũ nec gramina depascunt, pro ipsis simpliciter animalibus accipi minimè debent, sed metaphorica similitudine genus aliquod pernicioſorum hominum designent necesse est. Restat proindè quinam hi existant, quos nobis figurant hæ locustæ, vt videamus. Qua in re haud ita magna videtur inter doctos nostri temporis dubitatio, minórque discrepantia. Quum vnanimi ferè consensu vnóque ore omnes in eo congruunt, parabolica hac locustarum et scorpionum hypotypoſi figurari Antichristum Romanum, eiúsque sedis satellites et administros. Quod cur ita faciant, minimè illis deesse idonea satis videntur argumenta, si quis eorum commentaria et rationes rectè inspiciat, tum maximè, si quis propius admotis oculis perpendat Romanos istos pontifices, horúmque assecias cardinales, doctrinæ corruptelas, idololatriæ pestes et vlcera, decretorum formas, constitutionum ineptias, inquisitoriæ feritatis phalarismum, sacrificorum colluuiem, monachorum armenta non numeranda, regularum genera non tam rituum, vestium, colorum diuersitate inter se dissimilia, quàm superstitione corrupta, erroribus fœdata, truculentia ac immanitate bonis ferè omnibus infesta.

Locustæ quid significant.

Vide Henri Bullingerum concione 39.

Iam qui Romanas hic locustas producunt, non hos intelligunt pontifices, sanctósque monachos, qui primis illis purioris ecclesiæ temporibus, magna cum vertutis laude efflouerunt. Sic enim historia testatum accipimus, pastores qui huic ecclesiæ primùm præfuerunt, ad numerum 32. vsque ad constantinum, singulari sanctitatis admiratione celebres, plerósque etiam martyrij gloria insignes extitisse. A constantino rursus sequutos eiusdem vrbis episcopos vsque ad Gregorium circiter 32. non minus doctrina quàm pietate illustres. Quanquam et in his reperti sunt nonnulli, ad captandos honores & ambitioſos titulos, plusquam ferebat humilitas Euangelica, propenſos. Non multo post Gregorium, Subit in sedem Bonifacius eius nominis tertius, multo ambitu obtinens tandem à Phoca, vt ecclesia Romana ius primarium super ecclesias vniuersas posſideret. Quod vixdum ab Imperatore impetratum, mox omnia retro labi, sursum deorsum miscerí, pontificum cristas supra modum surgere, venenum in ecclesiam diffundi, aperto denique abysi puteo, fumum superbiæ & ambitionis omnia complere, natiuam Euangelij lucem extinguere. Hincque cantharides illæ, locustæ, & scorpiones, diro veneno letales. Inciderunt hæc malorum primordia, sub annum ferè Christi sexcentesimum duodecimum.

Antiquorum Rom. eccle. episcoporum commẽdatio.

Corruptio & ambitio primùm in Rom. ecclesiam ingressa.

Bonifac. in 53. Papa.

Anno 613.

Regnum Mahumeti.

anno. 623.

Qui historias ecclesiæ pertractant, sectam & regnum Mahometi sub idem tempus statuunt. Cuius initium colligunt in annum Christi, 623. ita vt nullo ferè aut perexiguo temporis interuallo, vtraque secta suam duxerit originem: vixque quisquam sciat vtra grauius orbem percusserit: saracenorum, an papanorum venenata multitudo. Quo fit, vt maxima pars nostrorum interpretum locustas & scorpiones eodem simul complexu, vntrunque notare populum, Mahometarum, & papistarum existimet. Vnus adhuc restat scrupulus, quid Cyclo isto quinque mensium intelligatur, quibus data est his cruciandi potestas. Qua in re ingens occurrit inter scriptores, in ferendis calculis dissonantia.

Cyclus quinque mensium.

Augustinus.

Augustinus primùm, vt in cæteris huius prophetiæ scholijs succinctus, ita mentionem horum mensium silentio transilit.

Aretas.

Aretas attingit quidem, sed ita, vt vix dicas obscurior sit prophetia, an interpretis

pretis explanatio. Sic habent ipsius verba: mensibus quinque: quoniam & menses sensibus huius mundi mensurata sunt, vnde & sensus ipsi acceperunt, vt huius efficerent notiones &c.

Ambrosius (nuper à Tonstallo eâdem nomine æditus) per menses quinque, ait, omne tempus vitæ significatur, quæ quinq; ætatibus consistit, infantia, pueritia, adolescentia, iuuentute, senecta. Ambrosius.

Primasius ex veteri translatione, vt cruciarentur mensibus sex, id est in hac tantummodo vita, quæ sex ætatum articulis distincta peragitur, vt pro ætatibus menses intelligas positos. Primasius.

Beda: quamuis hæretici persecutores, seculari fulti potestate, temporaliter in bonos grassari, permittuntur, animas tamen, vt ait dominus, occidere non possunt. Tempus quippe seculi, quinque mensibus, propter quinque partitum sensum, quo in hac vita vtimur, significat. Quia verò alia translatio sex menses continet, eidem sensui propter sex ætates seculi congruit. Haymo: per quinque menses intelligitur omne tempus præsens ab ascensione domini, vsque ad finem seculi. Quia quinarius numerus ad sensus corporis pertinet, rectè per quinque menses omne tempus præsens intelligitur. Beda. Haymo.

Rupertus: Quinque mensibus cruciati sunt, quia quinquies in seruitutem Hebræi traditi sunt, Iudic. 3. 4. 6. 10. Cur autem mensium potius, quàm annorum fit mentio? quia in mensibus secundum lunam computant hebræi. Addit idem Rupertus: locustæ exierunt, id est, hostes Israelitarum, propter peccata multiplicati sunt. Menses quinque quibus cruciati sunt, mutationes seruitutis fuerunt 1. Sub chusam rege Mesopotamiæ annis 8. Secundò sub Eglon rege moab, annis 18. Tertiò sub Iabin rege Chanan, annis 20. Quartò sub Madian, annis 7. Quintò sub Philistæis, & Ammon, annis 18. & iterum annis 40. vsque ad Sampsonem. Hæc Rupertus. Rupertus.

Ricard. de S. Victore, vt quinque mensibus cruciarentur. Quia per quinque sensus corporis transitorijs inhærent, ideo à reprobis, per ablationem terrenorum quæ diligunt, non nunquam affligi permittuntur, vt aduersitatibus edocti resurgant &c. Hæc Ricardus. Ricard. de S. Victore.

Tho. Aquinas: mensibus quinque, id est, toto tempore vitæ suæ, quàm diu in quinque sensibus degunt: ponitur, inquit, nomen mensis, ad signandam vitam hominis. Menè defectum significat, vt luna defectum patitur. &c. Tho. Aquinas. in apocal.

Vt propiùs ad nostros accedam, qui propiùs ad rei scopum collimare videntur, Theod. Bibliander, hoc sensu rem exponit: per tempus inquit, quinque mensium durant locustæ. Oua deponunt in autumno, fouentur per hyemem in tunicula quadam, in medio Aprilis excrescunt in medio Septembris pereunt. Sic locustæ hæ durant vsque in diem iudicij, & deinde tollentur & abijcientur in ignem æternum. Theoder Bibliander

Nec multum ab eo seiunctus, Petr. Artopæus, totidem ferè verbis in eandem subscribit sententiam: tempore, ait mensium quinque iuxtra tempus locustarum à mense Aprilis vsque ad Septembrem &c. Pet. Artopæus.

Conuenit & his Chytræi sententia, de quinque mensibus, tanto enim, inquit, spatio, à mense Maio, vsque ad Septembrem locustæ viuunt, póstque euanescunt. Dauid Chytræus.

Eodem pertinet Henrici etiam Bullingeri interpretatio, de ijsdem mensibus, quos similiter cum Bibliandro, ad æstiuam durationem locustarum accommodat. Henri Bullingerus.

Non prætereundus in hoc scriptorum catalogo Abbas Ioachim, licet & tempore, & sententia ab ijs diuersus: Cuius ita habent verba: quinque menses, quare? Forte quia quinque menses habent dies 150. & solet dies designare annum. Triginta vero dies vnam annorum generationem. Fortè ergo quinque menses significant quinque annorum generationes, Hæc ille. Abbas Ioachim.

Marlotatus. Marloratus in hunc modum : Menſibus quinque, hoc eſt, ad extremam vſque ætatem Nam 6. ætatum articulis præſens hæc vita diſtincta peragitur

Ioan.Leonar. Ioan. Leonardus, in his quinque menſibus breuitas temporis, loquente domino æterno dei filio, deſignatur. A quo nec multum recedit Doct. Gulielm.

Guliel.Fulco. Fulco, partim cum hoc, partim cum Marlarato conſentiens: vbi in hunc modum eruditè, vt cætera ſcribit: præfigitur ijs, inquit, temporis ſpacium, menſibus quinque ad piorum conſolationem, ne ſemper duraturam hanc peſtem metuamus, cuius vis ante medium anni tempus ſit abrumpenda. Si autem ſubtilius iſta interpretari volumus, quinq; ſeculis graſſabitur hæc lues. Sexta ætate, quæ vltimam mundi conſummationē præcedit, deficiet quod noſtro nunc ſeculo cernimus. &c.

Franciſcus Lambertus. Franciſcus Lambertus: Qui ſunt hi quinque menſes? Tempus illud, quo quiſque incredulus ab eis foret cruciandus.

Bene.Aretius. Duratio pontificiæ poteſtatis. Bened. Aretius ſuam hic ingenuè hæſitationem confitetur. De quo, inquit, mihi non ſatis conſtat. Certum autem eſt, durationem ſignificari hoc numero pontificiæ poteſtatis. Deus nouit quando finiendi ſunt illi quinque menſes, fortè ſub initium hyemis, quando Chriſtus iudex veniens ſpiritu oris ſui, hanc ſtellam delebit. Et habent ſuper ſe regem id eſt papam locuſtarum regem. &c.

Videor fortaſſis, pie lector, plus ſatis importunus, in congerendis iſtis, ex tanta ſcribentium varietate, rhapſodijs. Faciendum tamen exiſtimaui, quum res ipſa ſatis per ſe inuoluta nonnullam præ ſe ferat obſcuritatem, faciliùs ex omni numero collectis ſententijs, lector pro ſuo delectu ſtatuet, quid ſibi potiſſimùm accipiendum, maximéque conſentaneum iudicet. Mihi verò myſteriū huius viſionis fixiùs contemplanti, duo quædam præcipuè notanda videntur: quorum in altero multitudo: in altero armata potentia & nocendi verulentia ſignificatur. Eſt enim locuſta beſtiola, ex eo inſectorum genere, quę viribus haud multum valent, numero ſolum ſunt noxia, eòque non niſi turmatim ferè conuolant, quæ licèt per ſe ſingulę locuſtæ facile contemnuntur, nocent tamen multitudine. Cuius frequens reperitur in ſcripturis notatio, vt quum rei cuiuſquam exprimenda ſit multitudo, aut fames à deo immittenda intentatur, locuſtarum ferè inducitur cuncta vaſtans atque depaſcens multitudo. Veluti Iudic. 6. exprimitur in hæc verba: & inſtar locuſtarū vniuerſa complebant. Et mox ſequente capite: Madian autem & Amalek, & omnes orientales populi, fuſi iacebant in valle, vt locuſtarū multitudo. Ad eundē modum Eſaias de turba hominum ſubinnuens, & habitatores eius, inquit, quaſi locuſtæ &c. Et Ieremias cap. 46. de clade Aegypti prænuncians, multiplicati ſunt, ait, ſuper locuſtas, & non eſt eis numerus. Tum verò illud, vnde locus huius prophetiæ maximè deſumptus videtur, de locuſtis Aegypti, Moſe narrante, audiamus: Aſcenderunt locuſtæ ſuper vniuerſam terram Aegypti, & ſederunt in cunctis finibus Aegyptiorum innumerabiles, operuerúntque vniuerſam ſuperficiem terræ, obſcurantes terram. cap. 10.

Duo in hac viſione locuſtarum conſideranda.

Locuſtæ non tam viribus quàm numero noxię.

Iudic. 6.

Ibidem 7.

Eſai.cap.40.

Ierem.cap.46.

Exod.cap.10.

Locuſtæ Ægyptiæ.

Cæterum inter locuſtas illas Aegyptias, & haſce apocalypticas, haud parùm, intereſt, quod illæ haud diu commoratæ mox prophetæ precibus euanuerunt. Deinde non aliter illæ, quàm pro more & natura locuſtarum, in herbas ſolùm terræ & in fructus arborum deſæuiebant. At hæ multo tum diuturniores, tum additis inſuper aculeatis morſibus, inſtar ſcorpionum, homines impetunt, non herbas, non arboribus inſiliunt, ſed corpora hominum atque animas infeſtant. Atque illud quidem eſt hoc in loco animaduertendum, quòd quum dirum ac pernicioſum aliquod genus hominum præſignari hac locuſtarum & ſcorpionum ſimilitudine neceſſe ſit, tum hinc apertiſſimè liquet, quodcunque hoc hominum genus futurum ſit, tales eos eſſe oportere, qui non ſolùm innumerabili multitudine, magnam orbis partem occupent ſed potentia etiam armati, non agros, non fruges, aut plantaria violent, ſed homines ipſos inceſſent, aculeis configant, veneno inficiant

His

His igitur ducti notionibus, tanquam vestigijs quibusdam, perquiramus ex omni inimicorum, seu hæreticorum genere, quinam hi sunt, qui proximè ad imaginem hanc locustarum ac scorpionum accedere videantur. Id quod intra tres ordines cadere necesse est, vel in Gothos & Longobardos, si externam spectemus politiam, sine in Saracenos: aut in Romanos seductores, si iuxta spiritualem sensum prophetia sit examinanda. Primùm, quòd ad Gothos & Longobardos attinet, negari non potest, quin ingens ab his clades Romanæ monarchiæ accepta sit. Gothi primùm a valente imperatore introducti, postea circa annum Domini 415. inualescere atque accrescere cœperunt, à quibus Romanum imperium semper huc vsque inuictum, armis & potentia subactum, seruire nunc alieno imperio cogebatur. Qua de re si quis requirat historiam, sic breui compendio, suis notatam temporibus accipiat.

Locustæ quos potissimùm designant.
Gothi.
Saraceni.
Romani.
Gothi.

Prima irruptio in vrbem Romam per Gothos facta, incidit in annum Domini 414. In quo capta vrbs Roma est, per Alaricum Gothorum regem. Ex quo tempore Gothi Italiam tenent, annis 60.

Vandali deinde in Africam irruentes anno 434. regnum ibidem possederunt, annis 95. Anno deindè 459. Roma rursus capta à Genserico rege, in potestatem Vandalorum redigitur. Itaque bis Roma capta intra annos 44. Quæ tamen capta, hucusque non vastata dicitur.

Tertiò, & capta & vastata per Totilam regem Gothorum anno 546.

Deindè post triennium, iterum eadem capta per Totilam, anno 549.

Prima irruptio in Romam, per Gothos. Anno 414.
Roma capta. Anno 434.
Roma secundò capta. Vandali.
Roma tertiò capta. Anno 546. Gothi.
Roma quarto capta. Anno 549. Longobardi. Anno. 588.

Sequitur post hæc annus Domini 588. In quo Longobardi Romanam regionem, & Rauennatem exarchatum populantur. Quorum imperium, initium ducens ab anno Christi 568. Durauit in Italia, annis 204.

Atque hęc hactenus de externa rerum publicarum perturbatione, gentiúmq; exterarum incursione, in qua tametsi imaginem fortasse nonnullam locustarum cernere liceat, tamen non tam in hos propriè locus hic cadere videtur, quàm in alios quosdam, qui occultiore nocendi via, sub fuco simulatæ religionis simúlq; vim adhibentes, cum pestifera doctrinæ seductione, vias Domini rectas peruertunt, velútque veneno vitam inficiunt mortalium. Ideóque scorpionibus non incommodè comparantur, qui caudę insidioso amplexu atrox infundunt virus. Ad letales hos morsus accedit insuper tanta eorum copia, & turba instar locustarum, vt vix dictu sit facile, vtrum numero magis lædant, an aculeo. Ad hanc descriptionem, si rem rectè æstimemus, haud obscura liquebit diiudicatio. Cùm autem infinita hucúsque percrebuit, inde à primis ecclesiæ incunabulis hæreticorum varietas: tum ex his omnibus, duo maximè sese ostendunt pernicioſorum hominum genera. Qui cum doctrinæ prauitate, tum frequentia ipsa coniunctarum simul viriun, multò omnium grauissimam vitæ humanæ pestem intulerunt, ex quibus certè duobus, in alterum hanc confluere prophetiam credibile est, puta vel in Antichristianismum hunc Romanum, vel in sectam Mahumeticam.

Duo hęreticorum genera omnium grauissima.
Secta papistica.
Secta Mahumetica.

Qui ad posteriora hæc tempora, Romani Antichristi rem referunt, duplici præcipuè nituntur argumento. Primùm à multitudine exercitus, tum ab ipso hæreseos genere & corruptione. Ac de turba primùm ipsa ita disputant, priscis olim seculis, ministros ecclesiarum multò tum pauciores, tum longè incorruptiores extitisse. Id quod stabilita etiam lege confirmant, quia cautum est Iustiniano, aiunt, authore, vt summa ministrorum id temporis, in tota regia illa & amplissima totius orbis metropoli Constantinopoleos, non excederet numerum 525. At hodiè quot reperiantur Romæ, aut in alia quauis celebri ciuitate sacerdotes, fraterculi, monachi ac Nonnæ, qui numerum hunc quadruplo & ampliùs non excedunt? Cuius rei testis audiatur Sabellicus, qui Enneade 9. lib. 6. De Minoritis (quos cordigeros vocant) ita prædicat: eorum sectam vsque adeo per totum orbem exundasse, vt tunc quadraginta prouincias obtinerent, & sub qualibet plures custodias, & con-

Turba pontificiorum sacrificorum.
Sabellicus Enneade 9. lib. 6.

uentus (Guardianos vocant præsides) & sexaginta hominum milia excessisse, adeò vt magister vniuersi ordinis (quem Generalem vocant) Sæpius auditus sit papæ, expeditionem in Turcas petenti, polliceri ex Seraphica Franciſci familia, triginta bellatorum milia, qui bellica munera gnauiter obire possint, nihil sacrorum cultu interpellato. Hæc Sabellicus. Quòd si in vna tantùm Franciscanorum familia, tanta inualuit colluuies, quantam iam ex Sabellico accepimus, vixque tum mundus capere potuit, progrediatur ex ijs modò supputatio ad reliquos tot monachorum ordines, veste, professione, regulis, ceremonijs, tanta, tamque infinita propè varietate inter se distinctos, tribuamúsque singulis, si placet, partem modò huiusce numeri mediam, quæso, Lector, vbi omnes peragraueris historias, vbi vnquam locustarum tanta conspecta est scatebra? His si addas collegia maiora, minora, per tot diœceses, vicarios, capellanos, sacellanos, sacristas missaticos, obituarios, anniuersarios, cantores seculares, ad singulas aras sacrificulos, fateberis non temerè locustis comparari clerum papisticum. Qua de re copiosiùs vide apud alios huius prophetiæ interpretes.

Franciscanæ familiæ colluuies.

Turba Monachorum.

Examina Sacrificantium Sacerdotum. Henr. Bullingerus. Chytræus cum alijs. Aug. Marloratus in Apocalypsin.

De multitudine locustarum iam dictum est, spectemus deinceps scorpionum morsus, quid de hac re citat Augustt. Marloratus: verba in hunc habent modum.

Quemadmodum de fumo corrupto nascitur locusta, ita ex peruersa hæreticorum doctrina, nascuntur discipuli Antichristi. Ideóque locustis comparantur non immeritò, quippe quæ neque volant in altum, per cœlestem contemplationem, nec infernè gradiuntur secundum Dei ordinem, sed per superbiam elati rursum in terram decidunt. Nam doctores Antichristi altissima quædam de sacra triade pollicentes, ad inanissimas reuelationes subinde relabuntur, in quibus vniuersam tandem illam doctrinam absoluunt. Sic de Angelis, vtrum differant specie, vel solo numero, quo pacto superior Angelus, Angelo inferioris ordinis loquatur, de loco, motu, & operatione illorum mirè altercantes scribunt & loquuntur. Porrò de incarnationis mysterio, num facta sit in instanti. Num virgo mater potuerit in instanti cooperari spiritui sancto, ad formationem corporis Christi. Præterea num verbum potuit supposítare lapidem, num fœminam, num asinum, num peccatum, num denique malum dæmonem?

Iam circa Eucharistiæ mirabilia, per decem prædicamenta, de transsubstantiatione & accidentibus sine subiecto remanentibus, de illorum actione & passione, de actione & passione corporis Christi, vt in Eucharistia. Item de periculis & cautionibus, circa missam: de animarum pœna in *a* purgatorio, & de *b* suffragijs, quibus iuuantur, de *c* coniuratione animarum apparentium, de casibus conscientiæ, & in quibus possit absoluere *d* simplex sacerdos aut non possit: qua de re multæ magnæque extant summulæ conscriptæ, quas summas confessorum vocant. Item, de *e* potestate summi pontificis cui nihil non tribuunt, de *f* indulgẽtijs, & Iubilæis, quibus rigor canonum pœnitentialium laxatur. Post mille à natalicijs domini annos cœperunt, autore Gregorio *g* stationes publicæ, & indulgentiæ ecclesiarum vrbis. Primò centesimum Iubilæi *h* annum *i* Bonifac. 8. Sub annum domini 1300. instituit: *k* Clemens 6. ad quinquagenarium reduxit. *l* Sextus 4. ad 25. anno domini 1475. Suo videlicet quæstui breuem hominis vitam prætexentes.

a Purgatorium.
b Suffragia contra cruciatus purgatorij.
c Exorcissimi spirituum apparentium.
d Simplex sacerdos quid possit, quid non possit.
e Potestas Papæ.
f Indulgentiæ.
g Stationes.
h Anni Iubilæi.
i Bonifacius 8.
k Clemens 6.
l Sextus 4.

Quid de alijs istorum portentis referam, de quibus in Rationali diuinorum officiorum, in cæremoniali & constitutionibus pontificijs statuitur? Quid de Cardina-

lium

lium & episcoporum mulis, pileis, & famulatu, de campanis sonandis, vel non sonandis, de monachorum cappis, plattis, ac cingulis, & sexcenta id genus, in quibus consummatam illi theologiam statuunt. Ceremoniæ cardinalium episcoporum monachorum.

Breuiter, sicut locustæ bona terræ corradunt, suóque morsu herbis & cæteris plurimùm nocent: ita isti mendicando, manducando, omnia vorant, & quicquid attingunt, profanum & inutile reddunt. Quod in his potissimùm cernere est, qui 4. mendicantium ordines constituerunt. Nam & Dei beneficia, dona et charismata, quibus Christus ditauit ecclesiam, profanant, dum sermonem veritatis furantur, & plebem arcent ab euangelij cognitione, dum etiam fructus terræ quoscunque possunt, rapiunt, deuorant, deglubunt. Locustis comparantur ordines pontificiorum.

Scorpioni deniq; comparantur hæretici isti, filij & discipuli Antichristi, idque triplici ratione. 1. Quia scorpio, quum blandus sit in speciem, tandem occulto aconito affligit: nec aliter isti, coram hominibus simplicitatem præ se ferunt, sed diffamando lædunt à tergo. Secundò, quia sicut scorpio cauda lingit, sic isti spiritualia beneficia lucro temporali postponunt, & quum conscientias iuuare pollicentur, eas letaliter vulnerant. Tertiò, quia sicut scorpio quum cauda pungit, non sentitur, sed postea paulatim diffunditur venenum: sic decepti ab istis Antichristianis, primò non sentiunt vulnus: sed vbi interiora semel virus peruasit, ictos se piscatores percipiunt. De quibus Apostolus: Qui per blandiloquentiam, & assentationem decipiunt corda simplicium. Pontificij hæretici scorpioni comparantur triplici ratione. 1 2 3. Rom. 16.

Hactenus ex August. Marlorato, & alijs non omnia, nonnulla tamen obiter perstrinximus, de corrupto Romanæ religionis statu. Quo facilior lectori pateat æstimandi copia, quid sub ænigmate harum locustarum latere putet mysterij. Nos in earum porrò descriptione pergamus, duce Christo.

Et similitudines locustarum similes equis paratis in prælium, & super capita earum tanquam coronæ similes auro, & facies earum tanquam facies hominum. Et habebant capillos, sicut capillos mulierum, & dentes earum, quasi leonum erant. Et habebant loricas, sicut loricas ferreas, & vox alarum earum, sicut vox currium equis multis currentibus ad bellum. Et habent caudas similes scorpionum, & aculei caudis earum, & potestas earum nocere hominibus mensibus quinque.

LOCVSTARVM FVSIOR EXPLICATIO.

MIra profectò locustarum διατύπωσις, qua facile intelligi potest, non simplicem ipsam nudámq; locustam, quę pastu herbarum victitare soleat: sed sub locustarum nomine, aliud quoddam genus non bestiarum, sed hominum nobis effigurari, qui non multitudine solùm, more locustarum, hominibus molesti sint, sed armatura & fortitudine bellica vim & cruciatum inferant. Eáque causa hoc apparatu instructi producuntur, quo acies militum ad bellum adornari solet. Galeis videlicet coronati, equestri velut tumultu ferocientes, facies ceu viriles ac barbatas præ se gerentes, capillis instar fœminarum promissis & impexis horridi, dentibus armati leoninis, quibus omnia discerpunt, ac laniant, loricas gestantes ferreas, alati denique vt locustæ, sicque alis suis tumultuantes, ac si equites iunctis simul curribus immensa multitudine, ac strepitu ad prælium concitarentur. Quin nec caudæ illis desunt, quales sunt scorpionum, forsipiculis aculeatæ, quibus letaliter feriunt atque diuexant, ad quintum vsque mensem. Postremò, ne nullo ordine temerè ac præcipites ruerent, principem habent & ducem militiæ, suis dignum ordinibus, Angelum videlicet abysi, cui à perdendo nomen hebraicè Abaddon græcè Apollyon imponitur. Locustarum fusior descriptio. Abaddon. Apollyon.

Quæ omnia, etsi quadrare non inappositè posse videantur Romano pretbyterio, & Antichristianæ disciplinæ inquisitoribus, quos videmus tanta fœtitia, tanta

nocendi potestate præditos, tot armatos legibus, articulis, coniuratis syncretissmis, copijs, legionibus, vinculis, laqueis, carceribus, flammis & tormentis ad perdendum: at mihi tamen bellica illa Saracenorum armamenta, & violentiam hostilem consideranti, simúlque cum pernicioso doctrinæ genere, mauortia hæc arma conferenti, probabilius aliquantò simpliciúsque videtur, vt ista ad sectam Mahometicam accommodemus.

Mahometana secta.

Quod quur existimem, non vna me inducit ratio. Primùm quod à Mahumete pseudopropheta dementati atque ad turpissimum idolum conuersi, deo æterno eiúsque filio non possunt non esse summè execrabiles. Deinde, quia maximam orbis partem à Christiano baptismo, ad circumcisionem, à fidei synceritate, ad euanidas fabulas, partim Iudaicas partim hæreticas abduxerunt. Tertiò quia vi ac ferro rem gerentes, non hæretica solùm seductione incredulam turbam, ad se attrahunt, sed cæde & sanguine, & bellico furore omnia sursum deorsum miscuerunt, pacémque ex toto ferè orbe sustulerunt. Adde insuper, quòd non modo callida aliqua simulatione, sed aperto etiam marte bellum Christo Christianisque omnibus publicè atque ex professo indicunt, fortasis hoc ipso nomine papistis tolerabiliores, tantóque minùs noxij, quanto minus feriunt (vt refert Gregorius) iacula quæ præuidentur.

Quinque menses.

At restat hic interim nodus quispiam, nescio satis quo cunio dissoluendus, de adiecto numero quinque mensium. Tanto enim tempore data est locustis his nocendi, non occendi potestas. Quæ mensium complexio, neque in Saracenos, neque in Antichristum Romanum vllo modo competere videtur. Siue enim singulos menses, pro Sabbatho annorum supputemus (quod perpetuum fermè in hoc propheta cernimus) peruenietur hac ratione ad annos triginta quinque: Siue singulos mensium dies pro singulis annis accipiamus (quemadmodum colligit Abbas Ioachim) ita excrescet numerus ad annos 140. Aut iuxta supputationem Ioachimi, si menses singuli continent triginta dies, sique triginta dies totidem annos, vt ait, hoc est, vnam generationem triginta annorum efficiant, ita fiet, vt quinque menses, quinque significent annorum generationes, annos videlicet 150.

Abbas Ioachim.

At neutra supputatio, vel cum secta Saracenorum, vel cum temporibus Romanæ apostasiæ rectè congruere potest. Cum Saracenorum prima eruptio, autore & duce Mahumete, ab anno domini 623. ad annos quadringentos, eóque amplius perdurauit, vsque ad tempora Turcorum à quibus debellati Mahumetani, sub eorum redacti sunt imperium. Quæ cum ita sint, certò liquet, Saracenos, qui potentiam in Arabia, Palæstina, Phœnice, Syria, Aegypto, & Persia, tam magnam, & tam diu occuparunt, in tam breui circumscriptione quinque mensium includi non posse.

Exordium Mahumetanæ sectæ.

Anno 623.

Tum multo minùs de regno pontificio existimandum id videtur, in quo multo pluribus annis, à tempore primùm Hildebrandi, vsque ad hanc ætatem dominatus est Antichristus. Quamobrem quid de quinque ijs mensibus certò sit statuendum, aut in quam potissimùm hæreticorum synagogam, siue Mahumistarum, siue papistarum menses hos deriuare oporteat, nonnihil subdubito, nec video, qui conueniat omnino hic numerus mensium, nisi adhibita ea modo interpretatione, quam Bullingerum, Bibliandrum, & alios secutos fuisse video. Etenim postquam iniecta sit locustarum mentio, quæ æstiuis solùm mensibus grassari solent, per hyemem verò nusquam comparent: conuenientissimũ proinde videtur, vt propheta ad hanc locustarum similitudinem quinque menses æstiuos his tribuat, vt quibus non certum aliquod dierum, aut annorum spaciũ, sed tota æstas ipsa designetur, tam diu videlicet duratura quoad locustis istis per naturam viuere liceat, ita vt non breui tempore aliquo affligant, móxque aboleantur (quemadmodum Moses olim Aegyptias locustas profliga-

Hildebrandus.

Quinque mẽsium ratio explicatur.

uit

uit) sed vt totum naturæ suæ cursum expleant, siue seculi finis sit, siue finis diuinę castigationis, hominibus propter peccata inflictæ.

Nisi fortè hanc Ioannis prophetiam velimus ad eas locustas accommodare, de quibus refertur in paralipomenis Abbatis Vspergensis, pag. 436. verba sic habent. Hoc anno in mense Augusto locustæ ad longitudinem vnius digiti, capita instar verspertilionum habentes apparuerunt, quæ ex pannonijs per Moraniam, & Silesiam prodijsse ferebantur, longitudo congregationis earum trium miliarum, & latitudo vnius, cum medio miliari. Volabant ordinatis aciebus. Loca frugum & arborum in quas cadebant, deuorabant, nihil pręter terram & fimum sordidum relinquentes. Densitatem earum vix sol penetrare potuit &c. Hæc tamen historia non satis congruere cum istis locustis videtur hoc nomine, quòd locustæ hæ Apocalypticæ, nec fœno noceant, nec arboribus. Ideóque ad Saracenos, aut ad Turcas rectiùs hęc refertur præfiguratio. Verùm vt vt hæc res habeat, illud nirum quidem nobis accidit, nec minùs bonis omnibus deplorandum, quòd cum vtraque simul pestis tam Mahumatistarum, quam papistarum eodem ferè tempore nata, annis abhinc plus minùs octingentis, talem in mundo flammam excitauit diræ seductionis, quàm ne adhuc quidem extinguere, neq; in oriente neque in occidente liceat. Abbas Vspergensis. Anno 1475.

Adde huc, si quis non ortum modò, sed & naturam vtriusque doctrinæ pestiferæ propiùs intueatur, haud multùm ferè discriminis inter illam Saracenicam, & hanc pontificiam comperiet. Vsque adeò vtraque pari velut coniuratione contra filium Dei conspirat.

MAHVMETICAE, ET PAPISTICAE *religionis comparatio.*

DENEGANT primùm Sultani illi Mahumetici duas in Christo naturas: quas licet Catholici nostri papistæ verbo tenus astruere videantur, re verò ipsa nihil agunt aliud, quàm vt diuellant ab eo diuinitatem, dum quod præcipium sit eius officium, quæ quantáque iuuandi, exaudiendi, remittendi, consolandi, conciliandi & viuificandi potentia, neq; satis scire, neq; diuina eius beneficia agnoscere rectè videantur, dum neque quid præstiterit Christus, quid possit, cur missus sit, pro dignitate aduertunt, neque Scripturas expendunt, quæ omnia non nisi ad vnicam hanc mediatoris personam, ad omnem salutis spem, vitámque perfruendam, nos mittunt. Denique neque promissis eius fidem adhibent. Toties in euangelio promittit Christus vitam habituros, qui credunt in nomen eius: tamen nec Mahumetista hoc credit nec Papista. Sanguis Christi, inquit ille, purificat nos ab omni peccato. Et apud prophetam, ponit animam suam hostiam pro peccato. Itidem Paulus: Iustificamur, inquit, fide gratis per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem posuit pro nobis propitiationem. Saracenus apertè hoc negat: nec minùs occultè ijsdem promissis aduersatur Romanus papista. Turcicę doctrinæ & papisticæ comparatio. Officia & beneficia Christi papistis ignota. 1. Ioan. 1. Esai. 53. Rom. 3.

Iam verò in cæteris doctrinæ capitibus, quanta vtriusq; affinitas. In Alcorano, Saracenica fides ordinat mulctas dandas pauperibus, pro delictis, transferens videlicet remissionē peccatorum in satisfactionē. Quęso quid aliud Romana docet institutio, quàm ptenitētiarias satisfactiones pro peccatis? Apud illos, si quis stuprum admisit aut adulterium, aut iurauit falsò, si dives sit, vestiat decem pauperes, aut redimat precio captiuum: si inops, vestiat duos pauperes. Conferamus cum his, si placet, Romanas indulgentias, quæ liberam peccatorum veniam concedunt his, qui fraterculis mendicantibus contribuunt aliquid, qui monasteria ædificant, qui Alcoranus Turcarum. Romana institutа cum Turcicis collata.

pro terra sancta depugnant, qui missas pro defunctis satisfactorias instituunt, qui in fiscum pontificium aliquid conferunt &c.

Instituunt illi diem festum, qui sextus sit dies hebdomadis, in quo iubent fieri precationem quinquies. Quid in nostris templis? an non certo sphærularum numero constant vulgi precationes? Admittunt illi πολυγαμίαν, nostri ἀγαμίαν sacris indicunt ordinibus, vtra corruptio longiùs à diuina lege recedit: seruantibus legem suam promittunt illi victorias & opes in hac vita, & post hanc vitam delitias, & gaudia in paradiso sine fine. Et quid aliud Romana decreta, ceremonias ecclesiæ suæ seruantibus pollicentur?

Affinitas inter Turcicam religionem & Romanam.

Tantum dicunt illi, Christum fuisse legislatorem, quid aliud passim inculcant nostri? Fingunt illi, se suis eleemosynis, & labore militiæ, mereri remissionem peccatorum, & vitam æternam. Tota doctrina Romanensium, quid crepat aliud, quàm operum merita? Taxat Mahometus euangelium, quod prohibeat vindictam, & non gladio cogat populos ad obedientiam: an non eadem via incedit Romanus pontifex, vt vi, flammis & ferro, quósque in suum obsequium inuitos cogat, nolentes trahat? Demique in ipso Alcorano interfici iubetur, εἰ τὶς λόγον ἀπορίας ἕξει εἰς τὰ κέρατα παχυνθεὶς θανάτῳ τελευτήσει: Et quid minùs ferre Romana potest constitutio, quàm in quæstionem vocari, quicquid ipsorum edictis & placitis fuerit stabilitum? Cæterum quoniam hic locus propius aliquanto Mahumetanos attingere videtur, de altero illo papistarum genere, eorúmque charactere, fusiùs deinceps, vbi se dederit occasio, donante domino, verba faciemus. Interim quæ proximè sequuntur in hoc capite videamus. *Va vnum abijt, & ecce veniunt duo va posthac &c.* Quæ cuiusmodi sint ordine auscultemus.

Et sextus Angelus tubam cecinit, & audiui vocem vnam ex quatuor cornibus altaris aurei, quod est ante oculos Dei, dicentem sexto angelo, qui habebat tubam, solue quatuor angelos, qui alligati sunt in flumine magno Euphrate. Et soluti sunt quatuor Angeli, qui parati erant in horam, & diem, & mensem, & annum, vt occiderent tertiam partem hominum &c.

DE SEXTO ANGELO, DE SOLVTIONE quatuor Angelorum, De turcis, eorumq; origine.

Tuba sexti Angeli.

De locustis iam dictum est. succedit deinceps sexti angeli tuba, quæ quid portendat, vicissim accipiamus. Ac primùm, via his aperitur, qui Sythicas, & aquilonares regiones vltra Euphratem incolunt, vt solutis quatuor angelis, qui in vasto illo flumine alligantur, facilior his pateat traiectio, qui, diuino permissu, in reliquas mundi partes, essent erupturi. Qua descriptione turcas designari, minime dubitandum videtur. De turcarum autem origine, quo res clarius eluceſcat, altiùs repetenda est historia: vt cum eis, res etiam saracenicas coniungamus.

Saraceni regni prima initia Mahumetus mortuus anno 631.

Incidit autem prima Saracenorum potentia, in tempus Heraclij Imperatoris, viuente adhuc Mahometo, qui mortuus est anno 631. post hunc principatum gesserunt alij ordine successores numero 25. Quorum primus Mahumeti gener perbreui spacio Damascum cepit, regnique caput constituit. Gazam, simul & Hierosolymam biennio obsessam expugnat. Tertius eorum rex Haumar, magna Syriæ parte domita, Aegyptum occupat. Hoc tempore imperabat persis rex Ormisda, qui contra saracenos, turcorum aduocat auxilia. Turci verò non multò post, interfecto Ormisda, Saracenis se coniungunt, mutuáque cum his pacis fœdera inierunt, ita vt communibus iam armis, & consilijs, pro eadem ferè gente, turci, & saraceni haberentur.

Anno. 631.
Anno. 634.

Deuictis hunc in modum Persis, cum Potiti iam essent Saraceni Syria, Cilicia, Cappadocia, Mesopatamia, Cypro insula, Aegypto, Hierosolymis, Cæsarea,

rea, quam Muhamas Sultanus Aegypti, Septenni obsidione debellauit (cum insula etiam Rhodo) sequitur post hæc quartus rex, seu Amiras Homan, sub quo Saraceni Africam inuasere, quam mox totam occupant, & paulatim in Asiam processerunt, vbi Mahumeticam religionem, nouásque leges, abolitis prioribus, condiderunt. Sedem deinde regni constituerunt Babylonem. Eam tribuerunt summo principi Calyphæ, quæ vox significat dominum fidelium, seu dominum generalem: Calyphæ addiderunt Seriphen, id est, principem, non tamen generalem, sed definitæ potestatis. Prouincias distribuerunt inter præfectos, quos nominarunt Suldanos. Horum autem magnus fuit numerus, qui prouincias ex destinatis sedibus rexerunt, vt in Licaonia, in Cappadocia, in Mesopotamia, in Aegypto, in Suldania: soli Armenij, Iberi, & Alani (quorum regnum cumania dicitur) depulsis fortiter primo impetu Saracenis, postea semper se ac Christianæ religionis possessionem contra hostiles incursiones tutati sunt

Anno.646. Babylon sedes regni Saracenici. Calypha. Seriphes. Suldani id est præfecti. Prouinciæ Suldanorum.

Saraceni itaque, rebus in hunc modum Constitutis, miro quodam successu interruptáque regum suorum serie, vsque ad vigesimum quintum principem, tyrannidem suam indies magis magisque proferebant per annos ducentos, a primo videlicet Mahumeti, anno.632 ad 25. Mahumati, qui cœpit regnare anno 832. per quos annos, res satis feliciter creuerunt Saracenorum, grauesque cladis Constantinopolitanis Imperatoribus, & Romanis intulerũt, quamdiu solus Calypha rerum potitus, Suldanos prouinciales potuit in officio ac metu continere.

Regum Saracenorũ series. Anno.832.

Postquam autem ex æmulatione, & dominandi libidine, Suldani inter se dissidia & bella mouerunt, secuta est inclinatio potentiæ. Cum enim dimicassent Suldani inter se, & cum ipso Calypha, tandem Persidis Sogdianæ, & Mediæ Suldanus, Mahomet nomine, vigesimus quintus rex quem dixi, viribus Calyphæ impar, armauit Turcos, quorum auxilijs instructus, cum victor euasisset, nec tamen stipendia promissa numeraret, Turci hac iniuria irritati victorem Mahometem armis adorti regno eiecerunt, ditatique spolijs vlteriùs progressi sunt, plurimísque regionibus ad pontum Euxinum bellorum prospero successu aucti, in Armenia maiore & minore, Cappadocia, Galatia, Bythinia, peculiare regnum inchoarunt, Asiæque tandem imperium sibi vendicarunt, obtinentes à Calypha Babylonio (cum quo amicitiam vtcunque colębant vt liceret sibi ipsis Asiæ imperatorem creare, quem vellent. Quibus cum resistere non vellet Saracenus, aut non auderet, Turci mox Zadochum quendam, sibi in primum Asiæ imperatorem designant, anno Christi 1051.

Discordia quam pernicioſa res in rebus publicis.

Turcici imperij prima origo.

1501.

Post Zadochum, proximus in imperij gubernationem successit Dogrissa, anno 1053. Qui expugnata Edissa, vniuersam Mesopotamiam Constantinopolitanis ademit Imperatoribus. Dogrissam secutus est filius Aspasalem, anno Christi 1076. qui opera Solymanni nepotis, res magnas gesit in Asia: Nicea expugnata, Cappadociáque subacta, regnum ibi Turcicum, quod adhuc durat, inchoauit, exercitum numerosum Christianorum infelici ductu Petri Heremitæ ad internecionem cecidit.

1053.

1076.

Quartus Turcorum rex fuit Meleclas Aspasalomis, filius, anno Christi 1086. Hic per Solymannum, & Artotum, Suldanos Antiochiam cepit, omnésque finitimas regiones Asiæ minoris Græcis ademit.

1086.

Quintus, Meleclæ patri successit Imperator Belchiarocus, circiter annum domini 1095. Sub quo imperatore, naues feliciter in Asiam appulerunt Christianorum Argonautarum, diuina prouidentia duce Godefrido Bilioneo qui Paulò post Hierosolymam, eiectis Saracenis restituit Christianis. Mortuo demum Belchiaroco, anno Christi 1098. frater eius natu minor regnum occupaturus, à Suldanis in electione dissentientibus crudeliter occisus

1095. Godefridus Bilioneus Hierosolymam restituit Christianis.

1098.

Georgiani sic dicti à Georgio quem militiæ patronum venerantur. Tartari.

occisus & discerptus est, distractos itáque in factiones Turcos Georgiani, & Armenij Christiani audita Christianorum in Syriam expeditione, magnis viribus adoriuntur, totóque eos Persarum regno excutiunt. Quorum Turcorum pars maxima ad Solymannum, & Arthotum, & alios minoris Asiæ Turcos se contulerunt, donec circiter annum Christi 1240. Tartari, dissipato eorum regno, rerum potiti sunt.

1099.

In hac itaque perturbatione rerum Asiaticarum, Godefridus, de quo dictum est, Hierosolymam triginta octo dierum obsidione cingit, vrbem expugnat, Saracenos eijcit, terram sanctam Christianam recuperat, anno. 1099. Godefrido, anno sequenti, defuncto, posteri regnum heroica virtute & pietate constitutum retinuerunt, ad annum vsquam 88. Post Baldwynum enim Gulielmi longospatæ Marchionis filiũ, qui septimus & vltimus post Godefridum imperauit, an. 1173. obortæ sunt simultates intestinæ inter regni principes, Guidonem, & Raimundum, Guido autem bello petitus à Raimundo, attraxit Saladinum, ex Aegypto, qui suis rebus intentus oppresso vtroque, magnas rebus Christianorum, in palæstina, Syria, & Mesopotamia, clades intulit, & tandem regno Hierosolymorum potitus est, regia ipsa vrbe oppugnatione vnius, mensis capta anno domini 1187. postquam à Christianis occupata fuisset annis 88.

Anno 1173.

Dissensionis incommoda. Hierosolyma Christianorũ discordia amittitur. Anno 1187.

Amissa hunc in modum Heirosolyma, non alia re magis, quám ambitione & discordia nostrorum hominum, digressis Christianis, Saladinus Aegyptius, quem dixi, regnum sibi ex animi sententia firmauit. Quo demum defuncto, rursus Turcæ rerum potiti, dominium sibi eius vrbis ad hodiernum vsque diem vendicant & retinent.

Tartari imperio Turcos depellunt. Anno 1202. Changius Can Imperator Tartarorum. Anno 1244. Sabellic. enneade. 9. lib. 6. Anno 1260.

De Tartaris nonnihil supra attigimus, quos Græci veteri nomine scythas appellant. Hi non multò post siue dominãdi libidine agitati, siue ab Armenijs, vt quibusdam placet, euocati, ingenti impetu per Caspias portas in Asiam primùm irruunt, circa annum domini 1202. Deinde & magnam Europæ partem infestant. Quorum primus Imperator fuit Changius Can. Post eum plures longa serie succedentes in regni possessionem, continentibus prælijs Turcos lacessunt, totáque ad pontum Euxinum gente sub iugum redacta, regno spoliant, anno domini 1244. longiùs de hinc progressi, ingenti exercitu in Asiam contra Saracenos, & Turcos inferuntur, vbi Coniata Turcorum rege, ingenti prælio victo, breui tempore omne ipsius gentis regnum, primùm Babylonem, seu Baldacum, hinc Ediessam, mox Alopũ in Syria occupant, eiúsque loci Sultanũ Melecneser regno exuunt, tum Antiochiam Turcico sultano ereptam sibi subijciunt, anno 1260. Duces præterea in Anatolia (quæ & Turcia) constituũt, inter quos Ottomannus fuit, ex quo Turcici Imperatores, qui hodie dominantur, imperium & originem trahunt.

Ottomannus Turca.

In summa, vt breui epilogo rem recolligam, stetit imperium Asiæ & Persiæ, annos plus minùs 200. videlicet ab anno 632. primi Mahumeti, ad anũ 832. regnante Mahumeto vicesimo quinto, qui Turcos primùm ex septentrione attractos, subsidio sibi contra Calypham Babilonium aduocauit. Turci post hæc partim in Persia, partim in Asia, se continentes, Capti regionis amœnitate, vires & incrementa paulatim sibi maiora comparant, tandémque temporis progressu, cum Calypha Babylonio initis conditionibus pacis, ita transigunt, vt terram, in qua consederant, possiderent & colerent, vicissimque accepta religione Mahumetica, Calyphæ parerent. His acceptis conditionibus, Turci aliquandiu acquieuerunt, sine principe aliquo peculiari, sub Imperio quidem Babylonico, ad annos circiter ducentos, ab anno videlicet 832 ad annum 1051. quo tempore Turci iam viribus & potentia contra Saracenos inualescentes, etsi Calypham non sustulerunt, eo tamen adegerunt, vt proprium sibi imperatorem, Zadocum nomine, siue volente, siue nolente Calypha, constituere liceret. Sicque cœperunt Turci primum in Asia dominari, anno domini, vt supra diximus. 1051.

Anno 1051.

Zadochus primus Turcorũ rex. Anno 1051.

Turcos

Turcos rursus post annos centum nonaginta duos, Tartari attracti ab Armenijs, anno domini 1240. deturbatos principatu, & in seruitutem redactos sibi parere coegerunt. Etsi Turci ipsi nondum prorsus aboliti, sparsim quædam retinuerunt in Cappadocia, Galatia & Bythinia, principe tamen caruerunt, donec Tartarorum imperio paulatim labefactato, circa annum Christi milesimum trecentesimum, pristinam denuo potentiam, sub principe Ottomanno, recuperarunt.

Tartari anno 1240.

Anno Christi 1300.

Ottomannus primus Turcorum Imperator.

Ita Saraceni primùm deleuerunt regnum persicum, & inclinationem fecerunt imperij Orientis in Asia. Saracenos vicissim debilitarunt Turci. Hos Tartari compescuerunt, Tartaros rursus: Turci, cum se recollegissent, Asiæ imperio & domicilio spoliatos profligarunt. Qui paulatim confirmati in Asia & Europa, cùm sibi eos Græci, contra Bulgaros, & cæteros Sclauos adiunxissent, deuorarunt vtrosque, & consumptis ijs, deleuerunt etiam Saracenorum in Aegypto regnum, Sultanis sublatis, pariter et Armeniorum, in Asia, quod medium inter Persas & Turcos, diu sese contra vim vtriusque gentis, natura loci magis, quàm robore defenderat. Quod ad Turcici itaque imperij restaurationem attinet, sic habent prima eius initia & incrementa, vsque ad Ottomannum ducem, anno 1300. quemadmodum ex historijs hactenus recensuimus.

Regnum persicum deletum per Saracenos.

Saraceni victi per Turcos.

Turci deuicti per Tartaros.

Tartari rursus subacti per Turcos, sub Imperatore Ottomanno.

Anno 1300.

Turci eorúmque prima incrementa.

Postquam igitur ad Ottomannum ventum est, recto progressu patet nobis aditus ad sextum hoc, in quo nunc versamur, buccinæ clasicum, quo soluuntur, vt diximus, quatuor Angeli in magno Euphrate, ad immittendos nouos & inusitatos exercitus, Gog & Magog, quorum sequitur deinceps descriptio apud prophetam, in hæc verba.

6. Tuba cap. 9.

Et numerus equestris exercitus vicies milies decem milia. Et audiui numerum eorum. Et ita vidi equos in visione, & qui sedebant super eos, habebant thoraces igneos, & hyacinthinos, & sulphureos. Et capita equorum, erant tanquam capita leonum, & de ore ipsorum procedebat ignis, & fumus, & sulphur. Ab his tribus plagis occisa est tertia pars hominum, de igne, & de fumo, & de sulphure, qua procedebant de ore ipsorum. Potestas enim eorum in ore eorum est, & in caudis eorum. Nam caudæ eorum similes serpentibus habentes capita, & per hæc nocent. &c.

Figurata hac Hypotyposi, militarem ac fatalem cõlumiem Turcorum adumbrari haud dubium est. Qui post Ottomannum, longo ordine succrescentes, in tantam coaluerunt imperij magnitudinem, & copiarum multitudinem, quantam hodiè miseri Christiani, magno cum dolore, maiori cum dedecore nostro, cernere possumus, excutere à finibus non possumus. Ab his, quot quantísque prælijs res nostræ acciſæ, non tam illorum viribus quàm nostris disſidijs, & flagitijs, quot regna, ditiones, imperia, & ecclesias amisimus, incredibile dictu est, vt nihil sit mirum, tam horrendas calamitates, tam diu iam ante præuisas à Domino, prophetica admonitione, priusquam euenirent, prænuntiari: ne fortuitò ista accidere, ac non occulto potiùs numinis decreto, nobis immitti intelligamus.

Christiani afflicti per Turcos.

Christianorũ inteſtina diſſidia maxima malorũ cauſa.

Quur autem ad Turcos hæc potisimùm referenda mihi videantur, varijs adducor coniecturis. Primùm, multitudine ipsa equestris exercitus, qui hîc censentur, καὶ ὑπερβολὴν, ad vicies millies dena milia, vt facilè hinc æstimetur, infinito hoc numero, supráque modum inusitato, ingentes admodum copias innumerosissimæ multitudinis effigurari. Ad quam descriptionem, haud scio an vnquam visus sit exercitus, qui propiùs accederet, aut pleniùs eam repræsentaret, quàm Turcorum, qui in aciem nunquam ferè contra Christianos descendunt, pauciores, quàm trecenta militum cataphractorum milia, peditúmque sexaginta milia.

Prima coniectura.

Altera deinde coniectura, ab Euphratis magni fluuii mentione ducitur, vel quod ex his mundi plagis, vltra Euphratem, ad septentrionem positis, per fluuium

Secunda coniectura.

fluuium hunc magnum, traiectum habuerunt in Asiam, palæstinam, & Europam, vel quod ad flumen Euphratis, primæ maximæque ab his clades, vel illatæ, vel acceptæ sunt, de quo, ope Christi, plura deinceps in Baiazete subijciemus.

Tertia coniectura.

Accedit his tertia porrò coniecturæ ratio, ex horrenda crudelitate, diráque terrarum & populorum deuastatione, quæ in prophetica hac descriptione, tanta futura prænuntiatur, vt tertia pars hominum ab his, iuxta vaticinium, sit occisa.

DE TVRCIS EORVMQVE IMPERIO, *Imperatoribus, & incrementis.*

QVod quo plenius eluceat, quædam ordine percurremus, plusquam horrenda eorum stratagemata & latrocinia, vnde facilius pio lectori constet, quàm non inappositè ad idæam huius prophetiæ respondeat rerum Turcicarum accommodatio. Ac primùm, quæ iam olim inciderunt turbæ & tempestates, inter Turcos, Tartaros, & Saracenos, superiùs abundè narratum est. Inter quos, etsi in magnam creuerunt tyrannidem arma Turcica, nunquam tamen, per tot opulentas & spacioſas regiones, ambitioſæ adeò crudelitatis pomœria protulerunt, ante Ottomanum hunc ducem, quem diximus. Qui rusticanis natus parentibus, & ad latrocinia consuefactus, per occasionem seditionum, arripuit arma Turcica, nihilò mitior in suos, quàm in alienos. Hinc circiter milesimum trecentesimum nostræ

Ottomannus primus Turcicus imperator anno 1300.

salutis annum, intra annos 28. non mediocriter auxit Turcicam tyrannidem, subacta maxima parte Bythiniæ, nec paucis ad Euxinum oppidis vi captis.

Orchanes 2. imper. turcicus.

Huic successit filius Orchanes, qui fratribus duobus parricidio sublatis, imperium sibi stabiliuit. Fastu deinde & ferocia elatus, cursúque victoriarum patre nihilo inferior, Mysos, Lycaonas, Cares, Phrygas suo subiecit imperio. Ad victoriarum secundum hunc cursum, non parùm ipsi commodarunt Græcorum imperatorum Andronici aui, & nepotis: tum etiam Catacuzeni, & palæologi dissidia,

Dissidia Christianorum.

quibus ciuili belllo inter se implicitis, Turcorum ita vires creuerunt, vt nihil præter inane nomen Græcis imperatoribus maneret, donec tandem & vrbs & regnum Turcis in prædam cederet.

Ammurates 3. imperator.

Post hunc, arripit deinde principatum Ammurates, filius Orchanis, qui solicitante palæologo, duodecim Turcorum milibus in Europam transportatis, aduersus Bulgaros, & Peloponesi principem, re sat feliciter gesta, ad Europæas opes animum adiecit. Itaque transmisso Hellesponto, circiter annum 1363. cum instructo

Anno 1363.

exercitu sexaginta, vt ferunt, armatorum milium, Abydum adoritur, Calliopolímque, præter alias ciuitates occupat. Mox Seruiam, Bulgariámque ingressus occupata Hadrianopoli, occurrentes hostium copias ingenti clade profligat, Lazaro Seruiæ principe cæso, à cuius seruo mox ipse transfoditur. Perijt is, postquam rebus

Anno 1372.

præfuisset annis 23. anno Domini 1372. qui maiorem hominum cædem fecisse fertur, quàm omnes sui antecessores.

Baiazethes 4. Turcorum imperator.

Extincto Ammurate, successit filius Baiazethes, qui fratrem Solymannum primò necat. Mox in Bulgaros, & Seruios, patris necem vindicaturus inuolat. Quorum principe Marco Despota, cum vniuersa Bulgarorum nobilitate interfecto, vniuersa ea ditione potitus est. Bosnam, Croatiam, & vlterioris Illyrici ripas vastat.

Christianorum clades. Anno 1376.

Albaniam deindè, nemine resistente, depopulatus, ad ipsam Vngariam vsq; terribili excursione penetrauit. Spolijsq; onustus, cum magna Christianorum clade, & innumerabili captiuorum multitudine recessit, circiter annum Christi 1376.

Constantinopolis oppugnata 1309.

Non multò post Constantinopolim obsidet, annis octo, facilè expugnaturus, nisi Vngarorum, & Gallorum exercitus interuenisset, sed miserando nimis fato et

infeliciter,

infeliciter, Gallię regnum id temporis administrabat Carolus 6. Is cum Sigismundo Vngariæ rege coniungens, Ioannem comitem Niuernensem, cum exquisito exercitu, contra Turcos misit. Baiazethes intermissa vrbis obsidione hostibus se opponit, cum sexaginta equitum milibus. Galli ilico præpropera siue audacia, siue temeritate potiùs, dum primi agminis decus affectant non expectatis Germanorum & Vngarorum præsidiarijs copijs, pugnæ se dant. Turcis interim ad primum impetum fugā callidè simulantibus, Galli certam sibi victoriam pollicentes triumphum canere occipiunt, cum Baiazethes, integro exercitu vndiq; eos concludit, omnésq; fortiter dimicantes miserè trucidat. Hic Niuernensis comes, cum alijs trecentis Gallorum nobilibus, captus & ludibrio expositus, vix tandem cum quinq; socijs vitam impetrat, ducentis aureorum milibus se redimens. Cæteri Galli Turcica laniena misere contrucidati, aspectante ipso comite, qui & in frusta concisi fuêre. Incidit hæc clades in annum Domini 1395.

Galli à Baiazethe deuicti.

Anno 1395.

Redit post hæc, ad intermissam obsidionem Constantinopolitanam Baiazethes, presitque biennium, nec videbatur relicturus, nisi nunciatum esset, Tamberlanem Scytharum principem, ingenti multitudine, in Turcorum terras irrupisse. Cum hoc conflixit ad Stellam montem in Galatiæ Bythiniæq; confinio; Sed infelicibus auspicijs: quandoquidem in isto prælio, cæsa referuntur ducenta Turcorum milia. Baiazethes captus, aureis catenis vinctus, à Tamberlane circumducitur ad extremum vsque vitæ diem. Hæc acta sunt, circiter annum 1397. Ferunt historiæ in hoc prælio, tanto animorum ardore, & corporum cæde depugnatum esse, vt Euphrates maiore sanguinis, quam aquarum vi, ad mare rubrum volui videretur.

Constantinopolis iterum oppugnata. Tamberlanes Scytha contra Turcos. Baiazethes captus à Tamberlane. Anno 1397. Euphrates.

Post Baiazethem, Orchanes 2. duobus annis regnauit. Obtruncato eo, frater Mahometes regnum occupauit. Hic Walachos & Bulgaros acerrimo bello attriuit. Regiam sibi constituit Adrianopolim: Annis regnauit 14. vt alij volunt septemdecim, mortuus anno 1417.

Mahometes 3. Turcicus imperator. Anno 1417.

Amurates secundus regnauit annis triginta quatuor. Is adortus Mysiæ principem, duos illius filios exoculat, ac mox horum sororem ducit vxorem. His auspicijs fretus in Walachos, Hungaros, & Germanos, incursiones facit. Mox in Epirum versus, Croiam armis capit: Venetis Thessalonicam adimit. Interim ab Hungaris, ingenti pugna victus, decennales ab his inducias petit & impetrat. Quibus hortatu pontificis Eugenii violatis, Vngari repetunt Ammurathem, verùm ingenti nostrorum clade.

Amurates Turcorum imperator.

Pontifex Rom. pacta inducia-rum violat cum Turcis.

Ladislaus enim Vngarorum rex, importunis pontificis, eiúsque legati Iuliani Cardinalis consiliis inductus, violato fœdere & iuramento, eo prætextu, quod pax cum infidelibus rata non sit habenda, armata manu Turcæ regnum impetit. Verùm victus, serò tandem pontificis consilia, periuriúmque damnauit. Interneçina clade prælio isto, inter Adrianopolim & Vernam, Commisso, Christianorum exercitus deletus fuit, anno 1444. Vngari in suis scriptis, omnem cladis huius culpam in pontificem periurij authorem transferunt. Sub hoc ipsum tempus, nata est primum ars typographica, autore Gutenbergio 1441. Mortuus est Ammurates anno 1451.

Ladislaus Vngarorum Rex cæsus in bello Turcico. Anno 1444. Pontifex periurus. Ars Typographica primùm reperta.

Cui succesit filius Mahumetes magnus, qui inexplebili rapacitate, maiorum suorum tyrannidem obscurauit. Duo Christianorum imperia, Constantinopolitanum, & Trapezontium, regna duodecim, centum vrbes celebres Christianis eripuit. In his erat Chalcis insula, & Scodra quondam Venetorum ditio. Corinthum & Mercam olim peloponesum dictam occupat. Regiones, quæ infra Sadum sunt sibi subiicit. Stiriam formidabili impetu ingreditur. Nigropontem seu Euboiam vicit. Capham seu Theodisiam capit. Hydrunte expugnato, arma mouit in Italiam, eámque triennio miserè vexauit, tanta omnium consternatione, vt Sixtus pontifex, deploratis rebus, relicta vrbe pontificia, fugam in Gallias adornaret. Constantinopolim occupauit anno 1453. periit an. 1481

Anno 1451. Constantinopolis capta à Mahumete. Trapezontium subactū. Regna 12. centum vrbes celebres deuictæ. Anno 1453. Mahumetes Italiam vexat. Anno 1453. Anno 1481.

Hinc inter fratres parricidiale certamen de principatu, sed victo Zizimo, Biazetes rerum summam tenuit. Dehinc Cerauniorum montium accolas inuadit, atque in Turcicam pertraxit seruitutem. Postea classe inuectus Methonem, Naupactum, ac Dyriachium Venetorum adimit ditioni. Quin & Foroiulienſium agros Turci crudelissimè vastarunt.

Baiazetes 2. 8. impe. Turc.

Baiazetæ regnum occupauit filius Selimus patre depulso, qui 9. Tur. imperator Aegyptum, Syriam, Arabiam, duobus Suldanis interfectis, occupauit. Annis regnauit septem mortuus anno Christi. 1519.

Selimus 9. Turc. imper. Anno 1519.

Solymannus 3. 10. impe. Turc. Anno 1529. Viennæ obsidio.

Solymannus 3. Turcorum imperator Christianis eripuit Belgradum, & Rhodum, Budam diripuit. Deinde circa annum 1529. Vngariam, partemque Austriæ in suam redegit potestatem, Ludouico Vngariæ deuicto & extincto. Albam, Græciam deuincit. Viennam Austriæ obsidet, cum numeroso exercitu, in quo bis centena & quinquaginta armatorum milia sub signis habuisse fertur, sed frustra, domino per Germanos, & Philippum Comitem Palatinum succurente, anno 1529. Boemiam deindè inuadit, anno 1530. sed irrito conatu.

Anno 1529. Anno 1530.

Tunetum captum & recuperatum. Anno 1536. Anno 1566.

Eodem tempore Tuneti potitus est, ciuitate in factiones distracta. Quam tamen Carolus Cæsar non multo post restituit anno. 1536. Vlteriùs inde progressi Turci arcē Vngariæ Crauensem, & Albam regalem occupant an. 1543 Melitem insulam anno. 1565. frustra, Rhodijs eam equitibus diuina ope strenuè defendentibus aggreditur. Deinde in sigethi oppugnationem intentus, moritur Sultanus anno domini 1566.

Selimus 12. imper. Turc. Cyprus Christianis erepta. Anno 1571. Miserāda strages in expugnatione Nicosiæ et Famagustæ.

Post hunc succedit in Imperium filius Selimus, qui pactus cum imperatore Maximiliano, inducias, non multò post Cyprum adoritur, Nicosiam Cypri metropolim expugnat, crudelissimam ædens stragem miserorum ciuium cuiusque generis, anno 1571. Deinde Famagustam ad deditionem cogit vbi contra pacta & datam fidem, non minorem, quàm Nicosiæ sæuitiam exercuit. Ita Selimus Cyprum insulam prorsus adimit Venetis.

Atque hæc de Turcis hactenus, quorum imperium, siue latrocinium potius, quibus primum ortum initijs, quàm latè se sparserit, quantum incommodi ecclesijs intulerit, quantum Christiani sanguinis exhauserit, ex historia rerum gestarum, qua licuit breuitate perstrinximus, atque ad annum 1571. deduximus. Quid postea fiet, aut quorsum res dehinc euasuræ, deus nouit.

Exhortatio ad Christianos.

Illud modo luce ipsa luculentius constat, prophetica hac tuba sexti Angeli, Turcos permaximè, eorúmque multitudinem, & arma denotari. Quod vtinam Turci ipsi cernerent atque intelligerent, vtinam & Christiani etiam satis secum perpenderent, quo magis sibi ab his caueant, seque in posterum maiore concordia, in vocatione & fide Christi communiant. Quis enim hæc tam clara, tam perspicua, apud prophetam legens, de Euphrate, de occidenda tertia hominum parte, de numero exercitus, de armis igneis, hyacinthinis, & sulphureis: de equis, eorúmque caudis & capitibus leoninis, ignē, fumū, & sulphur spirantibus, de potestate nocendi & occidēdi tertiam hominum partem, simúlque eadem conferens cum rerum consequentium historia, non Turcos, & atrocem eorum immanitatem, certissimis coloribus hìc depictam intelligat? quam tot iam annis experti, plusquam tertiam partem Christiani nominis, à gremio ecclesiæ reuulsam cernimus.

Plus quàm tertia pars Christiani nominis à Turcis occupata.

Age, & cum nihil cadit in rebus mortalium temerè, diuina vel non immittente manu, vel permittente, cúmque nihil velle possit prouidentia illius, quod non certa ratione & consilio gubernatur, mirabitur hic forsan aliquis, cur voluerit dominus, tot tam acerbis calamitatibus, suas ita dissipari ecclesias. Cui vt occurramus obiectioni, primum illud tenendum est, iudicium dei à domo ipsius plerunque auspicari. Secundó eadem iudicia domini affligentis, vtcunque nobis occulta

occulta, semper tamen in se iusta existere. Quanquam neque sic omnino occulta, quin sæpè etiam causæ calamitatum, quæ infliguntur, dilucidè per prophetas explicantur. Quibus iam ante prænoniti, vel maturè resipiscant, vel in posterum discant esse cautiores. Quod præcipuè hoc in loco, ex ijs, quę consequuntur prophetæ verbis, ostenditur. Causa tantarum calamitatum exquiritur.

Et cæteri homines qui non sunt occisi his plagis, neque resipuerunt ab operibus manuum suarum, vt non adorarent dæmonia, & simulachra aurea, & argentea, & ærea, & lapidea & lignea, quæ neque videre possunt, neque audire, neque ambulare, & non egerunt pœnitentiam ab homicidijs suis, neque à veneficijs suis, neque à fornicatione sua, neque à furtis suis. &c.

Eorum, qui occisi sunt his plagis, tertiam esse hominum partem iam audistis. Cur autem occisi sunt, haud difficile fuerit intelligere ex his, qui cùm incolumes ab his malorũ fluctibus euaserunt, nihilo tamen ob hoc correctiores, pergunt in ijsdem flagitijs, propter quæ cęteri sunt deleti, in cultu videlicet dęmoniorum, & simulachrorũ erigentes sibi signa & statuas aureas, argenteas, æreas, lapideas, ligneas, qui nec resipiscunt ab homicidijs, parricidijs, martyrocidijs suis: nec à veneficiis, scortatione, & furtis se cohibent. Ex quo minimè obscurum est, quid causæ fuerit, quamobrem ira sic palam de cœlo sęuierit in corpora & regna Christianorum. Idololatria Christianorum punita. Ira Dei in Christianos cur adeò accensa.

Quare discant Rhemus, & Romulus, Rom. inquam, pont. & Rhemenses Iesuitę, figmenta hæc manuum suarum idololatrica, è templis suis eijcere. Desinant simulachra hominum aurea, argentea, marmorea, lignea, lapidea, ad cultum & inuocationem sibi proponere: à cæde & persecutione Christianorum fratrum manus abstineant, à fornicatione, & concubinatu occulto discedant, libera coniugia ecclesiæ restituant. Desinat denique Rom. archiflamen, inexplebili ambitione & crudelitate, in alienas populos grassari tam intemperanter. Desinat aliena regna et imperia, quæ nihil ad ipsum attinent, ad prædam & rapinam captare tam turcicè, si quid vnquam, vel contra Turcos gerere feliciter, vel à Turcis sibi prudenter cauere cogitet. Cultus simulachrorum in templis Christianorum. De reformatione ecclesiæ maturè adhibenda.

Quin & Rhemenses simul Iesuitæ nostri admoneantur, quàm ridiculè & imperitè se dederint, in hunc locum commentantes, seu mentientes potius τὰ εἴδωλα τὰ χρυσᾶ, hoc capite, non pro simulachris, aut imaginibus, quæ in templis nostris adorantur, sed pro idolis duntaxat Ethnicorum à propheta accipi, atque sic verti oportere. Quod falsissimum esse res ipsa apertè indicat, ipsósque turpissimi arguit mendacij, cùm nec ipsos lateat, maximam eorum partem, qui trecentis his annis, in Turcicam abierunt seruitutem, non Paganos fuisse, sed Christianos, qui non dęmonia colebant, non Iouem, non Venerem, non Mercurium adorabant, sed mutas solùm sanctorum effigies, quæ nec ingredi, nec videre, nec audire poterant, in templis venerabantur. Ad Rhemenses responsio.

Eóque hæc ipsa causa à propheta ponitur, quur diuino permissu, sic Turcica rabies in ecclesias nostras inualuerit. Et tamen nostri hodiè pseudocatholici, tot admoniti exemplis, tot castigati flagellis, tot tantísque cincti periculis, ac in angustias redacti, quorum non templis solùm & aris, sed & capitibus quotidiè immineat è proximo hostilis barbaries, nihilo fiunt tot istis plagis correctiores, nec pilum vnum remittunt à consueta idolorum, scortationum, homicidiorum fœditate. Vnde quid demum post ista diuina statuet vindicta, quantáq; mala isti suo suunt capiti, viderint ipsi, atq; ex præteritis futura metuant, expecténtq;, nisi pœnitentia reducti in melius resipiscant. Nos vero institutum propheticæ narrationis cursum prosequamur. Ad resipiscentiam inuitatio.

Caput x.

Cap. 10. *ET vidi alium Angelum fortem descendentem de cœlo, amictum nube, & Iris in capite eius, & facies eius erat, vt sol, & pedes eius tanquam columna ignis, & habebat in manu sua libellum apertum, & posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram. Et clamauit voce magna, quemadmodum cum leo rugit. Et cum clamasset, loquuta sunt septem tonitrua voces suas. Et quum loquuta fuissent septem tonitrua voces suas, ego scripturus eram. Et audiui vocem de cœlo dicentem mihi: obsigna quæ loquuta sunt septem tonitrua, & ne ea scribas.*

Et Angelus, quem vidi stantem super mare, & super terram, leuauit manum suam ad cœlum, & iurauit per viuentem in secula seculorum, qui creauit cœlum, & ea quæ in illo sunt, & terram & ea quæ in ea sunt, & mare & ea quæ in eo sunt: tempus non fore amplius: sed in diebus vocis septimi Angeli, cum caperit tuba canere, consummatum esse mysterium Dei, sicut euangelizauit per seruos suos prophetas.

Et audiui vocem de cœlo iterum loquentem mecum, & dicentem: vade & accipe libellum apertum in manu angeli stantis super mare & super terram. Et abij ad angelum, dicens ei, vt daret mihi libellum. Et dixit mihi, Accipe & deuora illum, & faciet amaricari ventrem tuum, sed in ore tuo erit tanquam mel dulcis. Et cum deuorassem eum, amaricatus est venter meus. Et dixit mihi, oportet te iterum prophetare in gentibus, & linguis, et populis, & regibus multis.

DE ANGELO STANTE SVPER MARE, & super terram.

PErgunt satis quidem dura adhuc tempora sextæ tubæ. Neque enim ad septimam adhuc tubam peruenimus, quæ finem malorum sit allatura. Quoniam igitur sub sexta hac tuba, in qua hactenus versamur, multa nobis aduersa & calamitosa prænunciantur, quorum magnam iam partem in superiore capite expediuimus: supereſt porrò, vt quæ nunc sequuntur mysteria, in hoc atque in altero capite paucis edisseramus.

Sexta tuba adhuc durans.

Ac primùm quidem occurrit Angelus, de cœlo descendens, immensæ fortitudinis, qui nube amictus, Iride redimitus, facie solis splendorem referens, tibias tanquam columnas igneas gerens, librúmque habens in manu apertum, pedem ponit alterum super mare, alterum super terram. Magnifica sanè visio. Age, & quid ait tandem, aut quid agit hic Angelus? Voces quidem ac clamores terribiles leonino velut rugitu ædit, vel tonat potiùs, adeóque non per vnum, sed per septem tonitrua redditas. Quibus tamen vocibus, quid expressum fuerit, propheta subticere iubetur, vt quid in his tonitruis lateat occultioris mysterij nec ipsi effari, nec nobis perscrutari liceat.

Angelus de cœlo descendens, eiúsque visio.

Iam verò, quisnam hic sit Angelus, non omnes in eo consentiunt interpretes. Alij ad Iustinum imperatorem referunt. Lyranus in morali explicatione, de pontifice Romano, historiam hanc exponere non dubitat. Aretas ad insignem aliquem ordinis angelici nuncium accommodat. Idem facit Abbas Ioachim, vel Enoch esse putans, vel ex sublimiori Angelorum genere aliquem. Cæteros ad vnum omnes ferè, qui in Apocalypsim scripsere, in hoc conuenire video, vt Angelus hic summum videlicet, solúmq; illum magni consilij & æterni testamenti, angelũ, Christum ipsum dominũ figuret. Quod, quo euidẽtiùs confirment, ex his argumentis & circum-

Variant interpretes.
Lyranus.
Aretas.
Abb. Ioachim.
Ambros.
Auſbertus &c.

& circumstantijs colligunt,ex dignitate, potentia, fortitudine, ex amictu & ornatu a vertice vsque ad pedes mire insigni,ex vocis magnitudine, ex splendore vultus, ex pedum vestigijs,quibus velut igneis columnis, inusitato complexu maria simul & terras comprehendit. Adduntur & his singulis singulæ declarationes. Angelus de cœlo descendens,amictus nube & Iride,significat dominum ipsum Iesum Christum,qui missus à patre ad ecclesiam, excitat assiduè salutares doctores.

Hic amictus nube dicitur, humana videlicet carne & natura : in qua missus, rebus ecclesiæ suæ afflictis & deploratis auxilium affert, & consolationem: siue, vt Augustinus, amictus Iride. Iris Sacramentum est fœderis,& pacificationis cum deo per Christum initæ. Ex Chytræo Bullingero, Aretio & alijs. Aug.in Apoc. hom.7.

Facies corruscans vt sol, significat Christum lucem esse mundi, & solem iustitiæ.

Pedes similes columnis igneis, significant ministerium,& propagationem euãgelicæ pacis, per quam lux veræ agnitionis & ignis veri erga deum amoris, in cordibus hominum accenditur.

Quod pedem autem dextrum ponit super mare, sinistrum super terram, eo suffiguratur possessio quam vendicat Dominus in terras atq; insulas,cuncta sub potestatem suam redigens,imperioq; suo complectens,quid vsquam est terrarum, siue electorum dei in terris,aut insulis.

Alij aliter: Augustinus per pedum mentionem Apostolos, Tho. Aquinas prędicatores intelligit,qui Christum prędonio suo per mundum portant, tanquam columnæ ignis : Quia nimirum illuminant & roborant alios. Ideò per ignem,formam columnæ habentem præfigurantur. Ita Thomas. Augustinus. Tho.Aquinas.

Pes verò dexter firmiora membra; sinister imbecilliora, iuxta Bedam, designat. Abbas Ioachim per mare nouum testamentum,per terram vetus intelligit: porrò Thomas hoc modo, secundum glossam, interpretatur pedem dextrum super mare, id est super maximos peccatores, sicut Petrus & Paulus positi sunt Romæ, vbi erat populus crudelis & durus. Sinistrum super terram, .i. super peccatores terrenorum auidos,licet non in grauissimo gradu criminum. Atq; hæc longiùs & subtiliùs petita videntur.Aretius sic : terra verè pij sunt, solidi & firmi, instar terræ : mare omnes, qui vbique sunt reprobi. Beda. Thomas. Bened. Aretius.

Liber in manu apertus, volumen est continens scripta prophetarum, & Apostolorum,eo maximè tempore apertum, quando ante annos aliquot summo dei beneficio,per artem impressoriam libri huiusmodi aperiri,& innotescere mundo cœperunt, ex Bullingero. Henr. Bullingerus conc.43.

Septem tonitrua &c.Loquente filio Dei, loquuntur tonitrua, hoc est, spiritus sancti multiplex gratia, ex Aretio. Addit Chytræus, voces septem tonitruum significant ministerium spiritus sancti, qui septiformis munere in hymno dicitur. Bened. Aretius.

Recensui hactenus, quæ publicè in scholis theologorum recepta sunt, & adnotata de hoc Angelo,& de magnifica eius gloria, plerique ferè omnes filium esse Dei, de cœlo descendentem confitentur. Quæ opinio tot præsertim probata autoribus, nec mihi displicet. Quin neque diffiteor, nihil sub allegorico hoc schematismo contineri, quod non sit consentaneum, rectéque possit Christo accommodari. Autoris interpretatio, cum præfatione veniæ.

Quanquam neque rursus ita multum video incommodi, si quæ propheta hic simpliciter de angelo commemorat, nos eadem simplicitate de Angelo propriè intelligamus, nec vllam satis grauem perspicio causam, cur Christum Dominum e solio maiestatis, in terras corporaliter deducamus ante præfinitum sum tempus, præsertim cum abundat ipse Angelis suis atque administris, quos mittat rerum aperiendarum nuncios, etiamsi in terras ipse de cœlo minime descendat.

Quid quod proprium hoc angelorum munus est non Christi, huiusmodi legationes perferre in terras. Quod autem Christus alicubi in scripturis angelus appellatur testamenti & magni consilij, scio ac fateor. At nunquam in scripturis Christus Sola ac simplici voce angelus, seu nuntius dicitur, sine adiectione illius rei, cuius angelus esse commonstretur, vt quum angelus consilij, aut testamenti metaphoricè dicatur, nemo non intelligat, nulli id conuenire nisi personæ duntaxat Christi, eiúsque officio, nec angelum eum vsquam simpliciter ita dictum legimus, quemadmodum, hoc in loco, vbi mentio fit angeli tantum nulla audita re, quæ angelum hunc distinguat à cæteris angelis.

Christus quatenus Angelus adpellatur.

Iam verò quod additur, angelus fortis, & refulgens, describuntur hîc qualitates, & conditiones, non vni solum alicui peculiares, sed quæ peræque cum cæteris angelis possunt esse communes. Porro quod ait hoc loco Ioannes: *Et vidi alium angelum. &c.* Quis hinc non perspicuè persentiat relationem, seu collationem subinnui inter hunc & cæteros illos angelos, quos supra viderat, atque audierat. Vnde non Christum, sed angelicam aliquam potentiam, non dominum ipsum, sed seruum domini, hac descriptione significari probabile videatur. Neque enim fieri potest, vt Christus deposita, aut mutata humana sua natura, quam ex homine, hominum causa induit, quam & nunc glorioſam infinita gloria circundedit, in aliam se speciem, aut formam transmutet. Angelorum quippe hoc est, varias species & formas in se suscipere, Christus certè non solet alia specie, & natura spectabilem se præbere oculis hominum, quàm ea, quam semel suscepit, & quam nunquam exuet.

Cur Angelus hic non pro Christo sed pro Angelo propriè accipiendus sit.

At nubes, inquiunt, qua amictus est, humanitatem Christi repræsentat. Audio: at quæro igitur, quid, an Christus hic de cœlo in terras delapsus, humanitatem ipse secum detulit, an non? Si negent, qua quæso fide constabit, vt Christus incarnatus, sua exutus humanitate, aliter quàm in carne hac glorioſa, audiri, aut cerni ab hominibus potuerit? Sin verò affirment quod negari non potest, adfuisse cum vera sua carne, & humanitate, quid ibi opus typica aliqua transfiguratione? Quid nube opus repræsentari carnem ipsius, quæ præsens aderat? Signa rerum haud ferè adhibentur, nisi vbi res ipsæ absunt, quæ figurantur.

Obiectio.

Deinde quo modo dicemus, Christum amictum sua humanitate corporaliter illic adfuisse, quum magna pars corporis ipsius, præter omnem speciem humanæ proportionis, vertatur hic in columnas igneas? Aut quæ hæc proportionis ratio, vt qui homo sit, certo loco circumscriptus, tanta tamque infinita pedum distentione, & mare simul & terram complectatur? Quare verisimile videtur, angelicam hanc magis, quàm dominicam apparitionem fuisse, quæ spiritualibus prophetæ oculis in visione exhibita sit: quódque dominus hæc per nuntium seruo suo spectanda potius exhibuerit, quàm quòd ipse se præsentem in hac legatione dederit.

Rationes, cur Christus corporaliter in nube hac non descenderit.

Restat denique vt causam nunc ipsam aduertamus, quur descenderit de cœlo angelus, quem vidit Ioannes stantem super mare, & super terram. Quæ mihi duplex esse videtur: altera vt edoceat prophetam, de restauranda denuo, post longam temporis intermissionem, prædicatione euangelij. Altera vt prænunciet, de supremo fato, & ruina mundi mox sequutura, vbi primùm vox insonuerit tubæ septimæ.

Angelus cur de cœlo descenderit redditur ratio. Duplex causa.

Quum igitur in his duobus, quæ dixi, omnis consistat causa, quur demissus de cœlo angelus hic fortis in terras venerit, nihil necesse video, quur corporea domini præsentia, hac in re adeo magnopere requiratur: quum vel Gabriel fortis ille dei angelus, vel quiuis alius ex administratorijs spiritibus, deique nuncijs, ad hanc obeundam legationem, vt sæpe alias, sufficere potuisset. Sed non contendo, neque propterea hæc adfero, quod nũ inclinẽ lubentur ad partes eorum, quos

quos & amplector & sequor : Verùm disserendi gratia, in medium ea proferre visum est, vt quid obijci contra possit, lector videat, suúmque in his iudicium liberè interponat. Quid multa ? siue Angelus hic, siue ipse Angelorum dominus fuerit, haud magni retulerit ad scopum rei, quem petimus. Quod ad rem igitur attinet agamus potius, vt quo tendant dicta factáque diuini huius legati, ea qua par est, diligentia aduertamus.

Primùm, quid per septem tonitrua rugiat, quæ verba effulminet hic angelus, nobis occultum esse voluit. Illud liquidò conijcere licebit, ingentis aliquid mysterij, seu horrendæ comminationis latuisse, si nos digni essemus, quibus res tanta patefieret. Mox verò post rugitus & tonitrua terrifica, erupit aperta vox, disertis verbis prophetans, iuránsque per viuentem in secula seculorum, tempus non fore ampliùs, at breui adfuturum diem, qui finem imponat temporibus, laboribúsq; miseri huiusce seculi.

Sextus Angelus de iudicio breui secuturo prænunciat ac iurat.

Ideóque non terram modò, sed & mare etiam pedibus calcans, manúsque in cœlum subleuans, fortissima voce, hæc de venturo Dei iudicio, rerúmq; omnium fine prophetat, nec prophetat solùm verbis ambiguis, velútque subdubitants de euentu prophetiæ, sed validissimo etiam iuramento confirmat, non per creaturam aliquam iurans, sed *Per viuentem in secula seculorum, summum vniuersæ creaturæ conditorem, qui creauit cœlum, & illa quæ in eo sunt, & terram, & ea quæ in ea sunt, & mare, & quæ in illo sunt, &c.*

Iuramenti Angelici validitas.

O quale quantúmque iuramenti sacramentum ? Cuius de fide, & firmitate ineuitabili, tam certò nobis constare possit, quàm certum sit, & indubitatum Deum viuere, quòd cœlum ipse, quòd terram, quòd mare condiderit : priúsque hæc nobis deneganda sunt, quàm non necessariò ventura illa, quæ Dei nomine & verbis promittuntur.

Dies & hora iudicij incerta.

Age, & quando tandem diem hunc supremi iudicij adfuturum sciemus ? non diem, non horam, non annum certum designat, at tempus tamen certissimè à Deo cognitum, & præfinitum esse adiurat, quando tempus non erit ampliùs, cunctáque in antiquam solitudinem redigentur : simúlque temporis huius vicinitatem certa quadam designatione patefacit. Nempe, vbi post restitutam Euangelij prædicationem, proxima, post sextam hanc, septima dehinc tuba personuerit. Quod certè ab articulo horum temporum, atque à foribus procul abesse non potest.

Iudicij vicinitas prænunciata.

Quæ cum ita sint, satis mirari mecum nequeo, quid in mentem incidat seculi huius hominibus, qui mundi delicijs, tanquam mandragoræ indormiscentes, tanta securitate vitam transigunt, voluptatibus se explent, ambitione, luxu, strepitu, opum, honorum auiditate sic insaniunt, ita nullo Dei timore, nec proximi charitate, nec vllis ferè conscientijs permouentur, perinde, ac si nullus mundi exitus omninò sit futurus, aut non breui sit expectandus.

Peruersa mũdi huius securitas reprehenditur.

Quòd si non clarissimis scripturæ testimonijs hæc consignata essent, aut tam obscurè obnubilata, vt facilè intelligi non possent, esset in eo aliquid, quod possit vtcunque condonari. Nunc quid habet humana insciția ne dicam, an peruersitas, quod contra obtendat, cum hæc legant mortales, tam expressis Prophetarum non oraculis solùm, sed iuramentis etiam confirmata, vt nullus relictus sit dubitandi locus, aut ignorandi, nisi vltrò cæcutire in luce meridiana velint. Proindè etiam atque etiam vellicandæ nobis sunt surdæ Christianorum aures, vt excusso letali hoc læthargo, quo nimium hodiè multi corripiuntur, maturè sapiant, sic in tempore sibi caueant, ne tempore præoccupati excludantur, præsentia sic consectentur, ne futura amittant, ne veris & æternis bonis excidant. Minus feriunt mala, quæ præmonstrantur.

Admonitio generalis ad maturè cauendum.

Ideòque de temporum fine, in tempore, hæc nobis prænunciantur, ne cum temporibus pereamus.

Certitudinis comprobatio.

Atque ne desit personæ authoritas, aut dicto fides, non mortalis hæc vox, sed dominus ipse est, qui de cœlo detonat, nec detonat, sed iurat etiam, non per creaturam, sed per viuentem in secula seculorum, quo maiorem interponat consilij sui firmitatem. Quod si quid in humanis iudicijs dubium aut controuersum

Iuramenti vis.

sit, exsoluitur, finitúrque accedente hominis iuramento: quanto magis vis iuramenti illius valere debet, quod non ab homine, sed de cœlo auditum grauissima adiuratione summi numinis suscipitur, per vitam & æternitatem illius, qui vt nunquam mori, ita nec mentiri vnquam poterit?

Contra Atheos & Epicuros horum temporum.

Quæ quum ita habeant, quid his dicendũ Atheis, Epicuris, ἀπίστοις, ἀχρείοις, quorum vtinam non tam multi hodie cernerentur, qui stultissima persuasionis opinione, sibi blandientes, præsenti seculo æternitatem, sibi suisque voluptatibus diuturnitatem pollicentur: qui pro fabulis ferè ducũt, quicquid de iudicio, de mundi exitio, de temporum fine sacræ docent literæ. De quo hominum genere, rectissimè præsagiens Diuus petrus, prophetico planè spiritu, eos nobis

2. Pet. 2.

depingit, ijsdem ferè coloribus, Venturos extremis diebus, impostores seductitios, ingenio peruersos, iudicio corruptos, mente occæcatos, ita apud se statuentes, quasi scena hæc rerum terrenarum, statúsque mundi præsens nunquam sit abolen-

Corrupti mores huius seculi.

dus, tempus nunquam abrumpendum. Quin nec desunt hodie nonnulli, qui eisdem Petri verbis, si non loquuntur palam, taciti tamen fortasis secum obmurratione susurrant.

Quid diem illum domini moramur amplius, qui tam diu expectatus, nec dum venit tamen? quum interim frustra affliguntur sancti, multáque patiuntur,

Infidelitas impiorum. Infidelium, falsæ ac impiæ persuasiones.

expectantes benedictionem, vitam, felicitatem. Et quod tandem signum felicitatis huius, vsquam cernitur? vbi promissa hæc restitutio? quod vestigium resurrectionis? vbi iudicium? vbi præmia sanctis proposita, vbi aduentus eius tam diu expectatus? nec dum visus tamen, nec vsquam aliquis apparet finis? Quid, an non ab initio rerum huc vsque, eadem vbique naturæ facies? nascentium, morientium, an non eadem æquè condicio? nonne consimilis, idémque planè rerum cursus, atque olim fuit. Et quid si mundus hic ergo qui stetit tam diu, semper stabit, nunquam finietur, quid nos prudentius faciemus, quàm vt conformemur huic seculo, viuamúsque pro animi libidine?

Incredulitas Atheorum deplorata.

O cæca pectora! O deflendam miserorum peruersitatem! Quid, an quia sic visum est deo, certo ac arcano consilij sui decreto, in tempus, quod ipse sibi præscripsit, recrastinare quod promisit, an nunquam igitur præstabit? Quid si dies sit nisi vnus domino, qui tibi videtur annorum mille, an ideo quod illi breue sit, tibi longum videbitur, aut nunquam futurum putas? Quin age, si sic argutari libeat, ex præterita naturæ stabilitate, nec mihi quidem displicet hæc argumenti ratio, vt ex præteritis futura conijciamus.

Mille anni quasi vnus dies apud dominum, 2. Pet. 2.

Assumunt illi, quia mundus, eodem rerum cursu semper sui similis huc vsque perstat, vicibúsque subinde recurrentibus, eodem modo agitatur: ergo sic

Ratio Epicureorum confutata, qua credunt mundum semper duraturum.

semper erit.

Age, & ipse vicissim, hoc ab ipsis quæram. Vbi erat mundus, quando in die diluuij totus in vna scapha continebatur? Quod si igitur ex præcedentium rerum statu, res futuræ sunt metiendæ, quid similius, aut solidius esse potest, quàm ex die vniuersalis diluuij, diem similiter vniuersalis iudicij necessario argumento

Responsio. Mundus vniuersus in vna scapha comprehensus.

adstruere?

Periit aliquando vniuersitas mundi ob peccatum: ergo cur non vniuersalis mundus iterum ob peccatum destruetur? Ex eadem siquidem præcedente causa, idem similiter consequitur effectus. Sed quid argumentis opus, vbi iuramentis res agitur.

Et

Et ſubblata, inquit, manu ſua in cœlum, iurauit per viuentem in ſecula ſeculorum, qui creauit cœlum & terram, & quæ in eis ſunt.

Age, et quid iurauit tandem? tempus non forè amplius. & quis ille qui iurat? & per quem iuratur? an non qui viuit in ſecula? aut igitur non viuit dominus, aut veniet. Aut fallit veritas, aut eueniet, quod de tempore finiendo prædicitur. Spectemus præcedentium temporum propheticas promiſsiones. Quid vnquam veteres prophetæ de Chriſto vaticinati ſunt, quod non expletum ſit? Quid Chriſtus ipſe de ſeſe, aut ſuis, de morte triduana, de reſurrectione, de mittendo ſpiritu ſancto promiſit, quod non certiſſima fide præſtitit?

Iudicij venturi indubitata certitudo.

Veritas propheticarum prędictionum.

Et quî minùs dubitandum de euentu huius oraculi, quin quod promiſit dominus, pari fide ſit præſtaturus? ſiue ſeriùs, ſiue maturiùs, quid hoc ad rem? Neque enim ex annorum numero æſtimanda eſt veritas diuinarum promiſsionum: ſed fides noſtra promiſsis illius regenda. Cum deo nihil ſit neque breue, neque longum, cui omnia ſunt præſentia: apud quem nihil intereſt, ſiue interceſſerit vnus dies, ſiue mille anni. Non humana igitur cogitatione hæc ponderanda ſunt, quid quo tempore geritur, ſed quid promittitur: non quàm diu ſteterit mundi machina, ſiue quàm diu hactenus durarunt tempora, ſed quid de temporum fine diuina decreuit ratio, cui nihil neque ſerum eſt, neque maturum, tametſi nobis multa videntur ſeriùs venire aut maturiùs, cum apud deum nihil non ſuo in tempore, & opportuno & congruo perficitur.

Diuinæ promiſſionis certitudo & firmitas.

Quanquam quod ad temporis & annorum ſupputationem attinet, vtcunque humanæ expectationi longum videri queat, quod deus tam diu fatalem hunc temporum exitum diſtulerit: at nobis tamen, qui in hos incidimus temporum articulos, longum nunc videri non debet, quicquid id eſt, quod mundo iam reliquum ſupereſt: ſi modo propheticam hanc cautionem rectè attendamus. Quòd cum ita ſit, admoneantur pij omnes Chriſtiani, tum maxime impiorum turba, vt loquenti huic angelo, auſcultent diligenter, quid velit, quid dicat, quid iuret, attendant. Neque enim vllum exiſtimo, in vniuerſo ſcripturæ complexu, locum exiſtere, vel ad fidem ſtabiliendam, vel ad conſolationem piorum, vel ad concutiendos impiorum animos, impetúſque frangendos, hoc ipſo clariorem, tum his maximè temporibus oportuniorem.

Tempus iudicij non longè abeſſe.

Admonitio ſalutaris.

Legant itaque pij, legant impij. Qui fide fluctuant, infirmitate vacillant, errore ſeducuntur, aures oculóſque huc pauliſper aduertant. Quid fortis hic angelus de cœlo pluſquam ſtentoria voce conclamitat, ediſcant. Cuius validiſſimo iuramento, ſi quam fidem adhibendam vnquam exiſtiment, incipiant tandem aliquando, abdicatis mundi huius ludicris & illecebris: dominum deum ſuum timere, ac ſaluti maturè conſulere, Chriſtique comparato patrocinio, ita ſe ſuáque ſtudia, & cogitationes componant, ſic vitam tranſigant, non ex libidine animi ſui, ſed ex ductu euangelicæ auſcultationis, fide Chriſti muniti, in eaque aduigilantes: ne dies ille extremæ iræ, & calamitatis imparatos obruat.

In primis id quiſque ſibi ſtudio habeat, vt quum finem neceſſariò imponendum fluxis huius mundi rebus videat, ne quo modo igitur eius vel ſtabilitate fiſus, vel præſtigijs faſcinatus, aut blanditijs delinitus, ſpem certam pro rebus caducis amittat. Vt nulla ſera eſt peccatoris ad Chriſtum ſe reuocantis conuerſio: ita nihil eſt illius facilitate popularius, nihil natura mitius, maieſtate nihil glorioſius, nihil patrocinio tutius. Contráque nihil eſt eo ſtatu deploratius, nihil ea fallacius fiducia, quæcunque Chriſto non defixa inniti tur. Quemadmodum rurſus neque quicquam miſerius ea querela, quæ ſpretis rectioribus conſilijs, tandem poſt acceptam cladem, ſerò clamatare

Tempore rectè vtâtur mortales, necum tempore pereunte, pereant.

cogitur; Non putâram. Quo magis circũſpiciendum cenſeo, vt dum tempus ſuppetit, ita fruamur tempore nobis conceſſo, ne vnquam interim excidat hoc nobis, quod iurat hic angelus, *tempus non fore amplius*, quo ſignificatur certiſsimè futurum, vt orbis citò diſsipata fundamenta corruant, cunctáque in nihilum redigantur, quantumlibet nunc reſplendeant magnificè.

Duplex regnum alterum oriens, alterum occidens.

Quamobrem quum duplex regnum ex his colligitur Chriſti, & mundi, tanquam duplex quidem ſol, alter oriens, alter occidens, nemo tam deſipiat, vt velit occidentem adorare ſolem, quum alterum è regione iam iam orientem, aut ortui ſanè proximum conſpiciat. Quòd ſi qui tam denſa adhuc circumſepti caligine, ſolem hunc ex alto orientem nondum oculis capiant, audiant, quid vaticinatur hic angelus, de ortus huius vicinitate, incipiántque capita ſua attollere.

2. Cor. 5. Eſai. 43. 65. 66.

Etſi apud deum iamdudum præterierunt, quæcunque ſunt mundi huius, vnde Paulus non vno loco, cum Eſaia propheta, vetera, inquit, præterierunt, ecce noua facta ſunt omnia: tamen quia nobis nondum præterierunt: audiamus proinde quid de temporis vicinitate, reſpondeat deſcendens hic ad nos dei legatus, qui ſtans ſuper mare & ſuper terram, ſubijcit in hunc modum.

Sed in diebus vocis ſeptimi angeli, cum cœperit tuba canere, conſummatum fore myſterium dei, ſicut euangelizauit per ſeruos ſuos prophetas. &c.

Iudicij ſupremi vicinitas.

Rectè ſane. De tuba ergo ſeptimi angeli hic loquitur. Et quænam quæſo tuba hæc ſeptima eſt, niſi quæ proxima ſit ſextæ huic tubæ, in qua deſcendit hic angelus & in qua nos modo verſamur, iámque diu verſati ſumus. Quod cum ita ſit, quúmque tempus ſextæ huius tubæ iam pene decurſum ſit, quid reſtat, niſi vbi primùm cœperit proxima pulſare buccina, vt conſummetur myſterium dei, móxque cataſtrophen accipiat euaneſcens huius mundi fabula, vt nullum reliquum deinceps maneat illius veſtigium. Nunc verò quàm propè immineat vox ſeptimæ huius tubæ, vel hinc diſcamus, quòd expleta iam omnia effluxerunt, quæcunque ante ſeptimam & vltimam tubam euentura præmonſtrantur. Sed quo clariùs hæc emineant, pergamus in eorum, quæ in hoc capite ſequuntur explicatione, per g it enim in hunc modum propheta.

Devoratio libri prophetici.

Et audiui vocem de cœlo iterum loquentem mecum, & dicentem: vade & accipe libellum apertum in manu angeli ſtantis ſuper mare & ſuper terram. Et abij ad angelum, dicens ei, vt daret mihi libellum. Et dixit mihi, Accipe & deuora illum, & faciet amaricari ventrem tuum, ſed in ore tuo erit dulcis tanquam mel. Et accepi libellum de manu angeli, & deuorani illum, & erat in ore meo tanquam mel dulcis, & cum deuoraſſem eum, amaricatus eſt venter meus. Et dixit mihi, oportet te iterum prophetare in gentibus, & linguis, et populis, & regibus multis.

DE LIBRO PROPHETICO DE MANV ANgeli accepto & deuorato, hoc eſt, de reſtitutione Euangelij.

AD ſextam adhuc tubam ſpectant iſta, quæ geruntur ab hoc angelo deſcendente de cœlo. Ac primùm quid dicat iurátque de voce ſeptimi angeli ſecutura, iam ante accepiſtis. Progreditur adhuc in viſione Ioannes, mittitúrque per vocem internam, ad angelum ſtantem ſuper mare, & ſuper terram, vt libellum ab eo accipiat: Quem vbi acceptum deuoraſſet, primo guſtu tanquam mel in ore ſapiebat, traiectus deinde in ventrem, ſubauſtera amaritudine cruciabat. Verba poſt hæc ſequuntur angeli, quibus prophetica ei functio committitur.

Oportet iterum te inquit *prophetare in gentibus, & linguis, & populis, & regibus multis. &c.*

Quid liber apertus, eiúsq; deuoratio ſignificat.

Plena myſterijs omnia: quo maiore opus eſt adhibita attentione, vt quid apertus hic liber velit, quid eius deuoratio, quid in ore ſuauitas, in receſſu aſperitas

ritas adportet, quid voce prophetiæ, quid persona Ioannis significetur, intelligamus quodnam tempus illud fuerit obeundæ huius prophetiæ, quid vocabulo illo (*Iterum*) innuitur, vbi ait, oportet te, iterum, prophetare. Vox Iterum. Quæ omnia licèt externa facie foris gesta videantur, tamen occultioris sensus intelligentia non carent, in quibus neque magna adeò inesset difficultas, si nos omissis paululum subtilibus leptologijs, & speculationibus plus nimiò curiosis, simplici animaduersione, res ipsas cum suis vmbris conferamus. Quis enim non videt, apertum hunc librum in manu Angeli, diuini verbi cognitionem notare? quam aperiet dominus afflatu spiritus sui ijs, quos missurus est in orbem terrarum, ad propagandum filij sui regnum.

Quoniam autem liber hic in manu Angeli apertus prodesse aliter non potuit, nisi adhibito eorum ministerio, quos peculiariter in hunc finem selecturus erat dominus, iussus est proindè Ioannes librum suscipere, totúmq; deuorare. Neque hîc quisquam putet, sub vna hac persona, solùm Ioannem Apostolum & Euangelistam significari, vt nonnulli autumant. Neque verò id temporis ratio patitur, peregerat iam olim cursum suum Ioannes, circiter primam tubam. Quo tempore nondum perierat Euangelica veritas, vt nunc sub sexta tuba denuo esset redintegranda. Sed alij administri, & prædicatores verbi pro ratione temporis, ad hoc suscitandi erant, quos sub persona Ioannis, visio hîc adumbrat prophetica. De prophetæ librum deuorante.

Iam quod ad gustum libelli attinet, initio suauem & amœnum, demum in fine acerbum, in eo communis ferè conditio propheticæ functionis aptissimè demonstratur. Vt enim nihil delectabilius est, quàm diuinarum rerum infusa per spiritum Dei, mentibus nostris susceptio: ita quis vnquam ferè prophetarum omnium fuit, qui mortem aut carcerem durum euasit, præsertim qui strenuè sua fungeretur legatione? Ideóque non temerè prophetarum nomine designantur hi, qui rectè ac fideliter Euangelio prædicando nauant operam. Sed de his dehinc fusiùs sequente capite, annuente Christi gratia. De gustu libri deuorati. Prophetarum ferè omnium exitus.

DE TEMPORE RESTITVENDI *Euangelij.*

DE tempore nunc videamus, ad quam tubam propriè pertineat prophetici huius ministerij restitutio. Si ad sextam hanc, quod necessariò fatendum est, fieri certè aliter non potest, quin in postremam hæc mundi senectam, quæ septimam tubam proximè antecedit, cadat hæc prophetia necesse sit, videlicet ab anno Christi 1300. ad præsentem hanc vsque ætatem. Quod vel hinc nulli ambiguum esse potest. Nam si ille equestris exercitus, ad cantum sextæ tubæ, primùm emissus, cuius igne, fumo, & sulphure, tertia hominum pars deuastata sit, Turcos istos Christiani nominis hostes omnium atrocissimos designat, quod nemo, opinor, inficiabitur: quin eadem simul ratione fateatur oportet, initium sextæ tubæ, ab eodem anno domini numerandum esse, quo Ottomannus primus Turcicæ huius familiæ imperator, in capita Christianorum grassari cœpit. Qui annus erat, vt dictum est, millesimus trecentesimus. Post hunc Ottomannum secuti deinde posteri eius successores, ab eo tempore, ad trecentos iam penè annos, continuis bellis terras infestarunt Christianorum. Intereà temporis frementibus hunc in modum Turcis, simúlque Christianis ipsis haud minùs inter se tumultuantibus, descendit hic Angelus, qui arrecta ad cœlum manu, fortissimè iurat, breui futurum, proximo canente Angelo, seculi excidium: simúlque de Prophetia Sub qua tuba mittitur propheticæ doctrinæ restitutio. Tempus 6. tubæ ab anno domini 1300. Ottomannus primus Turcorum imperator an. 1300. Post initia Turcorum promittitur restitutio Euangelij.

phetia iterum resusscitanda prænunciat. Vnde haud difficilis præbetur coniectura, reuocationem hanc diuinæ prædicationis, per pios Christi ministros, post tempus illud incœpturam, quo Turcorum cæpit primum vexatio.

Temporis obseruata ratio.

Temporis Ioan. Wicleui. Ioan. Hussij. Hierom &c. Anno 1380. Anno 1416. Anno 1516. Anno 1540. Wickleuus. Hussius. Hierony. Prag. Lutherus. Zuinglius. Oecolampad. Melancth. Caluinus &c.

Quæ quum ita ex historijs, & annalibus dilucidè constant, hinc nos ipsa rerum gestarum series necessariò deducit ad tempora Ioan. Wicleui, Ioan. Hussij, & Hieronymi, Pragensis, Lutheri, Zuinglij, Oecolampadij, Melancht. Caluini, & consimilium, quos numerosa multitudine excitauit dominus, his postremis temporibus, ad Euangelij sui propagationem. Atque hic simplicissimus mihi quidem videtur huius scripturæ sensus. Qui si non omnium arrideat palato, isti quid contra obijciant, scirè velim.

Primum si negent Turcicos exercitus hac descriptione delineari, rogo, quam aliam mihi gentem proferent, in quam hæc omnia, numeris suis omnibus, conueniant absolutè. Sin affirment, sub qua igitur tuba, quoto anno domini, incæpit Turcica tyrannis, quæ in tantam excreuit imperij molem, ipsa loquatur historia. Conferamus nunc cum historijs, tempora ipsa. Quod si igitur necesse sit, in sextam tubam hæc omnia incidere, quæ de solutis quatuor angelis, in flumine magno, quæ de Turcica incursione, quæ de occisa tertia hominum parte, quæ de angelo deinde stante, & mundo minante, hic commemorantur, videat pius lector, atque ex his colligat, an non historiæ fides, ratio temporum, resque ipsa manifesto conuincat argumento, hanc verbi diuini lucem, & euangelicæ doctrinæ reformationem nuper per pios euangelij ministros, sanctósque dei martyres, diuina voluntate, exuscitatâ non hæresim esse, vt falsò isti obblaterãt, sed gnesiam & genuinam dei veritatẽ: non nouam eterodidascaliam, sed antiquam, ex propheticis & apostolicis fontibus diu interruptam, nunc denuo restitutam, & reductam doctrinæ synceritatem. Id quod verba angeli ad Ioannem apertissimè euincunt.

Euangelicæ doctrinæ renouatio, quàm nouitatis accusant aduersarij, a Deo mittitur.

In quibus illud imprimis incidit aduertendum, quod de iteranda prophetia loquitur. Neque enim, ita simpliciter ait, oportet te prophetare linguis & nationibus; sed velut de re intermissa, ac rursus reiteranda sentiens, *iterum* inquit, prophetare te oportet. Agedum, & quid hoc est, iterum prophetare, quid vox hæc (iterum) subinnuit, nisi vt intelligamus prophetiam cecidisse priùs, per pseudoprophetas oppressam; quam dominus iterum suo tempore, in integrum ecclesiæ suæ restituet, per alios verbi sui nuntios, quos in mundum rursus antiquo suo more missurus est? Alioqui si non priùs interciderit prophetiæ, hoc est, doctrinæ sanitas, quid opus erat noua aliqua restauratione rei illius, quæ priùs non interciderat, cuius nec defuit vnquam copia?

Iterum.

Thomas. Rupert. lib. 6.

Neque verò assentiendum censeo interpretationi Thomæ & Ruperti, qui reiterationem hanc prophetiæ, ad solam Ioannis Personam, eiúsque ab exilio reductionem accommodant, vt sensus sit, oportet te iterum ab hoc exilio absolui, & euangelicam veritatem calamo & atramento conscribere. Quod etsi suo loco, & tempore, recte dici aliquo modo potuit: tamen qui præsentem hunc locum propriè ad Ioannem detorquent, haud satis perpendunt, sub qua tuba hæc dicta sunt ab angelo. Quanquam idem Tho. Paulò pòst re rectius animaduersa, subiungit in hanc sententiam: In ipso, inquit, Ioanne intelliguntur alij prædicatores, quos dominus ante tempus Antichristi, vult instanter prædicare maioribus, & minoribus &c. In quo non admodum aberrare ab instituto videtur, nisi quòd prædicatores isti, non ante tempus, sed in tempore Antichristi, aut sub declinationem saltem Antichristi, ad restituendam euangelij prædicationem mittendi videantur.

Thom. cap. 10. Apocalyp.

Obiectio. Spiritus prophetiæ quo sensu accipiendus.

Sed obijciet hic iterum aliquis, intelligendum hunc locum de spiritu solùm prophetiæ, seu diuinationis, qui sub tempore antichristi excitabitur, non de vsitata hac dicendi, aut scribendi facultate, quæ in explicandis scripturis, doctrinaq;

repur-

repurganda cernitur: quando, ait, oportet te iterum prophetare, non dicit oportet te euangelizare.

Responsio ad obiect.

Cæterum hunc nodum minimè Gordianum promptissimè nobis expediet Nico. Lyranus, cum glossa ordinaria. Sic enim Lyr. in hunc locum commentans: vsus, inquit, prophetiæ hic accipitur, pro proponere verbum exhortationis ad plebem, sacras literas exponendo. Et glossa, alio in loco, non multum ab hoc dissentiens: Loquitur, inquit, in prophetia exponendo scripturas, quæ de futuris agunt. Et rursus alibi, differunt in scripturis prophetia, & diuinatio. Diuinatio prorsus abdicatur: prophetia, quæ fit exponendo, non item. Et Thom. adhuc apertius in hunc ipsum locum: oportet te iterum prophetare, quia Christus præcepit prædicatoribus annunciare verbum dei, sicut, dicit apostolus, prædica verbum, insta, opportunè, importunè.

Nic. Lyranus. Glossa ordin. in 1. Cor. ca. 14 Prophetia pro prædicatione verbi accipitur. Thom. in Apoc. cap. 10.

Quamobrem si vsus prophetiæ hoc loco sic accipiendus sit (quemadmodum ab his docemur) vt non pro diuinatione intelligatur, sed ad eos proprie pertineat, qui in fide & doctrina ecclesiam, instituunt, qui in exhortatione & prædicatione versantur, quos paulus prædicatores verbi, dispensatores mysteriorum dei vocat, quidnam igitur sit istud videamus, quod Angelus hic de prophetia iterum renouanda, in populis & linguis annunciat? Quomodo enim id refici dicitur, quod priùs non defecerit? Sin verò ita res habet, vt defectio hæc fidei & doctrinæ in ecclesia, ante eius reformationem necessariò sit concedenda, vbi igitur constans & perpetua illa Romanæ ecclesiæ firmitas in fide & doctrina stabilita, in quam nulla vnquam cadere potuit erroris labes? Vbi illabefacta illa beati petri cathedra? vbi hæreditaria sedis illius successio, iubente domino, Romam translata, quæ nunquam hactenus interrupta, cunctis ecclesijs mater est sacerdotalis? Vnde lex totius ob seruantiæ sumenda est? Cuius fides semper omnes destruit hæreses? Quæ caput orbis effecta, latiùs præsidet religione diuina, quàm dominatione terrena? Quæ potestatem habeat ecclesiasticæ iurisdictionis, sine limitatione loci & personarum? Cui omnes Christiani, vbicunque sunt, tenentur obedire? Cui commissa sunt iura cœlestis imperij & terreni? Quæ constituta super omnia delicta, tam spiritualia, quàm venialia, non indiget priuilegio aliquo humano? Quod priuilegium qui ei detrahit, in hæresim labitur, & hæreticus dicendus est.

Rom. ecclesiæ Apostasia & defectus. Ex epist. Amb. lib. 5. epist. 30. Marcelli. pap. Leo epist. 4. ad episco. Siciliæ. Leo epist. ad Martianum. Leo in natali B. Petri serm. 1 Durandus de origine iurisdictionis. Durand. ibid. Superba pontificiæ iurisdictionis vsurpatio.

Repeto iterum, quod supra ex verbis pauli annotatum est: Si res ita sit, vt defectio & apostasia fidei in ecclesia, ante eius reformationem necessariò concedenda sit, vt affirmat Paulus, vbi iam igitur clauis scientiæ, quã vendicat Rom. Pontifex, quæ errare non potest, quæ sola intellectum scripturarum præstat, sola portas aperit regni cœlestis? vbi apostolica illa veritatis radix, quæ perfida nunquam præuaricatione corrumpitur, à qua ipsam fidem vniuerso orbe propagatam esse non potest dubitari? vbi sancta & apostolica illa mater Rom. quæ per gratiam omnipotentis dei, à tramite apostolicæ traditionis nunquam erraſſe probatur, nec hæreticis nouitatibus deprauata succubuit. Vbi iam stylus ille Romanocatholicæ eccclesiæ, quam Iulius Sacrosanctam vocat, martyrum sanguine consecratam, magistram fidei, veritatis alumnam, omnium errorum expertem, vnicam & immaculatam Christi sponsam, diuina institutione, sanctorum authoritate conciliorum, canonum testimonio primatum ecclesiarum omnium tenentem? vbi excelsa illa dei ciuitas in ædito sita, hoc est Romæ posita, cunctis conspicua, quam diuina lex nunquam destituet, nullis vnquam obnubilanda tenebris, nunquam à sensibus dimouenda? vbi denique fructifera illa vinea, mons excelsus, directa via, columba vnica, regnum cœli, sponsa & corpus Christi, firmamentum veri, multitudo illa, cui spiritus promissus instillat omnia salutaria, in quam vniuersam nullæ sunt vnquam fauces diaboli, morsum lethiferum impacturæ, cui quicunque repugnat, quantumuis Christum ore prædicet, non magis Christo, quàm publicanus, aut ethnicus, potietur?

Epist. 24. q. 1. Decret. 24. q. 1. Iulius 2. in bulla indictionis concilij Lateranensis. Epitheta Romanæ ecclesiæ. Campianus ratione tertia.

Quod si verò ecclesiæ huius Romanæ tanta sit felicitas, quantam prædicant vt labi, errare, nescire, nunquam queat, dicant igitur pseudonymi isti catholici, qui sic se transfigurant in angelos lucis, quænam illa sit defectio, quæ apostasia, quam certissimè ex Paulo scimus diem domini præcessuram, cum reuelatione simul Antichristi sedentis in templo dei? Stante enim fide catholica, quæ potest esse fidei defectio? Aut quommodo fide deficiente, ecclesia, quæ fide potissimùm constat, illustris, conspicuèque monstrabilis esse poterit?

Defectio ante Christi aduentum. 2. Thes. 2.

At dicent Anglorhemuli nostri glossatores, defectionem hanc nihil ad Romanocatholicam fidem pertinere, sed ad eos, qui vel à Romano imperio vel a Romana ecclesia desciuerunt. Verùm huic glossemati pleniùs, vt spero, & opportuniùs dehinc respondebitur, vbi ad cap. 13. annuente Christo, perueniemus. Interea Pauli verba fixiùs aliquanto inspiciamus: *nisi venerit*, inquit, *defectio priùs*, simulque cum defectione hac, reuelationem coniungens Antichristi, ita subiungit: *& reuelatus fuerit sceleroſus ille filius perditus, ſedens in templo dei*. Ex quo facile per se liquet, quam hic defectionem Apostolus intelligat, non aliam scilicet, preter eam, quam Antichristus sedens in templo dei, inferat in ecclesiam. Ita enim Augustinus pluresque alij, vnam eandemque rem, & antichristi reuelatione, & defectione hac, significari intelligunt. Quod si ita sit, restat igitur quis hic sit Antichristus, vt perquiramus: papa ne sit, an Turca, quicunque autem sit, ingens profecto potestas in terra sit, oportet. Iam verò vter istorum in templo dei sedeat, Turca, an Papa, papistis ipsis iudicandum relinquo.

Anglorhemensium glossa in 2. cap. 2. Thes. 2.

Defectio tempore Antichristi.

Antichristus qui sit, vbi sedeat.

Antichristus vtrum Turca sit, an Papa.

ANTICHRISTVS TVRCANE SIT, an Papa.

NOS interim propiùs ad rem, præsentem accedamus. *Oportet te iterum prophetare &c.* Verba sunt angeli, quæ modo diximus, de restituenda euangelij prædicatione vaticinantis. Quamobrem ex hac ipsa restitutione, clarius luce constat, qualis fuerit defectio, quæ iterum sit resarcienda. Si euangelij doctrina restituenda sit, quis non videt non esse defectionem hanc, ab Imperio, aut ecclesia Romana, vt somniant Romanenses, sed Romanorum potius ab euangelio, & fide Christi. Cuius enim rei sit restitutio, eiusdem & defectionem prius precessisse necesse est. Quod enim nullo detrimento, nec decremento accisum est, quomodo resarciri dicitur? vnde falsissima pontificiæ multitudinis persuasio, eáque gemina, manifestis scripturis reuincitur.

Defectio non a Romana ecclesia, sed Rom. ecclesiæ a Christo.

Prima de Antichristo, altera de ecclesiæ Romanæ inconcussa integritate, quasi quæ immunis sit ab omni prorsus aberratione. Quorum vtrunque vanissimum est. Ac primum de Antichristo quid dicant, quid ex veteribus corradunt, quid de suo affingunt, audiamus. Quanquam quod ad veteres quidem illos attinet, nihil id quidem in ipsis mirandum est, qui procul ab istarum rerum, quas nunc cernimus, vsu praxique abfuerunt. Neque enim paulo facilius est, quæ completa videntur exponere, quàm de futuris, quæ non videntur pronunciare. Quemadmodum & Augustinus verissimè quidem illud, prophetias citius impleri, quàm intelligi, confirmat. Quo magis recentionibus his nostris hodie Rabbinis, merito succensendum est, quos, quum temporum ac euentuum experientia docere possit, ipsi vltro scientes & videntes, penes se ipsos, velútque in sinu, Antichristum maximè fouent, ac tuentur. Quod siue ex inscitia faciunt, siue malicia, haud multum interest, quum talis sit eorum inscitia, quæ nec doceri sustinet, talisque malitia, quæ nec corrigi se patitur.

Duplex Papistarum error 1. De Antichristo. 2. De defectione ecclesiæ

Augustinus.

Papistæ Antichristum in sinu fouentes.

In

In quo si vnquam aliâs, singulare artificium Satanæ spectare licebit. Cum enim talis sit Antichristus, in quo Satan omnem suam malitiam, ac fraudes contra Christum occultet, nósque omnes natura ab Antichristo abhorreamus, si modò detecta persona sensibus nostris appareret, nihil habet antiquus ille serpens prius aut antiquius, quàm vt hominum in eo oculos ludificet. Vt enim Iudæi si cognouissent Christum, regem gloriæ non crucifixissent: sic si homines religiosi Antichristum cognoscerent, quàm mox ab eo resilirent? Ideóque modis omnibus molitur Satan, vt lateat illa bellua, quo fit, vt falsa specie seducti, mortales summum Christi inimicum, pro summo amico amplectantur, & sub illius signis Christum oppugnent.

Occulta Antichristi species & simulatio.

Nemo proinde putet, ita venturum Antichristum, quasi professus sit Christi hostis. Hoc enim modo, facilè ab omnibus exploderetur. Sed susceptа velut Christi persona, falsáque illius ac plausibili officij simulatione, longè lateq; suum sparget aconitum. Hac itaq; opertus figura, plurimos ad se trahet non ex ignara solùm multitudine, sed homines etiã sanctissimos, sapientissimos, & in speciem religiosos sibi adiunget. Quocirca nulla spes est vincendi Antichristum, si vires humanas consideremus. Habet enim ille mundi thesauros, doctos, sapientes, & eloquentes homines. Habet populorũ suffragia, vires, copias, arma &c. Pugnæ ergo huius victoria Christo reseruatur, qui triplici ratione, vt præclarè scribit Bibliander, eum profligabit. 1. reuelando. 2 spiritu oris sui, hoc est, prædicando, atque hæc quidem hactenus per homines. 3. prorsus eum totum abolendo, quod soli Christo in suum aduentum reseruatur.

Antichristus Christi persona vestitus.

Antichristus tribus modis oppugnandus.

Iam vt ad fabulas pontificiæ theologiæ redeam, quàm inepta & prodigiosè insulsa sunt, quæ de Antichristo nugantur, aduertamus. Quos in duplicierrore fœdissimè versari video. Primùm quòd Antichristum falsissimè nobis depingunt, quem neque adhuc aduenisse mentiuntur, nec talis vnquam venturus sit, qualem ipsi venturum crassissimè somniant. Secundo loco, neque minus ridicula falsáque sunt argumenta, quibus Romanum pontificem Antichristum non esse defendunt. Qui locus quum summam ferè totius causæ nostræ contineat, tantò diligentiùs nobis ante omnia inspiciendus est. Posito enim hoc vno axiomate, Romanum pontificem esse Antichristum, ruunt illico rudera Antichristianæ ecclesiæ vniuersa.

Duplex error papistarum de Antichristo. 1. error. 2. error.

DE PERSONA ANTICHRISTI, VTRVM vnius hominis singularis persona sit an non.

Quæstio de persona Antichristi.

AGe, & qualem tandem Antichristum isti nobis effornent, quibus eum coloribus depingant, quibus plumis vestiant, accipiamus. Vtrum vna solùm persona Antichristum concludent: an plures esse dicent, quos Antichristiana hęc impietas, communi quadam appellationis coniunctione, mutuáq; successione, ita complectitur, vt multi eodem velut scelere colligati, vnum efficiant Antichristum?

Responsio papistarum de persona Antichristi.

Minimè, inquiunt, at vnum, certúmq; eum virum ac singularem quandam personam esse oportere. Quid ita? Qua ratione istuc. Quia quum Christus vna sit persona, proinde & Antichristum, qui ei aduersetur, vnum & singularem esse hominem, necessaria demonstratione colligitur.

Antichristus vir vnus & solus iuxta papistas.

Contra respõsionem papistarum de Antichristo.

Ridiculum, quasi oppositio Christi & Antichristi, aut causa oppositionis sit vnius singularis personæ, contra personam alteram singularem, ac non potius doctrinæ contra doctrinam, sedis contra sedem, fidei contra fidem, regni contra regnum, ecclesiæ contra ecclesiam. Cum Christus ipse cœlum iam teneat, inuictus omninò ac immortalis, iuxta propriam personam, nulla vi terrena aut

Oppositio non fit propriè in nudis personis, sed in qualitatibus personarum.

cogitatione dimouendus. Nemo tam insaniat, vt bellum hoc satanæ & Antichristi, contra priuatam personam Christi susceptum putet (quæ hinc in cœlum arrepta ne pertingi quidē possit): sed solùm contra calcaneū eius, hoc est contra fidem, contra ecclesiam, quæ in terris hìc militat, contra fideles & ministros illius.

Gen.3. Apoc.12.

Quód ergo affirmant isti Christum non nisi vnam esse personam, hincque Antichristum virum non nisi vnum esse concludunt, respondeo, etsi Christus aliquo modo vnus existat, ratione propriæ suæ naturæ, at ratione tamen cognominis, tum eo maximè modo, quo oppugnatur ab Antichristo, non vnus existit, sed plures sunt Christi, tot, vt ita dicam, quot nimirū fidos habet ille cultores, & administros. Christum ipsum in suo euangelio loquentem audiamus: Esuriui, & cibastis me, sitiui & potastis me. Quicquid vel minimo istorum fecistis, qui in me credunt, mihi fecistis. Item: quisquis vos recipit, me recipit. Rursúsque cum Saulo expostulans: Quid me, inquit, persequeris? quum tamen non Christum, sed Christianos persequeretur, & quod in Psalmo dicitur: nolite tangere Christos meos Ecce quomodo Christus vnus est, atque idem rursus non vnus in scripturis dicitur. Conferamus nunc argumenta argumentis.

Responsio ad sophisma Papisticum. Christus est vna persona. Ergo & Antichristus vna est & singularis persona. Math.15. Mar.10. Luc.9. Act 9. Psal.104.

Antichristus eadem ratione vnus est, sicut & Christus vna existit & singularis persona.

Christus autem communione sui nominis, non vna est, nec singularis persona.

Argumentum contra papist.

Ergo nec Antichristus deriuatione sui nominis, vnus solùsque existimandus est, sed in plures diffunditur.

Sed age, quoniam aduersarij hanc Christi, & Antichristi, analogiam vrgent tantopere, vnde id probabunt, quod ex persona Christi struunt, tam fortiter, vnum & particularem Antichristum esse oportere? Quod falsum est. Christus enim in seruando vnus solúsque in hac parte consistit. Contra verò ad perdendum non æqua ratione sufficit vnius Antichristi, quamlibet insigniter sceleroſi vita: sed plurium ad eam rem opus fuerit successione. Præterea, vt Christum vnicum esse bonorum omnium caput confitemur: idem de vno Antichristo, quod omnium impiorum sit caput, (vt astruunt Rhemenses) affirmari non potest, nisi non hominem esse eum, sed satanam ipsum fateamur.

Rhemenses. Impiorum omnium vnum propriè caput est Satã.

Breuiter, quid multa opus refutatione? vim analogiæ huius, cui insistunt tam acriter, expendamus paululum.

Christus inquiunt, *est vna particularis persona.*

Ergo *Antichristus est singularis & certa persona.* Negatur argumentum, contráque cõtendimus, in duobus his oppositis nullam analogicam esse rationem, qua necesse sit, alterius vnitatem, ex altero consequi. Ratio est, quia quum Christi Iesu nomen sit proprium vni duntaxat personæ inditum, quod nulli præterea personaliter possit congruere: secus res habent in Antichristo, quod nomen nullius est personæ proprium, nec certum aliquem hominem nominatim designat, sed oppositionis solum vocabulum existit, nullius hominis propriam demonstrans personam, sed generalem cuiusuis aduersarij conditionem describens.

Nulla analogica proportio inter personam Christi & Antichristi.

Ex quo nulla necessaria causa est, vt si Christi nomine, vna persona propriè intelligatur, eodem modo & Antichristi nomine, non nisi vnius viri certa persona significetur: nihilo magis, quam si scopus sit vnus qui iaculis petitur, non nisi vnum esse qui contorqueat, oportebit. Vt si vrbs vna oppugnanda sit, oppugnatorem propterea vnum esse hominē, non plures necessario ratione consequatur. Certum id modo constat, oppugnationē nullam sine oppugnatore posse consistere: non tamen proinde sequitur, vnius oppugnatæ rei, aut personæ, vnam oppugnatoris personam esse opportere. Iam verò in scripturis, is cui repugnatur, certo nomine Christus est: contra qui ei aduersatur, nullo certo nominis titulo donatur, sed

communi

communi appellatione Antichristus dicitur: qua voce nullius nomẽ nec persona certo exprimitur vocabulo. Quemadmodum & papa, vox quidem vna est, at non vnius tamen hominis personam significat: itidem & Antichristus etsi vna sit vox, nihil tamen vetat, quin sicut papæ plures sunt, ita & Antichristi plures existimentur. Antichristus nullius hominis nomen proprium existit.

Poro quod quidam ex adiectione articuli græci, ὁ ἀντίχριστος, apud Ioannem, & ὁ ἀνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, apud paulum, certum & singularem virum fore Antichristum contendunt, leuius est nugamentum, quàm quod responsione egeat: quum certo constet in græca grammatica, articulos huiusmodi nominibus appositos in hoc esse, vt, genus rei, non speciem certam demonstrent, qua masculinum, à fœminino, atque ab vtróque neutrum distinguatur. Etenim in hoc maximè adhibetur articulorum vsus. 1. Ioan. 2. Articulus Græcus.

DE LOCO, ET TEMPORE ANtichristi.

DE persona Antichristi satis. Ad reliquas nunc descriptionis notiones progrediamur, qualis futurus sit, insignis hic Christi antagonista, intelligamus. Age, & vbi ergo Antichristus hic insignis, quem non nisi vnum numerant, in qua patria, ex qua gente, ex qua prosapia, aut tribu enascetur? Ex tribu Dan: Iudæus nimirum ex Iudæis, circumcisus ex circumcisis. Qua quæso autoritate istuc, aut ex qua scriptura somniant? Quia in apocalypsi, tribus Dan è sensu signatorum excluditur. Quin & tribus Ephraim eodem modo excluditur. Quid igitur an in tota tribu Dan, & Ephraim, singuli & vniuersi expungendi sunt è catalogo, quia vnus Antichristus ex ea tribu in fine seculi exiturus sit? Aut an quisquam putet eam esse causam, cur Ioannes duas tribus in recensione Apocalyptica, omiserit? At quid peccauit Ephraim cur & illa excluderetur? Nempe fortasis, quia Antichristus, ex altera tribu patrem, ex altera matrem sortietur. O acumen? In Apocalypsi omittitur tribus Dan, et Ephraim: Ergo ex his tribubus orietur Antichristus. Et cur non perinde concludunt: ergo cœlum ruet. Antichristus ex tribu Dan iuxta Papistas. Antichristus de tribu Dan confutatus.

Atenim Irenæus ex Hieremia propheta, aliam videtur causam reddere, quo minùs hæc tribus annumeratur: sic enim ex Hieremia citat ille: Ex Dan, inquit, audiuimus fremitus equorum eius, à voce hinnitus equorum fortium eius, commouebitur tota terra, & veniet & manducabit terram & plenitudinem eius, & ciuitatem, & quæ habitant in ea &c. Vnde Irenæus, Et propter hoc, inquit, non annumeratur hæc tribus in Apocalypsi, cum his, quæ saluantur, hæc ille. Certè, si vera ea causa sit, quam ex Hieremia depromit Irenæus, cur præterita sit huius tribus mentio, in Apocalypsi, quis non videt, nihil hoc ad Antichristum pertinere? Iere. cap. 8. Irenæus lib. 5.

Cæterum hic rursus obstrepitant Angli nostri Rhemenses, cum suis collegis, qui verba Irenæi, in hunc ipsum Hieremiæ locum, ita citant: Hieremias, inquit, tribum ex qua veniet Antichristus, manifestauit. Ex Dan audiuimus &c. Verba Irenæi audiò, sed rationem expendo. Quæ nec satis sibi consonat, nec quicquam poterit ex his Hieremiæ verbis colligi, cur vel prætermittenda esset hæc tribus in Apocalypsi, vel quod ad Antichristum omnino pertineat, quum verba Hieremiæ prophetæ, de voce equorum audita, aliter intelligi nequeunt, quàm de Chaldæis equitibus, quorum aduentantium fremitus iam procul inde exauditus sit, ab ijs, qui proximè in tribu Dan habitarunt. Anglorhemẽſes in 2. Thess. 2. Locus Irenæi expositus.

Quid istud quæso vel contra tribũ Dan, vel pro Antichristo? At quanto consultiùs boni isti Rhemenses eiusdẽ Irenæi cordato acquiescerent consilio, qui in ex-

Regula Irenæi conſeruanda.

nendis hiſce prophetijs, certius eſſe monet, magíſque ſine periculo, ſuſtinere adimpletionem prophetiæ, quàm ſuſpicari? Quod ſi verum ſit, quod ait ille, propheticas prædictiones ex euentu, non ex incertis hominum coniecturis æſtimandas eſſe, ſatis ex ea regula docemur, quid Auguſtino, quid Hyppolito, quid cæteris vetuſtioris æui doctoribus, hac in re reſpondeamus. Preſertim quum Auguſtinus ipſe, in hunc locum Pauli de Antichriſto commentans, apertiùs id ſe atque de alijs confiteatur: Et nos, inquit, neſcimus, quod ſciebant illi, peruenire cum labore ad id, quod ſenſit apoſtolus, cupimus, nec valemus. Et mox ibidem, nihil ipſe diſſimulans, ſuam apertè fatetur ignorationem: Ego verò, inquit, prorſus quid dixerit me fateor ignorare.

Aug. de ciuitate dei lib. 20. cap. 19.

Confutatio eorum, qui fingunt, Antichriſtum Hieroſolymis in templo Dei ſeſſurum.

Pergamus porro. Et vbi tandem Iudaicus hic circumciſus Danicus inſignis & ſingularis Antichriſtus, figet ſuam ſedem? vbi ponet regni ſui ſolium? Hieroſolymis, inquiunt, in templo dei, illic ſedens. Recte, quæro igitur quóuſque illius durabit tyrannis? Tribus nimirum annis cum dimidio. Mira profecto res, & pluſquam prodigioſa. Hieroſolymam vrbem occupant nunc Turcæ, qui non facile fortaſſis hinc eijcientur. Deinde nec vllum dei templum, ac ne veſtigium quidem templi ſupereſt in ea vrbe amplius, quod Dei erat. Atque hæc omnia neceſſariò conficienda ſunt. Delenda primùm poteſtas Turcica. Templum præterea à fundamentis conſtituendum eſt, priúſquam in eo ſedeat Antichriſtus. Et quo modo hæc omnia annis tribus, & ſex menſibus perfici poſſe quiſquam credat, niſi qui prorſus cum ratione, aut ſine ratione potius inſaniat?

Si Salomon rex tantus, tot circumfluens theſauris à patre relictis, vix ſeptem annis eius templi ſtructuram erigere potuit, ſi Alexander magnus ille Macedo, quo rex nullus maior, potentior, aut felicior, annis decem ſolam Aſiam peragrare non valuit, ſi vrbs vna Troiana, tot tantiſque totius Græciæ copijs expugnari, per integrũ ferè decennium nequibat, quid miſer hic vnus Iudaicus Antichriſtus nullo nixus dei præſidio, bonorum omnium inimicus, cum exiguis Iudæorum reliquijs, tantillo tempore effecturum ſe ſperat, in profligandis Turcis, in conſtruendo dei templo, in peruincendis nationibus, in orbe vniuerſo ſibi ſubijciendo, cui ad hæc omnia ſpacium, non amplius, quàm vnius triennij, cum pauculis menſibus conceditur? An quiſquam hæc credat Iudæus Apella?

Alter papiſtarum error cõfutatus.

Eiuſdem vanitatis & illud eſt, quod inſuper de Antichriſto fabulantur, futurum videlicet, vt vbi aduenerit Iudaicus hic Antichriſtus, Iudæi hunc ipſum, in Meſſiam ſuum ſuſcipiant, omníque eum officio, & cultu proſequantur. Qua quæſo authoritate, quibus ſcripturis nixi? Nullis. Quos ſecuti patres? prorſus ex vetuſtioribus nullos. Qua igitur ducti ratione? Quia videlicet ex tribu Dan gemus ſuum ducet, ſedebítque Hieroſolymis, in templo dei, per operationem ſatanæ, cum potentia & ſignis, ac prodigijs mendacibus, fidem ſibi Iudæorum conciliabit, atque pro Meſſia, quem tam diu expectarunt, ſeſe apud illos oſtentabit.

Vide annotat. in Aug. de ciuit. li. 20. ca. 29.

Quid, & Iudæis tantum illudet, fictitijs ſuis prodigijs, & iuſtitiæ ſimulatione, non chriſtianos etiam decipiet? & quomodo igitur apud Auguſtinum Antichriſtus falſus Chriſtianus dicitur? eo quòd ſedebit in templum, ſeu in templo dei, hoc eſt, in eccleſia, fingens ſe virum eccleſiaſticum, ad cumulatius nocendum, ſi vel à Iudæis ſolum pro Meſſia recipiatur, vel non Chriſtianos etiam multo magis ſuis præſtigijs ſeducet. Sed age, quoniam non ſcripturis iſti, ſed ratione rem agunt, haud difficile fuerit, eadem ratione efficere, vt non tam Iudæi in ſuo Meſſia, quam Papiſtæ in ſuo Antichriſto errare videantur, hoc argumento.

Vt Iudæi in ſuo Meſſia, ita papiſtæ ſimiliter in ſuo Antichriſto errãt. Argumentum. Bocardo

Meſſias expectatus à Iudæis nunquam venturus eſt.
Meſſias expectatus à Iudæis, iuxta papiſtas, erit Antichriſtus.
Ergo, Antichriſtus papiſtarum nunquam veniet.

Qua

Quæ primo loco ſumitur poſitio, in confeſſo eſt, quam nec negabunt aduerſarij: aſſumptio pari facilitate probatur.

Si vnquam venturus eſt Meſsias, quem expectant Iudæi, oportet eum proficiſci à tribu Iuda, è familia Dauid, naſci in Bethleem, regnare Hieroſolymis, alioqui nunquam recipient eum Iudæi. Maioris confirmatio.

Sed conſequens eſt falſum, quòd proficiſcetur vnquam è tribu Iuda aut ex ſtirpe Dauidis, quæ iamdudum exciſa eſt, per Claudium Imper. vt nullæ eius ſuperſint reliquiæ, nec illa iam extat vrbs Bethleem, in qua naſcatur amplius, & fundamenta templi funditus diruta, in quo ſedeat.

Ergo falſum eſt antecedens, hoc eſt, quòd vnquam eiuſmodi veniet Meſſias, qualem expectant Iudęi.

Et à conſequenti, ſi Iudæi nunquam recepturi ſunt alium Meſsiam, niſi quem ipſi Dauidis filium eſſe intelligent, natum in Bethleem, in templo regnantem, ſacrificijs legalibus Deum colentem: falſum eſt proinde, quod aſtruunt papiſtæ de Antichriſto: Meſsiam eum fore Iudęorum. Nec minus verum, quod ſupra dictum eſt, errare vtrosque, & Iudæos in ſuo Meſsia, & Pontificios in ſuo Antichriſto. Vnde vtrum hos magis, an iſtos accuſem, neſcio. Iudæi vtrum errant magis in ſuo Meſſia an papiſtæ in ſuo Antichriſto.

Iudæos ne, qui verum ſuum Meſsiam iam diu ante à Deo miſſum, non agnoſcunt, an Romanenſes iſtos, qui de Antichriſto adhuc venturo ſomniant, quem tot iam annis, tam ſuperbè tumultuantem in eccleſia conſpiciunt tam manifeſtè. In quos non immeritò quadrare poſsit iactatum illud, in veteri comœdia dictum: tute lepus es & pulpamentum quæris. Ego veriùs papiſticæ turbæ dixerim, tute lupus es, & lupinam quæris. Ipſi cum domi Antichriſtum tegunt, & in ſinu fouent, Chriſtum in ſuis membris crudeliſsimè perſequentem, foris quærunt apud alios: aut non videntes, quod omnibus eſt conſpicuum, aut non fatentes, quod vident tam conſpicuè.

Quin potius oculos iſti aperiant paululùm, & Romanum Pontificem ſuum excutiant intus & in cute, magnificentiam eius, ambitionem inauditam, honoris inſignia, diademata, maieſtatem pluſquam regalem intueantur, opes, poſſeſsiones, cenſus, & rapinas ſpectent. Quæſo, qui faſtus & ſtrepitus vitæ, luxus, pompa, deliciæ, Curiæ Romanæ velint aduertere. Inſtituta doctrinæ, traditiones, dogmata illius, decreta, ſcita, edicta, leges inſtar Draconis, non atramento, ſed ſanguine ſcriptas, ceremonias pluſquam Iudaicas, quibus tantum non obruitur ſimplicitas Euangelica, conſiderent. Romanum pontificem Antichriſtum eſſe varijs probatur argumentis.

Adde his ſuperbiæ non ferendæ, autoritatis pluſquam humanæ, fumoſos titulos, quibus ius & imperium vniuerſale ſupra omnes Patriarchas, ſupra Reges, & Imperatores, in vniuerſam Chriſti eccleſiam ſolus vendicat, poteſtatem vtriuſque gladij ad ſe rapit, vnum cum Deo ipſo conſiſtorium affectat atque vſurpat.

Parum adhuc dixi. Videant cædes, ac ſtrages infinitas piorum fratrum ab Innocentio tertio, huc vſque in eccleſia per Romanam ſedem æditas, adnumerent. Funera, ac buſta Chriſtianorum martyrum, crudelitatem, ac tyrannidem, pluſquam phalaricam in hauriendo Chriſtiano ſanguine, ſub autoritate pontificia expendant, negéntque, ſi queant, omnes ſummi illius Antichriſti conditiones, in hanc vnam Romanæ ſedis potentiam confluere: ſi quid vnquam à Chriſto nato, in orbe Chriſtiano, celſitudine ſublimius, imperio glorioſius, crudelitate funeſtius, ſuperbia elatius, doctrina corruptius, fucandi & ſimulandi artificio fallacius, modis denique omnibus Chriſto, eiúsque doctrinæ, ac officio hoſtilius hucuſque aut fuit, aut vnquam futurum eſt. Certè ſi

pontifex Romanus, qui tantam hactenus tyrannidem in ecclesia Dei exercuit, qui tantum exhausit Christiani sanguinis, tantam intulit pestem religioni Christianæ, Antichristus non sit: quid alter, quæso, ille Antichristus, aut Satan ipse, si corporaliter adesset, facere hoc posset amplius?

Nec postulo, vt mihi in hac re credatur, res ipsa loquatur, legantur historiæ, tempora testentur, praxis gestáque Romanorum pontificum repetantur, Hildebrandi, Gregorij, omniúmque Gregoriorum, paschalis, Innocentij tertij, Honorij, Innocentii 2. Innocentij 4. Martini 4. Bonifacij 8. Benedicti 6. Clementis 6. Alexandri, Martini, Eugenij, Leonis 10. Iulij 2. Pauli 3. & 4. Pij 4. & 5. Gregorii 13. aliorúmque vita lustretur, res rebus conferantur. Instituta, leges, mores, ritus, statúsque istorum, cum doctrina Christi, cum statu Apostolorum. Nomina, & animæ sanctorum clamitent, quos sub altare miserit his annis non ita multis Rom. tyrannis. Plures Christianos vtrum Turca occiderit, an papa, qui possit dinumeret, ac postea dijudicet, vtrum papa ipsissimus sit Antichristus, an alium expectabimus. Sed de hac re satis. Si quid restat, differetur in eum locum, vbi, fauente Christo, de secunda bestia pertractabitur.

Cap. xi.

ET datus est mihi calamus similis virga, & dictum est mihi, surge & metire templum Dei, & altare & adorantes in eo. Et atrium, quod intra templum est, ejce foras, & ne metiaris illud, quoniam datum est gentibus, & ciuitatem sanctam calcabunt mensibus 42.

Et dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis. Hi sunt duæ oliuæ, & duo candelabra in conspectu dei terræ stantia.

Et si quis voluerit eis nocere, ignis exit de ore eorum, & deuorat inimicos eorum. Et si quis voluerit eos ladere, sic oportet eum occidi. Hi habent potestatem claudendi cœlum diebus prophetiæ ipsorum, & potestatem habent super aquas, conuertendi eas in sanguinem, & percutiendi terram omni plaga, quotiescunque voluerint.

Et cum finierint testimonium suum, bestia, quæ ascendit de Abysso, faciet aduersus eos bellum, & vincet illos, & occidet eos. Et corpora eorum iacebunt, in plateis ciuitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma, & Aegyptus, vbi & dominus noster crucifixus est. Et videbunt de tribubus, & populis, & linguis & gentibus corpora eorum, per tres dies & dimidium, & corpora non sinent poni in monumentis. Et inhabitantes terram gaudebunt super illis, & lætabuntur, & munera mittent inuicem: quoniam hi duo prophetæ cruciauerunt eos, qui habitant super terram.

Et post dies tres & dimidium, spiritus vitæ à deo intrauit in eos. Et steterunt super pedes suos, & timor magnus cecidit super eos, qui viderunt eos. Et audiuerunt vocem magnam de cœlo dicentem ipsis: Ascendite huc. Et ascenderunt in cœlum in nube, & viderunt illos inimici eorum. Et in illa hora factus est terræmotus magnus, & decima pars ciuitatis cecidit, & occisa sunt in terræmotu, nomina hominum septem milia, & reliqui territi sunt, & dederunt gloriam Deo cœli. Væ secundum abiit, vt ecce væ tertium veniet cito.

Regnum Christi.

Et septimus Angelus tuba cecinit, & factæ sunt voces magnæ in cœlo dicentes: facta sunt regna huius mundi, domini nostri & Christi eius, & regnabit in secula seculorum. Amen. Et viginti quatuor seniores, qui in conspectu Dei sedent in sedibus suis, ceciderunt in facies suas, & adorauerunt deum dicentes: Gratias agimus tibi, domine Deus omnipotens, qui es, & qui eras, & qui venturus es, quia accepisti virtutem tuam magnam, & regnasti. Et iratæ sunt gentes, & aduenit ira tua, & tempus

tempus mortuorum, vt iudicentur, & reddas mercedem seruis tuis Prophetis, & sanctis, & timentibus nomen tuum, pusillis, & magnis, & perdas eos qui perdunt terram. Et apertum est templum Dei in cœlo, & visa est arca testamenti eius, in templo eius, & facta sunt fulgura, & voces, & tonitrua, & terræmotus, & grando magna.

Tempus nouissimi iudicij.

VT status Christianæ reipublicæ, nunquam afflictior nec tempora magis vnquam periculosa fuêre, quàm in quæ nunc incidimus: ita mirum est, quàm aptè dispositéque prodigia hæc prophetica, temporibus conueniunt. Qui nec minus tempora ipsa oraculis respondent propheticis. De immissis locustis, & scorpionibus, de Turcarum eruptione, de perturbata penéque sublata è terris pace, de calamitate & oppressione ecclesiæ, de fidei & doctrinæ defectione, quid diuinitùs prædictum, quid deinde consecutum sit, quid tempora hæc nostra, quid superiora senserunt, quid præterea deuorato libello, eiúsque amaritudine, quid de restauranda doctrina, ac suscitandis verbi ministris præsignatum sit, ex his quæ superiùs adducta sunt, perspicere licebit. Nunc verò reformatio hæc ecclesiæ, quid secum adferat, quot quantisque constet sudoribus & periculis in hoc capite aduertendum.

Prophetia hæc quàm aptè cum temporibus cõuenit.

DE TEMPLO DEI METIENDO, & restaurando.

AC primùm mittitur propheta ab Angelo, vt templum Dei, eiúsque altare, atque adorantes in eo dimetiatur: more eorum, qui in extruendis ædificijs, locorum spacia & ambitus, priùs perlustrare cum funiculo aut decempedali linea solent, in quibus collocanda sit structura. Itidem Ioannes hîc iubetur templum Dei, sua regula metiri. Quid ita obsecro? nisi vt intelligamus, Dei voluntatem curámque erga suam ecclesiam, eam esse, quæ semper fuit, quam nullo modo deserendam sibi, sed iterum resarciendam, atque è pristino squallore vindicandam existimaret. Nam alioqui quorsum opus erat adhibita mensoria regula, vbi nihil extruendum esset, aut reparandum? Quòd si autem reparatione egeat templi ædificium, quid hoc aliud arguit, quàm miseram priùs ecclesiæ ruinam & deiectionem?

Et vbi nunc igitur status ille ecclesiæ, quem iactant, pontificij, semper florens, immunis ab omni hostili iniuria & concussione? Neque interim me latet, quod Christus suæ promittit ecclesiæ, perpetuam aduersus omnes inferorum portas, defensionem. Quod verissimum esse fateor, résque ipsa maximè comprobat. Eáque causa ne funditus periret ecclesia, promittitur hîc illi reparatio, datur libellus prophetiæ deuorandus: datur prophetæ calamus virgæ similis, ad metiendum templum. Quemadmodum missus est olim Ezechiel propheta, cum funiculo ac pertica structoria, ad mensurandum veteris templi spacia: sicútque apud Zachariam mittitur vir cum funiculo mensorum, ad describendum & delineandum formam ciuitatis, quæ breui erat instauranda. Itidem cogitans hic dominus de restituenda sua ecclesia, quam iniuria temporum, & Antichristi tyrannide grauiter collapsam videt, dat prophetæ suo in manu perpendiculum fabrorum, quo significaret nequaquam velle se ecclesiam suam sic iacentem deserere, quin iterum ruinas eius recolligat. Id quod iamdudum factum ab eo, fierique quotidiè cernimus.

Ecclesia ex promissione Christi nunquã peritura.

Ezech. cap. 40.

Zacha. cap. 1. 2.

Deus ecclesiã suam nunquã in perpetuum deseret.

In quo, duo nobis occurrunt imprimis obseruanda. Alterum, quod ad casum & defectionem ecclesiæ: alterum quod ad restaurationem attinet. Neque enim

Casus.

Restauratio Ecclesiæ.

Ecclesia Christi varijs exposita casibus in hoc mundo.

enim putemus ecclesiam dei ita in tuto esse positam, vt nullis casibus sit exposita, nullis delectionibus obnoxia. Pontificij, quantum libet, ecclesiæ suæ dignitatem, splendorem in omnium oculis collucentem, ad sydera si velint, efferant, sibique perennem in ea securitatem polliceantur. Certè quæ vera dei ecclesia est, longè aliud sentire cogitur. Sæpeque fit, vt quemadmodum in prælijs bellatores, in optima causa quandóque succumbunt, vt de Pompeio testatur Cicero, qui cum malas causas semper obtinuit, in optima concidit: ita in vera Christi ecclesia, vt quisque strenuissimus est Christi seruus, cum maximis conflictatur ærumnis, atque in duriores miseriæ scopulos illiditur: contráque felicius sæpe agitur in hoc seculo, cum ecclesia malignantium, quàm cum veris regni ciuibus. Vt homines igitur non fortuna æstimandi sunt, sed moribus, vtque memorat Macrobius: Qui prudens est, non stratum ac frænos equi, sed equum ipsum spectat: ita ecclesia dei, non externo splendore, aut amplitudine, sed veris spiritualium bonorum dotibus metienda est.

Cicero de Pompeio.

Durior sæpè conditio piorum in hoc seculo, quàm impiorum. Saturnal. lib. 1.

Exemplum ex veteri sumamus ecclesia, quæ nunquam diu tranquilla fuit, continuis inimicorum insultibus impetita, eóque tandem redacta per Babylonios, ac funditùs propè deleta, vt vix vlla affulgeret scintilla patriæ recuperandæ. Et tamen post longas afflictiones, non deseruit populum suum diuina manus. Nec aliter cum ecclesia nunc Christi agitur, cuius si externas cruces, & perpessiones intueamur, quid afflictius? quid desperatius? at interim arcano dei præsidio, nauis in vndoso pelago fluctuans, post longas iactationes, sarta rectáque in portum perducitur. Hoc enim proprium sibi & peculiare habet ecclesia Christi, atque à cæteris mundi huius regnis diuersum, quòd cum cætera omnia certis circumscripta periodis, fines suos egredi nequeunt: sola Christi ecclesia, singulari dei gratia, nullis concluſa limitibus, quantumlibet iactata fluctibus, emergit tamen, durátque in æternum.

Ecclesiæ natura & conditio. Ecclesia Christi non externis bonis aut malis metienda.

Habet siquidem propugnatorem prævalidum ciuitas hæc & inuictum, qui ecclesiam suam in vniuersum perire nunquam sinet, quemadmodum promittitur in euangelio: Et ero vobiscum vsque ad consummationem seculi: rursúsque, & portæ inferorum non prævalebunt aduersus eam. At habet eadem rursus suas etiam in hoc mundo difficultates, ruinas habet & defectiones, licet non æternas quidem illas, at temporarias tamen satis calamitosas, in quibus etsi non prorsus disperire ecclesiam suam sinit dominus, exerceri tamen ad tempus permittit: quemadmodum apud D. Paulum disertè ipse testatur spiritus, non adfuturum diem domini, nisi aduenerit defectio prius, & reuelatus fuerit filius perditus.

Mat. 16.

Deus etsi non deserit ecclesiam suam, sinit tamen eam exerceri. 2. Thess. 2.

Ex quo id primum negari non potest, venturam apostasiam & defectionem. Qualis verò futura sit defectio, proximus restat quærendi locus. Respondent discipuli pontificis, defectionem intelligi hæreticorum, à sancta catholica Romana ecclesia, festiui homines, putántque huiusmodi, se fatuos & onagros in mundo reperturos, quibus hoc tam delirum glossema persuadeant. Sed aliud loquuntur verba D. Pauli, vbi cum apostasia, reuelationem simul Antichristi adiungit: nisi venerit, inquit, defectio prius, & reuelatus fuerit filius perditus, apostasiam nimirum subinnuens, non eam esse, qua à Romano imperio, aut a Romana sede discederitur, sed qua, maxima pars Christiani populi per Antichristum seducta, defeciscet à sana fidei doctrina: siue, vt verbis loquar Augustini, qua vniuersum quodammodo corpus Antichristi, id est multitudo hominum, quæ ad Antichristum pertinet, simul cum suo principe ruet, per operationem erroris, in apostasiam. Vnde necessariò consequitur, vbicunque sedebit Antichristus, ibi erit seductio. Sedebit autem Antichristus in templo dei: Ergo in templo erit seductio.

Apostasia seu defectio ventura. Apostasia hæc qualis sit, apud Papistas. Vide supra. Opinio pontificiorum de Apostasia refellitur. August. de ciuit lib. 20. cap. 19.

Maior. Minor. Conclusio.

Quod tamen non ita accipiendum est, ac si templum suum, prorsus deserturus

turus sit dominus. Oportebit .n. iterũ prophetare Ioan. linguis & populis. Oportet iterũ extrui muros cęlestis Hierusalem, tẽpliq; ruinas resuscitari, suscepto ex manu angeli funiculo, quo dimetienda sit (vt supra dictum est) diuini ædificij structura. At quid sub typo tẽpli intelligitur aliud, quàm cõmunis Christi ecclesia? Quid dimẽsio hæc indicat, nisi nouam pristinæ ecclesiæ repurgationem? Quid libellus prophetiæ deuoratus, nisi pios verbi ministros portẽdit extrudẽdos in messem domini? Deniq; quid amaritudo suscepti libelli ominatur, nisi pericula, durásq; eorũ afflictiones, qui subituri sunt euãgelij deprędicãdi ministeriũ? Id quod iãdudũ reipsa plus nimio, annis iam multis, experti in tot piorũ martyrum milibus expressum, ac comprobatũ cernimus. Quis enim pro fide Iesu Christi, pro synceritate euangelij, hiscere antehac ausus fuit, aut audet, contra fastum & tyrannidem Romanæ sedis contra religiosorum ordines, & regulas anomalas, quin de capite periclitetur, multò grauiùs, quàm si in vtramq; dei tabulã peccaret grauissimè? vt nihil iam mirum videri possit, si amaricatus sit venter prophetæ, deuorato diuini eloquij codice. Ex fructibus eorum cognoscetis eos.

Quid & posthęc omnia tã certa & cõperta, an dubitant adhuc papistarũ filij, num venerit Antichristus: tantũq; huic suæ cathedræ tribuũt, quasi nusquã sedere possit fides petri, nisi Romę, sicq, Romæ illa sedeat, vt nunquam deficiat, nec vlla in eam cadere queat erroris labes? Quid ita obsecro? Quia dicit Christus: Rogaui pro te, Petre, ne deficiat fides tua. Quin cõcludatur igitur bonis auibus. Rogauit Christus pro Petro, ne fides deficeret ipsius: Ergo fides pontificis Rom. nunquam deficiet, neque ecclesia illius sedes erit vnquam Antichristi: fabularum somnia. Atqui eodem modo regeri in illos poterit non dissimile argumentum. Argumentum Romanum.

Anticategoricon.

Moses fide præstans erat, & placens deo, cuius fides nunquam defecit.
Caiphas sedit in cathedra Mosis condemnans Christum.
Ergo, fides Caiphæ non errauit, nec vnquam defecit.

Siue malunt in hanc formam colligi:

Antichristus cum venerit non sedebit Romæ iuxta Papistas,
Antichristus cum venerit, sedebit in templo dei.
Ergo, Roma non est templum Dei.

Bo
car
do

Quod si non templũ sit dei, restat proindè ex consequenti, vt templum sit Diaboli. Eiusdem rationis consimile argumentum ex hoc scripturæ loco construitur.

Qui veros dei prophetas ebuccinantes euangelium Christi in ecclesia, affligit, is Antichristus est.
Rom. pont. affligit dei prophetas, euangeliũ Christi iterũ in ecclesia renouantes.
Ergo, Romanus potifex est Antichristus.

Da
ii
j

Prima syllogismi pars ex his scripturæ propheticæ verbis liquet, vbi venter dolere his dicitur, qui deuorato diuini eloquij codice, iterum emittuntur ad prædicandum. Sic enim Thomas: prophetare, inquit, pro prędicare accipitur. Iam verò dolor & amaritudo ventris quid aliud præsignat, quàm secuturæ persecutionis cruciatum, & tormenta, Thema etiam ipso interprete, in pios verbi prædicatores infligenda. Tho. venter inquit amaricatus, id est amara afflictione cruciatus.

Quin nec minus ex alijs scripturæ propheticæ locis, eiusdem rationis probatio liquere potest. Sic enim Ieremias, sic et Daniel de secunda tẽpli restitutione prophetãs: Et ædificabitur, inquit, rursus platea & muri in angustia temporum. Quod & euenit. Cum enim post septuaginta annorũ vastitatẽ, cœpta sunt fundamenta templi denuò exædificari, anno Cyri primo, quæ inde insecuta sit hostiũ obsistentiũ oppugnatio, nemini nõ notissima est historia. Post annos dehinc 40, regnãte Dario, reditum est ad intermissam structuram, at non sine difficultate temporum, obnitentibus vndiq; aduersarijs, vsq; adeò vt vna manu opus facere, altera gladiũ tenere cogerẽtur. Atq; ita demũ per longas afflictionũ asperitates, perfectum est tẽpli restaurati opificiũ. Iere. Dan. 9. Veteris templi renouatio, typus secundi templi. Nehe. cap. 4.

Conferat nunc qui velit, signa rerum cum rebus, cum veritate figuras, antiqua cum nouis, videátque si non tempora miro ordine respondeant. Quicquid enim in veteri lege contingebat in figura illis contigisse haud dubi-

A templi deuastatione, ad eius restaurationem, anni 100.

dubium est : Principio dissipatum fuisse templum, per Babylonios, nemo negabit, porrò à prima templi deuastatione, ad plenam eius restaurationem, si anni supputentur, centum reuolutos esse annos reperies. Tot enim anni à nono anno Zedechiæ ad secundum Darij annum effluxerunt. Tandem exactis annis his centum, quos dico, excitantur à Deo opifices, cum duce Nehemia, qui inspecta priùs operis magnitudine, adhibitáq; dimensione, manus deinde structuræ admouent, felicíque successu perficiunt.

Prędicatores à Deo excitati ad reparandã ecclesiam.

Ad ecclesiam nunc Christi, sermonem transferamus, in qua miserè dissectam nimiúmque perturbatam, iam diu fuisse doctrinæ sinceritatem, negari non potest. Ad eam resarciendam destinatos à Deo pios prædicatores cernimus, quos propheta hic figurat, sub typo architecti, qui cum regula dimensoria, formam priùs templi exploret, ædificationem deinde adgrediatur. At ita interim, vt Atrium, quod exterius erat, minimè metiri permitteretur. Quid hoc atrio significetur, nonnulla incidit inter scriptores ambiguitas. Nec satis in ipsa lectione conueniunt exemplaria, tum Græca, tum versionis Latinæ, siue ἐσωθὶν, siue ἐξωθὶν sit legendum. Græcus codex Hispanensis habet ἐξωθὶν. Idem exhibet Græcus codex Oecumenij, qui titulo fertur Aretæ. Quanquam Latinus interpres, aliter vertit, aut peruertit potius, quum Græcus Aretas habeat τὸ ἐξωθὶν τοῦ ναοῦ. Eandem lectionem sequitur Augustinus, Beda, Thomas, Abbas, Ioachim, Rupertus, Haymo, Richardus de S. Victore, Vulgaris versio, Pagnini translatio, Beza, Tremellius, Aretius, Fulco, Alphonsus, Conradus, Rhemenses, qui omnes exterius atrium non interius accipiunt : Licet alijs quibusdam diuersa magis probatur lectio, vt ἐσωθὶν potius quàm ἡ ἐξωθὶν αὐλὴ intelligatur.

Atrium templi.

Aretas.
August.
Beda.
Thomas.
Ioachim.
Rupertus.
Haymo.
Richard. de S. Victore.
Vulgar. versio.
Pagni.
Beza.
Aretius &c.

Neque hìc ego virgam, aut personam mihi censoriam sumo, qua litem inter istos componam. Neque ita magni retulerit, vtram sequamur lectionem, quando vtraque non incommodè recipi poterit. Siue enim interius Atrium, siue exterius legatur. Illud demum in confesso est, non omnes, qui intra ambitum ecclesiæ continentur, ad cœtum illorum pertinere, quos ædificaturus est Dominus in templum suum. Non omnium est fides, ait Apostolus. Non omnes qui sunt ex Israele, sunt Israel. Non omnes, qui ex stirpe Abrahæ genus ducunt, continuò sunt filij Abrahæ. Non omnes, qui externa ratione vocati sunt, ad electionem gratiæ pertinent. Nouit dominus qui sui sunt, qui secus : qui intra sunt, qui foris. Sæpéque fit, vt qui nobis alienissimi videantur, nouissimúmque locum teneant, apud Deum inter primos censeantur. Contráque, qui in intimis ecclesiæ adytis resident, cæterísq; præsident, summo splendore, amplissimísque titulis honorati, inter postremos foras exturbentur. Non igitur quid nobis, sed quid Deo internum aut externum sit, spectandum est. Quod enim Deo internum videtur atrium, hominibus externum esse potest. Rursúsque quod hominibus externum, aliter apud Deum habeatur : eo quòd à Deo sæpè alieni sunt longissimè, quos in intimo ecclesiæ gremio, summas gerere præfecturas, primósque tenere gradus & titulos cernimus. Itaque pro alia atque alia ratione, nihil obstare video, quin vtraque rectè consistere queat lectio.

Atrium exterius Interius.

Rom. 11.

Sæpe externũ est apud Deum, quod hominibus internum est.

Cæterum vt vt hæc habent, illud certum, per templum, eiúsque fabricam denuò reparandam, intelligi spiritualem Christi ecclesiam. Quæ pro sua amplitudine, vt longè latéque patet per vniuersos orbis fines effusa, ita eadem, intra immensum hunc ambitum, duplex quasi atrium, id est, duplex hominum genus, in hoc templo adorantium complectitur. Cuius alterum Deo coniunctius, alterum remotius existit. Atque priores quidem illi, siue pastores, siue plebeij, huiusmodi sunt, quos electio diuinæ gratiæ propius sibi adiungit, vt verè ipsum adorent in spiritu & veritate : qui syncera fide et prædicatione legitimum Dei cultum tueantur ac prouehant, qui licèt ipsi communi multorum errore seducti, in defectionem ad tempus prolapsi sint, imbuti tamen meliore gratia ad sanitatem reuocantur. Atq;

Duplex atriũ. Duplex hominum genus.

isti

ísti demum in ea ecclesiæ parte consistunt, cui Deus, adhibita fabrorum dimensoria regula, reductionem ac reformationem pollicetur. Id quod his nostris hodiè tẽporibus, atque ante annos aliquam multos, passim in varijs ecclesiæ partibus euenisse cernimus, habemúsq; deo gratias.

Reliqua verò pars eorum existit, qui cum Christum nomine profitentur, reipsa Antichristum sectantur, fucati hypocritę, pseudochristiani, quippè qui adeò ab ertoribus non resipiscunt, vt conspirantes cum Antichristo sæuam persecutionem emoliantur in eos, qui restaurando dei templo se totos impendunt. Atq; istorum quidem multitudo maiorem ecclesiæ partem occupat, quorum permulti etiam primas ecclesiæ partes sibi vendicant, qui sub plausibili fidei catholicæ titulo, grauissimam inferunt fidei Christianæ pestem, summísque conatibus reformationem ecclesiæ obturbant atque infestant. Et tamen inuitis ac rumpentibus etiam istis aduersarijs, pergit nihilominus, mirabili successu, ecclesiæ exædificatio, virésque quotidiè colligit, decrescente indies magis magísque Antichristianæ pseudologiæ imperio.

Fucati hypocritæ sub ecclesiæ titulo.

Atque hæc quidem Atrij huius interpretatio, etsi mihi cum pluribus aliis non immeritò probatur, nec minus appositè cum re ipsa quadrare videtur, poterat tamen aliter fortassis reddi huius prophetiæ sensus, si mihi liberet indulgere coniecturis, húcque εἰκασμους nostros apponere, non quòd quicquam habeam, quòd pro certo affirmare velim, at solùm quod suspicari possem.

Alterius interpretationis coniectura de Atrio.

Primùm nemini id non compertissimum est, maximam ditionis Christianæ partem à Turcis iamdudum occupari. Deinde, neque id latere potest, ab annis iam ferè trecentis hanc durasse captiuitatem. Interea temporis promittitur à Domino noua templi sui futura erectio, qua absque dubio significatur spiritualis suæ ecclesiæ reformatio. Quæ tamen ipsa minimè vniuersalis esse intelligatur, sed ad eas solùm ecclesiæ partes pertinere, quas ipse sibi ad exprimendas vberiores gloriæ suæ diuitias seligere decreuit. Nam quod ad reliquam illam multitudinem attinet Christianarum gentium, quas à Turcis possidendas permisit, de illarum reductione ac reformatione nihil hîc promittit, sed repellit potius, sine dimensione foras eiiciendas, ac gentibus conculcandas permittit.

Et ciuitatem sanctam, inquit, *calcabunt mensibus quadraginta duobus.*

In quo non temerè aduertendum est, præfinitum illud temporis spacium, vbi de ciuitate sancta prædicit futurum, vt conculcetur à gentibus ad menses 42. Quid quæso hic vult præscriptus mensium numerus? Quòd si ciuitatem hanc sanctam penitus deserere voluisset dominus, atque in sempiternam gentium conculcationem abijcere, cur igitur quassationem hanc certis mensibus circumscribit?

Ciuitas sancta quam diu calcanda à gentibus. Menses 42.

Age, & cur igitur non ita ait: & ciuitatem sanctam perpetuò calcabunt gentes, dicturus sine dubio, si modò perpetuam hanc fore depressionem statuisset. Quæso igitur, cur ciuitatem sanctam appellat? Cur addito certo mensium numero, afflictionem eius statis quibusdam ceu limitibus & periodis circumscribit? *Et calcabunt eam*, inquit, *mensibus* 42. nisi finem aliquem certum sibi proposuisset, quo desisteret hæc ciuitatis sanctæ oppressio? Veluti in hunc modum sentiens? Ciuitas quidem sancta ad tempus conteretur à gentibus: Atenim hæc attritio non erit sempiterna, nec vltra definitum temporis modum, vltra quadraginta duos nimirum menses, durabit. Quibus demum finitis, liberabitur à gentium tyrannide, ne eam opprimant diutius. Vbicunque enim statuitur definita temporis præscriptio, nulla illic æternitas intelligenda videtur.

At reclamabitur hîc forsitan à nonnullis, qui, quum in arcanis his numerorum

rorum mysterijs, haud aliud habent quod dicant, rem ita præterire solent, numerum videlicet certum, pro infinito & incerto accipiendum, vsitato, vt aiunt, scripturarum more. Quæ tamen ratio nec consona satis videtur, nec menti prophetæ satisfacit.

Numerus certus pro incerto à quibusdã exponitur.

Quid, an vnquam solet Scriptura res infinitas & incertas, certis numerorum limitibus circumscribere? Vnde hoc demonstrabunt? In duodecimo huius libri capite, de muliere fugiente in solitudinem, ita scriptum legimus: vbi

Apoc.12. pascant eam diebus 1260. Quid, an numerum hic finitum pro infinito accipiemus, quasi nunquam aut incerto aliquo statu temporis exitura sit mulier illa ex

Apoc.13. solitudine? Rursus capite decimo tertio. De hoc ipso mensium numero prophetans: Et data est ei, inquit, potestas faciendi menses 42. An certum hic numerum, pro incerto, aut pro infinito positum à Deo, semperque ecclesiam sub bestia detinendam existimabimus? Non arbitror. Idem de Danielis, aliorúmque prophetarum mensibus, ac numeris indicandum censeo. Quanquam fieri potest, vt scriptura nonnunquam in describenda rerum, aut personarum multitudine, exaggerandæ rei gratia, hyperbolicõs quædam efferat. At in constituenda temporum dimensione, non item.

Cap.20. futurum audimus, vt poste mille annos iterum soluatur Satanas, nec fallit numerus.

Cap.13. numero literarum 666. adumbratur nomen bestiæ: rectissimè conueniunt Cyphræ.

Apud Ieremiam promittitur post septuaginta annos, captiuitatis liberatio, nec aliter euenit, quod promittebatur. Eadem constat & in alijs ratio.

Age, & quid igitur numero istorum mensium intelligatur, superest vt disquiramus. Respondent hic vno ore omnes ferè catholicæ scholæ sectarij, mensibus ijs quadraginta duobus, significari tres annos cum dimidio: quo tempore dominaturum aiunt insignem illum Antichristum, quem nondum venisse prædicant, sed in supremo mundi fine expectant. Mira profectò catholicorum ratio, qui Antichristo ad peragendam suam fabulam, totq; excitandas tragœdias, non amplius adscribunt, quàm vnicum duntaxat triennium & menses sex.

Menses 42. quid significẽt apud catholicos.

Quid, & tantam defectionem, tantámque Apostasiam, tot gentium & nationum, de qua tam multa mouet Apostolus, tam grauem sanctæ ciuitatis afflictionem, tantillo temporis articulo expleri ac terminari posse existimamus? Quid, & cum capite decimo tertio, idem ipse numerus mensium quadraginta duorum, in persecutione primitiuæ ecclesiæ, totidem ferè verbis ponitur, an bellum illud Draconis aduersus ecclesiam, non amplius duraturum, quàm per triennium & dimidium dicemus, quia mentio fit mensium quadraginta duorum? At hanc interpretationem res ipsa, nemine etiam refellente, conuellit. Itidem apud Danielem, vbi mentio fit hebdomadarum 62. an nihil hic certi sub hoc numero statuemus? aut non vlterius progredietur noster calculus, quàm ad eos duntaxat annos, qui simpliciter ex his hebdomadis resultant? At id fieri non potest, quùm vniuersæ hæ septimanæ per se numeratæ, vix dabunt integrum biennium. Proinde occultioris aliquid mysterij, sub ijs numerorum figuris subesse necesse est.

Apoc.cap.13.

Quod autem ad menses hos quadraginta duos attinet, nulla certior æstimatio, mea ratione, exquiri potest, quàm ex collatione capitis 13. vbi proposita eadem similiter mentio quadraginta duorum mensium, facile indicat, quid de his etiam mensibus sit intelligendum. Quemadmodum igitur quadraginta duo menses illi, in prima ecclesiæ persecutione, non triennium, sed multo plures annos, sub mystica figura constituunt, idem & hoc in loco, consimili deductione colligendum videtur. Iam verò qui fuerit numerus ille annorum, vnde discamus rectius, quàm ex ipso rerum euentu & serie temporum?

Menses 42 quo modo supputandi.

Ita

Ita enim ex rerum gestarum historia constat, à prima cæde Ioannis Baptistæ vsque ad Constantinum Imperatorem annos effluxisse ducentos nonaginta quatuor. Si singulos menses, iuxta Danielem, & more scripturarum, in sabbata annorum deducamus. Quid enim in scripturis vsitatius, quàm hebdomadarum & mensium articulos per Sabbata, dinumerare? Si hebdomades sint, per mensium Sabbatha: Si mēses sint, per Sabbatha seu septennaria annorum: sin dies fuerint, per Sabbata hebdomadarum. Quod cum in Daniele, tum maximè in hac Apocalypsi obseruatum certimus.

Prima persecutio sub Iudæis & Imp. 294.

Itaq; vt tempora primæ persecutionis sub Iudæis, & Imperatoribus excreuerunt ad annos 594: itidem si nouissimam hāc persecutionem, sanctæq; ciuitatis proculcationem, sub Turca & Antichristo, rectè in numeros annorum digeramus, initio inde ducto, ex quo primùm cœpit Turcorum inualescere potentia, ab anno videlicet domini, 1300. ad præsentem vsq; annum, comperiemus haud multùm deesse ab integra summa illa, quam diximus, annorum 294. Quandoquidem à primo Turcorum imperatore numeramus iam annos 286. ita vt octo tantum anni deesse modò videantur.

Nouissima persecutio sub Turca & Antichristo an. 285.

A primo Turcorum imperatore an. 286.

Quòd si interim dignabitur dominus diuturnas has ecclesiæ calamitates pro sua misericordia, propter electos anticipare, quid indè bonis breui sperandum, malisque metuendum sit, videat cogitétque apud se quisque, quod videbitur. Quod ad me attinet, minimè id mihi sumo, vt quicquam hîc certi statuam, vel vt alijs tantò me melioribus, mea sententia præiudicem. Tantùm id postulo, vt quàm cæteri sumunt sibi libertatem, eadem & mihi liceat proferre eicasmos meos. Qui si minus arridebunt, adferat, qui possit, meliora, temporibus & historijs conuenientiora, cedo perlibenter, qui nihil non concedere quibuscunque soleo. Nec obstrepo cuiquam, nec obsto, quo minus suo quisque abundet sensu.

Tantùm id vix concedendum existimo, vt authoritate Hippolyti, Onuphrij, Ephraim, Bedæ, Thomæ, Aretæ, aut suspicionibus Irenæi, Hieronymi, Augustini, aliorúmque ex veteri classe scriptorum aduersarij nos obruant. Habent illi in cæteris scripturæ partibus suam laudem, suam interpretandi grauitatem, suum iudicandi pondus. In mysterijs verò propheticarum prædictionum, in Apocalypticis hisce figuris explicandis, haud ita multùm illorum autoritati tribuendum arbitror. Quarum rerum, explicatio, quum omnis ferè in temporum experientia, in vsu praxíque rerum, & cognitione historiæ maximè versatur, tantò minùs in his assequendis vaticinijs, potuisse illos credibile est, quantò longiùs à nostris abfuerunt temporibus, in quibus adimpleta sunt, quæ prædicebantur.

In propheticis figuris & mysterijs non tutum est satis fidere antiquis doctoribus.

DE CORRVPTO ECCLESIAE STATV PER Rom. Pontificem, eiusq; sedis Ambitionem.

NEque enim dubium est, quin si tot tantarúmque ecclesiarum auulsionem, támque diuturnam oppressionem, si Romanæ sedis tantam superbiam, tyrannidem plusquam phalaricam, si opes, rapinas, latefundia ambitionem, strepitum, & σχῆμα huius mundi, si leges, instituta, decretorum onera ecclesijs impolita, doctrinæ absurditates, blasphemias, impietates, idololatrias, pestes plusquam hæreticas cerneret hodiè Augustinus, Irenæus, Hieronymus, Ambrosius, Chrysostomus, Tertullianus, similiúmque doctorum vetusta antiquitas, longe aliter de numeris istorum mensium, atque de Antichristo iudicassent.

Vetusti patres si hodiè viuerét videréntq; quæ nũc in ecclesia fiunt, aliter de Romana religione iudicarent.

Si Gregorius pro antecessore Antichristi habebat, qui vniuersalem se episcopũ ostenta-

ostantaret, quid diceret, si oecumenicum hunc vniuersæ ecclesiæ προτοσάτην, tanta superbia sese, supra omnem humanam celsitudinem, efferentem, tot decretis, tot legibus munitum, tanto satellitio inquisitorum, καὶ τῶν πυραχμώνων obseptum videret? Non temere igitur monuit Irenæus, in aperiendis prophetarum vaticinijs, potius esse sine periculo expectarare adimpletionem prophetiæ, quàm suspicari. Quis vnquam propheticos illos in veteri testamento typos & mysticas figuras, de Christo eiúsque morte & resurrectione intellexisset, nisi tempus, & rei veritas in Christo, sensibus aperuisset? Ita in Apocalyptica hac reuelatione, nullus efficacior interpretandi magister, quàm tempus exístit, rerúmque anteactarum historia, & præteritorum experientia.

Irenæus lib. 5.

Optimus propheticæ scripturæ interpres historia.

Atque hæc hactenus de ciuitate sancta, eiúsque conculcatione. At subit inter hæc non vna difficultas. Cum enim iubetur Atrium eijci foras, datúrque ciuitas sancta gentibus ad proterendum, quæri hic potest, vtrum vnum idémque sit, quod & de Atrio eijciendo, & de ciuitate proculcanda dicitur: an de rebus distinctis & diuersis intelligatur? si de diuersis: quærendum igitur, quæ alterius rei ab altera sit distinctio, quid Atrij nomine, quid ciuitatis accipiatur. Deinde si ciuitas sancta pro templo Dei accipienda sit, qui fit igitur, vt ciuitas hæc gentibus detur ad calcandum tot mensibus, quum templum interim à Deo instruitur ad architecturam? Qua enim ratione id constat, vt ciuitas Dei sancta, aut sine templo Dej esse queat, aut vt templi renouatio instituatur, cum ciuitas sancta pedibus obijcitur calcantium? His vt respondeamus, tria hæc subnotanda sunt, quid templi nomine, quid Atri, quid ciuitatis significetur.

Quæstio, de Atrio & de ciuitate.

Responsio ad propositam quæstionem.

Ciuitas vox est aggregationis, ac vniuersalem Christiani nominis ecclesiam denotat, quæ quum gentium calcneis premenda ad tempus relinquitur, eo significari videtur, futúrum vt ciuitatis huius vniuersalis bona quidem magnáque pars, iniurijs gentium exponatur, at non ita tamen, vt nunquam emergat ab his angustijs, aut vt nulla eius pars eximatur, ab vniuersali hac malorum inundatione. Semper enim habet Deus in medio etiam perditorum, suas reliquias alicubi aliquas, vt neque possit vllis mundi furoribus, vniuersa in totum extirpari ecclesia, tum sæpe etiam maiora temporibus sumit incrementa, vt post turbulentas afflictionum procellas, repressis aduersarijs, multo & felicior erumpat, & enitescat clarior. Atque hæc ferè ciuitatis conditio est.

Ciuitas.

Atrium porrò vt duplex est interius, & exterius, ita duplicem habet stationem, alteram populi quidem promiscui & multitudinis, alteram quam sacerdotes propriè occupant, & Leuitæ altari deseruientes. Quod Atrium etsi templi ipsius nulla sit pars, at proxima tamen vicinitate, templo iunctissimè adiacet. Internum autem Atrium hic appello, non quod loco proximum, aut quod hominibus internum esse videatur, sed quod Deus ipse verè sibi internum, & proximum habeat: differtque hoc Atrium ab altero, hoc nomine, quod internum quidem istud (quo vera Dei ecclesia significatur) nullos recipiat, nisi qui verè Dei cultores sunt, veríque adoratores. Sæpéque inde accidit, vt qui hominibus videntur proximum Deo locum tenere, sacerdotes & Leuitæ, nequaquam ita Deo existimentur, sed in externum Atrium repulsi foras à domino exterminari iubeantur. Contráque qui in externo Atrio foris sedere sibi videntur, ad intimum dei Atrium quàm proximè pertineant.

Atrium.

Atrium bifariam distinguitur.

De templo nunc vicissim dicamus, in quo erat sanctum sanctorum, oraculum, propitiatorium. Arca fœderis, Mensa propositionis, Altare, candelabrum, cæteráque ornamenta ad vsus sacros pertinentia continebantur. Quæ omnia vt in externo templo, externis figuris gerebantur: ita sub ijsdem figuris, æterna & sublimiora

Templum.

mlora mysteria præsignabantur, spiritualis scilicet dei ecclesia, legitimus illius cultus, syncera Christi cognitio & fides, vera inuocatio, propitius numinis fauor, sacræ doctrinæ prædicatio, spiritus diuini charismata. Age, & quæ tum causa fuerit, videamus, cur Ioannes aut sub eius nomine, alij prophetæ, dato eis funiculo, templum metiri iuberentur.

Templi renouatio arguit priorem eius defectionem.

Si nihil in templo læsum, aut accisum esset, si nihil, ædificandum, quid vlla opus dimensione? vbi nihil collapsum, quid opus illic renouatione? vbi nulla laboratur defectione, quorsum attinet restituendi labor? Quæ res nullum patitur detrimentum, nec decremento afficitur, eadem certè nulla indiget resartione. Si omnia in templo tuta & integra, si nihil in ecclesia luxatum, in religione corruptum, si in fide, doctrina, prophetia, nihil diminutum, si nihil in vita Christianorũ peruersum, nihil in moribus reformandũ videretur, quorsum oportebat iterum Ioannem prophetare? Quorsum opus iterum renouata prophetia, vbi nullus ostenditur prophetarum defectus? Et vbi nunc igitur isti, qui Romanæ suæ ecclesiæ (quam vnicè catholicam, sanctam & apostolicam obtendunt) perennem veritatis hæreditatem vendicant, quippe quæ immunis ab omnis erroris contagio, inde vsque à primis Apostolorum initijs, solidam immotam, illibatam fidei & pietatis puritatem, continenter huc vsque retinuerit.

Quòd Rom. ecclesia errare non possit, aut non errarit hactenus, falsissimum.

Et quid igitur non mihi, sed scripturis respondebunt, in quibus iterum restituitur prophetia, iterum reficitur templi ædificatio, idque postremis istis temporibus, sub sexta tuba, quæ à fine temporum longè abesse non potest?

Neque quisquam hic putet, quod à nonnullis obiectari solet, nos vesano mentis impetu impulsos, effrænata mentiendi libidine correptos, hæc in summum eorum pontificem struere. Faciat paululum cæca animorum addictio, faciant prætextus, & partium studia. Aequis iudicijs in id incumbamus, vt vincat veritas, atque vt vincat etiam pontifex, si stet cum veritate. Sin aliter, nullo modo deserendam putemus veritatem, pontificis causa. Neque rursus ita veritatem hanc intra vnius pontificis scrinia contineri, quasi nihil sit non verum, quod ipse statuat, nihil non hæreticum, quicquid ab ipsius dissentiat præiudicio, hoc quid aliud est, quam vim veritati inferre, non fidem accommodare.

Responsio ad querelam iniustam aduersariorum.

Cõtra addictionẽ partium.

Quin ex ipsis potius fontibus, iuxta Augustini & Cypriani consilium, veri cognitionem hauriamus. Quid scripturæ dicant, quæ promiscuè patent vniuersis, attendamus: non quid vnus pontifex, aut vna sedes decernat. Si scripturæ clarissima hic tuba clamitet, restituendam esse postremis his temporibus, cœlestis sanctuarij ædificationem, iterúmque prophetare sacros dei præcones oportere, non potest non certissimum esse argumentum, multas & graues in ecclesiam irruisse corruptelas, quæ necessaria egeant reformatione.

Quod quo illustrius intuendum sensibus eluceat, paulo altius rem ipsam ex historijs repetamus. Prima templi huius fundamenta iacta sunt per Apostolos, per quos creuit ædificatio feliciter & fideliter propagata in multas gentes, donec ethnici Imperatores, malitia Satanæ, & iudeorum impulsu incitati, bella mouerunt contra sanctos, misere eos proterentes, mensibus quadraginta duobus. Neque tamen in tanta hac persecutionis tempestate, defuit interim deo suum templum, nec templo defuit sua gloria. Manebat pietas, purúsque numinis cultus, fides retinebatur incorrupta, manebat altare, nec deerant veri in templo adoratores. Quæ licet omnia minus in aperto hominum aspectu essent posita, at nihilo minus, vbicunque figi poterat tabernaculum, non deerat syncerus illic dei cultus, veráque inuocatio, quam nulla vis hostilis in vniuer-

Tempus Apostolorum.

Status ecclesiæ primitiuæ.

Tempus Constantini.

sum abolere valuit.

Exactis deinde his mensibus, affulgent sub Constantino tandem lætiora tempora, in quibus respirat iam ecclesia, vires resumit, incrementa colligit, indies magis magísque sua delatans tentoria. Successerunt post hæc, alia atque alia tempora, quæ etsi ab externo persecutionum fremitu vtcunque tranquilla essent, tamen à contentiosis opinionum rixis, & dogmatum erroribus, non satis erant quieta. Quæ tamen res in hoc libertatis tempore, non parum ecclesiæ profuit. Sic enim exercitata doctorum ingenia, otio ac socordiæ indulgere minime permittebantur, simúlque veritas maiore comparata studio, clarius hac ratione enituit. Ideòque toto hoc tempore, in mediocri adhuc statu res habebant ecclesiæ, nec sine laude ij qui ecclesiæ præsidebant, episcopi & pastores, pro sua quisque virili, ita functi suo munere partes administrabant suas, vt nihil adhuc magni detrimenti caperet doctrina euangelica.

Tempora ecclesiasticę libertatis.

Status ecclesię post Constantinum.

Deinde annis ad vlteriora tempora procurrentibus, crescentéque indies liberiore viuendi securitate, crescunt cum libertate, mundi opes, venenum in ecclesiam infunditur, cum opibus simul crescit ambitio, ex ambitione nascitur contentio, & libido dominandi inter patriarchas, quis vniuersis præesse debeat. Vnde lis primùm non exigua enata est inter Romanum & Constantinopolitanum. Sed compresso mox Constantinopolitano, obtinuit Romanus, vt cæteris sub iugũ missis patriarchis & episcopis, solus ipse dominaretur vniuersis. Hínque prima defectionis origo, seges, maximàque malorum omnium scaturigo. Sed de his, volente Christo, deinceps. Ad historiam redeamus.

Venenum in ecclesiam infunditur.

Crescunt ecclesię opes & ambitio.

Prima defectionis initia.

Postquam in hunc modum febris hæc mundanæ gloriæ Romanã innasit sedem, cœperúntque iam pontifices, post Gregoriana tempora (permissu Phocæ Imperatoris) vniuersali superbire titulo, eò res progressa, est, vt principatum, quem semel sibi rapuerunt, nunquam deinde è manibus reuelli, neque in ordinem se reuocari paterentur. Quin multo magis hi, qui ordine in sedem successerunt, pontificales fasces susceptos à maioribus, adeò non deposuerunt, imo extulerunt in immensum, supráque modum, vt non ecclesiæ modo, aut vrbi, sed orbi etiam dominari atque vtrunque gladium sibi vendicare, iámque non subditis solum, sed regibus etiam, & Imperatoribus cœperint esse formidabiles. Quin nec eo solum contenti, quo perpetuam sedi suæ firmarent stabilitatem, legibus eam quibus possent armare, decretis communire, scripturis insuper alienissimè contortis fulcire instituerunt, iámque non legum minis, sed religionis etiam metu, conscientijs dominari, diuino quodam iure, vt nemini fas esset de hac sede, magis quàm de euangelio Christi addubitare.

Vniuersalis papæ titulus quo primùm tempore incepit.

Petrus habet Romam totum Gregorius orbem.

Constituto hunc in modum Romanæ Sedis Imperio, quæ dehinc turbæ consecutæ sunt tum inter ipsos, tum per vniuersam ecclesiam, abundè testantur tot tantæque rerum iactationes, populorum tumultus, schismata, cædes hominum, regum, ac regnorum horrendi motus, tot hinc inde factæ Romani Imperij mutationes, & distractiones, ex oriente primùm, in occidentem. Quo tempore, soluto iuramento quo Romani atque Itali græco Imperatori obstringebantur, Carolum Martellum è Gallia in Italiam euocauit Pontifex, cúmque nouo more Imperatorem inauorauit. Post hæc, quia Galli Imperatores haud satis ipsorum concederent ambitioni, in iure pontificiæ electionis extorquendo, è Gallia in Germaniam noua mutatione transuectum est Imperium. Vnde vix dictu credibile, quæ armorum & animorum concertationes inter Gallos & Germanos temporibus Henrici primi, & Ottonis sint consequutæ.

Imperium orbis Pontifici subditum.

Carolus Martellus Gallus a Papa Imperator constituitur.

Imperium e Græcia in Galliam traductum a pontifice Rom.

Imperium e Gallia in Germaniam transuectum autore Rom. Pontifice.

Bella exitata per pontifices.

Quin

Quin nec Germanis hisce Imperatoribus diu constitit cum pontifice tranquillitas. Agebant hoc pontifices, non vt Episcopi solùm, sed vt Imperatores suam ab illis *a* confirmationem peterent, *b* ea lege atque omine, vt ipsis interim religio esset, in rebus pontificijs, quicquam sibi quoquo modo permittere. Id quia subito extorqueri non potuit à Germanis, qui Ottonis, & maiorum exemplo, decus imperij sibi retinendum, nec quicquam de legitima potestate cedendum existimarunt, terribiles motus exarserunt. Hinc bella Henrici quarti & quinti. Deindè Frederici primi & secundi. Post hos Ludouici Bauari, eiúsque fratris Friderici Austriaci: Rursúsque Ludouici & Rodulphi, quem contra Ludouicum legitimum Imperatorem subornarat Gregor. Septimus (Hildebrandus nomine) missa ei corona cum inscriptione:

Petra dedit Petro &c.

a Ex decretis.
b Neque ab Augusto neque à regibus neque à toto clero neque à populo iudex iudicabitur.

Bella Henrici 4. & 5. Friderici primi & secúdi, Ludouici Bauari, Friderici Austriaci, Ludouici & Rodulphi, Henrici sexti &c. per pōtificem sunt excitata.

Quid hic veteres illas, nullíque non notissimas tragœdias refricem, de Henrico sexto, cuius diadema non manu, sed pede è sublimi throno Cælestinus, imò sceleslus 4. imposuit, móxque eodem pede deiecit, iactitans sibi potestatem esse creandi reges, & submouendi. Quid de Gallorum Rege *a* Chilperico, quem Zacharias pontifex, præter ius & fas, *b* de legitima regni possessione exturbauit, *b* eiúsque in locum euexit *c* Pipinum. Nec multum abfuit, quin idem Philippo eiusdem Galliæ regi euenisset, quem *d* Bonifacius octauus, vt è regno excuteret, *e* Albertum Romanorum regem contra eum, quàm potuit enixissimè lacessérat. Sicut & *f* Hildebrandus ante cùm Henricum filium armauit in patrem, effecítque vt pater à filio captus ac detonsus in monasterium, pro carcere adigeretur. Quid illud? quod Alexander 3. mitis ille seruus seruorum Dei, ceruicibus insultans spectatissimi Imperatoris, velut subactæ iam maiestatis, ædidit triumphale epinecion è Psalmis, quàm catholicè accommodatum: *Super aspidem & Basiliscum &c.*

Cælestinus pontif. 4.

a Chilpericus.
b Regum & regnorū trāsuersiones per pontif. Zacharias papa.
c Pipinus Rex Galliæ imperat.
d Bonifacius.
e Albertus Romanor. rex.
f Hildebrandus.

Alexander 3.

Nec mitiùs cum Francisco Dandaloto rege Cretæ & Cypri, & Venetorum duce, actum est, quem catena vinctum, & ad Clementis mensam inter canes prouolutū, vix tandem ad colloquium admisit superbus pontifex. Breuiter atq; in summa, quæ gens, quæ patria, quis sinus, aut Insula nomen vnquam audiuit huius sedis, quæ nō vim eius, turbas atq; rapinas persensit, aut adhuc sub eius tyrannide, aliqua ex parte suspirat? Vtinam posset, aut auderet pro se loqui Hispania, in eam redacta seruitutem, vt nemini non tutiùs sit, regem illic suum offendere, adeóq; Christum ipsum, quàm pontificem: in qua non tam subditi principi suo subditi sunt, quèm princeps ipse sedi Romanæ eiúsq; inquisitoriæ autoritati.

Rex Hispanus subditus Inquisitorię autoritati.

Vt de Gallia, & Britannia nostra nihil referam, tót modis & furijs nuper per tragicos hos Pontifices exagitata: Quæ turba, quę seditionis tempestas, per orbem Christianum, ijs multis annis incruduit vlla in republica, cuius pars aut non magna, aut certè nonnulla, ad sedem hanc Babylonicam spectauerit? Nec mirum. Quid enim ab hoc pontificatu expectandum aliud? Qui quum tanta flagret dominandi insania, vt solus summæ rerum pręesse velit, quo tandem pacto tanta ambitio, sine infinitis turbis & tumultibus expleri poterit? Venio ad domesticas ipsorum inter ipsos permotiones, & schismata.

Anno 892. Stephano sexto successit Formosus, qui quum ante fuisset Episcopus, à Ioanne octauo, de gradu & charactere Sacerdotali præcipitatus, in laicorum ordinem redactus est, ac demum restitutus à Martino secundo, postea papatum adeptus est. Contra hunc à Romanis electus est Sergius tertius. Sed Formosus

Schismata Rom. pontif. Anno 892. Formosus, Schisma. Sergius 3.

mosus Arnulphum Imperatorem euocans, armis illius Romanos subegit, Sergium ad abdicationem compulit.

In annis 9. pōtifices nouem. Stephanus 6.

Post Formosum mira, & continua ferè inter pontifices extiterunt schismata, vsque adeò vt in annis nouem, 9. sederent pontifices. Quorum primus Bonifacius 6. Vix dies 36. sedem teneret. Post hunc Stephanus 6. decreta Formosi omnia abrogauit.

Turbulenta & diuturna schismata. Leo 5. Sergius antipapa.

Quartus post Formosum præsidet Leo 5. anno domini 907. diebus plus minus 40. contra quem, Christophorus, seu Leo 5. vim & vincula comparat, ac demum per schisma sellam pontificiam tenet, quam vix mensibus septem integris gubernat, quin à Sergio successore consimili circumuentus fraude & in custodiam coniectus, vim eandem tulerat, quam inferebat.

Anno 963. Ioan. 12.

Anno 963. collecta per totam Italiam episcoporum synodo, Ioan. 12. de nefariis postulatus flagitijs, dum se excusaturus apud Othonem Imp. venire detrectat, Leo 8. antipapa.

Leo eius nominis 8. adhuc Laicus communi omnium electione, et consensu imperatoris, in eius surrogatur vices, ordinationes instituit, cæteráque illius dignitatis munera administrat. Nec longũ discedente Imperatore, Romani ad ingenium denuo redeuntes, violato, quod imperatori præstiterant iuramento, (quo se obstrinxerant neminem se in sedem erecturos, nisi ex ipsius, siue filij eius Othonis consensu) Ioannem recipiunt. Quo paulò post sublato, Benedictum quendam contra ius & fas, eodem die contra Leonem per schisma delignãt. Nec multò post Imper. Roma obsessa, adeò Romanos afflixit, vt Leonem iterum se recepturos promitterent, abrogata Benedicti dignitate.

Schisma. Benedictus antipapa.

Anno 966. Ioan. 13.

Quo deinde mortuo anno 966. subuectus est in sedem Ioannes 13. Qui eodem anno ab Ieofredo Campaniæ comite, consilio Petri vrbis præfecti, captus & custodiæ mancipatus, non multò post ab Othone vindicatus est, & in libertatem restitutus. Sedit ann. 7, aut 8. De hoc Ioan. 13 ita testatur platina: ab adolescentia, inquit, omnibus probris & turpitudine contaminatus fuit, omniúmq; ante se pontificum sceleratissimus in adulterio confossus est.

Ex Platina in vita Ioan. 13. Ioan. 13. in adulterio confossus.

Anno 973. Seditio. Schisma. Benedictus 6. Donnus 2. Bonifacius 7. trãsfuga, latro. Schisma. Ioan. 15. antipapa.

Anno 973. Benedictum 6. in seditione electum, in molis Adrianæ carcerem conijcit Cynthius Rom. ciuis, vbi meritò interfectus à quibusdam fertur, alij in Saxoniam auectum dicunt. Post hunc, annum vnum habuit Donnus 2. Post eum Bonifacius 7. biennium, qui Constantinopolim cum Romanæ ecclesiæ thesauris aufugit. Octauo mense, reuersus, Ioannem 15. qui in transfugæ locum successerat, comprehensum oculis priuat, arce S. Angeli includit, fame necat. Ipse non multò post moritur. Cadauer alligato fune per plateas tractum, lanceis & contis, summa cum ignominia confoditur.

Anno 995. Schisma. Ioan. 18.

Anno 995. Otho 3. imp. Gregorium 5. Saxonem pontificem designauit. Romani per tumultum & schisma Ioannem 17. substituerunt. Ioanni post decimum mensem extincto surrogatur Ioannes 18. opera Crescentij, & Romanorum. At Otho non multò post rediens, vrbem capit, Crescentius in crucem agitur, Ioannes exoculatus nare amputata de Capitolio præcipitatur.

Anno 998. Syluester 2. necromanticus. Ioan. 19. magus.

Anno 998. Dæmonis opera adiutus, sedem Rom sibi comparat Sylueſter 2. Eadem arte, mago succedit magus, magistro discipulus, Ioannes 19. quinto mense veneno à suis sublatus. Ab hoc Sylueſtro, vsque ad Hildebrandum, ad vniuersalem cathedram, (nisi autore Satana) haud quisquam conscendisse creditur.

Anno 1010. Schisma.

Anno 1010. Benedictum 8. sede pellunt Romani, & grauissimo schismate antipapam surrogant: quem, Benedicto per aureum (vt aiunt) imbrem, in gratiam restituto, iterum deijciunt.

Anno 1047. Benedict. 9.

Anno 1047. Benedictus 9. qui ambitu, & largitionibus sedem comparasset, quum esset literarum rudis, alterum ad vices ecclesiastici officii exequendas, Sylueſtrum nomine adhibuit: quod cum multis non placeret, tertius superinducitur

Gregorius

Gregorius 6. qui solus duorum vices obiret. Addit Benno Cardinalis, ex eo factum, vt Romana ecclesia in partes diuersas scindi videretur. His, inquit, tribus autoribus, graui schismate, feralibus bellis, & immensis cædibus, laniata est ipsa ecclesia, ac sub colore mellis, veneno propinato, hæresibus nefandissimis propemodum suffocata. Ita sub tribus his, horrendum schisma fuit, vbi summa ope partes in hoc nitebantur, ne quid altera alteri, seditione, impietate, flagitijs cederet. Schisma. Ex Bennone Cardin. Seditio. Schisma.

Damnatis tandem seditionis Magis, quartum constituit Imperator Clementem 2. Quo nonum post mensem venenata potione mortuo, nullo cleri, aut populi consensu, pontificatum occupat Damasus 2. Clemens 2. Damasus 2.

Anno 1058. Benedicto 10. Nicolaum secundum opponunt patres. Ille quietis amantior vitam priuatam agere maluit. An. 1058.

Anno 1062. Alexander secundus à Romanis clericis sede donatur, quam annis 11. administrauit, quoad Henricus Imperator interpellantibus Romanis, Basileæ publico omnium consilio, Parmensem episcopum Cadolum in Romanum euexit principatum. Atque hi duo papæ Romæ, in pratis Neronis ferro & sanguine diuiserunt patrimonium S. petri, donec tandem in altero concilio, Alexander, postquam innocentiam de ambitu (nostri Simoniam appellitant) suam vtcunque purgasset, recipitur. Cadolus parmensis repudiatur, cogitúrque cedere Alexandro. Quem Hildebrandus multis verberibus acceptum, in vinculis occidit, & eadem hora, sine cleri, & populi assensu, inaudita tyrannide sedem inuadit, sub nomine Gregorij septimi. Qui insatiabili ambitione, tum imprimis opera Gerardi Drazuti, septem ante se Pontifices veneno sustulit. Alexander 2. Schisma. Seditio. Hildebrandus Gregorius 7. Anno. 1064.

Hildebrandus hic decreuit Romæ, ne patres vxores habeant, habentes autem dimittant, aut deponantur: Ne quis ad sacerdotium admittatur, nisi qui perpetuam promiserunt continentiam. Ne cui potestas sit conferendi beneficia ecclesiastica qui laicus esset. Imperatorem Henricum quartum execratione prosequitur: Subditos iuramento liberauit. Cæsar ad Canusium, cum vxore & filio, nudis pedibus, supplex veniam petit, vixque tandem post triduum impetrat. Proximo deinde anno Rodulphum Sueuiæ ducem contra Henricum Imperatorem excitat. Quo mox extincto, Imperator denuo excommunicatur. An. 1074. Hildebrandi fœda flagitia. Coniugium sacerdotibus prohibitum. Schismata. Schisma hoc post Hildebr. durasse dicitur. Anno 29.

Nec multò post delecto per imperatorem Hildebrando, in synodo Brixensi, Clemens 3. designatur Pontifex. Cui Victorem 3. Romani per schisma opponunt, an. 1087. Huic Vrbanus homo turbulentissimus succedit. Clemens 3. Victor. 3. Anno. 1087. Vrbanus papa.

Paschasius nefarius & seditiosus monachus inijt pontificatum, an. 1100. In quem plures subornantur antipapæ, Albertus, Theodoricus, Maginulphus, quos ille excommunicauit. Contra Vibertum, quem Imperator Henricus quartus antea erexisset in pontificatum, bellum gesit. Henricum ipsum excommunicat, filium eius Henricum 5. contra patrem incitat. Homo fuit bellicosus, schismaticus, principibus infestus, superbus. Anno 1100. Paschasius. Schisma. Ex Platina Blondo.

Gelasius 2. maximo tumultu electus antipapam habuit Gregorium 8. quem cõtractis copiis, Sutrij capit, & camelo impositum, facie ad caudam obuersa, summo cum probro in monasterium, tanquam Dauum aliquem in pistrinum immittit. Anno 1118. Gelasius 2. Schisma. Ex Gibbo. Genebrardo. Anno 1127.

Cælestinus 2. in schismate à quibusdam cardinalibus Pontifex renunciatur, at sedulo se abdicauit & cessit Honorio 2. Cœlestinus 2. Schisma. Anno 1130.

Nec minor exorta est pugna inter Innocentium 2. & Anacletum eiusdem sedis riualem. Quæ turba omnes ferè principes non parum exercuit. Innocentius 2. Schisma. An. 1156.

Maior fuit Alexandri tertij cum suis antipapis quatuor conflictatio, quos contra ipsum erexerat Fridericus Imperator. Schismate hoc seditioso, ecclesia Alexander 3. Ex Genebr. Schisma.

Romana penè subuersa dicitur, authore Genebrardo. Sub hoc Alexandro, factiones Guelforum & Gibillenorum efferbuerunt. Guelfi authoritatem Romani pontificis, contra Cæsarem tuebantur. Alexander Friderici Imperatoris vim metuens ad venetos confugit. Verùm Othone Imperatoris filio, qui classem pontificiam insequebatur, à venetis victo, ac capto, coactus Fridericus pater procubuit ad pontificis pedes, petens absolutionem excommunicationis, sicque super aspidem & basiliscum calcauit pontifex.

Seditiosa factio Guelphorum & Gibellinorum.

An. 1182. Lucius 3. Seditio ciuilis. Vrbanus 3 qui & Turbanus.

Lucij 3. prima auspicia, etsi seditione caruerunt, mox tamen ille non parua seditionis causam dedit, quòd consulum in vrbe nomen abolere niteretur. Ad eundem modum vrbanus 3. anno 1185. à Lucio haud multum degenerans, ob ingenium turbulentum Turbanus est appellatus.

An. 1215. Innocentius 3 Synodus Lateranensis. Transubstantiatio. Confessio auricularis. Absolutio sacerdotalis. Supplicium incendendi homines viuos introductum ab Innocentio 3.

Cæterum inter tot labes ac vomicas ecclesiæ, haud facile dixerim, an vlla vnquam afflauit remp. Christianam pestis nocentior, quàm Innocentius nominis huius tertius. Qui anno 1215. in Synodo Lateranensi, omnia ferè turbarum, quibus hodie orbis concutitur Christianus, seminaria in ecclesiam profudit. Primùm nouo exemplo, intollerabili audacia, nunquam ante receptam Missaticæ transubstantiationis hæresim inuexit. Salutiferum sacramentum, quod Christus in suam solam Commemorationem instituit, in idololatriam commutauit. Confessionem, qua sua quisque admissa, non Deo intus atque ex animo, sed sacrifico in aurem commemoret, à Christianis extorsit: criminum veniam, non aliter, quàm à sacerdote accipiendam mandauit: Laicis alteram sacræ communionis partem eripuit: exurendi tartaream hanc crudelitatem, eos maximè, qui hisce re aduersus Rom. sedem auderent, induxit. Regulas fictitias Dominici, Franciſci, quasi regula Christi non sit satis, in templum dei intrusit:

Si quid natum sit discordiæ, inter orbis principes, correctionem ad papam deferendam. In decernendo Imperatore, eum esse eligendum, quem papa mandarit coronari. Breuiter huic potissimùm pontifici acceptum debetur, quicquid hodie vel cladis, vel disidij, inter protestantes, & pontificios in ecclesia deflagret, vt si quis Antichristum iam scire desideret, summam eius potentiam, & illusionis efficaciam ad obruendam euangelij lucem, in hoc vno cognoscat pontifice.

Anno. 1240. Honorius. 3 Innocentius. 4 Gregorius 9. Rebellio. Monachorum ordines. Factio. Seditio. Salue regina, cantio.

Nec multum, ab illius degenerabant exemplo, qui proximo subierunt loco Honorius 3. Innocentius 4. Gregoreus 9. pertinacissimi contra Imperatorem Fridericum 2. perduelles: quorum maximè tempore & auspicijs, percrebuerunt Monocantium sectarum ordines. Gregorij huius maximè occasione, subortæ sunt in Italia factiones Guelphorum, qui Papæ studebant. Gibellinorum, qui Imperatorias partes sectabantur. Pugnaturis contra Fridericum, vitam eternam Papa promittit. Franci & Angli auxilium implorat, pecunias corradit in belli vsum. Decretalium libros 5. ædit, author superstitiosissimæ cantionis Salue, regina. &c.

Anno. 1294 Bonifacius. 8. Parricida. Seditio. Rebellio. Factio. Decretalium consarcinator.

Cælestinum 5. Bonifacius 8. pontificia se dignitate abdicare, insigni decep-tum impostura coegit, carceri addictum è medio sustulit. Cuius postea nequitiæ ipsemet parricida pœnas dedit. Nam cum grauia per Italiam bella comouisset, Philippum Galliæ regem, ob pragmaticam sanctionem excommunicasset, Galliam in prædam Imperatori dedisset, captus à Langarrerio quodam Gallo, laqueo vitam finiuit.

Innocentius. 6

Bonifacius hic decretalium amplificator, in Cardinales quosdam Columnenses, & vrsinos furiosè desæuijt.

Anno. 1352. Ioannes quidam franciscanus, Martyr. Gregorius. 9. Ex Volaterrano. Schisma.

Quid de Innocentio 6. quid de Gregorio 11. referam? Quorum ille an. 1352. nefaria crudelitate, Ioannem quendam Franciscanum, quòd de Antichristo atque de Pontificibus quædam futura disseruisset, in ignes coniecit. Ab altero complures per Italiam ciuitates (autore Volaterrano) seditioso schismate defecerunt.

Anno. 1379.

Venio ad vrbani 6. tempora: quem vbi Romanenses ouili præfecissent, mox Gallici

Gallici Cardinales numero ſuperiores, ſedem in Gallias transferre ſatagunt. Quod cum Vrbano non probaretur, illi alium creare papam parant. At Vrbanus, quoſdam Cardinales captos occidit. Sed alij alium creant Pontificem Gallicum, Clementem videlicet. 7. qui Auinione conſedit: Vrbanus Romæ. Hi ſe mutuo excommunicant. Schiſma ad vtriúſque ſucceſſores progreſſum annis non minus quadraginta perdurauit. Vrbanus, vt Cardinales, & acceptas Ioannæ Siciliæ reginæ iniurias vlciſceretur, magnas ciet turbas. Carolus vngariæ rex contra Ioannam, quæ partes fouebat Clementis, exercitum ducit. Quam poſtea Ludouicus Andegauenſis dux liberauit. Idem Pontifex, Ioannem Hacluit cum Florentinis Neapolim miſit, contra Ioannam, quam diximus, ſimúlque Carolo Neapolitano regi bellum indixit, quod nepotem ſuum Campaniæ principem deſignare noluiſſet. Obſeſſus tandem pontifex à Carolo furtim Genuam perducitur. Cardinales. 7. in vinculis habuit, quorum quinque ſaccis inuolutos demerſit. Sedit is annis. 13. Pars principum Gibbonenſi, pars Neapolitano fauebat. Germania, Italia, Anglia Vrbano accedebat. Hiſpania, Gallia, Catalonia Clementem ſuſceperunt. Qui neutrum neutrales dicebantur. Hi duo diras hinc inde, vterque in alterum vibrarunt execrationes, quibus ſe mutuo conſcindebant, blaſphemabant, excommunicabant, ſeſe inuicem Antichriſtos hæreticos, tyrannos, ſchiſmaticos, fures, proditores, iniquos, Zizaniæ ſatores, filios Belial meritò vocabant. Defunctis demum his riualibus, durauit inter ſucceſſores eadem diſceptatio aduſque annum Domini 1409.

Vrbanus 6.
Clemens 7.
Schiſma per an. 40. durans.
Ex Bibliandro.
Tumultus inter pontifices.

Anno 1389. Bonifacius 9. Vrbano. Clementi poſt biennium ſuffectus eſt Benedictus. 13. Bonifacius non vt epiſcopus, teſte Crantzio, ſed vt rigidus Imperator dominabatur, multóſque Romanorum ſibi ſuſpectos de perfidia, per iuſticiarios occidi curauit. Eccleſijs vectigal nouum impoſuit, quod nouo vocabulo annatas dixerunt. Vectigal illud verò erat, vt quiſque ſacerdotium aut epiſcopatum aſſecutus, primos illius anni in æſtimatione prouentus pecunijs redimeret, qua lege, orbis velut Dominum cum eſſe factum, loquuntur hiſtoriæ.

Anno 1389.
Benedict. 13.
Bonifatius 9.
Ex Crantzio.
Bonifac. trucu-lētus tyrānus.
Vectigal nouū nomine, annatarum.
Ex Blondo platina & alijs.

Anno 1405. defuncto Bonifacio. 9. ſurrogatus eſt Innocentius. 7. Papa biennalis, lites. neſcio quas, hic gerebat cum Romanis ſuis. Quorum vndecim a Ludouico ipſius nepote è feneſtris proiecti, non ſine Pontificis conſilio interierunt. Huic non multo poſt ſucceſit Gregorius 12. Papa triennalis. Supererat adhuc Benedictus 13. Cum autem in concilio Piſano, vtrique horum denunciatum eſſet, vt papatu ſe abdicarent, neutérque ſine tergiuerſatione id vellet, condemnatis his, tanquam hæreticis, electus eſt Alexander 5. exturbatis Benedicto, & Gregorio. Hic Alexander Ladiſlaum Neapolis & Apuliæ regem potentiſsimum, in concilio Piſano, è regno paterno ſceleſtè deiecit, idque Ludouico Andegauiæ duci adiudicauit: ſedit menſes 8.

Anno 145.
Innocentius 7.
Gregorius 12.
Concilium piſanum.
Schiſma durat annis 40 vno minùs.
Anno 1409.
Alexander 5.
papa turbulentus.

Anno 1411. Erepto Alexandro, erupit in ſedē Ioan 23. vt alij 24 Qui partim pecunia corruptis Cardinalibus, partim diſpoſitis militibus, vi ac metu extorſit electionem. Eo hortante, anno ſui Pontificatus 4. Sigiſmundus Imperator concilium habuit Conſtantiæ, in quo, tribus electis Pontificibus, Benedicto 13. Gregorio 12. & Ioanne 23. Martinus. 5. in ſede collocatur, anno. 1417

Anno 1411.
Ioan. 23. vel 24
Sigiſmundus Imperator.
Concilium Cōſtantienſe.
Schiſma.
Martinus 5.

Longiùs fortaſsis in hac rerum temporúmque recenſione prouectus ſum, quàm conueniat inſtituto: faciendum tamen non ſine conſilio exiſtimaui, vt habeat hic lector (cui non deſunt omnino oculi) quod & de tota hac recentiorum Pontificum claſſe iudicet, ſimúlque quod argumentis aduerſariorum reſpondeat, qui ambitioſā hanc ſedem, à Chriſto & apoſtolis adeo diſſidentē falſiſsima verborū oſtentati-

ostentatione propugnare solent. Pugnant enim, vt video, sex aut septem potissimum argumentis. Quæ cuiusmodi sint, quæso, paululùm videamus.

CONFVTATIO ARGVMENTORVM
6. quibus primatum Pontificium adstruunt Papistæ.

Sex argumenta quibus Rom. ecclesiæ authoritatem asserũt Papist.
1
2
3
4
5
6

1. IMPERIVM asserunt ecclesiæ pontificiæ iure primùm diuino tributum. 2. Tum sacris conciliorum decretis orbi commendatum. 3. Deinde Imperatorum edictis confirmatum, ad tollenda schismata. 4. Præterea à sanctis patribus testificatum. 5. Rationi insuper consentaneum esse. 6. Denique longo vsu receptum, ipsóque euentu necessarium inueniri, ac declarari &c. Huius orationis si externam faciem spectes, quanta verborum pompa? si res ipsas, quid inanius? quod vel ex ipsa, quam supra texuimus, historia, facile conuincitur. Primùm, quòd vniuersali imperio Romanæ ecclesiæ ius diuinum prætexitur, quid magis vnquam ἀντίσφορον? A Christo ipso, eiúsque Apostolis rei sumamus fidem.

Confutatio sex Argumentorum.
1
Ius diuinum

Quid vnquam à Christo alienius? Quid vniuersa ipsius institutio, vita, doctrina, exempla, Apostolorum confirmatio, ac vestigia testantur? quid spirant aliud, quàm modestam, & manuetam vitæ ecclesiasticæ subiectionem, sine omni terrenæ dignitatis, aut Imperij fastigio? Si externum Christi habitum spectes, quid illo in hac vita dijectius? Si doctrinam, quid ea vbique inculcat aliud, quid suis præcipit magis, quàm abiectam in hoc mundo humilitatem? Non habuit ille, vbi reclinaret caput, & Pontifici non vnum sufficiet palatium? Respuit ille oblatum regiæ dignitatis conditionem, & pontifici non vna satisfaciet corona regia? non vnica solum Italiæ possessio, nisi triplici etiam cumulatus diademate orbi Imperitet oecumenico? Ostensas huius mundi opes in monte Christus recusauit, declarans regnum suum non esse de hoc mundo. Et glorioſus vicarius, nomine Christi, regnum in hoc mundo tanto circumfusus strepitu, & opulentia occupabit, putátque tales se fatuos reperturum in hoc mundo, quibus persuadeat, in tanta hac rerum dissimilitudine, vices se gerere Christi, ac non Antichristi potius?

Dissimilitudo quanta inter Christum & pontificem Romanum.

Christus vt nullam personam sumpsit in hoc seculo, ita nullum Imperium in suis discipulis Constituit, quin eosdem, nescio quid submusitantes, inter se de principatu, grauissimis verbis compescuit, adeoque in aliam vitæ formam, longe diuersam à principibus huius seculi, cogitationes ipsorum abduxit, vt qui primi & præcipui apud deum esse velint, apud homines in vltimo ac dispicatissimo sedere gradu oportere aperte affirmet. Age, & quo tandem Christi exemplo, quo verbo, quo iure diuino Imperium suæ ecclesiæ vendicabit pontifex? Quæso, qui tanto studio pro prima ecclesiæ sede depugnat, primásque tenere, ac præire vniuersis ordinibus, in externa hac vita, effectat tam glorioſe, quam sedem tandem ille, aut locum expectet apud deum, ipse viderit.

Sequuntur sacra conciliorum edicta: si de primis, & Antiquissimis conciliis intelligant, falsissimum est. Si de posteriorum temporum concilijs, quid hoc ad rem? Quum pontifex ex eo tempore, quo primum se intrusit in hunc primatum, solúsque omnes tenuit ecclesias, nullum in concilio admittere, nec sententiam cuiusquam audire sustinuit, nisi qui sui esset fœderis. Nam alioqui quod ad superiora & liberiora illa concilia attinet, æquo iure res adhuc inter patriarchas gerebatur, ita vt singuli Patriarchæ, pari inter se authoritate, suæ quisque ditioni præesset nec quicquam adhuc vniuersale esset, quod singulari aliquo dominatu

2
Conciliorum decreta.
Aequalitas inter vetustos patriarchas.

alienas

alienas eparchias constringeret. Testatur hoc Niceni concilij canon 6. apertissimis verbis: Antiqua, inquit, consuetudo seruetur per Aegyptum, Lybiam, & Pentapolim, vt Alexandrinus episcopus harum omnium habeat potestatem, quia & vrbis Romæ episcopo parilis mos est: Vrbis Romę episcopum appellat, non papam, non primatum, non sanctissimum. Cõcilij Nicæ. canon 6.

Adde huc concilium Chalcedonense, vbi consimilem in modum decretum est: Teneat & Aegyptus, vt episcopus Alexandriæ omnium habeat potestatem, quoniam & Romano episcopo hæc est consuetudo. Concil. chalcedon. Act. 16.

Similiter & qui in Antiochia constitutus est, & qui in cæteris prouincijs habeant primatus ecclesiæ ciuitatum ampliorum. In concilio Africano vetitum fuit, ne primæ sedis Episcopus, aut Princeps Sacerdotum, aut summus sacerdos, aut huiusmodi aliquo vocabulo appellaretur, sed tantùm primæ sedis episcopus. Concilium Antiochenum. Concilij Africani 5. canone 6.

Et rursus: si prouocandum putauerint, non prouocent, nisi ad Africana concilia, vel ad primates prouinciarum suarum. Ad transmarina, qui putauerint appellandũ, (ad Rom. videlicet pontificem) à nullo intra Africam in communionem suscipiantur. Certè si nefas sit ex conciliorum autoritate, summum sacerdotem quẽquam appellari, quantò minùs conuenit, vt quisquam summus dicatur Pontifex? Præterea si eodem prohibente concilio, prouocare non licet ad prouincias transmarinas, sed ad suæ cuiusque prouinciæ primates, quo iure Romanus pontifex principem autoritatem sibi, cæterorum omnium omnes causas excipiendi deposcet? Canon. 10.

Amabò humanissime lector, ex concilijs res æqua libretur trutina. Ex quibus, dilucidè, opinor, intelligis, nihil adhuc inæquale, aut singulare inter primates prouinciarum extitisse, in ecclesia. Nec dubitandum est, quin æqualitas hæc patriarcharum, post prima illa concilia, vsque ad Gregoriana tempora, illæsa atq; integra permanserit. Quod vel hoc maximè argumento constare possit, quòd Gregorius ipse, tantus conciliorum admirator, contra vniuersalem hanc dominandi in ecclesia superbiam, tam audacter se opposuit, nunquam id facturus, si quid secus, hac de re, concilia decreuissent. Gregorius.

Pergamus ad Imperatorum edicta: quæ tam magnificè suæ prætexunt autoritati Romani pontifices. Quibus vt paucis respondeam, id primùm scire ab ipsis velim: Quos nobis hîc Imperatores narrant. Si de omnibus dicant, post Constantini tempora, falsum est. Si certos, & paucos intelligant, quinam hi fuerint, & quæ extiterint eorum edicta, sciendum est. Age, & fingamus modò quod nondum comprobatum est, maximorum Imperatorum edictis constabilitam Romanæ hierarchiæ monarchiam. Quid indè consequetur, nisi vt humano, non diuino iure principatum suum obtinere Romana ecclesia videatur. Quod si enim à Deo, vt aiunt, institutus sit huius primatus, quid opus erat commendatitijs, aut commentitijs potius Imperatorum decretis? Contráque si diuina institutio ex aduerso repugnet, tam fumoso discipulorum suorum typho, quid hîc contulerint omnium hominum scita, & Imperatorum decreta? Imperat. edicta. Primatus Rom. sedis nullo iure diuino, nec Imperatorio nititur.

Iam vt verum hoc donemus, quod tamen falsissimum est, Christianorum Imperatorum edictis confirmatam hanc vniuersalem Romanæ sedis, supra omnes ecclesias celsitudinem, nequaquam illud satis est. Neq; enim in eo cardo vertitur nostræ quæstionis, quid sacro Euangelij ministro oblatum sit, sed quid is recipere debeat. Multa sunt Christo oblata, quæ tamen ille constanter magno spiritu aspernabatur. Nec dubium, quin Apostolis ipsis, post tot ædita signa, & miracula, multis magnisque huius seculi bonis diffluere licuisset, si vel terrenam gloriam aucupari, vel quæ ab alijs oblata essent, in quæstum suum vertere voluissent. Paulus Apostolus tam procul abfuit ab earum rerum expetitione, quibus tam auidè inhiat pompa Pontificia, vt cum facilè sustineri alienis laboribus potuisset, potius quam sumptu necessario grauaret ecclesias, o- Christus. Paulus.

pera manuaria victum parare maluit. Nec minus in Petro, in Ioanne, cæteriſque Apoſtolis, eadem eminuit, in fugiendis fluxis huius mundi bonis, temperantia adeò vt nec vna drachmula illis aliquando ſuppeteret, deprecanti mendico eroganda. Quorum omnis vita, & inſtitutio, tam longe diſtabat ab exemplo iſtorum Pontificum, quàm procul ab eo abſunt Pontifices, vt vllis eccleſiarum ſpolijs & rapinis gentium exſatiari poſſint.

Petrus. Ioannes. Actor. 3.

Quamobrem quòd edicta Imperatorum ita ſuæ obtendunt celſitudini, nihil hoc gloſſemate proficiunt. Vt enim fingamus, indulgentia Imperatorũ, euectos eſſe Romanenſes iſtos in tantam hanc Imperij maieſtatem, quid tum poſtea, ſi diuino iure non licuit iſtis admittere, quod humano iure deferebatur? Quòd ſi enim, prohibente ſcriptura, vetitum ſit viris præſertim eccleſiaſticis, συσχηματίζεσθαι τῷ αἰῶνι τούτῳ. Si meritò reprehenditur Demas, qui relicto Paulo amplexus ſit præſens ſeculum: ſi Chriſto ipſo iudice, quod hominibus excelſum eſt, execrabile ſit apud deum: Si poſt afflictiones huius ſeculi, princeps eccleſiæ intrauit in gloriam: Si deus quæ celſa ſunt huius mundi, habeat faſtidio, & humilibus dat gratiam, ſuperbis reſiſtens: Si iuxta prouerbium Salomonicum, abominatio ſit deo omnis ſuperbus corde: videat tragicus hic Pontifex, quid cum iſtis moribus apud deum expectandum ſibi putet, in tanto hoc cothurno humanæ elationis adeò ſupra modum ſuperbiens.

Rom. 12. 2. Tim. 4. Luc. 16. Luc. 24. 1. Pet. 5. Iaco 4. Pro. 16.

Clariſſima vox chriſti eſt in euangelio: principes gentium dominantur eis, vos autem non item. Faceſcant prætextus, ſi Chriſti ſumus, id verè ſimus quod dicimur, quódque mandat ille: non catholico ſchemate, non hiſtrionica pietatis ſimulatione, ſed factis & exemplis exequamur. Præclarè Cicero: totius, inquit, iniuſtitiæ nulla eſt capitalior quàm eorum, qui tum, cum maximè fallunt, id agunt, vt boni eſſe viri videantur. Nec minus præclarum Hilarij conſilium, quo mouet, ne ingeramus nobis nomina veritatis, vt virus falſitatis introeat, neque bonum in ore ita ſit, vt de corde malum ſubeat.

Mat 20. Luc. 22.

Cicero officiorum primo. Hilar.

Sed age, quoniam Imperatoribus Pontifices acceptam referunt omnem Imperij ſui prærogatiuam, quæramus primum, quinam hi Imperatores fuerint, quo tempore vixerint: deinde quænam dignitas hæc fuerit eccleſiæ Romanæ ab illis conceſſa? Atque ex his Imperatoribus, primùm nobis ingeritur Iuſtinianus, deinde Phocas. Quanquam quod ad Phocam attinet, haud ille quicquam cauſam Pontificiam iuuat: Imo incommodat potius ſpurciſſimus & furioſus parricida.

Papalis dignitas, vnde primum profecta ſit. Iuſtinianus. Phocas.

De Iuſtiniano tamen audiamus quid adferant. Ita in codice Iuſtinianus, (vt citat Hardingus & alij:) Sancimus, ſecundum canonum definitiones, ſanctiſſimum ſenioris Romæ papam, primum eſſe omnium ſacerdotum &c. Atque vt genuina hæc ſit ipſius ſanctio, & fraude careat, quæ non infrequens eſſe ſolet in Romana curia, id iam peto vtrum iure hoc Iuſtinianenſi, primatum ſuum obtinet Romanus Pontifex, an aliter? Minimè, inquiunt, ſed vtroque diuino pariter, & humano iure. Et quorſum quæſo vtroque opus? An non ſat erat diuina præſcriptio, niſi accederet humanæ commendatio confirmationis?

In authẽti. De eccleſiaſt. titu. Fraus Rom. in adulterandis decretis & ſanctionibus. Diuino ſimul & humano iure, primatum vendicat ſibi papa. Refutatio.

Et cur igitur Iuſtinianus, ſi ſciret diuinæ præſcriptionis iure ſancitum hunc primatum, in eo ſtabiliendo ius ſuum interponere cum diuino ſit auſus, nulla ſaltem diuinæ ordinationis facta mentione? Cur, cum in prouehendo veteris Romæ principatu ſupra omnes ſacerdotes, canonum definitiones commemorat tam diligenter, nullum faciat verbum diuini decreti? facturus abſque dubio ſi quid tale extitiſſet in verbo dei, quod ſingularem hanc vnius ſacerdotis monarchiam, in eccleſia vllo modo ſtatuiſſet.

Iuſtiniani ſanctio non caret ſuſpitione falſi.

Cæterum vt hanc illis contentionẽ remittamus, ſupereſt illud porrò ſciſcitandũ, quid-

quidnam causæ sit, quòd Iustinianensis hic patriarcha, ex hac charta sui Imperatoris colligat? Quid, an vt regnum solus occupet in ecclesia? vt dominetur vniuerso Clero? At hæc non dicit Iustinianus, certe hæc non dicit dominus. Imò aliud loquitur Institutio euangelica: Dominari, inquit, regum est, non ita erit inter vos. Et Petrus epistola prima, non dominantes, inquit, in clero. Quippe qui ad homines sui ordinis scribens, non se titulo τῶ ἀρχιέρεως iactitat, nec cum fastu imperat, sed modestè & amicè sodales rogat πρεσβυτέρους ὁ συμπρεσβύτερος ipse. Excutitur sanctio Iustiniani. Math. 20. Mar. 10. Luc. 22. 1. Pet. cap. 5.

Sed quid Petrum dico? Christum ipsum spectemus, quàm humiliter inter suos versatus sit, qui cum legitimo suo iure poterat dominatum sibi in terris vendicare, ita tamen se gesit, tanquam minister suorum, vt etiam abluere eorum pedes non dedignaretur, in hoc, vt suos ab omni fastu ac dominandi cupiditate repressos, ad imitationē euangelicæ humilitatis, non verbo, sed & exemplo reuocaret. Quamobrem si iuxta prudentissimum Cypriani consilium solus audiendus est Christus, non debemus certè attendere, quid dicit, aut edicit Iustinianus, sed quid dicit Dominus. Veritati nec temporis præscriptio, nec potestas vlla præiudicat. Cyp. lib. 2. epis. 3. ad Cæcil.

Iam verò, quod ad Canonum definitiones attinet, quas leuiter attingit Iustinianus, esset in eo quidem aliquid, si vel humano iure aliquo, vniuersalem præfecturam tenerent Romani Pontifices, vel si vllas Iustinianus ipse definitiones conciliorum in medium extulisset. Verùm cur minùs id fecerit, haud mirum videri debet, cum ex ijs concilijs, quæ Iustinianum præcesserunt, nullum proferri possit, quod vel senioris, vel nouæ Romæ, absolutam & singularem supra omnes Patriarchas potestatem, vllo Canone, astrueret. Certè ex Nicæna synodo, nullum constat discrimen inter Romanum, cæterósque patriarchas, quos omnes, ex antiquo more, parili & æquali honoris præstantia, consociat. Suprema pōt. potestas iure nullo nec diuino, nec humano nititur. Nicę. concil. Can. 6.

Conciliorum canones, & sanctiones omnes percurramus, nullam reperies, quæ Romanum ita primum, aut principem sacerdotum, constituit, vt non cęteros item patriarchas ei, intra suos prouinciarum fines, pari dignitatis & gradu, & titulo adæquet. In Concilio Ancyrano, Neocæsarienſi, Gangrensi, Sardicensi Laodicæno, nulla sit primatus huiusce mentio. In Antiocheno Concilio, penes Metropolitanum, suæ cuiusque prouinciæ potestas solida & legitima consistit, ita vt nullus omnino locus alieno Metropolitæ relinquatur. Nisi si quid fortè natum sit controuersiæ, quod externo egeat adminiculo: placuit ita Synodo, vt proximæ viciniæ Metropolitanus aduocetur: Aut si libeat ad Imperatorem excurrere, ex assensu Metropolitani, liceat, nulla interim omnino habita Romani Pontificis ratione. Concil. Ancyr. Cōcil. Neocęs. Cōcil. Gangrense. Cōc. Sardicen. Concil. Laodicænum. Cōci. Antioch. can 9. 11. 14. 20. 25.

Sed obijcietur hîc fortasis ex Synodo Constantinopolitana, Canon. 5. edicens in hunc modum: Constantinopolitanæ ciuitatis Episcopum habere oportet primatus honorem, post Romanum Episcopum, propter quod sit noua Roma, &c. Huic vt respondeam, plura hîc incidunt priùs aduertenda. Primùm, ecquid adulterinum, sub distinctione hac Pontificia, includatur. Concil. Antioch. can. 11. Obiect. ex Syno. Constant. Concil. constant. can. 5. Noua Roma.

Qua in re etsi nihil sit, quod velim, aut ausim contradicere: quod queam tamen suspicari, multa suggerit mihi antiqua Pontificum praxis. Qui ad stabiliendam suæ sedis autoritatem, tam multa deprauarunt, in decretalibus suis, præter omnem ferè fidem, sub veterum sanctorum nomine, Clementis, Anacleti, Euaristi, Alexandri, Sixti, Telesphori, Calixti, Fabiani, Dionysij, Amphilochij & consimilium, in quibus nihil non Pseudoepigraphū, non adulterinum cernitur. Verùm vt nihil huiusmodi in Constantinop. hoc Canone confictum fateamur, age, quid inde conficiet vetus hæc Roma, cur principatum sibi vendicet, solá- Reſponſio. Fraus pontif. Rom. in adulterandis fictis Sanctionum codicibus & literis.

que regina ſedeat & vrbis, & orbis? Vt ne interim commemorem canonem hunc, in græca editione, non quinto loco (vt in Romanis codicibus) ſed ſecundo commemorari.

τὰ πρεσβεῖα. Pontif. Rom. primatum ſuũ falsò aſtruunt ex concil. Cõſtantinopoli. Τὰ πρωτεῖα. Τὰ δευτερεῖα

Quid quod nec vlla in eo mentio primatus auditur, ſed τὰ πρεσβῆια ſolùm nominantur. Qua voce nihil aliud, quàm priores partes in ſacerdotali functione, ſingulis patriarchis, intra ſingulas ſuas cuiuſque eparchias, tribuuntur. Qua loquendi formula, vſitato more, græci τὰ πρωτεῖα φέρειν ἢ τὰ δευτερεῖα dicere ſolent, cum alicui prior dicendi aut ſedendi locus, ſeu prima quædam ſtatio, in publico ſodalium conſeſſu, ἐυταξίας gratia defertur. At quid hoc ad vniuerſalem ſedis τὴν ἀυθεντείαν, quòd vetus Roma, aut eius legati priore ſedeãt loco, aut priores in dicendo partes obeant, propter eminentiorem vrbis celebritatem. Aut quid ſi ſecundo poſt eum loco, collocatur conſtantinopolitanus, an ob eam cauſam plenitudo poteſtatis ei, in reliquas quaſque mundi partes imponitur? Quid ſi in pædagogeio Coryphæus quiſpiam adoleſcens, ob eximiam ingenij & eruditionis excellentiam, ſuperiori ſuper cæteros conſodales ſede honoretur, an idem propterea Imperium in reliquos ſibi arrogabit condiſcipulos, quia ſedet loco ſuperior?

Prima ſedes, aut locus, in conceſſu, in foro, aut in ſchola, abſolutam in cæteros poteſtatem non conciliat.

Quid ſi in actione forenſi, aut inquiſitorio duodecimuiratu, vnus exiſtat aliquis, vt fieri ſolet, qui ob promptioris linguæ, audiciæque præſtantiam, proloquutoris perſonam ſuſtineat, vnúſque nomine cæterorum reſpondeat, an ilico dominatus illi in reliquos imponitur?

Fides Petri. Petrus cur tanti fit apud Chriſtum, primàq; laus cur illi tribuitur. 1. Pet. 5.

In Petro merito ſuſpicimus ſingularem fidei excellentiam, flagrantem pectoris ardorem erga dominum, quo nomine eximio eum vicisſim amore proſequitur dominus, titulóque exornat. Eandem fidei magnitudinem, parem animi propenſionem, ſimilem dilectionem Chriſti, oſtendat Romanus vicarius, non deerit illi digna ſuis dotibus reuerentia. Et tamen idem petrus, tot modis eximius apud dominum, tótque promisſis amplificatus, quum præ cæteris iure poſſet, ſi quis alius, ſibi vendicare τὰ πρεσβῆια, non Archipresbyterum ſe iactitat, ſed ſtylo tantum τοῦ συμπρεσβυτέρου contentus, ſupra reliquos ſui ordinis concompresbyteros, nihil affectauit altius, nec aliter ſe in vita geſſit, quàm titulo foris præ ſe ferebat, τύπος γινόμενος τοῦ ποιμένος. Et quæ tandem iſta, in ſucceſſore Petri, tanta ab Archetypo repugnantia? Aut quo modo in Petri ſedere cathedra videbitur, qui a vita illius ſic totus διὸς διὰ πάσων diſſonat, nulláque parte ſuo reſpondit exemplari?

Repugnantia inter Petrum & papam. Ioan. 8.

Negat Chriſtus filios eſſe Abrahæ, qui factis parentem nullo modo referunt. Quòd ſi verò factorum ratione ſucceſsio ſit æſtimanda, cuius ſucceſſor ſit μετωπὸς hic pontifex, quis non videt? Grauiter & accuratè Petrus ad compresbyteros ſcribens, ὑποτάσσεσθαι ἀλλήλοις, ὃν προσατῆσαι πάντων, πειθαρχεῖν ὃν φιλαρχεῖν eos admonet. Non conuenire putat Bernardus, vt membrum delicatum ſit ſub capite ſpinis confixo. Et vicarius capitis illius cenſebitur, à cuius profeſione tantopere diſſidet? Qui reges & reginas regnis ſic exturbat? cui nec vna ſatisfacit prouincia, niſi vrbis & orbis dominus exiſtat? velútq; σεβασοχράτωρ genibus & oſculis adoretur? tranſmutans regna, leges, tempora, pro libidine, diademata Auguſtorum, pedibus elidens, Imperijs pellens Imperatores, adeóque ceruices eorum tantum non calcibus proculcans? Rectorem, inquit, ille, te poſuerunt, eſto in illis, quaſi vnus ex illis. At quis vnquam Romæum hunc patriarcham, rectorem aſsignauit vniuerſalem, qui tamen in illegitimo hoc ipſo Imperio ita ſe gerit, vt nullos agnoſcere ſodales videatur.

Μετωπὸς pontifex. 1. Pet. 5. Bernardus. Vicarius Chriſto ſuo capiti quantopere repugnat.

Sed ad concilij canonẽ intermiſſum redeamus, cui quoniã inſiſtunt tam acriter iſti Romanẽſes, id mihi reſpondeãt velim, quo modo ipſimet ſibi in eo cõſtabũt, aut cũ cæteris cõuenient concilijs? Quòd ſi enim humano iure aliquo, aut canone vniuerſalem,

salem suum papatum astruunt, negabit Anacletus, qui sacrosanctam & Apostolicam ecclesiam, non ab Apostolis, nec humano aliquo iure, sed ab ipso domino primatum super vniuersas ecclesias obtinuisse asseuerat, etiamsi epistola hæc falso ei tribuitur. Similiter & Nicolaus, animaduertendum esse dicit, quia non Nicæna, non denique vlla synodus, quicquam Romanæ contulit ecclesiæ priuilegij, quæ in Petro nouerat, eam totius iura potestatis pleniùs meruisse.

Anacleti spuria Epistola.

Nicholaus ad Michaelem Imperat.

Deinde quomodo cum reliquis concilijs decreti huius Constantinopolitani cohærebit sententia, quum Nicæna Synodus inter patriarchas nihil eximium, aut singulare præ sodalibus, nihil prius, aut posterius inter sese, sed parilem inter singulos, per singulas prouincias, Metropolitanos æqualitatem admittat. Eadémq; de causa, Surius etiam Constantinopolitano hoc concilio offensus, cuius ipse arrogantiam suggillat, Canonem hunc, quo Nouæ Romæ proxima, à Romano præsule, vel par autoritas adscribitur, nec ipse recipit, nec omnino recipiendum esse confirmat. Quid quod in eodem Constantinopolitano concessu, definitum legimus, vt si quid in qualibet prouincia enasceretur contentionis, eiusdem prouinciæ concilio finiretur, assensum præbente ipso etiam Imperatore, vbi nulla fit interim Romanæ sedis vel mentio, vel exceptio.

In concilijs dissonantia.

Surius offensus contra cõcilium Constantinopolit. Comment. rerum gestarum. Tripart. histo. lib. 9. cap. 13.

Ad alia vertamus concilia, in quibus Carthaginense imprimis, ne Romanus episcopus, vniuersalis dicatur, diserte prohibet, vel ipso attestante Gratiano, in hæc verba: vniuersalis autem, inquit, nec etiam si Romanus Pontifex appelletur. De Chalcedonensi synodo, quid multa dicam? Cuius tam multa, & tam luculenta extant argumenta, aduersus Romanam sedem, vt aut hæc de solio tam superbæ dignitatis discedat, aut vt concilij tota euertatur autoritas, necesse sit: Quod hinc abundè elucet, eò quòd Synodus hæc, absque vlla Romani pontificis, vel autoritate, vel præsentia, solo Imperatoris iussu, celebrata sit: vt solebant, hisce tum temporibus, coire concilia, non nisi à Cæsaribus indicta, vsque ad annum Domini 900. teste Cusano.

Carthag. Concil 3. Can. 26. Distinct 99. primæ sedis. Concil. Chalcedonense cõtra Romanum primatum. Concil Chalcedonẽse absq; Rom. Pontifice celebratũ iussu Imperatoris. Concilia olim non nisi à Cæsarib. indicta. Nichol Cusan. Cardin. de cõcordia Catho. lib. 3. cap. 13.

Iam quod paschasius, Lucentius, Bonifacius legati, ac τοποτηρῆται, à Pontifice ad concilium hoc mittebantur, primúmque in eo consessum tenuisse feruntur, nihil hîc habet Romanus pontifex, cur se supra cæteros venditet, quòd pij modestique Episcopi, secuti consilium Pauli, honore alij alios præcedere, quàm de loco contendere maluerunt. Sedent supremo quidem loco. At non omnes, qui priori cohonestantur loco, mox principes euadunt. Aliud est ordine sedendi, aliud iure dominandi præsidere, vt rem rectè distinguit Cusanus Cardinalis. Postulabat hoc veteris Romæ antiqua celebritas, vt recentior ei Roma assurgeret, non quia potestate superior, sed quia tempore & ordine prior agnoscebatur. Quemadmodum ætate grandioribus, iuuenes plærunq; locum cedunt, & honorem exhibent. Sed quid hoc ad rei institutum? Etsi enim illi Romanis legatis sedem honorariam, inter primos tribuebant, nunquam tamen pontifici Romano potestatem hanc tantam, quantam nunc solus in omnes vsurpat ecclesias, concedendum existimarunt. Quod vel ex actis ipsis concilij dilucidè constare potest.

Ordo sedendi, ius dominãdi, res sũt diuersæ.

In quo tria nobis spectanda sunt. Primùm quas ob causas honor ei sedi tributus. 2. à quibus quantúmq; tributum sit. 3. qualis tum temporis fuerit Romanus episcopus, cui cæteræ tum ecclesiæ τῶν πρωτοκαθεδρίας ταύτῶν deferre nõ dedignabantur. Breuiter vt à primo primùm exordiar: De causis sic illi philosophantur, quia Petrus primus & summus Apostolus sedit Romæ, cuius in sede succedit Romanus Pontifex: quoniámq; demandatæ sunt ei claues, æquum proinde affirmant, quicquid Petro honoris debebatur, id vt vniuersum in eiusdem transmittatur successores.

Tria in pontificia sede spectanda. Falsa & ficta causa à Romanensibus in astruenda sedis suæ dignitate.

Respondeo: Si Petrus sedit Romæ, non vt episcopus sedebat, sed vt Apostolus: quum autem Apostoli propriè nulli censebantur, nisi qui à Christo ipso peculiari legatione, & voce, non in vrbem commoraturi, sed in orbem discursuri quaquauersum

Responsio ad paralogismum Romanum. Apostolus. Apostoli, & Episcopi discrimen.

Episcopus Petr. nunquã Romæ episco.

uersum emittebantur, fieri non potest, vt sui apostolatus vllum relinquat successorem, multo minùs Episcopatus, quum nunquam functus sit Petrus Episcopi munere. Tum si claues à Christo acceptæ, soluendi & ligandi potestatem delignant, certum est claues illas non Petro vnicè delegatas, sed cum cæteris æque Apostolis ei fuisse communes.

Clauium potestas Petro vnà cum cęteris Apostolis communis.

Iam verò, quod ad externam & localem, quam dicimus, successionem attinet, quis tam stipes est, aut in euangelica disciplina tam stupidus, cui non promptissimum sit perspicere, quantum interfit inter ea, quæ sunt externæ politiæ, & quæ ad spiritualem ecclesiæ administrationem pertinent? Illic necessarium habet locum hæreditaria successionis deriuatio, hîc longè aliter res agitur. Illic, vt quisque est genere proximus, aut humano delectu comprobatus, recipitur, hîc non externo sanguine, sed lumine fidei, non humana lege, non locorum, non personarum respectu, sed cœlesti virtute, & diuinæ electionis gratia, spiritualis regni administratio gubernatur. Non hîc cathedra successorem facit, sed vita, doctrina & morum similitudo.

Successio in functione ecclesiastica.

Successio politica.

Successionis politicæ & ecclesiasticæ discrimen.

Sic in cathedra Mosis sedebant, qui crucifixerunt Dominum gloriæ, si cathedra ad rem quicquam faceret. Sic olim inanissimè iactare solebant, Templum domini, templum domini, de quibus queritur propheta Ieremias, quum nulli à templo domini abessent longiùs, quàm qui maximè habebant in ore. Si quid conduceret externa patriæ conditio, patrúmque dignitas, multo vicinior Abrahamo populus erat Israelitarum, quàm gentes incircumcisæ. At quid nos docet institutio euangelica? Filios Abrahæ non sedes facit, sed fides, non successio, sed promissio. Christus de generis sui externa cognatione prædicans, matrem, fratrésque suos, & sorores dicit, non qui humana ratione illi coniunctiores viderentur, sed qui diuina ratione paternæ voluntati essent obsequentiores. Ne nos ludat Pontifex fabulis & fucis suis, rem serio agat, facessat prætextus. Abeat figura mundi huius, spirituale regnum ecclesia est: spiritualibus spiritualia comparentur.

Ierem. 7.

Rom. cap. 9.

Math. 12.

Mar. 3.

1. Co. 2.

Math. 16.

Petrus quum Christum confitebatur, non caro, non sanguis eum edocuerat, sed potenti influens aflatu diuina reuelatio. Qua & postea communitus est ne fide deficeret, studióque Christi accensus, in assidua Euangelij propagatione, non per delicias huius vitæ, sed per ingentes tribulationum afflictiones, constantissimè perseuerauit. Eandem nobis fidem, similia virtutum charismata, Christique studium, cum contemptu huius mundi coniunctum, nobis ostendat Pontifex, aut quiuis in ecclesia alius, vt quisque ad Petri imaginem quàm proximè pertingat, quocunque loco sedeat, pro successore Petri susci pi haud immeritò poterit. Neque enim Deo id curæ aut cordi est, vbi quisque sedeat, sed quomodo sedeat. Recte Tertullianus, non ex personis fidem, sed ex fide personas probamus. Non personalis successio veram arguit doctrinam, sed vera potius doctrina, veram arguit successionem. Nam vt filij Abrahæ erant, qui fidem illius imitati sunt, non qui secundum carnem genus ab illo ducerent: sic & Apostolorum successores censendi sunt, non qui in ecclesijs, sed qui in doctrinæ prædicatione succedunt. Aut igitur ita locum Petri occupet, vt Petrum nobis referat apostolicus hic τοποτηρητὴς aut successorem se Petri ne iactitet. Certè eo modo sedere, quo sedit iam multis annis hic Pontifex, tot martyrum sanguine cruentatus, sedere est, non in cathedra Cephæ, sed Cayphæ: non vicarium Christi agere, sed Antichristi.

Successor Petri legitimus, quis censẽdus. Tertul de prescrip. in initio.

Sedes nõ Cephæ, sed Cayphæ.

Hæc eò pertinent hactenus adducta, ne quis præcipiti erroris opinione, quod falsum sit, suspicetur, aut causam vllam esse in petri successione, aut apostolica, quam vocant, cathedra, quamobrem in tantam celsitudinem cristas sic erigere debeat Romanus Pontifex. Quòd si à priscis maioribus, aut antiquis concilijs, indultũ fuerit huic sedi, nonnihil fortasse, supra cæteros patriarchas, in loco & ordine

sedendi

sedendi, id tamen neque diuinæ institutioni, nec Apostolicæ successioni imputandum est, vt falsò confingunt Nicholaus, & Anacletus. Certè eius rei longè aliam causam indicant verba Irenæi: ad hanc, inquit, ecclesiam, propter potentiorem principatum, necesse est omnem conuenire ecclesiam &c. Vbi Irenæus contra Valentinum, Cerdonem, Marcionem, agens contra eorum somnia, opponit traditiones apostolicas doctrinæ, in antiquissimis ecclesijs receptas, veluti Epheso, Smyrnis, ac Roma. Adiungit autem Romę potentiorem principatum, non propter sedis apostolicę potentiam maiorem, sed propter politicæ monarchiæ Imperatoriam sublimitatem.

Nichol. ad Michael. Impera. Anacletus. Irenæ. li. 3. ca. 3

Eodem pertinet & Nicænæ constitutionis, multò adhuc certior euidentia: Quæ de distributione sedium patriarchialium, atque in his, de Romana sede statuens, confirmationem nullam apponit ex sacris tabulis, tantùm ex antiquo more, & consuetudine, patriarchas ad æqualitatem honoris reuocat. Nec minus perspicuè Calchedonensis synodus, de priuilegiis Romanæ ecclesiæ disserens, causam nullam, ac ne mentionem quidem vllam iniicit, de Petri cathedra, aut successione, sed hæc tantum habet: καὶ γὰρ τῷ θρόνῳ τῆς πρεσβυτέρας ῥώμης διὰ τὸ βασιλεύειν τὴν πόλιν ἐκείνην οἱ πατέρες ἐικότως ἀποδεδώκασι τὰ πρεσβεῖα &c. Ex quo haud obscurè liquet, priscis illis ecclesiæ temporibus, senioris Romæ sedem in honore habitam, non nomine Petri, aut iure successionis aliquo, sed tantum διὰ τὸ βασιλεύειν τὴν πόλιν ἐκείνην.

Nicæn. conci. can. 6. Calcedonen. Synodus. Chalced. concil. can. 28.

Sed age, vt hoc donemus: inde adeò à temporibus Nicæni Concilii, gratiem fuisse huius sedis dignitatem, inter præcipuas ecclesias, restat nunc secundo loco quærendum, quæ quantáque hæc dignitas fuerit à cæteris illi donata ecclesiis? Quid, vt Episcopus princeps esset omnium sacerdotum, summus & solus Pontifex, vniuersalis Episcopus, generalis Christi in terris vicarius, caput, cardo, vertex, non suæ modò prouinciæ, sed publicæ totius orbis hierarchiæ? ita vt quum cæteri moderatores, suis quique finibus & cancellis restringantur, solus hic κοσμοκράτωρ, nullis circumscriptus limitibus, ἀρχοντικὴν τὴν ἐξουσίαν, velútque prætoriam ἀυθεντίαν, penes se possideat, in omnibus omnium ecclesiarum causis, sese immittendi, statuendi, definiendi, abrogandi, instituendi, exauthorandi, rescindendi, laxandi, aut retinendi, conuocandi concilia, Scripturas interpretandi, leges, regna, iura, tempora permutandi pro sua libidine, vt nec conciliis iam salua libertas, nec metropolitais antiqua authoritas, quin nec regibus, nec reginis absoluta resideat facultas, in suos dominandi, aut agendi, nisi ex præscripto Romanæ sedis?

Sit hoc falsum, nisi compertissimum inueniatur, in regnis Hispaniarum, & Galliarum, multò plus valere papæ, quàm principum authoritatem: vtque tutiùs sit subditis, regem quàm papam offendere, quod nec Rex ipse audeat. Quid? an hæc illa est veteris Romæ prærogatiua? Hæccine sedis huius authoritas, quam, vel diuino iure acceptam, vel humano iure, à sacris Conciliis, & patribus impositam præ se ferunt? At Concilia ipsa, vt quæque sunt vetustissima, & integerrima, ita maximè aduersantur.

Canones ipsi suis loquentes verbis audiantur. Nicæni Concilii Can. 6. 7. τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω. Antiquæ consuetudines seruentur, vt Alexandrinus Episcopus Ecclesiis in Aegypto, Lybia, pentapoli, sibi subiectis præsit, quandoquidem & Episcopo Romano, hoc idem consuetum est. Consimiliter & in cæteris eparchiis prouincialibus, singulis Metropolitis, Antiocheno, & Hierosolymitano, sua cuique priuilegia, & iura integra retineantur.

Nicæ. conc. can. 6. 7.

Quæso in hac distributione prouinciarum, & priuilegiorum æquilitate, quid habet Romanus Episcopus singulare, aut exquisitum, quod supra cæteros coæquales patriarchas, sibi arroget? Cętera, pari breuitate, adiungamus.

Antioch con. Canon.9. Antiocheni Concilij Canon nonus, ἕκαστον γὰρ ἐπίσκοπον ἐξουσίαν ἔχειν τῆς ἑαυτῦ παροικίας. &c. Vnumquemque episcopum habere suæ Parochiæ potestatem, vt regat, & gubernet, pro suo cuiusque pietatis officio, & totius regionis curam gerat, quæ suæ vrbi subest. &c. Quæso, quæ hic Romanæ potestatis memoria, aut mentio? Rursus ex canone vndecimo: Si quis Episcopus, aut presbyter, citra sententiam, & literas Episcoporum prouinciæ, & maximè Metropolitanorum, ad Imperatorem perrexerit, is abdicetur, & eijciatur, non solùm communione, sed & propria priuetur dignitate &c. Si ad Imperatorem prouocare non licet, cuius subijciuntur ditioni, extra fines propriæ prouinciæ, quanto minùs ad forensem, & exoticam Romanæ curiæ potestatem, quæ nihil ad se pertineat?

Canon.11.

Accedit huc canon eiusdem concilij decimustertius: μηδὲνα ἐπίσκοπον τολμᾶν, &c. Nullus episcopus audeat ab vna prouincia, in alteram transire, & aliquos in ecclesijs ordinare, nisi fortè accersitus à Metropolitano. Si autem nullo vocante, ad aliquorum ordinationem, & ecclesiasticarum rerum ad se non pertinentium, constitutionem inordinatè insolentérque processerit, sint irrita quæ ab ipso geruntur, ipse autem suæ insolentiæ det poenas &c. Et quid Pontifici igitur dicetur, qui in omnes omnium ecclesiarum causas, rerúmque occasiones, tanta cum insolentia, tam impudenter irrumpit, nulla vnquam vocatione accersitus, sed inuitis omnibus, in omnia ἑαυτὸν ἐπιῤῥίπτων?

Canon.13.

Can.15.

Eodem pertinet canon decimusquintus: εἴ τις ἐπίσκοπος ἐπὶ τισιν ἐγκλήμασιν καταγορύθεις, &c. Si quis episcopus aliquorum criminum accusatus, fuerit ab omnibus prouinciæ episcopis condemnatus, is ne amplius ab alijs iudicetur, &c. Et cur inflatus hic Pontifex, sua non contentus portione, tam effrænatè in peregrinas messes falcem intrudit, tantámque sibi sumit, alienis in causis, iudicandi licentiam? Subsequitur canon vicesimus primus: Episcopus ab alia parochia, in aliam ne transeat, nec se sua sponte ingerens, nec à populis vi adactus, nec ab episcopis coactus. Maneat autem in ea, quam ab initio à deo sortitus est, ecclesia. Et deinceps ἐπίσκοπον μὴ ἐπιβαίνειν ἀλλοτρίᾳ πόλει, τῦ μὴ ὑποκειμένη αὐτῷ. Episcopus in alienam ciuitatem, quæ ei subiecta non est, non ascendat nec in regionem, quæ ad eum non pertinet, &c.

Can.21.

Can.25.

Satis ex his patere arbitror, quæ horum temporum conditio fuit, in quibus nulla pertinebat ad alios alienarum rerum inspectio. Domi cuncta gerebantur, εἴτε ἐπικρίσεις τῶν ἐπισκόπων, εἴτε χειροθεσίαι πρεσβυτέρων, καὶ διακόνων, εἴ καταστάσεις ἐκκλησιαστικῶν πραγμάτων, τῶν ἀμφισβητουμένων διαλύσεις ἐπιτιμίαι τῶν ἐγκλημάτων. Nulla tum audita vniuersalis capitis, aut vicarij generalis significatio, nulla tum obiecta Romanæ plenitudinis exceptio. Sed singuli metropolitæ Antiochenus, Hierosolymitanus, Romanus, Alexandrinus, suas singuli prouincias & τοὺς ἐπαρχιώτας peræqua authoritate, tranquilla pace, sub Christo gubernabant. Nondum emerserunt in medium τὰ τῆς κονσταντινοπόλεως ἴσα πρεσβεῖα τῇ πρεσβυτέρᾳ βασιλίδι ῥώμῃ. Quod Leo Romanus ferre in Anatolio Constantinopolitano, postea non potuit, sed grauiter ex authoritate Nicæni concilij, hoc nomine eum redarguit, atque compressit.

Leo Roman. Anatolius Cõstantinopolitanus.

Et cur non idem Leo, eiúsque successores ijsdem stant legibus quibus ipsi alios includunt? Quod in alijs ferendum non putant, cur sibi ipsis licere volunt? Si nefas erat in noua Roma, Nicæna iura, illabefacta non retineri, cur antiquior Roma eadem audebit violare? Aut igitur scenam hanc suam mutet Romanus histrio, abijciátque cothurnos, aut aliter actionem instituat. Aut desinat iactare, quod falsum est, aut ostendat antiquitatis suæ originem. Si à Christo, aut petro deriuet sua stemmata, cur non id viderunt Nicæni patres? Cur non Antiocheni fuscepérunt. Cur in Ephesina synodo, pluſquam ducenti numero, episcopi, si quid tale persensissent, Imperatoris, non pontificis iussu congregari

Concil. Ephesin. can.8

gari voluerunt, cur ijdem canone 8. singularem Apostolici successoris autoritatem, vel non agnoscentes, vel respuentes, vnicuique prouinciæ pura & inuiolata iura, secundum consuetudinem, quæ iam olim seruata est, seruari præcipiunt?

Cur in Chalcedonensi synedrio, congregati proceres summam & exquisitam autoritatem, quam Romana sedes acceptam a Petro venditat, vel nescierunt, vel decretis suis non confirmarunt? Denique cur Concilium Carthaginense pontificem Romanum ambitionis & perfidiæ coarguit? Cur appellationes ad transmarina loca, hoc est, ad sedem Romanam prohibent? Scriptis in hunc modum literis ad Cælestinum, in quibus deprecantur, ne velit deinceps venientes ad aures ipsius facilius admittere, nec ab ipsis excommunicatos in communionem vltrà excipere, quia hoc etiam à Nicæno concilio definitum affirmant: id quod facilè, inquiunt, aduertet ἡ σὴ σεβασμιότης. Addentes insuper ex ijsdem Niceni concilij decretis, ὥστε ὀφείλειν τὰ πράγματα ἀτιναδήποτε ἐν τοῖς ἰδίοις περατοῦσθαι τόποις. Quod oporteat quæcunque negotia in suis locis, vbi orta sunt, definiri. Nec defuturam vnicuique, diuinæ prouidentiæ gratiam, per quam Christi sacerdotes ea quæ iusta sunt, & prudenter videant, & constanter administrent.

Chalced. synod. in Rom. sede nihil singulare agnoscit.

Conc. Cartha. Literæ Africani concil. ad Cœlest. Rom.

Quanquam neque id tamen inficior, nonnunquam à priscis maioribus, plusculum huic sedi exhibitum fuisse reuerentiæ, & dignitatis, sed videndum interim, quod tertio loco subit hîc discutiendum, qualis tum temporis fuerit Romanus episcopus. Nempè qui rectè, & cum laude, suo perfungebatur ministerio. Vnde cum summa Imperij maiestate, non minus sese adiunxerat episcopalis officij integritas. Has itaque ob causas, maior habita est huius sedis ratio, tantoque enixius cæteræ ei applaudebant ecclesiæ. Nondum enim ad plenitudinem hanc ambitionis, καὶ τὸν * καπνὸν τύφου, vt Concilij verbis loquar, processum est. Nondum sedem hanc corripuit fastus, & pompa huius seculi. Nondum innotuit Christianis auribus absoluta potestatis plenitudo, nec somniatum vnquam de capite vniuersali, de generali in terris vicario, qui dum ad tollenda schismata donatam præ se gerit autoritatem, caput ac seminarium extitit omnium perturbationum.

Qualis olim Rom. fuerit episcopus.

* In epistola Africani concil. ad Cæles.

Denique nondum inuasit ecclesiam tanta doctrinæ deformatio, Euangelij ruina, ac pestifera errorum lues: quantam iam seculis aliquot, in ecclesia Christi, non sine graui conscientiarum vulnere, tum nec sine corporum etiam periculo persensimus. Hincque illa defectio & apostasia à fide, quam Apostolus venturam præmonuit. Hinc templi illa vastatio, quam Apocalypsis rursus restaurandam denunciat, dum ab Angelo ad spacia locorum inspicienda, ac metienda, Propheta metator cum funiculo mensorio emittitur, dumque liber propheticus, ad digerendum, ab Angelo Prophetæ propinatur. Quæ omnia huc spectant demum, vt refectionem rerum in ecclesia, priùs collapsarum, figurent. Alioqui cur datus est calamus ad metiendum templum, & altare Dei, & adoratores in eo, si omnia in templo integra, vtque iactant catholici, catholica perstitissent?

De templo metiendo.

Pergamus ad ea, quæ sunt capitis reliqua:

Et dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis. Hi sunt duæ oliuæ, & duo candelabra in conspectu Dei stantia. Et si quis voluerit eis nocere, ignis exit de ore eorum. Et si quis voluerit eos ledere, sic oportet eum occidi.

Duo testes. Duæ oliuæ. Duo candelabra.

Hi habent potestatem claudendi cœlum diebus prophetiæ ipsorum, & potestatem habent super aquas, conuertendi eas in sanguinem, & percutiendi terram omni plaga, quotiescunque voluerint. &c.

DE DVOBVS TESTIBVS PROPHETANtibus, eorumque nece, de mensibus, & diebus.

CVM liber hic totus vndique diuinissimis scateat mysterijs, tum nullam eius partem obscuriorem esse arbitror, hac ipsa, in qua nunc versamur, siue in qua luctantur magis interpretum discrepantes inter se sententiæ. Tot tantæque hîc occurrunt difficultates, primùm in personis ipsis, & numero testium, tum in supputatione annorum, mensium, & dierum. In quibus, si certam, fixámque aliquam temporum dimensionem proponere voluit mens diuina, singulos numerorum articulos, ad certam rationem redigere sit perdifficile. Sin ita sit, vt nihil certum, definitéque expressum, his numeris intelligatur: Satis mirari nequeo, cur spiritus sanctus igitur, sub tam certis dierum, mensium, & annorum numeris, nihil nobis certi, sed incerta omnia, ac in dubio relinquere voluerit. Verùm hic neque diuinæ scripturæ mos est, nec fit credibile.

Difficultas huius prophetiæ.

Sit igitur imprimis hoc à nobis constitutum, quicquid id sit mysterij, quod, sub his numerorum figuris, lateat, non temere quidem à propheta esse positum. Quod etsi nobis difficile fuerit perueſtigare, experiamur tamen, pro sua quisque ope, quod poterit, quódque dederit dominus, reconditos diuinæ sapientiæ thesauros, pia curiositate, eruere.

Menses 42. Dies 1260. An. tres & dim. Dies tres & dimidium. Tempus. Tempora. Dimidium temporis.

Primus autem numerus est mensium quadraginta duorum, quibus calcabitur Atrium. Sequuntur deinde duo prophetæ, qui prophetabunt, diebus mille ducentis sexaginta, qui dies simul iuncti dant annos tres & dimidium. Adduntur post hæc tres dies, & diei alterius dimidium, quibus insepulta iacebunt prophetarum corpora. Ponitur præterea, in sequenti capite, tempus, tempora, & dimidium temporis, quod ita resoluunt, in annum, duos annos, & semiannum. Quid figuratis his numerorum notionibus significetur, perlongum fuerit omnes omnium calculos variè inter se discrepantes percensere.

Thomas. Rhemenses Scholiastæ.

Ex pontificio genere plærique fere omnes scholasticæ turbæ theologi, atque in his Primipilus Thom. eiúsque suffragatores, papistæ Rhemenses, & nō Rhemēses, vno in hoc omnes errore penè conueniunt, vt numero illo mensiū 42. tres solùm anni cum dimidio designentur, quibus regnaturus est Antichristus. Sed nimis hoc crassum, & futile. Nec multum ab his recedit Bedæ interpretatio, qui vniuersum hoc spacium mensium, 42. pro annis tribus & dimidio supputat. Menses enim, inquit, trium semis annorum, id est tricies quadrageni, & bini, mille ducentos sexaginta dies efficiunt. Daniel pro 60. scribit 90. videlicet mille ducentos nonaginta.

Beda.

Daniel.

Rupert. abbas Tuitiensis.

Iam verò quod Rupertus Tuitiensis hic philosophatur, de numeris superfluis, de minutis, & perfectis, ideóque superfluo hoc numero, cuius partes in multiplicatione collectæ excrescunt in redundantiam, nihil aliud, quam superfluitatem iniquitatis, quæ tunc temporis futura prædicitur, denotari arbitratur: non est, quòd de eo multum contendam, quum non multum ad rem pertinere videatur.

Aretas.

Accedit huc Aretas græcus author, qui eadem oberrans chorda, vt videtur, ex hac ipsa supputatione dierum, annos colligit tres, & alterius dimidium. Dies etenim, inquit, mille ducenti sexaginta, tantum temporis perficiunt Spacium. Quod nec ipse in Areta valde improbarem, si non in his annis tribus tantum, cum dimidio consisteret, sed annos istos in menses, mensesque rursus, in sabbatha annorum diduceret, quemadmodum Daniel partitur suas hebdomadas.

Haymo in Apocal. lib. 2.

Haymo in eundem locum commentans eadem ferè habet: Et prophetabunt, inquit, Diebus mille ducentis sexaginta. Qui dies simul iuncti, faciunt annos tres, & dimidium. Consimiliter & idem Haymo, de mensibus 42. superiùs commentans

mentans, eosdem menses referendos putat, ad tres annos & dimidium.

Augustinus, si tamen liber sit Augustini, locum hunc tam inuolutè & succinctè percurrit, vt Delio aliquo sit opus, qui, quid velint verba, aperiat: Dies 1260. nouissimæ persecutionis dixit, sed futuræ pacis, & totius temporis, à Domini passione, quoniam vtrúmque tempus totidem dies habet. Hæc ille. Augustin in Apocalyp.

Expositio Barengindi (quæ falsò Ambrosij titulo circumfertur) de mensibus quadraginta duobus sic commentatur: Qui faciunt, inquit tres annos & dimidium. De diebus verò 1260. nihil prorsus ab eo auditur. Tres dies & dimidium, pro tribus annis accipit & sex mensibus. Ex libro Barengindi qui falsò titulo inscribitur Ambrosio.

Addit insuper: & possumus tres dies & semis, resurrectionis tempus interpretari, quod post tria tempora & dimidium, quamuis non statim, in proximo tamen fiet.

Sequitur Richard. de S. Victore, qui priorem numerum mensium 42. ad spacium trium annorum, & dimidij restringit, quibus regnaturus est Antichristus. De reliquis verò numeris, diertum 1260. & de tribus diebus, cum dimidio, ne gry quidem. Richard. de S. Victore.

De glossa ordinaria, de Lyrano, similibúsque glossarijs, quid dicam, qui omnes eandem nobis occinunt Cantionem, de triennio, & semianno, quo regnum stabit Antichristi, vt prædicant. Glossa ordinaria. Lyranus.

Primasij huc accedit sententia, qui numerum mensium, ita interpretatur, vt non nouissimam tantum persecutionem significet, sed etiam Christianitatis tempus omne designet, propter sex mundi ætates, & septem dies quibus prætermeantibus, & remeantibus, omne tempus reuoluitur. Nam sexies septem quadraginta duo efficiunt. De diebus, autem mille ducentis & sexaginta, haud quicquam attingit. Postea commentans de tribus diebus duorum prophetarum, ita scribit: possumus, inquit, tres dies istos intelligere, totidem annos & sex menses, singulos pro totidem annis dinumerantes. Primasius li. 3.

Abbas Ioachim cum multa hic infulsit de clero Græcorum, & Romana ecclesia, & de sacris Monachorum ordinibus, tum de mysterijs numerorum haud multum adfert, quod ad rem faciat, nisi quod communi ductus opinione, omnia trahit ad tres annos et dimidium, quo temporis spacio, persecutio desæuiet Antichristi. Abb. Ioachim.

Ansbertus de quadraginta duobus mensibus scribens, sic habet: alij simpliciter, tempus, & tempora, & dimidium tempus, quæ ventura sunt sub Antichristo, intelligunt: alij verò præfatum numerum, & ad quantitatem literæ, & ad qualitatem figuræ, referunt. Sic vt mysticus in eo intellectus omne tempus vitæ præsentis designare videatur, propter sex scilicet mundi ætates, & septem dies, quibus omne tempus euoluitur. Sexies enim septem, quadraginta duos faciunt. Pergénsque deinde, potest etiam, inquit, quadragenarius et secundus mensium numerus, sub alio intellectu, præsens tempus designare. Populus quippe Israel ex Aegypto exiens, vsque ad terram repromissionis, quadraginta duas mansiones, in itinere habuisse perhibetur. Idémque mox de mille ducentis sexaginta diebus commentans, hoc numero tempus specialiter Antichristi notari putat, vt tamen retroacta tempora, quæ nunc voluuntur, illi dies comprehendant: quátenus initium fidei Christianæ et consummationem, principium persecutionis Christianæ, & finem contineant. Ambr. Ausber. in Apoc. lib. 5.

Cum his quos recensui hactenus, conferamus nostros recentioris memoriæ scriptores, eos potissimùm dico, quos diuina prouidentia, posterioribus his seculis, in ecclesiam immiserit: ex eo maximè tempore, quo primùm noua hæc miréque opportuna facultas Typographica, singulari Dei consilio orbi patefacta eluxerit. Quo factum est, vt paulatim salutaris Interpretatio recentiorum theologorũ, de mensibus ijs, & diebus.

doctrinæ

doctrinæ & religionis reformatio, magis magísque effloreſcere, errores deprehendi, in fide, in cultu corruptelæ corrigi, velútque diſcuſſis ſcoticis tenebris, noua quædam lucis aurora oculis ſe inſpargere occœperit. Adiuti ſiquidem homines ſcripturarum doctiſſimorúmque patrum lectione, qui priùs in cryptis, & puluere delituerunt, linguis præterea artibus, & diſciplinis exculti, ſi acutiùs certiúſque iudicare iam potuerunt, haud mirum videri debet.

Henr. Bulling. Supputatio menſium 42. iuxta Bulling. ex Areta.

De his igitur vt adnotemus aliquid, primùm quid Henr. Bulling. de hac re dicat accipiamus: qui in huius loci explicatione verſatus, citans etiam verba Aretæ, numeros hos quadraginta duorum menſium, pro certo quidem, & definito temporis ſpacio accipit, ſed ita, vt certitudo hæc deo ſoli cognita, hominibus verò incerta maneat, ideóque menſium, non annorum duratione definita, quo fideles vberiorem conciperent conſolationem, ex breuiore videlicet menſium, quàm annorum curriculo. Quanquam neque idem hanc ipſam breuitatem, ad eas anguſtias, ita reſtringendam putat, iuxta plæroſque expoſitores, quos diximus, quaſi regnum Antichriſti vniuerſum, quo templum, & ciuitatem ſanctam calcabit, non diuturnius ſit futurum, quàm tribus annis cum dimidio. Quòd falſiſſimum eſſe, & ſcriptura, & res ipſa apertè loquitur. Cum enim interitus Antichriſti, inquit, & ſanctorum pax, & iudicij dies, vnum eundémque diem efficiunt, quis hinc non perſpicit, de duratione Antichriſti, nihil poſſe certum ab hominibus conſtitui. Idemque de diebus 1260. diuinans, tempus inquit certum pro incerto eſſe poſitum.

Menſes 42.

Dies 1260.

Porro dies illos tres cum dimidio, quibus in corpora duorum prophetarum, truculenta deſæuiet perſecutio, in eundem ſenſum recolligit, iuxta plæroſque interpretes, tempus iſtius afflictionis breue quidem, ac deo certum eſſe, nobis tamen incertum, ſicut de menſibus, & annis iam dictum eſt. Hæc Bullingerus.

Benedict. Aretius Bernenſ. Theologus.

Nec multũ abhorret ab hoc Bullingeri interpretamento, Benedictus Aretius, qui de menſibus 42. & de diebus 1260. ſimiliter commentans, ita partitur ſententiã ſuã, vt nihil inter binos hos numeros intereſſe putet. Dies enim 1260. dant tres annos & dimidium, ſingulis menſibus tribuendo dies 30. ſaltem. Addit deinde, ſignificari breui tempore duraturam hanc afflictionem, quod tempus apud deum limitatum eſſe dicit: nobis autem metas eius non liquidò patere, niſi ex ipſo rerum euentu. Iam verò, quod idem Aretius (ſecutus fortaſſe Bullingerum) vaticinium hoc non de communibus, ſed angelicis menſibus, & diebus, interpretatur, ita vt dies 1260. totidem annos 1260. reddant, diductos à Conſtantino, quo tempore regnare cœpit Antichriſtus, ad noſtra hæc vſque tempora: Quibus ſi addas annos ante illius Imperium, à Chriſti tempore decurſos ãnos videlicet. 312. ita incidemus in annum non multo ante præteritum 1572. quo ſperãdus ſit finis aliquis Antichriſtianæ tyrannidis. At hæc, quia ſubtilis nimium videtur ſupputatio, nec certum aliquid ſtatuit, nos tanquam incertam in medio relinquimus, ſuóque authori remittimus.

Theo. Bibliander. Anno 1120.

Theodorus Bibliander, cum multa de multis pijs, & doctis concionatoribus contexuit, de Valdo & Valdenſibus, Arnoldo de noua villa, Guliel. Occhamo, Marſilio Patauino, Ioanne Wicleſo, Ioanne Huſſio, Ieronymo Pragenſi, deinde de alijs poſt hos exſuſcitatis, Laur. Valla, Pico Marandulano Comite, Franciſco Picò, Rodulpho Agricola, Reuclino, Eraſmo, Luthero deinde, Philippo, Zuinglio, Bullingero, cæteriſque eius notæ, quos recentiori hac mundi ætate ad repurgandam ſanioris doctrinæ lucem, excitauit dominus: tum quod ad numerum hunc attinet menſium, & dierum, de eo in hunc ratiocinatur modum, vt menſes 24. qui gignunt dies 1260. referantur ad tempus illud, quo Ioanni Huſſio, & Pragenſi primus incidit conflictus cum concilio conſtantienſi: nempe à menſe decemb. anno 1414. ad annum 1418. menſis Maij 17. intra quod temporis ſpacium, continentur menſes 42. ſiue dies 1260.

De

De Atrio, de templo, altari, calcatione, defectione, de Antichristo, multa diserte & docte Franciſc. Lambertus. De ratione verò temporis, ita breuiter partitur ſententiam ſuam, vt menſes illi 42. vel iuxta literam, vel in myſterio, ſint intelligendi. Si iuxta literam, ſunt tres anni cum dimidio: quod fermè idem eſt cum diebus mille ducentis nonaginta, de quibus Daniel 12. Sin in myſterio, ita dies, inquit, pro anno capiendus eſt. Deinde de tribus diebus & dimidio, quibus duo prophetæ inſepulti iacebunt, ita colligit: poſt tres dies & dimidium, id eſt, breui. Modico nimirum tempore, modicũ tempus deſignatur. Neq; enim fieri poteſt, vt longũ tempus eodem modico tempore figuretur, quia eccleſia Dei non poteſt diu, abſque veritatis ſuæ teſtibus exiſtere. Hæc Lambert. Franciſcus Lambertus. Dan. 12.

Huic accedit non repugnans admodum Dau. Chytræi ſententia: Cum enim in Apocalypſi, quatuor maximè ponuntur temporum deſignationes, eundem planè annorum numerum, iſtis ſignificari putat. Nec malè quidem, ſi recta accedat interpretatio. Iam verò quid velint menſes iſti, & dies, quantum complectantur temporis ſpacium, & vnde inchoanda ſit eorum numeratio, pergit ille in hunc modum. In quo tamen non tam ſuam explicat, quàm aliorum recenſet interpretationem. Cum enim plærique ita videtur ſcriptoribus, vt dictum eſt, hos numeros, pro vſitatis menſibus & diebus, hoc eſt, pro tribus annis, & dimidio, intelligendos, quibus Antichriſtus in viſcera, & vitam piorũ grauiſsimè eſt graſſaturus, hanc ille ſententiam prorſus repudiat, nec immeritò: cui & experientia, & Chriſti domini, & Pauli Apoſtoli prædictio refragatur, quum Antichriſti tyrannis, non tam breui tempore finienda, ſed ad Chriſti vſq; aduentum duratura affirmatur. Dau. Chytræus.

Sunt, inquit, præter hos & alij, qui non de communibus, ſed angelicis menſibus, & diebus, vaticinium interpretantur. Angelicum autem menſem, & annum ita accipiunt, vt vnaquæque dies angelica ſpacium vnius anni ſolaris contineat. Quo fiet, vt menſes 42. angelici, efficient annos ſolares 1620. Iuxta quam ſupputationem, ſi numeratio incipiat ab anno Chriſti 412. quo vetus Imperium Romanum, à Gothis, duce Alaricho, euerſum eſt, ita extremus Antichriſti dies & finis mundi expectandus eſt, circa annum Chriſti 1672. ſin à tempore phocæ, quo principatum arripuit Romanus Pontifex, ſumendum ſit numeri exordium, latiùs excreſcet numerus, ad annum Chriſti 1866. Interim quod ad tripartitam illam diſtinctionem Ruperti Tuitienſis attinet, de numeris redundantibus, perfectis, & diminutis, quanquam in his nonnihil elaborat Chytræus, quoniam, non ita ad rem magnoporè pertinere putat, ita nec ipſe in his repetendis lectorem remorandum ſuſpicor. Angelicus mẽſis & annus. Rupertus Tuitienſis.

Accedit his tertia inſuper opinio, cui lubenter applaudit Chytræus, eorum, qui ſignificari putant hac menſium & dierum præſcriptione, non perpetuò duraturam eſſe tyrannidem Antichriſti in eccleſia, ſed certas quaſdam metas à deo poſitas eſſe, non annorum videlicet, ſed menſium tantum, et dierum, in hoc vt liberatio eccleſiæ, tantò maturiùs à pijs expectetur, maioremq; afferat conſolationem, breuitas afflictionum, quippè quæ non multis annis, aut ſeculis, ſed paucis menſibus, & diebus ſit permanſura. Quæ tamen ipſa paucitas menſium ac dierum, non nobis curioſè inueſtiganda, ſed Deo relinquenda eſt, qui ſolus temporum momenta in ſua cõſtituit poteſtate, ſolúſq; nouit diem illum, quo filius ad iudicium veniet, Antichriſti tyrannidem funditus profligaturus. Atq; hactenus Chytræus, ſecutus tum aliorum, tum maximè Bullingeri, vt videtur, expoſitionem. Breuitas afflictionum ex breuitate temporis colligitur.

Conſpirat in eandem vtcunque ſententiam D. Gulielmus Fulco, quadruplicem hanc rationem explicans in hunc modum: primum menſes 42. tum dies 1260. deinde, tempus, duo tempora, & dimidium temporis: porrò, tres anni, & dimidium. Omnes, inquit, hi numeri ſub varijs nominibus, vnam eandémque ſummam conficiunt. Dant enim menſes 42 annos tres & dimidium. Faciunt rurſus anni tres & ſemialter, tempus, duo tempora, & dimidium temporis, quos iterum ſi in D. Guliel. Fulco.

dies resoluas, exeunt in dies 1260. Ex quo liquet singulas has numerorum figurationes, idē esse cum mensibus quadraginta duobus, rursúsq; menses quadraginta duos, idem esse cum reliquis numerationibus. Atq; hæ quidē numerorum distributiones singulæ, tempus illud vniuersum designant, quòd Antichristo ad pios opprimēdos à Domino conceditur, vt rectè grauitérq; colligit D. Fulco. Quod autem subiungit, non nullos esse, qui numerum hunc 42. mensium, ad tempus primæ persecutionis, per Cæsares, ad Constantini tempora, non rectè accommodant, quid ijs verbis petat, non satis intelligo. Neque enim quenquam audiui hactenus, ex omni scriptorum numero, præsertim recentiorum, qui de mensibus his in vndecimo hoc capite signatis, id vnquam scripserit. Quemadmodum rursus neque quisquam est iudicio præditus, qui menses illos alibi in decimo tertio capite descriptos, ad alia tempora, quàm ad primam illam, ante papatum persecutionem, accōmodare rectè poterit. Sed de hoc suo loco, largiente Christo, fusiùs posthac disserendi opportunior ratio videbitur. Interim quod ad tres dies attinet, & dimidium, quo insepulti prophetæ resuscitantur, nulla certa redditur apud eum expositio, nisi quòd breui tempore tollendam è medio Antichristi tyrannidem intelligat, neque id malè quidem ille, οὐδὲ τι ἀσχόπως.

Menses 42. cap. 11.

Menses 42. cap. 13.

Dies tres & dimidium.

Petrus Artopæus. Dies 3. cum medio. Menses 42.

Petrus Artopæus, ex tribus diebus oracularibus cum dimidio, facit totidem annos, aut dies vsuales 1335. Idem porrò menses 42. oraculares, resoluens in dies seu annos facit 1260.

Aug. Marlorat. Sebast. Meyer. Menses 42. Dies 1260. Tempus tempora dimid. tēporis tres anni & dimid. idem tempus efficiunt.

Augustinus Marloratus, vt ei etiam adiungam Sebastianum Meyer, quem is potissimùm secutus videtur, tres dies istos, quos oraculares vocat Artopæus, ita explicat, vt idem tempus esse putet, quod aliâs per dies 1260, per menses 42, per tempus, & dimidium temporis, portenditur. Sic enim supputat cæterorum more, tres annos cum dimidio (in quibus includitur tempus, tempora, & dimidium temporis) menses quadraginta duos conficere. Atq; eodem ferè redit publica nostrorum hodiè omnium consensio. Cæterum quid sub his mensibus certum contineatur, aut quid subsit in his mysterij, nemo hactenus, quod scio, accuratè, absolutéq; expediuit, nisi quòd in eo, rectè quidem à pontificijs dissentiunt, quòd quum hi vniuersum Antichristi regnum, intra ambitum mensium 42. id est, vnius solùm triennii & sex mensium, restringunt, illi longè aliter, tempora ac menses Antichristi metiuntur, cui spatium multò diuturniùs tribuunt: ita tamen vt nihil nobis certum definiant, nec curiosiùs inuestigandum, de ea re, existiment.

Quo minùs mirum videri debet, si quid nos prætereat eorum, quæ tantos autores, támque oculata ingenia latuerint. Et tamen si æqua lectoris venia, mihi post celeberrimos tot magistros ἐλαχίστῳ τῶν πάντων concedatur, in hisce numerorum figuris ariolando ἐικαζειν, non grauabor paucis exponere, non quid mihi suggesserit, hac in re, diuinatio propria, sed aliunde iniecta, tacito quodam admonitu, cogitatio. Quæ cuiusmodi fuerit, aut quomodo cogitanti inciderit in eum differam locum, vbi posthac de mensibus quadraginta duobus capite decimo tertio expresiùs, aspirante Christo, dicendum sit. Venio nunc ad numeros, in hoc capite, ac inferiùs descriptos, qui sub quadruplici varietate proponuntur.

Menses. 1 Sunt menses 42.
Dies. 2 Dies 1260.
Anni. 3 Anni tres cum dimidio.
Tempora. 4 Tempus, tempora, dimidium temporis.

Adde his, si placet, tres dies & dimidium. Quæ singulæ numerorum dimensiones (vt superius ostensum est,) huc redeunt denique, vt menses 42. designent.

Primùm enim anni tres & dimidium, si intempora tria diducas, efficiunt tempus, tempora, dimidium temporis, si in dies exurgunt 1260. Rursus si dies 1260. diuidas in menses, conficitur numerus 42. mensium. Atque hactenus in rebus ipsis nulla ambigui-

ambiguitas, in ſententijs nulla diuerſitas: omnis in eo ſita eſt difficultas, vt quadraginta duo hi menſes quid portendant, intelligatur, vtrum categoricè, ac ſimpliciter, an myſticè potiùs accipiendi ſunt.

Qui partes Romanas tuentur, ita ratiocinantur, his quadraginta duobus menſibus, tres annos & dimidium denotari, quos occupaturus eſt Antichriſtus. At hoc neque ſcriptura, nec ratione vlla nititur, Iudæorum fabulis, quàm vero ſimilius, inquit Marloratus. Age quid igitur dicemus? Aut quod ei temporis ſpacium ex his menſibus præſcribemus? Qui ſaniores ſunt theologi, nullo modo tam anguſtis finibus tempus Antichriſti circumſcribunt. Neq; rurſus quàm diuturnum futurum ſit eius imperium, ſcire ſe fatentur, nec poſſe certò ſciri iudicant. Ac rectiùs quidem illi, fateor, ego tamen pace illorum, quod ſentio: non id mihi ſumens, vt certos præſcriptóſq; Antichriſti terminos definiam: ſed ſolùm vt menſes Apocalypticos, ea, qua licet, certitudine, iuxta Analogiã ſcripturæ propheticæ, explicem atq; euoluam.

Qua in re imprimis audiendam arbitror eruditam D. Fulconis ſententiam, qui de his menſibus diſceptans, ſubinfert in hunc modum dictitans, alluſionem eſſe ad hebdomadas annorum Daniel 9. Sunt enim ipſius verba. Quæ ſi vera ſint, facile tollitur omnis quæſtionis difficultas. Quis enim neſcit hebdomadas Danielis cap. 9. per Sabbatha annorum, neceſſariò ſupputandas. Quod ſi in his menſibus ſit faciendum, fiet hac ratione, vt menſes quadraginta duo, conficiant annos 294. Qui annorum numerus rectiſſimè quadrat in tempora primitiuæ perſecutionis.

Myſterium menſium 42. per hebdomadas Danielis exponitur.

Tot etenim annos ſupputant hiſtoriæ ad amuſim, à cæde Ioannis Baptiſtæ, vſque ad Imperium Conſtantini. Quin nec minus, eodem hoc ipſo annorum numero, continetur totum hoc ſpacium poſtremæ perſecutionis, qua huc vſq; calcata eſt ciuitas ſancta à Turcis & Antichriſto, per annos iam paulò minùs 294. ſi rectè numerantur anni ab Ottomanno primo Turcorum Imperatore, hoc eſt, ab anno domini 1300 ad hunc vſque annum 1586. niſi quòd deſunt octo tantùm anni, qui vtrum ſupplendi ſunt, an abbreuiandi propter electos, nouit Dominus, Cuius in manu poſita ſunt rerum temporúmque momenta, quæ noſtra non intereſt plus nimio perſcrutari.

Vltima perſecutio ſub Turca & Antichriſto ann. 294.

Neque verò hęc eò pertinent, quaſi de iis, quæ nobis incerta eſſe voluit Deus, quicquam velim, aut queam ſtatuere. Habet mundus hic curſus ſuos, progreſſus, tẽpora, & finem temporum. Habet & Chriſtus dominus diem & horam ſuam, qua iudicaturus aduenier, nobis incognitam, ſcio ac fateor. At habet hîc interim eccleſia ſuarum iactationum æſtus & procellas, graues quidem & acerbas, at non perennes, tamen, nec nimium diuturnas, quarum fines & periodos indagare ex menſibus, & diebus, in ſcriptura propoſitis, nec vetitum eſſe arbitror, nec admodum difficile, ſi modò ritè ad numeros & ſabbata Daniel. menſes iſtos comparemus. Quòd ſi in his mẽſibus, nihil certum nobis aut compertum conſtare voluit Spir. ſanct, cur igitur certis numeris, ceu circulis quibuſdam, tempus harum calamitatum circumſcripſit, cur mẽſes 42. poſuit, niſi vt metas, certóſq; limites his turbis imponeret, liberam cuique relinquens perquirendi ac rimandi facultatem, non vt arceret quenquam ab explorãdo, ſed vt ſedulitatem in eo noſtram excitaret, ac conſolaretur contemplationem.

Tempus iudicij nobis incertum & incognitum.

An certus terminus afflictionum eccleſię in ſcripturis inueſtigari poſſit.

Spectemus paululum ſuperiora tempora primarum perſecutionum, quæ iiſdem omnino menſibus continebantur. Sic enim de beſtia perſcriptum legimus cap. 13. *Et data eſt ei poteſtas faciendi menſes quadraginta duos.* Neq; ſecus hoc in loco, *data eſt ciuitas ſancta gentibus calcanda, menſib.* 42. parì videlicet temporis curriculo. Ex quo nemini difficilis fuerit æſtimandi ratio, inter duas illas perſecutiones, haud multum intereſſe, ſi modum & diuturnitatem temporis vtrinq; conferamus, quum vtraq; iiſdem annorum numeris, videlicet menſibus 42. definiatur. Quanto enim temporis ſpacio, deſeuiit prior illa tempeſtas in eccleſiam, per Imperatores Romanos: tam

Cap. 13.

Cap. 11.

Menſes 42.

diu æquè durauit, durátque etiamnum calcatio ciuitatis ſanctæ, per Imperatores Turcicos. Iam verò, quantum illud temporis ſpatium fuerit, quo prima illa ſub tyrannis perſecutio inualuit, facilè ex fide hiſtoriarum elucet. Etenim ſi à prima D. Ioannis cæde, ad exitum perſecutionis ſub Conſtantino decurramus, menſes erant 42. quos ſi in ſabbata annorum dinumeres, anni erunt 294. vt ſuperiùs monſtratum eſt.

Satan vinctus ad ann. mille. Satan ſolutus poſt ann. mille.

Porrò adiungamus huc ad certiorem teſtimonij fidem, non minus ſplendidum illud, ex cap. 20. vaticinium: vbi poſt longas eccleſiæ fatigationes, comprehenſum tandem tartareum draconem ab Angelo, atque in vincula coniectum fuiſſe legimus. Age, & quid vult, quæſo, hæc Satanæ conſtrictio? aut quo tempore vincula hæc ei ſunt iniecta, ſcire velim. Certè non ante Conſtantinum. Fieri enim non poteſt, quum ante Conſtantinum, nunquam magis viguit, aut valuit furioſa illius graſſatoris truculentia. Sub Conſtantino igitur repreſſos Satanæ furores fuiſſe intelligamus neceſſe eſt. Age, & quàm diu conticuerunt iſti tumultus perſecutionum? per mille, inquit, annos. Quos ſi a Conſtantino connumeremus, rectè incidemus in annum domini 1300. quo ſolutus iterum Satanas ciuitatem Dei ſanctam proſternere cœpit, partim per Turcicos Imperatores, partim per Babylonicos pontifices, ad menſes iam fere 42. iuxta Apocalypticam hanc deſcriptionem.

Ceſſatio perſecutionũ per mille annos. Anno domini 1300. ſolutus iterum Satanas.

Obiectio. Aduentus Chriſti & finis Antichriſti vnum diem efficiunt, iuxta quoſdam.

Cæterum non defuturos hîc video, qui contra pugnabunt, nihil certum poſſe ex his menſibus ſtatui, hoc argumento: quòd quum iudicij dies, & finis Antichriſti vnum diem efficiant, nec certum aliquid conſtare poſsit de die & hora, qua venturus ſit ad iudicium dominus, fruſtra igitur laborare eos contendunt, qui in certitudine horum menſium perſcrutanda verſantur. Quibus vt breuiter, & cum ſubmiſsione reſpondeam: Si de die, & hora venturi iudicij, aut de vltimo excidio ſentiant, rectè quidem ſentiunt. Scio enim de die & hora illa, nec cognitum eſſe cuiquam, ac neque cogitandum quidem. At interim, vt de propinquitate illius diei, ex certis ſignis & indicijs conijcere liceat, nihil prohibere video. Alioqui cur iuberet dominus in Euangelio, de ſignis præcedentibus admonens, capita nos attollere, iis fieri incipientibus, quia tum, inquit, appropinquat redemptio veſtra: ſi propinquitas illius redemptionis nullis ſignorum indicijs præſentiri poſſet?

Reſponſio ad obiectionem. Dies, & hora venturi iudicij, non perſcrutanda. Luc. 21. Propinquitas iudicij quin exquiratur nihil vetat. Apoc. 16. 2. Theſſ. 2.

Iam verò, qui aduentum Chriſti, & interitum Antichriſti, in vnum diem coniiciunt, atque ex eo concludunt, nihil certi de die illo præſciri poſſe, aut oportere: qua fide id aſtruant, ipſi viderint. Certè ſi Antichriſti nomine, ſedem Romanam, intelligant, clariſsimè ex ſcripturis liquet, ſedem illam priuſquam adueniat dominus obtenebratum iri, magnáque afficiendã labefactatione. Quod duplici argumento conſtare poſſit: primum ex Paulo 2. Theſſ. 2. quem interficiet, inquit, dominus ſpiritu oris ſui, non ait, præſentia τῆς παρουσίας αὐτοῦ, ſed ſpiritu oris, de prædicatione verbi, & potentia reſtituti Euangelii ſentiens χωρὶς πάσης ἀντιλογίας, deinde ex capite Apocalyp. decimo octauo. Vbi poſt ruinam & excidium Babylonicæ ciuitatis, de his dicitur, qui procul ſtantes amici, propter timorem tormenti eius, lugentes ſuper ea, puluerémque mittentes ſuper capita ſua, ingenti fletu & deploratione eam proſequentur, de qua etiam exire populus Dei cœleſti voce iubetur. Quæ omnia ante aduentum domini euentura credibile videtur. Sed de numeris & menſibus τοιοῦτα μὲν τᾶυτα. Plura, volente domino, mox inferiùs. Quid deinceps de duobus ſequitur prophetis, modò videamus

Apoc. 18. Obtenebratio ſedis beſtiæ, & excidium Babilonicæ ciuitatis ante iudicium.

Et dabo duobus teſtibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta, amicti ſaccis. Hi ſunt duæ oliuæ, & duo candelabra, in conſpectu Dei terræ ſtantia. Et ſi quis voluerit eis nocere, ignis exit de ore eorum, & deuorat inimicos eorum &c.

DE

DE DVOBVS TESTIBVS, ET OLIVIS.

De diebus 1260.

VERBA Angeli accepistis, de duobus testibus, de duabus oliuis, & duobus candelabris, prophetantis. Simúlque eisdem duobus potestatem datam audiuistis, igne deuorandi inimicos, claudendi cœlos ne pluat, aquas in sanguinem conuertendi, & terram percutiendi, quacunque voluerint plaga. Qui tamen, quamuis tanta armati potentia, nihilo minus occisi sunt tandem ab aduersarijs, foráque proiecti, sine sepultura: demum post tres dies & dimidium, recepto vitæ spiritu, in pedes erecti, receptíque in cœlum ingenti eos concusserunt horrore, qui conspexerunt. Mirum profecto vaticinium, tot scilicet inuolutum misterijs, quot verbis refertum, in quo explicando, quid mihi in tanta tum difficultate, tum interpretum varietate, sequendum sit vix videam. Maxima theologorum pars præcipuè ex Pontificio genere, & collegio Rhemensi. fortiter in eo persistunt, hos duos testes esse Enochum; & Heliam. Alij pro Helia, substituunt Mosen, quòd hi nondum mortui, sed translati solùm corporibus, in finem seculi seruantur, sub Antichristo, vt aiunt, occidendi. Atquè ipsis sortassis commentum placet, quod mihi rectiùs inter Iudæorum fabulas scribendum, aut inter septem, quos vocant, dormientium somnia censendum videtur. Quasi verò in spiritu Enoch, aut Heliæ aut Mosis, pij verbi præcones venire nequeant, titulósque eorum genere in scripturis, quem admodum aliâs in scripturis factum legimus, qui tamen reipsa ijdem non extant, sed virtutem tantùm eorum exerceant.

Duo testes, & martyres Christi.
Duæ oliuæ.
Duo candelab.
Rhemenses theologi.
Abbas Ioach.
Enoch & Elias.

Sed explosò hoc delirio, ad saniores reniamus theologos, à quibus & hic mihi deprecanda venie est, si à communi ipsorum sententia, nostra nonnihil deflexerit opinio. Quanquam non ita magna hæc inter nos dissensio sit. Illi in numero solùm discrepantes, sub nomine duorum testium, non duos simpliciter, sed sub incerta multitudine plures, per tropicam allusionem significari existimant, quorum fideli ministerio vti voluerit dominus, ad negocium euangelij promouendum. Ideoque duos hic nominari, non ob certum numerum putant, sed solùm ad paucitatem exprimendam piorum testium, cuiusmodi, multis iam seculis, multi extiterunt, qui se conatibus paparum, & monachorum impostu ris opposuerunt. In Anglia Wiclefus, in Italia Marsilius Patauinus, In Gallia pauperes de Lugduno, in Bohemia Ioannes Husius, & Hieron. Pragensis, in Saxonia Lutherus, Melanch, In Heluetia Zuinglius, Basi leæ Occolampadius plurésque alij alibi. Quorum ratio nec ita multum mihi quidem ab instituto fluctuare, aut à sensu prophetæ aberrare videtur, qui laborem hunc non vnius, aut duorum duntaxat fore, sed multo plura doctorum hominum excuscitanda à deo ingenia, prædicant, qui euangelij causam, contra antichristum susceptam strenuè tueantur, qui veteris templi ruinas recolligant, qui collopsam synceræ doctrinæ, fidei & pietatis structuram resarciant, suumque ecclesiæ vigorem genuinum restituant,

Quid per duos hos testes significetur iuxta quosdam.
Bulling. cõcio. 47. Aliiq; complures.
Wiclefus.
Marsili Patau.
Pauperes de Lugd.
Ioan. Husium.
Hiero. Pragẽs.
Zuinglius.
Occolampad.
cum alijs.

Atque hæc quidem verisima esse, vt non abnuerim, ita nec eadem quicquam nostro incommodant proposito. Non enim duos testes, duas oliuas, duo candelabra, ita ad duas hîc personas astringimus, quasi cæteros administros quoscunque, à prophetico hoc albo excludamus: aut quasi duos tantum istos sufficere ad rem tanti momenti arbitremur. Sed initia, cursus, & progressus, profectúsque euangelij, primùm consideramus, deinde cum temporibus & historijs conferimus. Quod si isti similiter facerent, temporáque rectè distinguerent, & quæ prima fuerunt rerum exordia, quæ deinde successerunt, cum temporibus progressiones, & incrementa aduerterent, aut ego fallor, aut duos hos testes,

De duobus testibus opinio pluriorum.
De duobus testibus vera interpretatio excutitur.

duos prophetas, duas oliuas, duo candelabra, non frustra hoc loco posita iudicaret. Cur autem ita putem, dicam, si bonorum pace liceat.

De duobus testibus & candelabris, autoris interpretatio.

Primùm, misera nimis defectione iamdiu laborasse statum ecclesiæ Christianæ, multisque partibus accisum, ac dilaceratum esse, nemini incompertum arbitror, partim ab externa Turcarum infestatione, his annis trecentis, partim dum Romanus Pontifex nihil in doctrina religionis sanum, nihil in cultu syncerum, in Sacramentis, in fide, nihil integrum, vix denique fundamenta ipsa templi sarta tecta, aut inconuulsa reliquerit. Rebus in hunc modum miserè deploratis, ecclesiam suam deserere non potuit diuina pietas, opem tandem adferre, rursúsque pristino nitori res restituere visum est illius prouidentiæ. At ita tamen, vt non subitò, nec vno momento, cuncta innouaret, sed paulatim, velútque gradibus quibusdam, modum ac tempus proficiendi, & perficiendi constituit. Consimili ratione in Euangelio, ex modico sinapis grano crescit arbor, in qua volucres cœli nidificant. Sic fonticulus, apud Ezechielem, è dextro templi latere emanans, primùm ad talos capit, tum ad genua, mox ceruice tenus inundat, posteà verò latiùs se diffundens, atque in Oceanum profluens, eo excrescit profunditatis, vt nulli esset enatabilis. Ita sæpe in scripturis fit, vt ex paruulis initijs, & fundamentis non maximis maxima posteà suppullulent incrementa. Quod neque minus in hac ipsa historia obseruare licebit. Ita enim Dominus nouam ecclæsiæ suæ reformationem initurus, à duobus primùm testibus suis ordiri cœpit, duabus scilicet oliuis, & duobus candelabris. Age, & quosnam testes istos esse dicemus? Cur binario numero, nomine duarum oliuarum, & duorum candelabrorum designantur?

Ezech. 47.

Duo testes, apud prophetã qui propriè intelligantur.

Mihi quidem ordinem totius negotij intuenti, cúmque historia temporum conferenti, haud aliter videri potest, quin Ioannes Husius, & Hieronymus Pragensis, sine omni controuersia, duo hi testes, & martyres, duæ oliuæ, duóque candelabra existãt necessariò, de quibus propriè & disertè agit hoc loco propheta. Etsi scio, ante hos, nonnulli extiterunt, Ioannes Wiclefus, Ioannes Scotus, Bruno Okleus, Ekhardus, Ioannes de Gandino, Cchamus, Albingenses, Marsilius Patau. Valdenses, pauperculi Lugdunenses, cæterique huius notæ consimiles, qui rem non instrenuè contra Antichristum nauarunt: tamen quia isti vel obscuriores, vel proprijs regionibus continebantur, nec publicè prodierunt in aciem, non ita multum contra vim Antichristi valuerunt. Rursúsque etsi post duos istos, quos dico, constat multo plures extitisse incredibili multitudine, pios euangelij præcones, qui in eadẽ causa palestrãq; elaborârent, tamen si prima exordia spectemus, victoriæ Euangelicæ, solos istos primarios huius militiæ antesignanos fuisse comperiemus, vnde grauissimam accepit plagam Antichristi sedes. Id quod ex ipso rerum euentu, facilè doceri possit. Quos autem conflictus sustinuerunt isti, in concilio Constantiensi, quæ illic rabies theologorum, quanta in cathedra illa pestilentiæ, viísque rabies, sa est truculentia in damnandis eorum articulis, in occidends pijs martyribus, nullo iure, nullo ordine, singulari perfidia, & impudentia, contra euangelium, contra fidem publicè datam, contra omnem denique humanitatem. Etsi fat nota est historia non obfuerit tamen huic tam sa'utari negotio, paulò prolixius immorari.

Ioan. Hussius, Hier. Pragens. testes Christi, & martyres.

Concil. Constantiense, contra Christi martyres.

HISTORIA IOAN. HVSSII, ET HIERONYmi Pragensis, passim ex historijs collecta, atque ad plenum descripta.

Ann. 1400. Inn. 1401.

COepit docere Ioannes Husius, in templo Bethlehem, anno domini 1400. Decanus designatus est, anno 1401. Rector vniuersitatis constitutus anno

1409

1409. Sequente post anno, 1410. suborti sunt delatores aliquot Sychophantæ, qui molestiam illi indignissimè exhibuerunt. de articulis nonnullis, quos sinistrè, ex libris ipsius contortos hæreseos suspicione infamârunt. Inter hæc redijt in Bohemiam Archiepiscopus Pragensis. Husius autem rem tetulit ad principem Wenceslaum, redditurus illi rationem librorum, & doctrinæ suæ. Cæterum quum nihil hac ratione proficeret, prouocat deinde ad sedem Romanam. Præerat tum Romæ Alexander: Quo non diu sedente, subijt post eum Ioan 23. anno 1410. Apud quem Ioan. Husius ab importunis monachis iterum petitus, pro hæretico traducitur. Pontifex rem omnem cardinali de columna committit. Qui audita accusatione, diem illi dixit, qua Romæ se sisteret. Quo audito, Wenceslaus Romanorum & Bohemorũ rex, suasu coniugis Sophiæ, precibus deinde vniuersæ nobilitatis, totius denique vrbis & vniuersitatis, legatos Romam mittit, petentes à Pontifice, vt Ioan. Husius eo iudicio liberaretur, insidias eum in via metuere: si quid in eo erroris esset, legatos suos Bohemiam mitteret, sese legatis in ea causa non defuturum. Mittit etiam ipse Husius Romam procuratores, purgandi sui causa, ne iter tam periculosum suscipere cogeretur.

Ann. 1409.
Ann. 1410.
Husius de articulis à Sycophant infamatus.
Archiepiscopus Pragensis Conradus.
Wenceslaus, Rex Bohemiæ, ad quem prouocat Ioan Hus.
Alexand. 5. Papa Rom.
Ioan. 23. Papa. Ann. 1410.
Cardinales de Columna.
Wenceslaus Rex intercedit apud pontificem pro Husio, sed frustra.

At Cardinalis de columna, cui res tota permissa est, quum nullam admitteret defensionem, addita insuper excommunicatione prouocant procuratores ad Pontificem. Vnde dati sunt illis alij iudices duo Cardinales. Qui quum ad biennium fere rem extraxissent tandem ad Cardinalis de Columma sententiam redeunt. Ex procuratoribus, quidam in carcerem conijciuntur: Alij re infecta domum redeunt anno 1412. Pergit interim Husius, quamuis Romæ excommunicatus, in sacro docendi ministerio, facta ad Christum suum iudicem, appellatione.

Cardinalis Columnensis iniquitas.
Ann. 1412.
Appellat Husius ad Christũ sed non admittitur à Papa appellatio.

Non multo post opera & impulsu Pontificis euectus est in Imperium Sigismundus, frater Wenceslai, móxq; indictum est concilium Constantiæ initum die Nouemb 5. an. 1414. durans per tres annos & dimidium. In quo confederant Patriarchæ 4. Cardinales 29. Archiepiscopi. 47. Episcopi 170. (siue vt alij 270.) Abates & Doctores 564. præter exteras personas, quæ censentur ad 6000. Interea verò temporis, priusquam hæc conueniret Synodus, allatæ sunt à Papa literæ, mense Nouembris ad regem Wenceslaum, in hanc summam, vt maiestas regia diligenter caueat, ne in suo regno & ditione hæretici iampridem suppullulantes firmiorem agant radicem. Husius hoc ad se pertinere persentiens, literas regiæ maiestati, reginæ, & nobilibus perscribendas, atque affigendas curat, Significans sese iam antea D. Conrado Archiepiscopo scripsisse, plurimúmque in hoc sollicitasse, vt si ei de aliquo crimine suspectus esset, id ne reticeret, paratum se esse, emendationem subire. Cui tum Archiepiscopus in publico Baronum consessu confessus est, nullius se criminis omnino scire eum conscium esse: tantum hoc eum monere, vt ab excommunicatione sese expurget. Qui insuper, eadem de re, literas dat ad Episcopum Nazarethesem, inquisitorem hæreticæ prauitatis à Pontifice constitutum, supplex ab eo petens si quid in se erroris comperisset. vt publicè significaret. Qui similiter respondit, coram publico notario, multísque testibus, se multa sæpius cum Ioan. Husio communicasse, nihil vnquam in eo comperisse secus, atque dignum esset viro pio & fideli. His ita tebus domi gestis & comparatis, mense Augusti. & Septemb. nemini iam dubium esse reor. nihil in Husio fuisse, accusatione dignum, vel ex ipsis aduersariorum testimonijs.

In concil. Constantiensi.
Patriarchæ. 4
Cardinales. 29.
Archiepiscopi. 47.
Episc. 170 siue. 271.
Abbates & doctores. 564.
Externæ personę. 6000.
Literæ Ioan. Papæ ad Wenceslaum regẽ contra Husii.
Ann. 1414. mense August.
Husius ob Archiepiscopo Bohemię purgatus.
Episc. Nazarethens. inquisitor hæreticæ prauitatis.
Husius ab Episc. Nazaret. Inquisitore purgatus.

Nouemb. 3.

Occasio cócil. Costantiensi. Schisma trium simul papatum

Pisana synod. ann. 1409. Alexa. 5. papa. Ioan. 23. papa.

Gregor. & Benedict. schismatici pontifices abdicati.

Post hæc circa initium Nouemb. coitum est ad consilium: cuius occasio hinc maximè cœpisse fertur, propter certamina trium Pontificum, qui mutuis inter se execrationibus, diriſque censuris, & diuersarum gentium studio, conflictabantur: non de gloria filij Dei, non de doctrinæ emendatione, aut morum correctione: sed id solùm quærentes, quis orbi imperaret. Interim dum hæc aguntur, vocata est pisana Synodos, anno 1409. In qua abrogatus Gregorio & Benedicto pontificatus nihil proficeret aduersus Papas Schismaticos, quorum neuter cedere vellet concilio, Sigismundus Imperator schisma tollendum ratus, ingenti celeritate, ac laborum difficultate percursis Italia, Hispania, Gallia & Anglia perfecit vt regum consensu cogeretur Synodos Constantiensis, in qua factiosos Pontifices, ad abdicandum sese pontificatu, cogendos censuit. Cæterum præsentiens hoc Ioan. 23. vt suæ consuleret authoritati, aliter occupanda studia concilij existimauit in supprimendis hæriticorum, contra suam sedem, opinionibus. Hincque factum est, vt assensu etiam Imperatoris, in ipsis consilij auspicijs agitari cœptum sit, de causa Ioannis Husi, & Hieronimi.

DE CONCILIO CONSTANTIENTI CONTRA *Ioan. Hussium, & Hieronim. Pragensem.*

Hussius ad cõcilium accitus. Saluus conductus Hussio datus. Die 28. sui aduentus sistitur. consilio Ioan. Hussius. Fides Hussio data ab Imperatore, violatur à Pontificijs. Articuli 39. contra Ioan. Hussium malitioſè contorti. Articuli Wicleui Hussio obiecti.

INito igitur hunc in modum concilio, consusurrant primùm papacatholici, de euocando Husio obstare tamen ad eam rem tantùm videbatur Bohemorum potentia, Quid multis? Vocatur ille, adduntur diplomata, scribuntur literæ ad Bohemos proceres, amicæ & blandæ, liberam eundi ac redeundi copiam præ se ferentes. Nec mora, venit Husius, paratus fidei suæ rationem reddere: Constantiæ diuertit in vico S. Galli ad viduam, cui nomen Fida, Die 28 ab aduentu sistitur consilio, accersitus ad Papam & Cardinales. Cœperant cum illo expostulare de multis. Errorem ille nullum agnoscit. Qui eum deduxerant, iubentur abire, Bohemi clamant, violatum ius, sed frustra. Mox quindecim traditur Inquisitori, bus hæreticæ prauitatis. Violatum est diploma, & fides ab imperatore data, & firmata à pontifice. Agitur cum illo de multis, varijsq; articulis. Intentantur grauissima accusationum capita. Articuli in vniuersum excreuerunt ad 39 quos aduersarij illius capitales, ad perdendum hominem, odio ac furore inflammati sparsim hinc inde, ex varijs eius opusculis, per calumniam contorserant. E quibus, quos suos esse nouit, ingenuè confitebatur, alios malitiosa interpretatione ab aduersarijs corruptos repudiabat. Demũ ad articulos Wiccleſi vẽtum est, quos iubetur damnare. Sed & hos nihilo meliore fauore torquebant aduersarij, pro suo commodo, quo eum maiore incommodo inuoluerent, & opprimerent inuidia, atque in hunc quidem modum concilij habebant primordia.

Nec saniora sunt, quæ deinceps sequebentur. Nondum Hieronymo iniectæ manus, cæterum non multò post satis cruenta sequebatur ipsius tragœdia, perlongum foret singula ordine referre, quæ in illos instituta susceptáque sit inquisitio: quomodo refutata sint eorum dogmata, quo ordine accusati, & condemnati sint. Rursus quæ dogmata illi, quos errores, & âbusus ecclesiæ Romanæ præcipuè taxarint, quam firmis atque euidentibus doctrinæ sacræ testimonijs, suas assertiones communierint, si veritas contra vim, & malitiam valere quicquam potuisset Hæc, inquam aliáque, quoniam ex actorum monumentis, satis iam ante ostensa sunt, vnde melius peti debeant nihill necesse existimaui, cur in his refricandis, prolixa, repetitione, nos atque lectorem fatigemus. Vt ne actum igitur agamus, quod aiunt, illud interim sat fuerit, è multis quæ præcipuè videntur momentũ, leui transcursu adnotasse.

De

De Prima occasione ineundi huius concilij, de modo, tempore, & loco superiùs paucis attigimus. Ac de ordine quidem & tempore concilij, satis conueniebat inter Sigismundum Imper. & Ioã. Pontificem. De loco verò & vrbe Constantiæ, non item. Erat enim Constantia Sueuorum vrbs Imperialis. Quo molestiùs id pertulit Pontifex, veritus, ne quid hinc periculi sibi immineret. Eóque summa ope de vrbe mutanda contra Cæsarem contendebat. Sed inuito Pontifice, vicit tandem Imperatoris sententia. Constituto itaque concilij loco, inchoata est prima concilij sessio, anno. 1414. pridie idus Augusti veniente Constantiam Iordano Cardinale Ostiensi. Subsequitur non multo post Papa Ioannes 5. calendas Nouembris cum frequentia purpuratorum Cardinalium. Qui tamen vrbem ipsam rectâ non ingreditur, sed in monasterio extra mœnia aliquando hæret, expectans, donec certiores facti in vrbe clerus, senatus, & populus, solenni apparatu, & pompa adessent, Pontificem suum, pro papali dignitate excepturi. Factum id est Mense Octobris 27. Obuiam igitur venerunt Pontifici ordines Ecclesiastici & seculares, ducturi eum ad palatium Episcopi Constantiensis. Postridie dono ei mittitur poculum argenteum deauratum, item tria vasa boni vini, quorum in vno vinum erat Alsaticum, in alio Italicum, in tertio vernaculum. Adduntur insuper auenæ sacci octoginta. Eodem die, qui erat Sancti Martini, templum Pontificia maiestate circumiuit, populúmque cruce manufacta benedixit.

De initijs & rebus gestis concilij Constant. narratio.

De loco concilij contentio inter Imper. & Papam.

Init. concilij Constan. Ann. 1414 prid. Idus Augusti fine Papa tamen, & imperat.

Papa Ioan. 23. propè Constãtiam appulit, 5 cal. Nouẽb.

An. 1414 mẽse Octob. die 27. papa in Constantiã recipitur satis papaliter.

Dona papæ missa.

Septimo ab aduentu Pontificis die, Constantiã appulit cum suis Ioa. Huss. Nouembris 3. diuertens in vicum S. Galli, ad viduam Fidam nomine, vt supra relatum est. In comitatu, qui ei assistebant, inter præcipuos erat D. Ioa. de Chlum, D. Henr. Lazemboch, Petrus Notarius, & alij. Vix exitum est è Bohemia, protinus insequuntur eum feroces, è Praga aduersarij, querelis, calumnijs, articulis, testimonijs, minis, mendacijs, vndique instructi, nihil captantes impensius, quàm vt purpuratos proceres, partésque Pontificias, in vniuerso concilio, in necem sanctissimi viri, quoquo modo inflammarent. Ex hoc accusatorum genere summas præstabat partes Steph. Paletz Bohemus: alter Stanislaus Noyma, nondum fines Bohemiæ egressus in itinere moritur. Cum ijs se coniunxerat Michael de Causis, & Andreas de Broda, Ioa. Przibram.

Nouemb. 3. Ioan. Huss. Constant. aduenit cum nobilibus aliquot.

Aduersarij Ioan. Hussij.

Steph. Paletz atrox Hussij accusator.

Stanislaus de Zuoyma accusator Hus. morte interceptus

Mich. de Caus. Andr. de Broda Ioa. Przibram summi contra Hussiũ aduersarij.

Ex testibus Pragensibus, qui iurati sunt contra Husſium, primus fertur Prodinus, alter Benesius: Andreas de Broda, Nicolaus de poduuynis, Nicolaus Plebanus Naso, calumniator. Nec minus acerbè contra eum se gesserunt Cardinales cæteri, ex ordine ecclesiastico complures, in primis Petrus de Aliaco, Cardinalis Camaracensis, Ioan Gerson, Rector vniuersitatis Parisiensis, Episcopus Luthomislensis, Episcopus Polonicus, Ioannes Stokes Anglus, eiúsque farinæ alij.

Testes contra Hussi. acciti.

Petr. de Aliaco Cardinalis.

Ioan. Gerson. Epis. Luthom.

Postquam igitur Ioa. Hus cum suo comitatu in concilium constantiense, hoc est, ad caudinas furcas, eo quo dixi die, appulisset, qui erat Nouemb. 3. Postridie D. Ioa. de Chlum, & D. Henricus de Luzemboch ad Pontificem Romanum ingressi, primùm de præsentia Ioa. Husſij certiorem eum reddunt, quem ipsi sub fide publica Imperatoris Sigismundi Romanorum, & vngariæ regis, Constantiam in generale concilium adduxissent. Rogant deinde, vt ipsius æquè bona venia & gratia, Ioa. Hus, absque omni periculo, atque impedimento, Constantiæ esse posset. Quibus tum Pontifex, etiamsi, inquit, Ioa. Hus fratrem sibi Germanum occidisset, tamen se nullo modo commissurum, quantum in ipso esset, vt aliqua ei fieret iniuria, quàm diu Constantiæ ageret. Atque hactenus nulla erat causa, quur Ioannes vel sibi metueret vel de vlla fuga cogitaret.

D. Ioann. De Chlum. D. Hen. De Lutz. fautores Ioan. Hussij.

Episcop. Polon. Ioan. Stokes Anglus, contra Hussium.

Interea nihil intermittunt temporis ferales ipsius aduersarij Paletz, & Michael de Causis, obnixè huc illuc cursitando in omnem intenti occasionem, qua pessundent innocentem. Summa malitia ex libris eius censuras colligunt, tũ maximè ex tractatu de ecclesia, capita accusationũ in articulos digerunt, quos primũ truncatim excerptos,

Conspiratio accusatoria contra I. Huss.

excerptos, cardinalibus, deinde Episcopis, cæterisque ordinibus calãculũ cõmunicant, nihil intactum relinquentes, nec prius finem facientes, quàm in odium illius & inuidiam, clancularijs susurris vniuersam cathedram illam pestilentiæ exasperassent. Quod nec difficile fuit efficere apud eos, qui diffluentes opibus, & delicijs huius mundi, qui glorioso ambitionis curru volitantes in hac vita, nihil minus ferre potuere, quàm luxum suum, auaritiam, strepitum, libidinem, pompam, ac dignitatem sui ordinis quo modo attingi, nec aliud ferè Christi religionem duxerunt, quàm decus, & splendorem purpuratæ ecclesiæ suæ catholicæ. In huiusmodi tum tempora, & portenta impegerunt Ioan. Husius, & Hieronimus Pragenses, vt satius fuisset, quamuis mouisse camerinam, quàm quicquam hiscere in glorioſos istos ordines, eósque in ordinem reuocare. Atque hinc conflatum est pijs Christi martyribus, tantum odiosæ maleuolentiæ, in superbissimo hoc malignantium conciliabulo.

Externus ecclesiæ splẽdor apud papistas.

Dum hæc in curia aguntur, consusurrantibus inter se cardinalibus, & symnistis, interea, 28. die, quò ventum est Constantiam, qui dies primus erat decemb. accedunt ad diuersorium Ioannis Husij, sub horam prandij, duo Episcopi, Augustanus, & Tridentinus, cum consule ciuitatis, & altero nobili quodam Equite, qui ei nunciarent, se ex mandato papæ, & Cardinalium missos esse, vt, quod ipse sæpe optasset, quoniam ad reddendam doctrinæ suæ rationem, ad concilium aduenisset, se nunc ad audiendum paratos esse. Respondit Husius, venisse se quidem ad concilium, non eo tamen consilio, vt coram papa, & quibusdam cardinalibus, priuatim ageret: sed in vniuersa synodi congregatione, ipsóque præsente Cæsare (qui nondum aduenisset) publicè audiri posset, fidei suæ apertam susceptur us defensionem, singulis aduersariorum interrogatis, si quis quid haberet, responsurus. At tamen ne frustra illi laborem perdidisse viderentur, non recusare se, ipsorum postulatis in eo concedere, vt ad cardinales quàm primùm accederet, fretus D. Iesu Christo, fore, vt mori potius pateretur, quàm cognitam ex sacris scripturis, euangelij veritatem denegare. Itaque cum instarent Episcopi, nihil crudele adhuc præ se ferentes, (quanquam non deerant armati milites, in occulto præsidio collocati) Ioan Husius ascenso paruo equulo, quem secum adduxerat cum D. Ioan. de Chlum, Episcopos in curiam Papæ, & cardinalium subsequebatur. Quò quum peruenisset, & cardinales salutasset: Magister Ioan. Hus, inquiunt illi, multa de te, tuisque maximis erroribus audiuimus, quos in regno Bohemiæ iampridem sparseris, quæ si vera sint, nullo modo perferri debent.

Ann. 1414. Decemb. 1.

Ad hæc ille: Sciant, inquit, paternitates vestræ, eo me animo esse semperque fuisse, ab erroribus, quibuscunque, tum maximis, tum minimis alieno, mori vt malim, quàm vt vllius improbati dogmatis conscius mihi esse velim. Eáque causa tanto libentius ad concilium hoc generale me contuli, paratus, si quid in me erroris comperietur, ex animo eius emendationem suscipere. Ibi cardinales, placent nobis, quæ dicis. Idque vbi dixissent, abierunt. Sed Ioan. Husium, cum D. Ioan de Chlum, sub custodia armatorum reliquerunt.

Interea subornatus à cardinalibus, ingreditur ad eum Monachus quidam Lombardus, magister Didacus, satis acutus & spinosus in hoc Theologiæ genere Sophista, Hussio quidem prorsus ignotus, nec vnquam ante visus. Qui vultu, habitúque, ad humilẽ modestiã compositis, speciem fraterculi præ se gerens, sacræ doctrinæ & cognitionis perstudiosi, multa multis de rebus scitatur, quæ ab Husio audire expetebat, non vero discendi animo, sed insidiosa explorandi calliditate acutis & sublimibus quæstiunculis eum adoritur, captandi gratia, siquid fortè expiscari posit, quod ei in periculum cederet. Qui cum nihil proficeret, grauitérque D. Ioan. chlumensem commouisset, molesta ac irriquieta sua garrulitate, re ita infecta, ad suos redijt.

Didacus Sophista.

His

His ita gestis rebus, conueniunt iterum cardinales in curiam papæ deliberaturi, quid de Husſio ſtatuendum eſſet. Apud quos Paletz, & Michael de Cauſis, vna cum aliis, qui ſe illis adiunxerant, ſedulo inſtabant, ne dimitteretur. Sub noctem mittitur præfectus curiæ Romanæ, vt D. Ioanni de Chlum diceret, licere ei, vt in diuerſorium reuerteretur: Nam de Ioa. Husſio aliter conſtitutum eſſe. Quæ res quàm acerbè animum perculit viro Nobili, vix quiſquam dixerit. Husſius in laqueos Romanenſium hoc irretitus modo, mox in Cantoris Conſtantienſis eccleſiæ domum ductus per ſatellites, in octauum vſque diem ſub cuſtodia fuit. Inde in monaſterium prædicatorum, ad Rhenum perductus, & carceri eius monaſterij, latrinæ proximo mancipatur. In quo grauiſſimo correptus ægritudine, ex loci injuria, ad vitæ penè deſperationem periclitatur.

Ioan. Huſs. nec auditus nec conuictus in carcerem detruditur. Decemb. 9. An. 1414.

Nondum aderat Conſtantiæ Sigiſmundus Imperator, alijs præpeditus remoris. Qui quum in vigilia natiuitatis, intereſſe, vt cupiebat, non poſſet, nocte traiecto lacu, cum Regina vxore, reliquáque nobilium comitante eum frequentia, naui cum ardentibus facibus, recta in cathedralem eccleſiam perducitur. Vbi pontifex papali magnificentia, celebrauit primam miſſam matutinam, & imperator, clara voce legit euangelij locum illum: Exijt edictum à Cæſare Auguſto, &c. Eodem die cantauit Papa reliquas duas miſſas, in quibus populum liberaliſſima indulgentiarum manu, benedixit. Poſt miſſas, multis officijs certarunt inter ſe, Pontifex, & Imperator. Ad Husſium redeo, quem neque conuictum, neque audita cauſa præter ius & fas, in carcerem iam ante contrudi diximus, vbi deſtitutus omni amicorum ſolatio, quàm miſerè ex loci purulentia, frebriſque grauitate afflictabatur, ex hiſtoria rectiùs conſtare poſsit. Quin ne quid porrò deeſſet cumulandis illius ærumnis, noui indies accreſcunt accuſationum ſtimuli.

Sigiſm. Imp. venit Conſtãtiam in vigilia Natiuitatis. Decemb. 25.

Pontificem ingenti zelo adgreditur importunus Husſij antagoniſta, Michael de Cauſis, virulenta procacitate, ex concionibus & ſcriptis viri optimi, plauſtra obtrectationum & mendaciorum congerens, quòd in regno Bohemiæ nefanda dogmata, teterrimos errores diſſeminarit, quòd aures totius ferè multitudinis, veneno ſuæ doctrinæ infecerit, multáque nullo ferenda modo docuerit, de vtraque Sacramenti ſpecie, plebi non deneganda, de materiali pane poſt conſecrationem manente: contra miniſtros eccleſiæ hereticè declamitans, quos negat poſſe adminiſtrare. quando ſunt in mortali peccato, tum quòd alij præter præſbiteros, poſſunt Sacramenta adminiſtrare: contra eccleſiam verò, quam negat ſignificare Papã, Cardinales, Archiepiſcopos, Epiſcopos & clerum eis ſubditũ: quod ea eccleſia non debeat habere temporalia: poſſe dominos temporales impunè eadem clericis auferre, eóque non rectè feciſſe Canſtantinum, cæteróſque principes, qui eccleſias, & monaſteria, tam ſumptuoſis auxerint poſſeſſionibus: Reſeruationes, caſuum papalium, & Epiſcopalium, ſimiléſque ordinationes, propter cupiditatem ſolùm, & ambitionem adinuentas. Quòd Papa, Cardinales, Epiſcopi &c exiſtentes in peccato mortali nullam habeant poteſtatem clauium.

Mich. de Cauſis Bohemus acerbus Huſſij accuſator.

Calumnię Michaelis contra Ioan Huſſium.

Crimina de quibus accuſatur Huſſius.

Accuſatur præterea apud pontificem, quòd cenſuram eccleſiaſticam, ſuo exemplo nemini timendam doceat, eo quòd à Papa primùm excommunicatus, deinde per Archiepiſcopum Pragenſem prohibitus, per canonicas ſanctiones, ne prædicaret vlteriùs, nihilo minus non deſiſteret ille, in cœpto docendi & miniſtrandi curriculo. Adduntur his alia dira & Peloria accuſationum capita, quòd Pragæ ſeditionem inter Teutonicos & ſtudium Pragenſe excitaret: quòd Pragæ graues inimicitias, & perſecutiones conſciuerit contra eos, quicunque doctrinæ ipſius aduerſarentur: quòd laicos contra clerum, & verè Chriſti fideles, incitarit: tum maximè quòd principes ſeculares inſtimularet: contra prælatos eccleſiarum, monaſteriorum, & vniuerſitatis, totúmque clerum, in eo, quòd prælatis non deberi temporalia prædicaret, quódque laicis liceat decimas, & oblationes, ſine peccato retinere, vel alteri miniſtro tribuere.

Has

Has similésque delationes, etsi erant falsæ, tamen quia ad cumini incendium, non parum valere persensérat Michael de causis, sæuis verbis quantum potuit, ad aures Pontificis & cardinalium ingeminat, iterũ atq; iterũ vrgens, instans, obsecrãs, vt malis his suboleſcentibus consilium maturè adhibeant. Quod ni fiat, aut si Ioa. Husſius indemnis elabatur, de vniuerso eccleſiæ statu, actum planisſimè. Consilium autem ad eam rem capi opportunius non posſe, quàm si deputentur, per D. Papam & concilium, commissarij, qui testimonia, & iuramenta eorum excipiant, qui præsentes rebus gestis interfuerunt. Deinde, si deputentur insuper certũ doctores, & magistri, qui libros ipsius accuratè explorent, atque excutiant.

Michael. de causis pontificem & cardinales incendit cont. Hussi

Anno 1415. Aprili 17. Tres Iudices contra Huſs. delegati iuxta quosdam. Iuxta alios, aliter 4. nominantur. Variant scriptores conciliorum. Commissarij cont. Hussium.

Acceptis his delationibus, réque deliberata cum cardinalibus, die 17. mensis Aprilis, anno Dom. 1415 sesſione 6. designati sunt tres commissarij, seu iudices: Patriarcha Constantinopolitanus, Episcopus Castellæ, & Episcopus à Libuſs.

Apud alios, alij, atque alijs nominibus commissarij quatuor recensentur, Archiepiscopus Raguſinus, pro natione Italica, pro natione Germanica Episcopus Elebbiensis, magister vrsinus Taluẽda pro natione Gallicana, magister Guillmerus pro natione anglicana. His mandatam sibi prouinciam illi receperunt, causam Ioa. Husſij examinandi simúlque testium productorum iuramenta excipiendi. Porro eadem sesſione mensisque die, decernitur sæua & terrifica citatio Pragam mittenda, contra Hieronimum de Praga, qua in concilium euocatus sine saluo conductu, rationem doctrinæ suæ reddere iubetur.

Citatio cont. Hieronym. de Praga, qua ad concilium euocatur April. 17. Seſſio 6.

Erat eodem tempore Ioa. Husſius in carcere, grauiter & periculosè febrili vehementia affectus, penéq; cõfectus, cũ recitata sunt, in sũmo agone iuratorum testimonia. Quorũ testimoniorũ vanitas, & testium improbitas, etsi eiusmodi fuerit, quæ nulla egebat accurata confutatione, postulauit tamẽ ille aduocatũ, defendendi sui causa, dari. Quod constanter recusatum est, hoc argumento, quòd pontificia autoritate prohibitum sit, ne quis ei, qui de hæresi esſet suspectus, patrocinetur. Non ita multo post, remittente nonnihil morbo, oblati sunt ei in carcere, ex mandato trium illorum iudicum, quos dixi, articuli satis multi, ex libello eius de eccleſia, vt aiebant, concerpti. Quorum alij conficti ab autore Paletz, alij mutilati, plærique ferè omnes calumnioſa sophisticatione miserè detruncati erant, ac depraua ti, de quibus plura deinceps, aspirante Christi ope.

Anno 1415. Mart. 28. Papa Ioan. 23. pontificia dignitate excuſſus Ioan. Huſs. Epiſc. Constant. iterum incarcerandus cõmittitur à cõcilio.

Constrictus hoc modo Io. Husſius in carcere apud fratres minores detinebatur, à nono die decemb. ad diem Mercurij proximum ante Feſtum palmarum, qui dies erat illius anni 28. mense Martij. Eodem die Papa Ioan. 23. malè sibi metuens clam mutatis vestibus, Constantia se subduxit, qui demum post fugam Pontificali exutus est dignitate. Eáque res occasionẽ præbuit, cur Ioa. Husſius ex eo solutus carcere, in alium traijceretur. Ministri enim Papæ, qui carceri Ioa. Husſij aduigilabant, cognita fuga domini sui, traditis clauibus carceris Sigiſmundo, & Cardinalibus, confestim sunt eum insecuti. De sententia verò concilij, captiuus in Episcopi Constantiensis potestatem transmittitur.

Is per suos satellites armatos, curauit eum non procul à Constantia trans Rhenum, in Arcem quandam deportari. Vbi in turricula quadam, interdiu compedibus vinctus incedere poterat. Noctu verò manica ferrea, iuxta lectum, parieti est alligatus.

Schedula supplicatoria per nobiles Bohæmos concilio oblata. Anno 1415. Maij 14.

Interea nobiles Bohemi, & Poloni, summo eniti studio, pro libertate Ioa. Husſij non distiterunt. Quamobrem communicato consilio, statuerunt suam petitionem, literis consignatam, ac schedula comprehensam, communi exhibere concilio Quæ schedula perlata est in concilium, die Maij decimo quarto, anno 1415. Exemplar scripti Bohemici, ijsdem verbis quibus ab ipsis Baronibus, & Nobilibus conceptum est, quoniam lucem haud exiguam præferre videtur, vniuersæ huic causæ dijudicandæ, necessariò inserendum existimaui, idque tanto lubentius, quòd à Ioa. Cochlæo in Husſitana sua historia, non sine fraude singulari, prætermiſ-

termissum video.

EXEMPLAR PRIMAE SCHEDVLAE, PER Nobiles Bohemos, in concilium oblata, pro Ioanne Hussio. Maij 14. Anno 1415.

REuerendissimi patres, & domini, Nobiles domini Bohemicę, & Polonicæ nationis, hîc præsentes coram vestris paternitatibus proponunt præsentibus, qualiter Serenissimus Rex & dominus, D. Sigismundus, Roman. rex semper Augustus, atq; idem Hungariæ, Croatiæ, Dalmatiæ rex, fama audita de dissentione, in regno Bohemiæ, & ipsius honori, tanquam hæres, Rex, & dominus successurus, volens succurrere, misit nobiles dominos, Wenceslaum de Duba, & Ioan. de Chlum, hîc præsentes, vt M. Ioannem Hus inducere velint, & assecurare, Regio saluo conductu, & nomine, quatenus pro expurganda regni Bohemiæ, & sua sinistra infamia, sub saluo conductu ipsius regis, & sub protectione sacrosancti imperij, patenter, ipsi Magistro Ioanni Hus, datis & exhibitis, venire velit ad sacrum generale concilium Constantiæ, & ibidem cuilibet parti se opponenti, de fide sua, publicam reddere rationem. Et fecerunt dicti domini, vnà cum prænominato Magist. Ioa. Hus, secundum mandatum Regiæ Maiestatis.

Quum autem dictus Magister Ioannes Hus, sub dicto saluo conductu, Constantiam liberè peruenisset, & grauiter, absque vlla audientia, est incarceratus, & hucusq; tam compedibus, quàm fame, & siti angustiatur. Quamuis autem olim, per Pisanum concilium, anno 1410. habitum, damnati hæretici ibi liberè steterint, & domum liberè recesserint, ipse tamen Ma. Ioa. Hus, nec conuictus, nec condemnatus, captus est, cùm neque regum aliquis, neq; Electorum neq; vniuersitatum legati adhuc adessent. Et cùm D. Rex vnâ cum Nobilibus dominis hîc præsentibus, cum magna postularet instantia, vt circa ipsius saluum conductum, suo prouideret honori, & vt dictus Ma. Ioa. Hus publicè audiretur, cùm de fide sua, publicam redderet rationem, & si conuictus fuerit, pertinaciter aliquid contra scripturam sacram, & veritatem asserere, quòd id iuxta institutionem, & decisionem concilij debeat emendare, illud tamen huc vsque impetrare non potuit. Sed dictus Magister Ioannes Hus, citra hoc tam grauiter continetur compedibus, & diæta leuissima attenuatur, vt timendum sit, ne viribus consumptis, de ratione periclitetur. Difficultates Ioa. Huss. in carcere.

Et licèt, domini hîc præsentes, grauiter de regno Bohemiæ, infamarentur, eò quòd dictum Magistrum Ioannem Hus ad tantum angustiari videntes, contra saluum conductum D. Regis, ipsum D. Regem, literis suis salui conductus monere negligerent, ne ipse D. Rex vlterius talia patiatur, cùm vergant in contemptum, & vilipendium Regni Bohemiæ, quod ab origine susceptæ catholicæ fidei, nunquam ab obedientia sanctę Romanæ ecclesiæ recessit, ipsi tamen hæc omnia patienter hucusq; tolerarûnt, ne quouis modo occasio turbationis, huius sacri concilij existere possit.

Quapropter Reuerendissimi patres, & Domini, Nobiles domini sæpè fati, paternitatibus vestris præsentibus, supplicant iugiter & attentè, quatenus tum propter honorem salui conductus, dicti D. Regis, tum etiam propter famam præclaram dicti regni Bohemiæ, conseruandam, & vestram pariter augendam, in factis dicti M. Io. Hus, finem celeriorem, cùm ipsi periculum in mora existat, iustitia diuina mediante, velitis efficere, prout, de dictarum paternitatum vestrarum præclara rectitudine, confidentiam gerunt specialem.

Cæterum Reuerendiss. patres, & domini, ad Nobilium dominorum de Bohemia, hîc præsentium, audientiam deductũ est, quomodò præclari regni Bohemiæ, iam dicti, quidã obtrectatores, & æmuli ad aures paternitatũ vestrarum deduxissent, quo-

niam Sacramentum pretiosissimi sanguinis Domini, per Bohemiam iam in vasculis non consecratis, deportarent: quódque Sutores iam confessiones audirent, & sacrosanctum corpus dominicum alijs ministrarent, propter quod rogãt Domini de Bohemia, hic præsentes, quatenus talibus falsis delatoribus non credatis, cùm tanquam iniqui infamatores regni prædicti, falsum dicunt. Quin potius petunt attentiùs paternitates vestras, quatenus tales infamatores regni prædicti nominentur, & D. Rex, similiter vestræ paternitates videre debebunt, quòd Domini de Bohemia, talium infamatorum delationes falsas, & friuolas, taliter studebunt refellere, vnde ipsi infamatores, coram D. Rege prædicto, & vestris paternitatibus verebuntur.

Amabô pie Lector, quid Apologia hac Illustrissimorum Nobilium luculentius? quid vel ad supplicandum submissius, vel ad persuadendum neruosius afferri potuit? Si quid apud mites, & pacificos Christi seruos, vel fraterna valuisset charitas, vel pietas Euangelica, vel Christi conformatio, aut Apostolorum quicquã valuisset institutio, vel fides insuper, publica autoritate sancita, quid deerat, in hac Bohemorum oratione, quod non facilè eos emollire ad misericordiam potuisset. Instituimur in sacris literis, docemur à Paulo: Etiamsi præoccupatus fuerit homo in delicto aliquo, vos qui spirituales estis, instaurate huiusmodi spiritu mansuetudinis. Galat. 6.

Et rursus ad Ephesios γίνεσθε δ' εἰς ἀλλήλους χρηστοὶ εὔσπλάγχνοι, χαριζόμενοι ἀλλήλοις, καθὼς καὶ ὁ χριστὸς ἐχαρίσατο ὑμῖν. Nunc quam misericordiam isti, in vinctum Christi prophetam præsterint, res ipsa plenius docebit. Ephes. 4.

Accepto itaque scripto hoc Nobilium atque perlecto, assurgens Episcopus Luthomislensis, Reuerendissimi patres, inquit, intelligo postremam huius scripti partem, ad me, & familiares meos pertinere, quasi regnum Bohemiæ per nos, infame sit redditum. Itaq; deliberandi spatium peto, vt me de hoc crimine expurgem. Constituti itaque à concilio, indixerunt diem decimum septimum Maij, ad quem iterum adessent Domini Bohemi, vt audirent, & ipsius concilij responsionem, & seorsim præterea Luthomislensis Episcopi excusationem. Quod & postea factum est. Nam decimo septimo die Maij, qui erat * quartus, ante ferias pentecostes, iterum conuenerunt. Vbi primùm quidam Episcopus, totius concilij nomine, memoriter Bohemis respondit. Cuius responsionis, quæ præcipua fuerint capita, ex refutatione Nobilium Bohemorum, quam illi pridiè pentecostes, iterum concilio exhibuerunt, facilè cognoscetur. Cuius exemplar quoniam Ioan. Cochlęus contra Hussitas scribens, callido silentio dissimulauit, minimè hic prætereundum, propriisque ipsorum verbis reddendum, ad certiorem historiæ fidem, iudicaui.

* Rectius secundus.

RESPONSIO NOBILIVM BOHEMORVM AD ea quæ ab Episcopo quodam totius concilij nomine, aduersus superiorem ipsorum defensionem pro Ioan. Hussio, obiecta sunt.

Responsio Nobilium Bohemorum pro defensione Ioan. Hussij.

REVERENDISSIMI Patres, & Domini, quoniam nuper die Iouis, pro parte vestrarum paternitatum, ad requisita Nobilium Dominorum Bohemicæ & Polonicæ nationis, est responsum, ipsos Dominos de certis punctis, in dictæ schedulæ narratione contentis, malè fuisse informatos: ideò Domini supradicti, vestris paternitatibus, nuper proposita decreuerunt latiùs declarare, non quòd in eo, vestras oculatas paternitates vellent arguere, sed vt vestræ paternitates, ipsorum votis, tanquam altera parte, pensatis, de subiecta materia distinctiùs, & efficaciùs possent discernere, & iudicare.

Et primò, quia dominis ponentibus, qualiter Magiſt. Ioannes Huſſius, huc ad Conſtantiam, ſub ſaluo conductu D. Regis, & ſub protectione ſacroſanctæ Imperij, ſponte & liberè veniſſet, pro parte veſtrarum paternitatum reſponſum eſt, quòd domini malè ſunt informati, de dicto ſaluo conductu. Quia ſicut à fide dignis, veſtræ paternitates dicebant ſe accepiſſe, primò, poſt captiuitatem dicti Magiſtri Ioannis Huſſij, ſui fautores, & amici, ſibi ſaluum conductum, die decimo quinto procurarunt: Reſpondent Domini, & ſpecialiter D. Ioannes de Chlum: hîc præſens, quem hoc factum præcipuè tangit, quòd nedum die quindecimo ſed ipſo die captiuitatis Magiſtri Ioannis Hus, cum D. Papa ipſum D. Ioannem de Chlum interrogaret, præſentibus ferè omnibus cardinalibus, an dictus M. haberet ſaluum conductum Regis filij ſui: Reſpondit, Pater ſanctiſſim. ſciatis quia habet. Idque cum iterum interrogatus eſſet, eodem modo reſpondit. Nullus tamen eorum petiuit ſibi monſtrari ſaluum conductum.

Saluus conductus Ioa. Huſs.

Tempus ſalui conductus, ante captiuitatem Huſſij.

Calumnia aduerſariorũ, de tempore ſalui conductus refutata.

Et ſtatim die ſequenti tertia, & conſequenter, D. Ioannes de Chlum conqueſtus eſt D. papæ, quo modo magiſtrum, ſub ſaluo conductu dicti D. Regis, captiuum detineret, dictum ſaluum conductum multis oſtendendo. Et pro illius verificatione refert ſe ad teſtimonium comitum, Epiſcoporum, Militum Militarium, & Nobiliorum ciuium huius Conſtantienſis ciuitatis, qui omnes illum ſaluum conductum tunc viderunt. Vnde D. Ioannes de Chlum paratus eſt, quocunque oppoſitum dicente, ſub quacunque ſe pœna aſtringere, quòd id quod promittit, vult apertiſſimè deducere, & probare. Præterea domini referunt ſe ad recognitionem certorum principum Electorum, & aliorum principum & Epiſcoporum, & aliorum multorum, qui eo tempore, aſſiſtebant coram Regia maieſtate, vbi, & quando dictus conductus datus eſt, de mandato D. Regis ſpeciali.

Ex illo paternitates veſtræ intelligere poſſunt, quòd non ipſi Domini de ſaluo conductu malè ſunt informati: ſed potius illi, qui veſtras paternitates talibus relationibus informârunt. Et primò D. Regi iniuriam faciunt, & ipſius cancellariis, deinde ipſis D. Nobilibus, ac ſi ipſum ſaluum conductum ſurreptiuè impetraſſet. Vnde petunt D. ſupradicti, quatenus veſtræ paternitates, non tam facilè talibus fide indignis velint credere, ſed potius, altera audita parte, diſcutere, vt veritas magis eluceſcat. &c.

Secundò, quoniam dominis ponentibus, qualiter Magiſter Ioannes Hus liberè huc veniens, non condemnatus, nec auditus, fuit incarceratus, veſtræ paternitates reſponderunt, quòd ipſe magiſter, tempore Alexandri quinti fuit infamatus, ſuper certis erroribus, & propterea citatus perſonaliter, in Curiam Romanam, & ibi per ſuos procuratores auditus. Et quia contumaciter comparere non curauit, excommunicatus eſt, & in illa excommunicatione, vt dicitis ad quinquennium perſtitit. Propter quod, non ſimplex hæreticus, ſed hæreſiarcha, nouorum errorum inuentor, & ſeminator cenſendus eſt, & huc veniens publicè etiam prædicauit.

Huſs. nec condemnatus, nec auditus in vincula mittitur.

Ad hoc reſpondent Domini, quòd ipſis de infamia, & citatione nihil conſtat, niſi quantum ex fama. De non comparitione verò perſonali, dicunt ſe ab ipſo, & alijs fide dignis, ſæpiùs audiuiſſe, imò Sereniſſimus Rex Bohemiæ Wenceſlaus, & tota penè Nobilitas, teſtis eſt, quòd libenter comparuiſſet Romæ, & alibi, ſi ſibi tutus patuiſſet acceſſus, & capitales inimicitiæ non obſtitiſſent. Sed et procuratores, quos in Curiam Romanam miſit, cauſas rationabiles de non comparitione, allegando, alij ſunt incarcerati, alij malè tractati. De excommunicatione verò, quòd illam tam diu ſuſtinuit, ipſum dicere ſæpiùs audiuerunt, quia non contumaciter, ſed ſub appellatione patenti ſuſtinuit. Et de illo refert ſe ad acta cauſæ, ibidem in Curia Romana agitata, in quibus hoc totum pleniùs continetur. Et hoc idem veſtræ paternitates pro certis

De infamia & citatione Ioa. Huſſij.

punctis ſupradictis, in præſenti tranſumpto publico, quod vobis offerimus, videre euidenter poterunt.

Mendax calũnia aduerſariorum de prædicatione Ioa. Huſſij.

De prædicatione verò, qua ipſum Magiſtrum Ioannem Hus æmuli ſui, in hac ciuitate, retulerunt publicè prædicaſſe, reſpondent Domini, & ſpecialiter D. Ioannes de Chlum, hîc præſens, qui in Conſtantia hîc, cum dicto Magiſtro Ioanne Hus, continuò eſt hoſpitatus, quòd quicunque hoc auſi ſunt, vel audent dicere, quòd ipſe Magiſter Ioannes Hus, vt præmittitur, prædicaſſet, vel quod minus eſt, à tempore aduentus ſui, ad hanc ciuitatem, vſque ad diem & tempus captiuitatis ſuæ, vnum paſſum extra domum hoſpitij exijſſet, quòd dictus D. Ioannes de Chlum, ſe ſub quacunque pœna, ſiue pecuniali, ſiue alia, cum quolibet tali, vult obligare, quòd id, quod veſtris paternitatibus, tam ſiniſtrè retulit, nunquam iuſtè & veraciter deducere poterit, & probare. &c.

Tertia calumnia. In concil. Piſano, quidam hæreſeos accuſati.

Tertiò, quemadmodum veſtræ paternitates dixerunt, ſe non intelligere, quid Domini, per condemnatos hæreticos in Concilio Piſano, velint innuere, an de papatu colludentes, quorum ambaſiatores, propter bonum vnum vnionis eò venerant, qui tolerábantur, & piè tractabantur: proindè, vt ipſorum Domini ſint ad vnionem magis inclinati, vel an particulares hæreticos inibi condemnatos intelligant, ſubiungentes, quòd etiam hæretici, in facto vnionis, in concilium venientes, eſſent tolerandi, & piè tractandi &c. Reuerendiſſimi patres & Domini, ſiue primi illi, ſiue ſecundi videantur, & poſſint intelligi, Domini non petunt aliud, niſi vt ipſe Magiſter Ioannes Hus poſſit vti ſimili libertate, qua illi ſunt vſi, cùm ad hoc ſacrum concilium ſponte, non alia cauſa venerit, niſi vt fidem ſuam publicè recognoſcat: & in quocunque à verbo Dei & vnione ſanctæ matris eccleſiæ, doceretur alienus, quòd in eo eidem reconciliari vellet, & vniri, & nedum ſe, ſed & ſuos fautores, & ſibi in veritate adhærentes, ad idem permouere, quorum conſtat quaſi maiorem partem eſſe in regno Bohemiæ. Etiam huc venit ideò, vt præclarum regnum Bohemiæ, iamdudum ſiniſtra delata infamia, valeat expurgare.

Amica ſupplicatio pro Huſs.

Poſtremò Reuerendiſſimi Patres, & Domini, quemadmodum veſtræ paternitates, ad principale petitum, fauorabiliter dominis reſponderunt, facta Magiſtri Ioannis Huſſii, diuina mediante iuſtitia, cúmque omni manſuetudine, celeriter velle expedire, domini iam dicti veſtris paternitatibus, referunt actiones gratiarum, & cùm, auxiliante Deo, optata in effectum votiuum deducta fuerint, nedum hic, ſed coram toto regno Bohemiæ, & alibi, quocunque venerint, veſtris volunt paternitatibus, grates reddere perimmenſas.

Ann. 1415. Maij vlt.

His Bohemorum literis, quum nihil reſponſum eſſet, per dies aliquot, ſtatuerunt viri Nobiles, vltimo die Maii, inito rurſus conſilio, alio adhuc ſcripto Eccleſiaſticos proceres ſolicitare. In quo humaniſſimis verbis paternam, fraternam eorum benignitatem appellant, orant, obſecrant, vt liberato à vinculis Ioanne Huſſio, libera ſui defendendi facultas permittatur, tum inprimis, ne altera non audita parte, fides aduerſariis, odio ac malitia efferatis, præcipiti iudicio adhibeatur. Quorum improbitas, & funeſta conſilia, quo conſpectiùs ipſis paterent, varia inſtrumenta, in medium depromunt, primùm Epiſcopi Nazarethenſis teſtimonium, anno 1414. penultima Auguſti, ab eo æditum, qui, quum Pragæ Inquiſitor eſſet hæreticæ prauitatis, rogatúſq; ſententiam, de Ioa. Huſſio, an vnquam delatus eſſet, apud eum, de improbato aliquo errore, aut dogmate, prorſus negabat, addens inſuper, ſe diu multúmque cum homine conuerſatum eſſe, ſæpe ſermonibus eius interfuiſſe, ac collationes crebras de variis ſacræ

Luculentum Epiſc. Pragéſ. pro Huſſio teſtimonium.

ſcripturæ

scriptūræ materijs audiuisse, nunquam in eo deprehendisse hactenus, quod hæresim saperet, aut errorem. Quod ipsum instrumentum recognitionis, & protestationis D. Inquisitoris, etiamnum extat in actis, cum manu Notarij.

Cum hoc instrumento iidem adiungunt aliud testimonium Archiepiscopi Pragensis, qui interpellatus à Nobilibus, vt si Ioannes ei de aliquo errore suspectus esset, ne reticeret, sin aliter, vt ipsius quoque testimonio ornatus Constantiam accederet. Quibus, Archiepiscopus in publico Baronum cœtu, confessus est, nullius se omnino criminis conscium esse, quamobrem Husius accusaretur, tantum suadere, vt ab excommunicatione ille sese expurget. Hóc que testimonium Archiepiscopi publico scripto exceptum, inter literas illas extat, quas Barones Constantiam miserunt, ad Sigismund. Imp. Testim. oblatum Archiepis. Pragens. pro Huss.

PVBLICVM TESTIMONIVM ACADEmiæ Pragensis pro Ioanne Hussio, cum Apologia eiusdem pro seipso.

PRæter hæc tam multa, & luculenta, exhibetur generali Concilio à Nobilibus, aliud præterea exemplum, publici testimonii, totius Academiæ Pragensis, in hanc breuiter summam conscriptum. Quod anno 1411. Septembris primo, in Maiore ciuitate Pragensi, honorabilis, & sanctificus (vt ipsi appellabant) Vir Ioannes de Hussenitz, coram D. Simone de Thissnow, rectore Vniuersitatis, & toto Collegio Doctorum, præsentibus etiam Notariis publicis, chirographum quoddam, in modum Epistolæ, propria ipsius manu conscriptum, exhibuit, missurus eandem Syngraphan ad sanctissimum. In qua liberè, & ingenuè profitetur fidem suam, & confessionem, cum Orthodoxis Ecclesiasticæ doctrinæ articulis, ea omnia reiiciens, ac repellens, de quibus sinistrè à veritatis æmulis, sedi Apostolicæ delatus esset. Quæ ille sigillatim omnia ordine prosequens, falsa esse propria ipsius confirmatione ostendit. Testimonium totius Academiæ Pragensis pro Huss. ann. 1411. Sept. 1.

Falsum id primum, quòd populum docuisse dicitur, substantiam panis materialis remanere, in Sacramento altaris. Falsum.

Falsum, quòd quando hostia eleuatur, tum est corpus Christi, & quando ponitur, tunc non est. Falsum.

Falsum, quòd sacerdos in peccato mortali, non conficit.

Falsum, quòd Domini à Clero auferant temporalia, quòd decimas non soluant. Falsum.

Falsum, quod indulgentiæ nihil sunt. Falsum.

Falsum, quòd gladio materiali, suaserim clerum percutere. Falsum.

Falsum, quòd prædicauerim, vel tenuerim, aliquos, vel aliquem, errores, vel errorem, vel aliquam hæresim, seu quòd seduxerim populum à via veritatis quoquo modo. Falsum.

Falsum, quòd extiterim causa, quam ob rem quidam magistri Teutonici expulsi de Praga fuerint, quum ipsi nolentes, almæ Vniuersitatis Pragensis priuilegium fundationis tenere, nec Serenissimi principis, D. Wenceslai Romanorum, & Bohœmiæ regis licitis mandatis parere, putantes, quòd absque eorum præsentia, non valeret Pragensis Vniuersitas subsistere, nullo impellente abierunt. Falsum. Teutonici ab Vniuersitate Pragensi discedunt.

Fateor autem, me ab Archiepiscopi Pragensis D. Suinconis sententia ad sedem Apostolicam appellasse, & demum à processibus, qui ex sinistra infor- Suinco Archiepisc. Pragens.

Siniſtra informatio.

matione, à ſancta ſede Apoſtolica emanârunt. Siniſtrè etenim veritatis æmuli, honoris, & ſalutis ſuæ immemores, ſedi Apoſtolicæ ſuggeſſerunt, quòd in regno Bohemiæ, & Marchionatu Moraniæ, errores pullulâſſent, & multorum corda infeciſſent, adeò, vt propter multitudinem eorum, qui talibus erroribus eſſent infecti, neceſſarium foret correctionis remedium adhiberi.

Falſum.
Capella Bethlehem.

Falſum denique, quòd ipſa capella Bethlehem, locus dicatur priuatus. quum ipſa ſit, ab ordinario Epiſcopo, locus in beneficium eccleſiaſticum confirmatus, cuius deſtructio, honorem Dei, in populo aliquantulum tolleret, animarum profectum minueret, cauſaret ſcandalum, & populum contra deſtructores, non modicè prouocaret.

Denique, quòd ad citationem perſonalem attinet, idem Magiſter Ioannes proprio ſcripto, ibidem conteſtabatur, ſe ad Romanam Curiam tranſire, & comparere humiliter voluiſſe. Sed quia mortis inſidiæ, tam in regno, quàm extra regnum, præſertim à Teutonicis, mihi, inquit, ſunt poſitæ: ideo multorum fretus conſilio iudicaui, quòd foret Deum tentare, vitam morti tradere, profectu eccleſiæ non vrgente. Igitur non comparui perſonaliter, ſed aduocatos, & procuratores conſtitui, volens ſanctæ ſedi Apoſtolicæ obedire.

Supplex epiſt. Huſs. ad papã.

Quamobrem in eadem epiſtola ad ſummum Chriſti vicarium ſcribens humiliter ipſius ſanctitatis implorat clementiam, vt eum à comparitione perſonali, propter omnipotentis miſericordiam benigniter abſoluere dignaretur, quia per Sereniſſimum principem D. Wenceſlaum, per Patriarcham Antiochenum, per D. Olemutzenſem Epiſcopum, per illuſtrem principem, Ducem Saxoniæ, perque cæteros Principes, Barones, & Dominos, cum prædicto reuerendiſſimo D. Sbincone iamdudum eſſet reconciliatus, ſponte ſe offerens, ad reſpondendum omnibus, & ſingulis obijciendis, coram Vniuerſitate Pragenſi, & omnium prælatorum multitudine, paratus ad quamcunque pœnæ inflictionem, ſi quid ex aduerſo obijci ei poſſet, cuius non iuſtam eſſet rationem redditurus. Quum autem nemo huc vſque prodijt, qui Huſſio negotium in re vlla faceſſeret, ſatis id magno argumento eſſe poſsit, quid de tota Huſſiana cauſa ſit ſentiendum.

Ex epiſt. Ioan. Huſſij 68.

Atque hæc quidem Huſſianæ confeſſionis clariſſima teſtimonia propria ipſius manu conſcripta, valuis ac ianuis publicè ſuffixa, Doctoribus ac magiſtris illius Academiæ exhibita, non approbata ſolùm ab ipſis, ſed publicè etiam, totius Vniuerſitatis ſigillo confirmata, atque à publicis Notarijs, in legitimam formam redacta, proceres, ac Nobiles Bohemi, publicè in Concilio ad maiorem veritatis euidentiam, perluſtranda propoſuerunt, ſummis votis, modisque omnibus pro Ioanne Huſſio deprecantes, apud Reuerendiſſimos concilij Patres, vt eum è vinculis, & compedibus, quibus miſerrimè conſtringebatur, expedirent, liberioríque donarent cuſtodia, vt ne hominem inſontem, nondum audita cauſa, nec conuictum, nec condemnatum, furoribus aduerſariorum dedant, quin potiùs in cuſtodiam quorundam, quos ipſi deſignarent, commiſſariorum demandent. In quo, ne qua ſuſpicio fraudis in eorum hæreret animis, ipſi ſe Barones, & Nobiles regni Bohemici, Fideiuſſores obligatiſſimis rationibus aſtringunt, fore, vt Ioannes Huſſius nuſquam elabatur, ſemper præſtò adfuturus, ad eorum nutum, vbi voluerint.

O Immortalem Chriſtum! Qui mores hominum iſti? Quæ tempora eccleſiæ? Quid poſtulatione hac nobilium humánius? Quid cauſa ipſa honeſtius? Quid tot tantisque teſtimonijs clarius? Sed quid attinet ſurdis cantare fabulam? Neq; enim quicquam retulit, quàm longè infra biberit agnus, quum lupus eſuriebat. Sed finem ſpectemus tragediæ.

Perlectis, penſatíſque his literis Nobilium, reſponſum eſt tandem, à concilij

patribus

patribus, ne nihil tribuere viderentur eorum postulatis, hoc se facturos, vt ad quintum Iunij (vel Iulij verius, mea sententia) Ioannes Hus, è carcere, quo trans Rhenum detinebatur, iterum constantiam reduceretur, habiturus coram vniuerso consilio, liberam dicendi potestatem, séque eum piè & benigne audituros. Ann. 1415. Iunij 5.

Amica quidem satis pollicitatio, si fucata hypocrysis fide infucata non caruisset. Sed verò hic locum habuit, in his Romanensibus, quod dici solet, Eirenen simulant, loquitur sed sanguis Erinnim. Breuiter, vt rem in patica conferam, venit Iunij quintus, quo die, extractus è vinculis Ioan. Husius, ad publica Romanensium comitia producitur. At ego diem hunc non Iunij, sed Iulij potius dixerim, eo quòd, ante eum diem, quo 15. sessio peragebatur, nulla publica instituta est actio, contra Ioannem Hus, nisi ita fortè existimemus, productum eum quinto Iunij, non ad generalem totius concilij consessum, sed ad priuata quædam Cardinalium, & Romanensium theologorum certamina. Non Iunij sed Iulij 5.

Sed persequamur, quæ restant historiæ. Producto itáque ad diem constitutum, sancto dei seruo, adsunt mox circumfusi eius aduersarij, & testes ex Bohemia, haud parũ multi. Adsunt pariter & iudices, inter quos præsidebat Episcopus quẽ dixi, nec deerat præcipuus huius tragœdiæ Choragus, Card. Cameracensis, cognomento Petrus de Aliaco. Crimina, quæ intentabantur, partim per testes subornatos conficta, partim ex libris ipsius truncatim, vt quæque arrodere poterat mendax calumnia, arcescebantur, in articulos 39. digesta. Subinde impetitus animus innocens, crebris accusationibus pertentabatur: sic tamen, vt nec testes scire, nec refutare licuerit. Tandem exijt perfidi concilij sceleratum decretum, quo Episcoporum, simul & Imperatoris voce, clarè illi denunciatum est, harum vtram vellet optionem, eligeret: aut se noxæ dederet, erroribus retractatis, aut morti se pararet. Locus interim erroris manifesti nullus, nec si erraret, scriptura, qua doceretur, vlla proferebatur. Ille, contra doceri paratum se, impietatem verò, cuius nunquam esset conscius, agnoscere nec velle, nec sine mendacio potuisse. Denique, quiduis se priùs passurum dictitabat. Ex ijs vides, pie lector, quid cæcus malitiæ oculus non perspicit. Quid dictum tam explicatè aut factum tam consideratè, in quod non irruat inuidentiæ liuor, quodque virulentiæ acerbitas non conspurcat, vel calumniarum virulentia non conuellat ac deprauet? Cardinal Cameracensis Petrus de Aleaco. Articuli 39. cõtra Io. Huss.

Non ita multo post, Iulij 5. à Sigismundo legati ad Husium veniunt, Barones quidam, cum Episcopis quatuor, eò missi, vt ipsum quibus possent machinis, de sententia deijcerent, ac in castra sua traducerent. Is vbi è carcere eductus, coram legatis constitit, Mox D. Chlumensis hunc ita affari incipit: pie magister, nos, qui imperiti homines, atque ignari sumus, bene tibi velle quimus, consulere nequimus. Proin, ipse tibi, quid consultissimum sit videas. Si harum te accusationum reum sentias, ne pigeat, mutata sententia, errores profiteri. Sin minus, caue contra conscientiam committas quicquam, neu potior sit apud te vitæ, quàm veritatis diuinæ iactura. Ad hæc ille, profusus lachrimis, modestissime his respondit. Ann. 1415. Iulij 5. Barones. D. Ioan. de Chlum. D. Wéceslaus. Verba D. Chlumensis ad Ioann. Husium.

Suspiciende vir, deum attestor meum, si quid hactenus, in libris aut concionibus à me vsquam erratum sit, adeò non grauabor cedere, vt vehementer expetam, gratias insuper habiturus ex animo ingentes, si quisquã prodeat, qui refutatis meis probabili aliqua scriptura, saniora, ac firmiora me doceat. Ad hanc vocem exclamans vnus Episcoporum: Hui, inquit, tun ergo, plus vniuerso concilio sapere postulas? Husius: Nequaquam, O bone. Sed neque rursus vniuersum concilium plus sapere debet, quam scriptura dei. Tantum verò à me abest, quòd obijcis: vt nihil equidem detrectem, vel ab infimo totius concilij tyrunculo instrui, qui iustis rationibus mecum agens, meliora afferat. Ibi reliqui Episcopi, sublata voce: Heu, inquiunt, pertinax ille est, in sua hæresi. Nam hæresim ap- Responsio Ioa. Huss. ad verba D. Chlumẽsis. Quatuor episcopi missi ad Ioan. Hus.

appellant hi, quicquid libidini suæ non placet, aut cum dignitate pugnat. Atque hæc ferè huius diei acta sunt.

Ann. 1415. Iulij 6. Postero die, qui erat Iulij sextus, ductus ab Archiepiscopo Rigentino, ad summum Constantiæ templum, venit inuictus Christi pugil. Verùm, quia nondum sacra in templo perficerentur, tantisper dum tempus missæ perageretur, iussus est expectare foras. Quid ni? Quippe, opinor, ne intigerrimi ac sanctissimi Martyris contubernio, ter adorandæ Papisticarum nugarum næniæ polluerentur. Ridiculum. Sed quid multa? Peractis demum munijs Papalibus, Episcopi, Pharisæi, ac principes Sacerdotum, in sua quique sedilia conscenderant. Ea theatrica pompa, prælatis tabernaculis erigebantur. Spectari diceres Floralia. Cæteris sublimior, sub corona aurea, eminet Imperator. In medio ecclesiæ mẽsa quædam, ac in mensa truncus apponebatur, rursus in trunco vestes, quibus sacrificaturi, vti consueuerunt, consternibantur. His ita præparatis, introducitur tandem, inter lupos rapaces, misera pro Christo mactanda ouicula, Ioã. Husius, iussus ante mensam consistere. Is in terra procumbens diuscule precibus immoratur.

Episc. Landinus. Interea monachus quidam Episcopus, in suggestum ingenti ferocia inuolat, Landinus nomine, mihi, rectiore cognomento Ate dicendus, cuiusmodi non paucas hodie furias mundus gignit, non in aliud, quàm in seditionem, ac discordiam natas. Concionem hic in tres partes distributam habere dicitur. Quarum prima, quàm acerrimè in pestem hæreticam inuehebat. In secunda, principes, ac maiestratus, velut clasico, euocabat ad curam Reipub. ecclesiasticæ, tum potissimùm in profligandis hæreticis. Postremo loco commoda percensuit, quæ ea ex re publicè priuatímque consequerentur. Ceterum verentes Pontificij ne non magnas satis flammas, in animis auditorum reliquisset frigidus hic concionator, alterum adhuc, Henricum quendam, concilij oratorem, in eundem locum subagitarunt, qui de Husij condemnatione, maiore accumine, ac δεινοσῆ, quanta posset, peroraret.

Henr. concilij Orator contra Hus. declamitat.

Quibus confectis, Episcopus quidam, iubente concilio, in pulpitum prosiliens, formulam causæ Husianæ, quæ habita est cum Archiepiscopo Pragensi, reliquáque crimina recitat, quæ illi tum intendebantur. Hæc ipse postea omnia in carcere perscripta, fratribus legenda miserat, quo iudicum calumnias, ac mendacia, veritas patefacta redargueret. Si singula accusationum capita percenserem, haud exigui res negotij foret. Perstringam, quæ à fidelissimis accepta satis ad huius iudicij iniquitatem exprimendam, videbuntur.

Ex Epistolis Ioan. Hus in carcere conscriptis.

Obiecta cõtra Hussium crimina per Episcopum quendam.

Inter alia, hoc illi obiectum est tanquam hæreticum, quòd alicubi diceret, vnicam esse ecclesiam catholicam, quæ cœtus esset omnium credentium, ad vitam prædestinatorum. Ad quod ille: Equidem nihil addubito, quin vna sit ecclesia sancta, catholica, quæ est credentium congregatio, tum in hoc mundo, tum defunctorum, ac in cœlis agentium: porrò & eorum, qui occultum corpus existunt Christi Iesu, qui est caput. Hæc aliáque quum diceret, simúlque ad alios articulos pararet respondere, Cardinalis Cameracensis, veluti lupus, homini vocem adempturus: Tace, inquit modo, post respondebis simul ad omnia. Hussius: At quàm iniquè hoc vobis comparatum est, nunc, quum singulis respondere liceat, prohibetis, post vbi congestam criminum turbam memeniſſe nequeam, tum permittetis? simúlque ad alia respondere properabat. At insurgens ilico Cardinalis Florentinus vnus iudicum, Tace, inquit, obtundis nimium, præconibus, cæteríque, qui astabant, accusatoribus mandans, vt coerceretur.

Hussius prò se respondere nõ permittitur.

Cardinalis Florentinus.

Sæua crudelitas in hoc concilio aduersus Hussium.

Tum Husius, voce, ac manibus ad cœlum reflexis: Atenim omnipotentis nomine, vos appello, ob eos saltem, qui hic circumstant auditores, quo me liberem, apud ipsos omni suspicione, vt me benignis animis audiatis, quod vbi feceritis, postea vtimini in me arbitratu vestro. Verùm quum nec loquendo, nec orando, quicquam proficeret, tandẽ humi prostratis genibus, deo æquissimo iudici,

se causámque commendauit, ideóque crebrius inter accusandum factitabat. Post hos articulos, ex libris ipsius corrasos, ingeruntur mox & alia crimina, per testes & accusatores maleficos, introducta: cuius generis hæc aliáque fuerant: Quod à consecratione Eucharistiæ, diceret, in altari manere panem materialem: deinde, quòd sacerdos, mortali peccato pollutus, nec consecrare, nec baptisare possit, præter alia, quæ his similia proponebantur. Ad ea respondere satagenti, iterum à Cardinali Florentino indictum silentium. Ille verò, nihilo secius precibus instabat, vt se benignè audiant, saltem ob eos, inquit, qui hîc adsunt, ne falsò hos in me errores suspicentur. Nam quod obiicitis, ex me auditum, post consecratum sacramentum, panem manere materialem, id constanter pernego. Deindè assero, quòd sacerdos manifestis flagitijs immersus, non sit idoneus coram deo tractandis rerum diuinarum mysterijs. Itidem & ad alias criminationum respondebat obiectiones, vel aptè refellendo, quæ falso impingebantur, vel piè adserendo, quæ vera essent.

Conficta cõuicia & criminationes aduersus Hussium.
Iniqua Cardi. & Episcoporũ sæuitia.
Huss. transubstantiationem cum papistis confitetur.

Hæc dum aguntur, nouum quoddam commenti genus in eum conquerit, idque Doctoris cuiusdam testimonio confirmatum, videlicet quòd Sanctæ Triadi quartam, nescio quam, personam adijceret. Tum hussius: proferte, inquit, Doctoris huiusce nomen. At Episcopi hoc perpetuum habebant, quoties testimonijs vrgebatur pius martyr: sciscitanti testis nomen, sic respondebatur: Huius, inquiunt, criminis testes sunt duo canonici Pragenses, & totidem parochi, altarij tres, & vnus Doctor, nomina autem hominum celabantur. At ille, vt tantum hoc nefas, nunquam sibi vel per somnium in mentem venisse, sanctè asseuerabat, ita, ex hoc vno mendacio tam impudenti, quid de reliquis obiectorum calumnijs sentiendum sit, facile reputet prudens lector.

Nouum & impudens crimẽ Huss. obiectũ.

Repulsi itaque ab hoc lemmate Episcopi ad id confugiunt, simúlque verba recitant, vbi paulo superius, deum ipsum, vt ad summum prouocando iudicem, appellauit, quam quidẽ ipsam appellationem, velut pro impio errore damnauerunt. Quod quum audisset mitissimus Martyr, voce sublata exclamauit: En optime Iesu, quid hoc concilium molitur: Tu aliquando ab inimicis tuis oppressus, Deo patri iustissimo iudici causam commendasti tuam, nobis relicto exemplo, vt in afflictis rebus, nos similiter ad te, auxilij gratia, discamus accurrere. Atque hoc isti malefacti loco impingunt. Additque: Ego verò, ego, inquam, audacter affirmo, nullam certiorem appellationem esse, quàm ad Dominum Iesum, qui nec muneribus flectitur, nec testimonijs fallit, nec versutia imponit, quemadmodum nec ipse fallitur, at suum cuique pretium reddit.

Appellatio ad Christum in re necessaria hæresis apud pontificios.
Alia prouocatio Ioa. Hussij ad Christum.

Post hæc ingeritur & altera ei calumnia, quòd excommunicationem Pontificis flocci fecerit, nihilóque minus, à Missæ officio non abstinens. Ad hoc ille, equidem excõmunicationem hanc contemptui non habebam. sed publicè in concionibus appellabam ad iudicem, pergens vtique in sacris. Quin neque hoc contentus, ad summum Pontificem interea procuratores miseram, qui pro me satisfacerent. Qui tamen vt audirentur (nam mihi ipsi de causis, quas vobis exposui, adesse non licuit), impetrari nequitum est, quibusdam carceribus malè mulctatis, alijs per contumeliam exclusis, atque excruciatis miserè. Cuius rei testes sunt hæ tabulæ. Itaque in concilium hoc veni liber, conscientiam meam testaturus, fide publica accepta ab Imperatore, qui præstò adest, me ab omni vi tutum fore. Hæc cum loqueretur, oculos in Imperatorem defixos habuit, ille statim vehementer erubuit, eiúsque verecundus tinxerat ora rubor.

Excommunicationis pontificię contẽptus Hussio obijcitur.
Iusta & æqua Huss. purgatio.

Finitis tandem criminum capitibus, lecta est ilico à iudice Pontificio, condemnationis sententia: in qua cum ad illud ventum est, quòd multos annos pertinaciter

Sententia cõdemnationis cõtra Ioa. Hus.

tinaciter inhæserit erroribus: prorsus inquit Husius, id ego pernego. Semper me talem præstiti, atque nunc præsto, vt cupidissimũ me discendi sentiat, quisquis ex scriptura, me edocere, aut erroris coarguere poterit. Rursus, quũ sententia illa proferebatur, qua libri illius omnes, latinè, & Bohemicè scripti abolerentur: Sit ille, Quo, inquit, iure id potestis, quum lubenter, ad scripturarum normam, me corrigi cupiam? Dein, quum nec quisquam hactenus prodierit, qui firmo scripturæ argumento me erroris conuicerit. Postremò qui Bohemicè prorsus ignari estis, qua fronte libros non intellectos condemnatis? Pergit autem alter, in recitanda condemnatione. Qua demum finita, Husius pro inimicis clara voce deprecatur. Scis enim, inquit, Domine, me ab his iniustè accusatum, falsis testibus circumuentum, confictis criminibus oppressum, ac iniquè condemnatum, propter misericordiam igitur tuam, culpam eis remitte. His auditis, sacerdotum seniores plerique, ac præsertim Episcopi, toruo vultu inspectantes eum irridebant.

Iniusta condemnationis sententia.

Husius orat pro persequẽtibus.

Concilium derisorum.

Post hæc, septem ab Episcopis designantur, qui sacerdotium illi adempturi, amiculo sacrificorum, ac si missa ei celebranda foret, induerunt. Ac principio, alba missali indutus, ab Episcopis commouetur, vt errores, dum liceret, abiuraret. Mox ille, ad turbam paululum conuersus: En, inquit Episcopi me hortantur, ad errores retractandum, quod vt faciam, triplici causa absterreor. Primùm, ne mendacij olim apud Deum arguar, si errorum me reum faterer, quorum nunquam essem conscius. Tum, ne conscientiam meam, simul & veritatem diuinam offenderem, qui articulos mihi impositos, non modo nunquam asserui (falso enim per testimonia mihi obtruduntur,) sed contraria sæpe etiam & scripsi & docui. Deinde, ne animi tantæ multitudinis, cui hactenus concionatus sum, hoc pacto offendantur, reliquique simul resiliant, qui verbi diuini fideles sunt ministri.

Degradatio Ioan. Husij.

Husius errores reuocare qui potuit, quos nullos nouit, nec quisquam ex scriptura queat ostendere?

Articuli per falsa testimonia obtrusi Husio.

Id audientes Episcopi, cum tota factione, in hæc exclamant verba. Iam tandem perspeximus, quàm pertinax sit in malitia, atque tenax in sua hæresi, mandantes ilico, vt de mensa descenderet. Ibi sacerdotium ei adimentes, principio auferunt ab eo calicem. Deinde & reliquo apparatu hominem exuere pergunt, sic vt singulis vestibus singulas execrationes adiungerent. Husio interim respondente: Illusiones has se equo animo, pro nomine, & veritate domini nostri Iesu Christi sustinere. Detracto hunc in modum vniuerso apparatu, tandem ad verticis rasuram acceditur. Hic perplexa satis dissentiuncula aboritur, inter tartareos mastygas, quo instrumenti genere, nouacula, an forpice crudele mysterium expediretur. Itaque capillis, in quatuor partes, crucis in formam detonsis, verticem illum orbicularem dispungunt, adiecto epiphonemate: Iam sacrum concilium Ioannem Husium ordine sacrificali amouet, ipsa re declarans, quòd hominem hunc ecclesia dei ab se abdicauerit, ac destitutum suo præsidio, potestati seculari tradiderit. Móxque coronam Papyraceam, in ludibrium imposituri, illud accinunt, Animam tuam deuouemus diabolis inferni.

Pius Hus. sacerdotio & vestibus degradatus.

Imo ecclesia Antichristi.

Hus. potestati seculari traditus.

Animã Husij sanctã deuouent diabolis

Contra ille manibus complicatis, cœlum suspiciens, ait: At ego eam commendo benignissimo Domino meo Iesu Christo. Corona verò huiusmodi erat, ex paryro facta, & ad speciem pyramidis acuminata, cubitali ferè longitudine, in qua tres horrendi cacodæmones depingebantur, cum inscriptione criminis: Iste est hæresiarcha. Eam vbi viderat ille, dixit. Dominus meus Iesus Christus, pro me misero, longe asperiorem, ac spiniam coronam innocens, ad infame mortis genus gestare dignatus est, hanc ego multo leuiorem coronam nominis ac veritatis ipsius causa, miser peccator non feram lubens? Tum Imperator, Ludouico, Clementis filio, duci mandarat, vt acceptum Husium lictoribus traderet.

viri diabolici

Christus corona spinea Ludificatus, Hus. papyracea cũ tribus depicta dæmonibus.

Is igitur hanc gestans coronam, è templo ad supplicium ducitur, turba vndique armata commitatus, incensis primùm sub eius conspectu libris. Hoc vbi vidit, subrisit Husius, turbam commonens, vt ne crederent, propter errores exustum

ustum iri falsis nominibus ac testibus insimulatum se, ac vi oppressum. Postquam ad locum supplicij peruentum est, qui situs erat inter hortos suburbij Constantiensis, pius Christi martyr, flexo poplite, oculis & manibus in cœlum resupinis, Psalmos aliquot recitat, subinde versu illo, In manus tuas domine commendo spiritum meum, voce clara repetito. Euenit inter orandum, vt probrosa illa Corona, de capite deciderit, clamantibus satellitum nonnullis, restituatur rursus capiti, vt cum diabolis dominis suis exuratur.

Husius tum à carnifice erectus, clara voce, vt ab omnibus perciperetur, sic orabat: Domine Iesu Christe, crudelissimum hoc, & perhorrendum supplicium, propter sanctum Euangelium, ac prædicationem verbi tui, lubens & humiliter subeo: tu autem omnibus inimicis meis ignosce, precor. Tum populum paucis compellans, rogat monétque, nequis vllos in se errores hærere suspicetur, tantummodo fictitios, falsisque testibus firmatos titulos, quos nunquam docuerit, adscribi sibi. Simúlque, carceris custodibus, ad se conuocatis, gratias agit sedulo, pro summis in se collatis beneficijs: fratres enim, inquit, mei nedum custodes fuistis. Husſij verba quibus se purgat apud populum.

His aliisque sermonibus finitis, mox vestitu vsque ad indusium exuto, ad palum manibus reuinctis, sex aut septem funibus adligatur, primò proximè talis, deinde, sub genibus, mox supra genua, præterea, iuxta inguina. Sextus medium corpus ambiebat, postremus sub brachijs. Quin nec deerat altera, aspera & horrenda, qua ceruix sanctissimi viri astringebatur. Pedibus, hunc in modum, quam vastissimo compede reuinctis, duo lignorum fasces substruuntur. Additur sarmentorum ac fasciculorum strues, commistis simul straminibus, ceruice tenus.

Verum priúsquam materea inteenderetur, accessit ad eum ciuitatum Imperialium Marschallus, cum Ludouico duce, agentes cum Husio, vt vitæ seruandæ maturè consulat, spem veniæ fore, si dogmata & errores abneget. Quibus ille, errores, inquit, quos? quorum ego conscius non sum, nec vnquam fui. An vt illa in me agnoscam, quæ nunquam admisi, ac vltro innocentiam meam prodam, num id postulatis? aut æquum arbitramini? Testes ac arbitros, quales vultis subornatis, impudentissime in me mentientes, quibus quoniam lubentius acquiescitis, quam mihi, quid ego in hoc foro contendam amplius? præter alia multa iustissimæ purgationis verba, quæ alias in historia rerum ecclesiasticarum, alio in libro, fusius à nobis perscripta sunt. Verba Husſij ad Ludouicum ducem. Falsi ac mendaces testes contra Husſiũ subornati.

Ludouicus cum collega, his auditis, manibus complosis, ab eo discedunt. Carnifices statim admoto igne, pyram accendunt. Ibi Husius prælta voce, semel atque iterum exclamauit: Christe fili dei viui, miserere mei. Tertio canentem, oborto vento, flama eum præfocauit, atque ita conticuit, nutans interim capite, ac ora mouens, emisit spiritum. Vbi ligna corporis inferiora absumsissent, reliqua pars superior adhuc ex catena pendens, vna cum palo, pertortores in ignem detruditur, caput minutim concissum, ossa fustibus comminuta, quo citius incinerentur. Cor inter intestina repertum, ligno infixum acuto, seorsim assatur. Cineres dehinc corporis exusti, iussu Rabbinorum, in Rhenum proijciuntur, ne vel puluis tenuissimus superesset eius viri. Cuius tamen memoria, cum doctrina, neque igne, nec aqua, nec vllo supplicij genere ex animis vnquam piorum abolebitur. Ann. 1415. Iulij 8.

HIERONY. PRAGENSIS VIRI DOCtissimi vita, eiusque martyrium.

Hier. Pragẽsis historia, vita & martyrum.

DE Ioanne Husio, omni memoria dignissimo, dei martyre iam dictum superest de Hieronymo Pragensi, consimili officio, aliquid commemorandum, qui proximo deinde anno, 1415. pari fide discipulus, preceptorem consequitur, florida ætate, & eloquentia iuuenis. Qui, vt eandem causam cum Ioan. Husio, ita eosdem cum illo hostes, & accusatores sortitus est. Tum vt in omni vita illi coniunctissimus erat: ita nec morte à veteri sodale, ac pietatis socio diuellitur. Vt ergo prætermissis ijs, quæ ad vitam, mores, indolem, studia iuuenis cultissimi, ac incomparabilis spectant, causam ilico ipsius adgrediamur.

Hiero. exhortatio ad Hussium.

Hieronymus hic simulatque Ioannem Husium ad concilium accitum, iámque iturum intelligit, sedulo officio, adest amico suo, consolatum, rogat, adanimat, vt memor virtutis, ac constantiæ suæ, rem gnauiter gerat pro Christo, & veritatis incolumitate. Quod si ita eueniat, vt res opem operámque suam efflagitet, minimè se vel pietati, vel officio, aut amico defuturum. Qui nec multo post, ingraescente indies magis magísque contra Husium inimicorum infestatione, partim dolore percitus, ac metu periculi sui, partim æstu quodam diuinæ pietatis accensus, gestiebat & ipse concilium adire, succenturiaturus, si opus foret, vel saltem purgandi sui causa. Venit autem Constantiam, anno domini 1415. Aprilis quarto, vbi commoratus aliquantisper persentiensque id, quod res erat, nullo ordine res geri, omnia furore & periculis plena, clam se subducere ex vrbe cogitat, in oppidulum, quod vnum miliare distabat ab vrbe, deflectens. Vnde missis ad Imperatorem literis, cæterósque magnates, atque principes sacerdotum, petit ab ipsis, atque vniuerso concilio, saluum veniendi, ac redeundi commeatum, per literas conductitias, quarum fide tutus posset accedere.

Ann. 1415. April. 4. Hier. venit Constãtiã.

Saluus conductus Hieronymo denegatus.

Eas verò quum aliter impetrare non posset, nisi cum hac adiectione: Salua iustitia, sicque responsum à superbo sacerdotum consilio accepisset, daturos se illi saluum veniendi conductum, redeundi non item, &c. Reditum inde parat in Bohemiam. Erátque iam in itinere, quum hostium proditoria fraude interceptus, ad Ducem, filium Clementis deducitur. Qui demum reuinctis post tergum manibus, Hieronymum misit Constantiam, vbi summa cum ignominia, & contumelia acceptus, atque per totam vrbem circumuectus, in monasterium tandem minorum pertrahitur, vbi principes Sacerdotum Seniores populi, Scribæ ac Pharisæi, ipsius aduentum præstolantes, confluxerant.

Hieronym. in itinere interceptus, atque Constantiam reductus.

Ibi postquam vinctus coram Episcopis constitit, lectæ sunt literæ, quibus citatus ab ipsis, atque in ius vocatus fuerat, rogatúsque ab ipsis, cur fugeret, in ius vocatus, cur non sisteret se? Quia, inquit, saluum conductum, nec à vobis, nec ab Imperatore impetrare poteram, ad hæc intellectis hostium incidijs, quas mihi struxerant, cedere visum est, ne viderer mihi vltro, mortis periculum accersere. His dictis, ecce magna sacerdotum turba, contra Hieronymum efferata, testimonia & crimina, quanta possent vociferatione, in eum congerunt. Quorum vbi paululum conticuit tumultus, prorumpit mox Gerson cancellarius parisiensis, in hæc verba, Hieronyme, quum parisij agebas, angelicam quandam eloquentiam tibi arrogans, turbasti vniuersum gymnasium, multis dictis erroneis, in vulgus sparsis, & pestiferis &c.

Gersonis calũnia contra Hieronymum.

Hunc deinde sequutus magister colonien sis, Consimilem & ipse accusationem contra Hieronymum instituit. Similiter & alter Heidelburgensis Doctor. Quibus ille permodestè respondens, tum inprimis Gersoni: Venerande, inquit, Magister eo tempore, quo orationes parisijs in schola vniuersali haberem, & de thematis, more magistrorũ disserẽs, & ad quæstiones, pro conditione mea, respon-

Ad Gersonem responsio.

dens,

dens, eo, inquam, tempore, nemo vnquam de ijs, quæ tu mihi nunc obiectas, negotium facesserat, nec verbum vllum fecit, imo insuper in album magistrorum non sine assensu, & applausu Gymnasij Parisiensis, ab his adscitus sum. Quod quo modo facturos illos credibile est, si quid in me criminosum aut eiusmodi deprehendissent, quale tu mihi falsò impingis. Conuersus post hæc ad Colonien sem, pari modestia, rogat doctorem, e tam multis erroribus, quos in eum crepabat, vel vnum palam proferet.

Atqui is pudefactus, nunc se non recordari ait, futurum tamen post paulum, vt producerentur. Age, inquit, si quid in me vsquam produci poterit, in quo vsquam errasse videar, libens ac supplex erratum deprecans, meliori cedam sententiæ. Hoc dicto, qui propè astabant, exclamauerunt exurite, exurite hominem. At ille: quod si exitium meum adeò vobis cordi sit, fiat voluntas Dei. Crucifige, crucifige eum.

Tum Episcopus quidam Angliæ: Nequaquam, ait Hieronymo. Scriptum est enim: Nolo mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat. Tandem, fine calumniandi facto, lictoribus vrbis committitur. Qui arreptum, in quasdem ædes deducunt, ad vesperum adseruandum. Instante demum nocte, in turrim quandam ciuitatis, in cœmiterio S. Pauli coniecerunt, pedibus ferro cinctis, ac prælto carcere conclusis, ita vt considere non posset, sed solo capite terram pendulus attingeret. Atque ita dies complures excruciabatur, pane solo, & aqua pastus. Postea, graui correptus morbo, dari sibi confessorem postulat, quo obsecundans nonnihil illorum affectibus, carceris duritia leuaretur. Episc. hic Sarisburiensis à quibusdam dicitur.

Incidit interea temporis, dum Hieronymus in carcere recluditur, martyricidium Ioan. Husij, die, quem supra diximus 7. Iulij. Nec multo post, die Septemb. 7. Hieronymum hunc pœna carceris præter modum adflictum, sæpe clanculum ad sese accersitum, in ædi D. pauli, conueniunt, vbi mortis illi minas incutientes, ad abiurandum, & reuocandum, tum imprimis vt ad condemnationē, & mortem Husij, suū pariter cū ipsis calculum adijceret, persuadere conantur: quod ni faciat mortem & ipsi similiter interminantes, ob errores, quorum accusatus fuerat, testibus etiam adhibitis. Ibi ille partim mortis horrore, partim ex eorum manibus elabendi spe, retractauit ex eorum arbitrio, addens & illud, in gratiam illorum, Ioan. Husium iure esse combustum. Id tametsi verbis confessus sit, nihilo tamen magis fides illi habita non est. Nam iterum in fundum prioris turris dimittitur, pœna paululum imminuta, compedibus etiamnum relictis, armatisque adhibitis custodibus. Ann. 1415. Septemb. 7. Abiuratio Hieronymi.

Hæc dum aguntur anno proximè insequente 1416. capitales illi ex Bohemia hostes, furiosi martyromastigæ, Michael de Causis, Doct. Paletz vnâ cum monachis monasterij Mariæ Niuis, eiúsque turmæ alijs, apud se suspicantes, eum calculum reduxisse, non tam ex animo, quàm vt ex manibus illorum elabi posset, nouas actiones, & crimina in eum accumulant, instigantes Cardinales, iudiciorum in eo concilio præsides, vt ad ea respondere cogeretur. At hi, perspecta impulsorum malitia, impigrè curarunt, in ea concione, vt liberaretur. Hostes ex aduerso, summa renituntur ope, facinus indignum vociferantes, patrocinari tam impio hæretico, qui tot tantisque malis, tum se, tum vniuersam scholasticorum turbam, in Bohemia adfecerit. Quid multa? eò res euasit denique: Cardinales illorum furore labefactati, Hieronymum deserunt, ac iudicum officio sese abdicarunt. Quorum in locum suffecti sunt alij, acerrimi Husianæ condemnationis instigatores. Quos & Hieronymus ipse respuens, recusabat coram his iudicibus, causam suam in carceribus agere, petens loquendi sibi facultatem dari in publica frequentia, vbi certam animi sui sententiam libere expromeret. Huic concilij seniores haud grauatim assenserunt, rati illum Ann. 1416. Michael de Causis. Doctor Paletz Martyromastigæ. Patriarcha titulo Constantino Politanus. Et Doctor quidam Teutonicus. &c.

lum superiorem retractationem, noua redintegratione, denuò confirmaturum.

Ita in concionem deductus, cum iuberetur, ad aduersariorum obiecta respondere, diutius recusauit, asserens debere se prius causam suam agere, quàm respondere maledictis aduersariorum. Ita dicentem pro se, prius audiendum esse asseuerabat, tum deinde, ad æmulorum suorum probra, in eum congesta deueniendum. Sed cum hæc conditio sibi denegaretur, stans ibi in medio concionis:

Oratio Hieronymi ad patres Concilij.

Quænam est hæc iniquitas, inquit, vt cum 340. diebus, quibus, in durissimis carceribus fui, in sordibus, in squallore, in stercore in compedibus, in rerum omnium inopia, aduersarios, atque obtrectatores meos semper audiueritis, me vnam horam audire nolitis. Hinc est, vt dum illis singulorum aures patuerint, atque in tam longo tempore, vobis persuaserint, me hæreticum, hostem fidei, ecclesiasticorum persecutorem, mihi autem, me defendendi nulla detur facultas, vos me priùs improbum hominem iudicaueritis, in mentibus vestris, quàm qui forem, potueritis cognoscere &c. Quæ quoniam apud Pogium, & alios plenius expressa sunt, ab his petere licebit, cui libeat. Hæc multáque ornatè disserebat, strepitu, & murmure plurimorum sermonem eius interpellante. Tandem decretum est, vt ad errores, qui in eum conferebantur, responderet, deinde, loquendi, quæ vellet, daretur facultas.

Ann. 1416. Maij. 23. Articuli 107. cõtra Hieron.

Igitur eodem anno, die mensis Maij 27. in amplissimum illic templum ducitur, palam audiendus. Vbi centum & septem accusationis capita lecta sunt, in quibus, testibus etiam euictum esse dicebant, atque adeò condemnatum. At quia dicendi copiam expeteret, hanc sibi minimè denegarent. Mox Hieronymus, Deus bone, quam disertè, & quàm præsenti animo, perinde ac si nunquam carcere cruciatus esset, quædam capita, ad medium vsque diem, refellebat, ea duntaxat, quæ impudentissimè ac falsò, in eum intorquebantur, pernegans se eorum vllo modo esse conscium, omnibus reiectis testibus, quos, peruerso studio, contra se subornatos dicebat.

Hieronymus ad obiecta.

Iunij 2.

Eadem constantia, altero die, qui erat Iunij secundus, ad reliqua crimina obiecta respondebat. De ommbus perquam commodè se purgabat, suam criminandi iniuriam, in singulos aduersarios scitè retorquens. Nihil vnquam protulit indignum bono viro, cuius ex verbis, & argumentis, nihil colligi potuit, in quo vlla mortis causa, aut leuissimæ etiam offensionis inueniretur, teste vel ipso etiam Pogio, cæteríque qui tragœdiæ spectatores interfuerunt. Omnia esse falsa, conficta omnia ab æmulis asseuerabat. Denique ita rem gerebat, vt aduersarij, ad eius orationem, qua se contra eorum testimonia tueretur, partim rubore suffunderentur, partim obmutescerent turpiter.

Peroratio Hieronymi Pragensis ad Patres Concilij.

Inter cætera, cum recitaretur, illum sedis Apostolicæ detrectatorem, oppugnatorem Romani Pontificis, Cardinalium hostem, persecutorem prelatorum, & cleri, Christianæ religionis inimicum: tum surgens, querebunda voce, & manibus porrectis: Quo nunc me vertam, inquit, patres conscripti? quorum auxilium implorem? quos deprecer? quos obtester? Vos ne? At isti persecutores mei, vestras mentes à mea salute abalienauerunt, quum vniuersorum hostem me esse dixerunt eorum, qui me sunt iudicaturi. Nempè id arbitrati, quantumuis leuia, quæ in me fingunt, cætera viderentur: tamen vos vestris sententijs oppressuros, cõmunem omnium hostem, atque oppugnatorem, qualem me isti falsissimè cõmentiti sunt. Ita si eorum verbis fidem dabitis, nihil est quod de mea salute sperandum video &c.

Multos ille salibus perstrinxit, multos lœdorijs, multos persæpe in re mœsta ridere coegit, iocando, in eorum obiurgationes. Rogatus à quodam,

ecquid

ecquid de sacramento altaris sentiret? Ante consecrationem inquit, est panis, & vinum. Post consecrationem, verum corpus & sanguis Christi. Tum quidam, aiunt te dixisse, post consecrationem remanere panem. At ille, credo equidem panem apud pistorem esse, non in sacramento altaris. Ad quæ verba, quidam ordinis prædicatorum acerbius subinfert: Eho, negas tu id, quod nimirum dubium est? Huius petulantiam protinus compescuit ille: Tace tu, inquit, Monache hypocrate. Hic simulatque conticuit, exoritur alius, voce stentoria clamitans: Iuro inquit, per conscientiam, quod negas, id verum esse. Cui Hieronymus, Heus tu, inquit, sic iurare per conscientiam, tutissima fallendi via est. Quendam præcipuum aduersarium, nunquam nisi canem, aut asinum appellauit. Cum propter criminum multitudinem, ac pondus, res eo die tranligi nequiret, in diem tertium est dilata.

De sacramento altaris responsio Hieronymi.

Quo die, quum singulorum criminum argumenta recitata essent, ac subinde plurimis testibus adfirmarentur, tum surgens ille: Quoniam, inquit, aduersarios meos tam diligenter audiuistis, æquum est, vt me quoque, dicentem pari æquitate audiatis. Data est tandem, licèt multis perstrepentibus, facultas ei dicendi. Hic primùm à deo exorsus deprecatur eam sibi mentem dari, eamque dicendi facultatem, quæ in commodum ac salutem animæ suæ vertatur.

Altera protestatio Hieron. ad concil procereres.

Deinde, scio, inquit, Reuerendissimi Domini, plures fuisse excellentissimos viros, indigna suis virtutibus perpessos, falsis oppressos testibus, iniquissimis iudicijs condemnatos. Incipiens autem à Socrate, quem iniustè à suis condemnatum retulit, nec cum posset euadere voluisse, vt duorum, quæ asperrima hominibus videantur, metum demeret, carceris simul & mortis. Tum platonis captiuitatem, Anaxagoræ fugam, ac Zenonis tormenta: Multorum præterea gentilium iniquas damnationes, Rupilij exilium, Boetij, simul & aliorum, quos ipse Boetius refert, indignam mortem, commemorauit.

Viri boni per calumniam oppressi. Socrates. Carcer. Mors. Plato. Anaxagoras. Zeno. Rupilius. Boetius.

Deinde, ad hebræorum exempla transijt, exorsus primum à Mose liberatore populi, qui, quum mitissimus vir esset, quibus iniurijs, & contumelijs exceptus sit à suis, non ignotum est. Iosephum insuper à fratribus venditum, ob inuidiam, post, ob stupri suspicionem, in vincula coniectum recensuit. Præter hos Esaiam, Danielem, Hieremiam, Micheam, & ferè Prophetas omnes, tanquam contemptores dei, tanquam seditiosos, iniquis circumuentos sententijs. Hinc etiam Susannæ iudicium subiecit. Multorum præterea, qui quum viri sanctissimi extitissent, iniustis tamen sententijs perierunt. Postea ad Ioannem Baptistam, deinde, ad summum ipsum Seruatorem nostrum descendens, hos omnes falsis condemnatos testibus asseruit. Deinde, Stephanum à Sacerdotum colegio interfectum, Apostolos autem omnes morti damnatos, non tanquam bonos, sed vt seditiosos populorum concitatores, contemptores deorum, & malorum operum effectores.

Moses. Ioseph. Esaias. Hieremias. Micheas. Susanna. Ioa. Baptista. Seruator D. Iesus Christus. Stephanus. Apostoli.

Hæc disertè, magnáque cum omnium expectatione disseruit: Atque cum omne pondus causæ, in testibus situm esset, multis rationibus docuit nullam his testibus fidem adhibendam, qui non ex veritatis studio, sed ex odio, ac maleuolentia omnia peragerent. Tum odij causam ita explicuit, vt haud procul abfuerit à persuadendo, vt nulla, aut exigua, testimonijs illorum fides adhibenda videretur. Commotæ erant omnium mentes, & ad misericordiam flectebantur. Addiderat se sponte ad concilium accessisse, ad se purgandum, vitam suam, ac studia plena officiorum exposuit, & virtutum. Dixerat hunc morem priscis, ac doctissimis viris fuisse, vt in rebus fidei, sententijs discrepārent, non ad pessundandam fidem, sed ad veritatem reperiendam. Ita Augustinum, & Hieronymum dissensisse, nec solum diuersa sensisse, sed etiam contraria, nulla hæresis suspicione.

Discrepantes in ecclesia opiniones inter doctos sæpè accidunt, sine fidei periculo.

Expectabant autem omnes, vt semel se purgaret, retractando obiecta, vel erratorum veniam postularet. At ille, nec se errasse asseuerans, nec retractare falsa intentata crimina velle se ostendens, descendit tandem in laudationem Ioann. Husij, virum illum bonum, iustum & sanctum appellans. Se quoque paratum, quoduis supplicium adire, atque inimicis suis vltro cedere, & testibus impudenter mentientibus. Qui tamen aliquando eorum, quæ dixissent, rationem essent reddituri.

Magnus erat circumstantium dolor. Cupiebant virum tam egregium seruari, si quo modo licuisset. Ille autem in sententia persistens, vltro mortem appetere videbatur: Laudansque Ioan. Husium, ait, Nihil illum aduersus ecclesiæ statum commeruisse, tantùm abusus clericorum, superbiam, fastum ac pompam prælatorum, ferre minus potuisse. Nam cum Ecclesiarum patrimonia primò deberentur pauperibus, tum hospitibus, deinde Ecclesiarum fabricis, indignum viro illi bono videri, impendi illa meretricibus, conuiuijs, equorum ac canum saginæ, vestimentorum cultui, aliisque rebus religione Christiana indignis. Hæc ille, pluráque ingenti parrhesia attestabatur, quæ partim ex alijs historijs, partim ex Pogio ipso, qui singulos eius actus intuebatur, desumpta, si vera sint (quod negari non potest,) defendi certè inconsultissimum concilium nullo modo poterit.

Condemnatio Hieronymi.

Excelsa animi fortitudo in Hieron. aduersus terrores mortis.

Post hæc, datum est biduì spacium ad deliberandum. Qui quum constanter, defensis inhæsisset assertionibus, per concilium hæreseos damnatus, & igni exustus est. Cum multa admiranda in hoc martyre extiterunt, tum hoc imprimis laudatur in historijs. Stabat enim impauidus, intrepidus, mortem non contemnens solùm, sed appetens, vt alterum Catonem dixisses. In causæ actione vox suauis erat, aperta, resonans, cum dignitate quadam gestus oratorius, vel ad indignationem exprimendam, vel ad commouendam commiserationē, quam tum nec postulabat, nec consequi cupiebat. Ductus ad supplicium, iucunda fronte, alacri animo ad locum accessit, non ignem expauit, non tormenti genus, non mortis.

Nullus vnquam stoicorum tam infracto animo, mortem sustinuit, quàm is appetijsse videbatur. Non Mutius ille, tam fidenti animo (vt verbis vtar Pogianis) passus est membrum exuri. Neque Socrates tam sponte venenum bibit, quàm iste ignem toto corpore excepit. In flammis hymnum quendam cantillans, paulo diutius perdurauit, cum morte colluctans, quàm Ioann. Husius, quippe natura, & ætate illo robustior. Cineres vtriusque collecti in Rhenum proijciuntur. Durauit hoc concilium, post cædem Hieronymi, annum integrum, & menses quinque vsque ad diem 17. Maij.

Martyrium diui Hieronymi Pragensis. Ann. 1416. Iulij 29. Ann. 1418. Maij. 17.

Longiùs in his prouectus sum fortasse, quàm instituto conueniebat: sed non sine concilio faciundum existimaui, partim propter temporum, mensium, & dierum rectam supputationem, sine qua, haud commodè percipi possit hæc prophetia, partim quia sic postulabat ratio rei, quæ præsens agitur. Agitur enim de duobus testibus & prophetis, duabus oliuis, & duobus candelabris: in quo haud exigua subit difficultas, quid duali hoc numero prophetarum, testium, candelabrorum, & oliuarum significetur. Primùm, qui Rom. obsequuntur ecclesiæ, prophetiam hanc, in duas quasdam singulares personas prophetarum (Enoch videlicet & Eliam) quadrare non negant: Cæterum in duos hos quos modo diximus, Martyres, conuenire nullo modo posse contendunt, quòd hæretici fuerint, & ab ecclesia condemnati. Contra, diuersa pars sanctos quidem dei martyres fuisse illos non abnuunt, at prophetiam hanc minimè in eos solùm competere existimant, quum multo plures eodem afflati spiritu sacri ministri iam diu extiterunt, extántque dei beneficio, ingenti numero, qui in eandem curam reformandæ ecclesiæ incumbunt sedulo.

Duo testes, & prophetæ. Duæ oliuæ. Duo candelabra. Apoc. 11. Enoch & Helias mactandi ab Antichristo iuxta papistas.

Vtríf-

Vtrisque respondeo: primùm ijs, qui vt perfidos illos, & hæreticos traducunt. Age,& quænam hæc tandem perfidia est, aut hæresis, quam illis obiectant? Quia contra fœderis conditiones cum Cæsare initas, violatámque pactionem, Husius in fugam se dedit, vnde subuersa, & enervata vi diplomatis, perfidus habetur, meritóque ob hæreses condemnatus. Sic enim cochlæus ex Vlrico suo Reichentallo, ciue Constantiensi: Sic & ex cochlæo colligit Campianus. Quod, quàm impudens sit figmentum, vt omnes intelligant, res ipsa apertissimè conuincet. Cum primùm Constantiam appulisset Ioan. Husius, a die tertio Nouemb. ad primum Decemb. sine omni motu, aut metu, in hospitio sese, cum suis continebat. Quo toto tempore, cum nihil erat, quod Husius sibi metueret, communitus literis Cæsareis, qui nondum Constantiam venerat, interim nulla de fuga cogitatio, nec causa vlla erat, aufugiendi.

Cochlæus. Vlricus Reichentallus in historia sua Teutonica. Campianus.

De fuga Hussij mendax Cochlei & Campiani testimonium.

In quo, & Reichentallum ipsum habemus nobis suffragantem, qui fugam hanc Husianam, neque Nouemb. nec Decemb. mense contigisse planè confitetur. Cæterum multo illustriùs nobis succurret testimonium, ex nobilibus ipsis Bohemis, tum præcipue D. Ioan. Chlumensi, qui, quum continuò hospitatus esset cum Husio, in eodem diuersorio, literis publicè conscriptis ad Imperatorem, & concilij proceres, in hæc testatur verba: quod, *Quicunque hoc audiunt, vel audent dicere, quòd ipse Magister Hussius, vt præmittitur, prædicasset, vel, quòd minus est, à tempore aduentus sui, ad hanc ciuitatem, vsque ad diem & tempus captiuitatis suæ, vnum passim extra domum hospitij exijsset, idem dictus D. Ioan. de Chlum, se sub quacunque pœna, siue pecuniali, siue alia, cum quolibet tali vult obligari, quòd id, quod vestris paternitatibus, tam sinistrè retulit, nunquam iuste & veraciter producere poterit, & probare &c.*

Testimonium D. Ioan. de Chlum, in defensione Hussi.

Amabô, amice lector: quid hoc testimonio Nobilium luculentius? Quod si Ioan. Husius à primo suo aduentu, ad tempus captiuitatis, pedem vnum non extulit è suo diuersorio, aut igitur certum mihi tempus, mensem & diem huius fugæ assignent aduersarij, aut mendacij eos pudeat.

Cochlæus mendacij arguitur.

Respondet hic Vlricus Reichentallus: In dominica Oculi, quæ tertia est in Quadragisima, vbi celebrasset missam, accepto pane & vasculo vini, in curru cuiusdam domini Henrici, auectus est, deprehensus, atque reductus. Recte quidem habet. Quid sanguinarij isti Martyromastygæ, vel pro Hussij defensione, manifestius, vel contra sepisos luculentius afferre potuerunt? Nam si Huss. strictissimis mancipatus compedibus, in carcere continebatur apud fratres minores, tribus ferè septimanis ante aduentum Cæsaris, à secundo videlicet die decemb. vbi acerbissima febre concussus, ad mortis vsque periculum elanguit, à satellitibus ipsis Ioannis Papæ adseruatus, quod ex fide historiæ & epistolis ipsis Hussij compertissimum est: Deinde, ex eo in alium traductus carcerem trans Rhenum, ad diem vsque mortis acerrimè custoditus est: qui fieri potest, vt toto hoc tempore, tot obrutus cathenis elabi, etsi voluisset maximè, vlla ratione potuisset?

Ex Cochlæo in hist. Hussit. lib. 2.

Hussius de fuga falsò accusatur.

Eat nunc Campianus, cũ cochlæo suo & Reichentallo, pergántque mentiri de Hussij fuga, quam diu nemo sit tam non sani cerebri, qui cretensibus istis ψεύσαις fidem sit habiturus.

Venio ad alias aduersariorum crimiationes, quibus, vt hæreticos Husium & Hieronymum traducunt. Quid ita obsecro? Quid vnquam contra fidem, aut normam scripturæ Husius docuit, aut Hieronymus? Addo aliquid amplius. Si hæreticus est, qui à placitis S. Romanæ ecclesiæ defecit: Quid vnquam docuit, aut in concilio defendit, in quo non cum Papistis potius superstitiosè consentire videbatur? Quid de transubstantione, quid de corpore & sanguine in Sacramento, sine pane, & vino statuit fides Pontificia, quod ipse pariter cum ijsdem Pontificijs non confirmauit? Quis missas illo religiosius celebrauit, aut vota sacerdo-

Hussius de fide & doctrina Romanæ ecclesiæ quàm minimùm aberrauit.

ſacerdotalis cælibatus caſtius obſeruauit? Adde huc, quòd in dogmate Catholicorum, de libero arbitrio, de prædeſtinatione, de fide formata, de iuſtificationis cauſa, de meritis bonorum operum, quid aliter ſenſit ille, quàm quod docetur Romæ? Quam ille vnquam ſtatuam, aut diui imaginem eiecit è templo ſuo Bethlehem? Quoties, quæ à teſtibus falſiſſimè ſtruebantur, manifeſta ille inficiatione, aut etiam iuramento, à ſe repellebat? apta conteſtatione repudiabat? Agedum, quid igitur commeruiſſe illum dicemus, in quo, aut non ipſe pariter cum Romana ſede condemnandus ſit, aut cum eadem abſoluendus.

At obijciunt aduerſarij, contra Romanæ eccleſiæ decretum, inuexiſſe illum nouam communionis formam, ſub vtraque ſpecie, populo diſtribuendam. O grande piaculum! Atqui hoc nomine, Chriſto etiam dica ſcribatur, vocetúrque ipſe in ius, qui primus autor & magiſter huius diſtributionis extitit. Accuſentur & Apoſtoli, & primores ſuperiorum temporum, qui hoc ipſum, inde à primis eccleſiæ incunabulis, & frequentârunt, & docuerunt. Et qua fronte nouum hoc appellant iſti, quod tantam antiquitatis canitiem gerit? Aut quis ille Romanus eſt vicarius, qui teſtamentum domini ſui, ſic inuertere, & antiquare audeat? Quapropter aut Chriſtus cum Huſſio vt hæreticus condemnetur: aut cum Chriſto pariter Huſſium abſoluamus oportet.

Micha. Buechingeri teſtimonium pro Huſſio.

Creſcunt adhuc crimina nempè quia Pontificiam authoritatem conuellere ſit auſus, detracto ſedi Romanæ, eccleſiæ titulo. At huic calumniæ reſpondebit ipſe Buechingerus, acerrimus licèt Huſſij aduerſarius. Attexam ipſius verba. S. R. eccleſiam eſſe vniuerſalem, & alias eccleſias omnes excedere, Ioann. Huſſ. tribus cauſis probat.

Verba Huſſij in 12. articulo, p. 16. b.

Primò, quia gentes, loco Iudæorum, adiunctæ ſunt eccleſiæ ſub Romano Imperio.

Iſto tamẽ non obſtante, dignitas papalis habet ortum immediatè à Chriſto, ſcz. quantum ad ſpiritualem ad miniſtrationẽ & officium ſpiritualiter regẽdi eccleſiã.

Secundò, quia maior multitudo martyrum ibi triumphauit, quàm in alia ciuitate.

Tertiò, vt innoteſcat, quòd non locus, ſiue antiquitas, ſed fides formata fundat.

Et ille. Accedit his aliud, quod omnium grauiſſimè ſtomachũ Papiſtis commouit. Illud verò eſt quod excommunicatus à Pontifice, pergebat nihilo minùs per trienium in miniſterij ſacra functione. Quod, quia contemptus ſuſpicionem aliquam ingeſſit Romaniſtis, maximam hinc inuidiam apud eos conflauit. Attamen huic querelæ ſatis iam ante reſponſum eſt ab Huſſio, in ſua defenſione, vbi liquidò ſe purgat, à contemptu Romanæ ſedis. Qua in re, adiuuabo & ipſe nonnihil, ſi liceat Huſſij cauſam, aduerſus Pontificem, ita vt non modo Huſſium hoc criminine expediam, ſed in Papam ipſum fabam hanc omnem potius cudendam, retorqueam.

Primam Alexander Papa tertius edictum interpoſuit, ne quis amplius in Sacellis prædicaret, de Huſſio nimirum ſentiens. Huſſius mox ad eundem Pontificem appellauit. Quo non multo poſt defuncto, ſucceſſit ei Ioannes viceſimus tertius. Ab eo igitur citatus Huſſius, vt Romæ coram compareret, cum id ille propter hoſtiles inſidias, ſine vitæ periculo non poſſet, aduocato ad Pontificem miſit, qui cauſam illius agerent. Egerúntque illi quidem ſedulò. Quiſnam, quæſo hic contemptus? Verùm cum neque hi quicquam proficerent, pergens pontifex excommunicatione eum perſequitur, Huſſius cum nihil aliud ſupereſſet, quod proximum erat, id arripuit. A Pontifice ad Chriſtum appellauit. Atque hinc illæ lachrymæ. Hinc omne offẽſionis vlcus. Cedò, quid hic fecit Chriſtiano indignũ Huſſius? Cæterũ non quid ille, ſed quid Pontifex fecerit, videamus. Dira execratione hominem deuouet. Quid ita obſecro? Quo iure iſtud? qua autoritate, qua fronte atque audacia, ipſemet reſpondeat pontifex, ſi poſſit, non mihi, ſed grauiſſimis maiorum decretis, ſed grandioris eccleſiæ legitimis

gitimis concilijs.

Nicæni Cõcil. canon. 6. 7.

Ante omnia, quid Nicenæ dicat Synodo? In qua singulis patriarchis peculiares aſcribuntur eparchiæ, taliſq; metropolitarum æqualitas conſtituitur, quæ vniuerſalem omnem tollit in eccleſia autoritatem.

Antiocheni concil. canon. 21. 22.

Antiocheni Concilii Canon vigeſimus primus diſertè prohibet, ne Epiſcopus cuiuſcunque ſedis, ab alia parochia, in aliam tranſeat, nec ſe ſua ſponte ingerens, nec à populis vi adactus, nec ab epiſcopis coactus, maneat autem in ea, quam ab initio à deo ſortitus eſt, eccleſia. Et mox ſequente canone: Ἐπίσκοπον μὴ ἐπιβαίνειν ἀλλοτρίᾳ πόλει, τῇ μὴ ὑποκειμένῃ αὐτῷ.

Epheſinæ ſynod. canon. 8.

In eandem ſententiam, Synodus Epheſina, vniuſquiq; prouinciæ pura & inuiolata iura, ſecundum conſuetudinem, quæ iam ante inoleuit, ſeruari præcipit.

Carthaginenſ. ſynodus.

Quid quòd Carthaginenſes in ſuo concilio, appellationes, & rationes quaſcunq; ad tranſmarina loca, hoc eſt, ad ſedem Romanam apertè prohibent. Scriptis ad Cæleſtinum literis: in quibus ex decreto Nicæni concilij confirmant: ὡς οὐ δεῖ τὰ πράγματα ἀπαραδίκητα, ἐν τοῖς ἰδίοις παραπίπτειν τόποις. Si quid igitur in Huſſio animaduertendum erat, habebat domi ſuum Metropolitẽ, habebat Epiſcopos, & Iudices, vbi propiùs cauſa cognoſci illius potuit, quàm Romæ. Habebat & Romanus Pontifex ſua pomeria, & fines, quos egredi non oportuit. Quod hoc nouum audaciæ genus eſt, vt vnus Romanus Patriarcha, non contentus ſuis limitibus, contra iura, & præſcripta maiorum, contra veterem Eccleſiæ conſuetudinem, contra Conciliorum ſanctiones, & Scripturæ normam, vniuerſalem hanc ſibi poteſtatem affectaret, irruendi in alienas eparchias, cauſásque, quæ nihil ad eum pertinebant? Quæ cùm ita ſint, quam rationem nobis reddet, aut cauſam reperiet, Tranſalpinus hic Pontifex, quamobrem aut Ioannes Huſſius ad eum prouocare, aut ille domitiana ſua fulmina, (ex vitro licèt) tam procul in alienas oras eiaculari debuit.

Domitiana fulmina.

Cochlæus. Micha. Buechingerus. Campianus.

Clamet igitur, inſaniat furioſus Cochlæus. Plena mendaciorum volumina ſcribat Michael Buechingerus: Scribat Campianus contra Huſſitas, quos hæreſiotas vocat.

In his omnibus, quæ ſcripſit, aut docuit Ioannes Huſſius, quid tandem producent, quod vel ad fontes diuinæ Scripturæ non rectiſſimè conueniat? Vel, ſi diuaricet, non ab ipſo profectum, ſed malitioſa depraua tione ab aduerſarijs, iniquiſſimè detortum conſpiciatur. Quod facilè ex ſuperiore ipſorum defenſione æſtimari poteſt. Quoties enim, quæ à teſtibus proferebantur, manifeſta illi, aut inficiatione repellebant, aut aperta conteſtatione repudiabant.

Card. Cameracenſis.

Sed teſtibus contra ipſos iuratis neceſſariò credendum, clamat Cameracenſis. Et cur non æquè Ioanni Huſſio, pro ſeſe contra teſtes iuranti, fides habenda fuit? Si in ore duorum, aut trium teſtium, verbum omne ſtare oporteat, certè non defuerunt & iſtis ſui teſtes, ex Bohemica Nobilitate complures, ſatisque idonei, qui literarum ſignis, ac ſyngraphis in medium productis, dilucidè eos purgabant, ſi quid teſtimonia bonorum proficere valuiſſent. Quin nec alij multò nobiliores defuerunt teſtes & arbitri.

Teſtes pro Huſſio ſi audiri potuiſſent.

Habuit Ioannes Huſſius, habuit Hieronymus Pragenſis aduocatos ad manum paratos, Chriſtum ipſum, Prophetas, & Apoſtolos, in ſcriptura loquentes. Sed nullus hic, in toto theologorum Theatro, ſcripturæ apiculus vel audiri vel admitti potuit.

Doceri, ſi errabant, poſtulârunt. Nemo docuit. Rectiora afferentibus cedere promittebant. Nihil quiſquam attulit, in quo errorem vel monſtraret, vel emendaret. Tantùm minis, odijs, clamoribus, res gerebatur. Ex coniuratis maleuolorum teſtimonijs, ac mendaciis, lata ſententia eſt, mors martyribus inflicta. Neq; hoc quidem nouum. Ita iam olim ab ipſis adeò rerum primordijs, vſitato more,

Nulla ſcriptura, nec ratione oppreſſi pij Martyres.

receptum, ac continuis omnium ferè temporum exemplis confirmatum videmus, vt qui omnium innocentissimi, ac vita essent inculpatissima, semper improbissimorum probris, contumelijs, calumnijs, maledictis, iniurijs patuerint. Id primùm in prophetis, tum in Apostolis, ac sanctis Dei martyribus, quin in ipso Dei filio, verum esse compertum est. Primùm non defuerunt, qui veteres Iudæos, summi & vnius dei cultores, prædicarent numinis loco, suem aut Asinum coluisse, ex Cornelio Tacito, apud Tertullianum. Nec mirum, si hæc ipsis ita acciderunt, quum Christus ipse, qui esset summa veritas, quum optimè de omnibus meritus fuisset, tam malè audiuit apud multos, vt pro peccatore, Samaritano, bibulo, & voracè haberetur. Paulo & Stephano obiectum est: illi, quòd seditiosus, hæreticus esset, quòd turbas concitaret, insaniret, in legem dei blasphemus esset: Huic verò, quòd contumelias dixisset in legem, in Mosen, in templum, in Deum.

Cornelius Tacit. ex Tertull. in Apol. cap. 7.

In Apostolos falsò iactatum est, quòd ipsi inter se singuli: Paulus verò ab omnibus dissentiret. In primæ ecclesiæ martyres, quàm fœda iacta sunt conuitia? Illos inter se conspirare, antelucanis horis, inter se turpiter in tenebris conuenire, consilia contra rempublicam inire, infantes occidere, ferali ritu humanum bibere sanguinem, asinarios esse, quippe qui Asini caput colerent, homines esse impios, sine religione vlla, sine Deo, hostes Cæsaris, qui detrectarent pro ipso sacrificare, & litare, hostes esse humani generis, indignos luce, indignos vita &c. Breuiter ex omni memoria vix vllum tempus inuenietur, vel crescentis, vel constitutæ, siue renascentis religionis, quo non veritas atque innocentia, indignis modis, ab hominibus & contumeliosissimè acciperetur.

Ex his satis purgatam arbitror Hussij & Hussitarum causam, etiamsi nihil accedat amplius. Nunc ad institutum vt redeam, quid scripturæ propheticæ diuina autoritas de tota hac tragœdia, totóque hoc concilio præmunciat, quid pronunciat, accipiamus.

Apoc. 11. *Et dabo, inquit, duobus testibus meis, & prophetabunt diebus 1260. amicti saccis. Hi sunt duæ olivæ, & duo candelabra, in conspectu Dei terræ stantia. &c.*

In explicanda hac prophetia multorum diuinationes, supra recensui. Quorum omnium ineptissima meritóque explodenda videtur eorum interpretatio, qui duos hos testes, ad Enochum & Heliam, referunt. Quasi non potuerit Deus spiritu potentiæ suæ, alios sibi prophetas, quocunque loco, & tempore excitare, ac miraculis illustrare, nisi Enoch, & Elias, iam olim suo functi fato, è superis iterum in terras sint reuocandi. Deindè, quum Helias in cœlum receptus, figuram Christi in cœlum ascendentis, & triumphantis representauit, fieri non potest, vt Elias, in cœlum igneo curru euectus, iterum in terras occidendus mittatur, nisi de Christo, idē similiter sentiamus. Ad hæc, quis tam crassè delirat, qui de spiritu Enochi & Eliæ istud, non de personis accipiendum persentiat? quemadmodum & Ioan Baptista Elias dictus est, non quòd reipsa personam, sed quòd spiritum duntaxat, & excellentiam illius referebat.

Enoch. Helias.

Spiritus Enochi & Eliæ.

Propiùs ad rei scopum collimare videtur illorum theologia, qui fatidicam hanc prophetiam, ad pios prædicatores accommodant, quos, posterioribus his Antichristi temporibus, excitandos affirmant. Inter quos commemorant, Lugdunenses, Waldenses, Hussium, Hieronymum Pragensem, Hieronymum Sauonarolam, Lutherum, Zuinglium, Philippum, Caluinum, aliósq; non parum multos. Nec malè id quidem. Verùm cùm nec tempus definitum huius persecutionis Antichristianæ, nec mensium certam deductionem, nec testium nomina, numerúmque certa descriptione euoluunt, minimè satis respondere videntur, mysticæ huius prophetiæ explicationi. Vt autem fateamur, primo aspectu abstrusiora hæc videri ænigmata, quàm vt facilè recipiant interpretationem, tamen si quis pressius paulò propheticam hanc prædictionem excutiat, simúlque cum rebus, quæ posteà acciderunt, conferat

Ex Henr. Bullingero, Aretino, Sebastian. Meyr. August. Marlorato & alijs.

ferat: fiet fortasse, vt ex ipsa historia temporum ordinéque rerum gestarum, in veram ducatur oraculi notitiam. Quare experiamur quantum Christus dederit, quid nos historia rerúmque euentus iuuare poterint in prophetiæ huius discussione. In quo tamen id mihi (vt sæpè aliâs) præfandum est, nullius opinioni præire me velle, aut præiudicare. Si quid cui reuelatum sit probabilius, aut certius, lubens cedam. Interim mihi quidem accuratiùs, in singulas huius descriptionis circumstantias penetranti, ac figuras, cum rebus, præterita cum sequentibus conferenti, ex ipsa euentorum euidentia sic apparet, non posse huius vaticinij rectam intelligentiam, aliter consistere, nisi in duos istos, quos hactenus delineauimus, inuictos Christi athletas, atque in vniuersale concilium hoc Constantiense, propriè definitéq; accommodetur.

At obijciet hic, scio, quispiam: Etsi viri boni fuerint duo isti Bohemici Martyres: complures item occubuerunt, præter istos, dominicæ veritatis testes. Quid ea res, ad propheticum Dei spiritum, quòd de duobus particulatim agatur, in fine seculi: qui non nisi de publicis ferè maximique momenti rebus prophetare solent, vt respondeam, sit ita, iuxta vetus iurisconsultorum diuerbium: De minimis non curat Prætor. Sint isti duo tantùm, in tanto numero Martyrum, at, in duobus tamen istis, in hac ætate mundi, in tam corrupto Ecclesiæ statu, in medio Antichristi regno, qui primam nobis glaciem ad reformationem Ecclesiæ, suo sanguine aperuerunt, totius Euangelij causa versabatur. Sed vt hos mittamus, vlteriùs progrediamur, spectemúsque Concilium illud Constantiense, non particulare, sed vniuersale cum primis.

Obiectio.

Responsio.

Concil. Constantiensis consideratio.

In quo vniuersa Antichristi potestas in vnum coiit, in quo nullus defuit, in toto orbe Christiano, Patriarcha, non Antiochenus, non Constantinopolitanus, non Cardinalis, non Episcopus, non Archiepiscopus, non Abbas, aut Prior, non Theologorum, nec religiosorum ordinum examina pfammacosia, quin nec Imperator ipse defuit, cum sua manu. In quo vno Concilio, vniuersa denique Christi ecclesiæ in terris autoritas repræsentata, in vno tanquam cardine vertebatur. Atque hi omnes vno velut impetu, contra dominum Christúmque eius insurgunt, Euangelium oppugnant, testes eius fideles, præter ius & fas, sæuissimè contrucidant. Quid, an res hæc parui, quæso, momenti, aut Deo visa est, aut hominibus videri debet? Quid, an tanta tempestas in ecclesiam potuit, inscio diuino spiritu, ingrauescere, nisi ab illo iam ante præuisa? Quid, in hac sua Apocalypsi, in qua nullas ferè ecclesiæ afflictiones prætermittit, an hanc ille silentio præteriret? Nemo putet. Satis vel hic ipse locus Apocalypseos indicat. In quo luculentissimè totus bestiæ illius furor, motúsque vniuersalis Concilii contra sanctos Christi martyres depingitur.

Quod, quò illustrius intuentium oculis eluceat, rationes & coniecturas, ex clarissimis prophetiæ circumstantiis quibus necessariò id euincatur, apponamus: Si tamen ad obiecta quædam prius aduersariorum, respondeamus.

Papistarũ rationes in defensionem cõcil. Constant.

Scio enim id negaturos filios Papistarum, in hoc Concilio vllam efferbuisse, contra sanctos, persecutionem: sed iustam animaduersionem adhibitam, contra facinorosos. Quæso igitur, & quando regnabit Antichristus si nondum venit regnauitque in hoc Concilio? In fine, inquiunt, seculorum, quo tempore dominabitur Antichristus, per tres annos, & dimidium, expugnabitque Enochum, & Eliam.

Responsio cõtra Papistas.

Quid ego audio? An duos tantùm Prophetas istos occidet Antichristus, & non plures? Quid, cùm intra annos hos centum, centum penè dixerim milia Martyrum occubuerunt, ferro flamma, flumine, fame, vinculis, carceribus, exilio, Euangelii causa, in Germania, Italia, Gallia, Hispania, Heluetia, Bohemia, Polonia, Flandria,

Flandria, Anglia, Scotia, Dania, in Insulis, vicis, oppidis, vrbibus, castris, regnisq; totius Europæ, atque in India: quid, an nondum venisse Antichristum dicemus? Præterea, id quæro, quando emerserit in lucem Antichristus, delebitque duos istos prophetas, an sua manu solus eos occidet?

Obiectio confutata.

Non, sed copijs suorum cinctus, & potentia mundi armatus, in eos inualescet. Atqui idem factum est in Concilio hoc Constantiensi. Non, quia non aderat illic Enoch & Elias, sed in duos alios flagitiosos hæreticos sumptum est supplicium.

Age, & cur hæreticos eos censebimus, & non prophetas potius? quia ab vniuersali Concilio, quod errare non potest, sic iudicati, damnatique sunt. Atqui eadem ratione Christum, Stephanum, & Apostolos pro hæreticis ducamus, ac sceleratis, quia à summis pontificibus, à Scribis, & Pharisæis, totóque concilio superiorum potestatum, quæ propter ordinariam successionem, & gubernationem, sub falso ecclesiæ titulo, veritatis possessionem similiter sibi vendicabant, consimili furore opprimebantur.

Argumenta, quibus probatur ex circumstantijs, prophetiam hanc de duobus testibus, non posse aliter competere quàm in Huss. & Hieronym. 1. Circumstantia.

Sed quid verbis opus, argumentis rem exploremus, quibus nisi monstrauero ex clarissima contextus ipsius euidentia, ac necessarijs scripturæ circumstantijs, non posse hoc vaticinium aliter competere, nisi in tempus solùm concilij istius Constantiensis, cædémque istorum Martyrum, quos dixi, vincat papa, mihi nulla adhibeatur fides.

PRIMA CIRCVMSTANTIA.

Tempus sextæ tubæ.

PRIMA, quod ad temporis rationem attinet aduertendum, sub qua tuba, futura hæc sint, quæ de testibus, & de bestia hîc referuntur. Si sub sexta (quæ penultima tuba existit,) in vltimos igitur temporum fines hanc cadere prophetiam necesse fuerit: vnde priores illi testes & martyres, quicunque sub alijs tubis antegressi sunt, ad hanc tubam propriè pertinere nequeunt. Ad hæc, quum sexta hæc tuba multa, magnáque sub se complectatur, videndum, insuper quo ordine, ac temporum serie, singula hæc disponuntur. Ad primum huius tubæ clangorem, soluti sunt Angeli, in flumine magno Euphrate,

Sexta tuba ab anno do. 1300. res gestas hucusq; continet.

via patefacta est equestri exercitui non numerandæ multitudinis, à quibus occisa est tertia hominum pars. Qua figura denotatur planissimè Turcarum incursio, anno 1300. quæ incredibili clade orbem Christianum afflixit, Asiam, Africam, magnámque Europæ partem Christo abripuit. Post hæc descendit de cœlo Angelus fortis, nube amictus, librum apertum ferens, de propinquitate iudicij, & fine temporum prædicens, Mox euocatur Propheta ad deuorandum librum. Deindè datur calamus ad metiendum templum. Demum post hæc omnia, anno centesimo decimo quarto post Turcicam oppressionem, subsequitur concilium Constantiense. In quo duo condemnati sunt viri, vita, & doctrina insignes, papistæ hæreticos eos dicunt: nos pro sacris dei testibus ducimus: quod ex sequentibus circumstantijs, annuente Christo, clariùs eludebit.

SECVNDA CIRCVMSTANTIA.

2. Circumstantia.

CVM spiritus sanctus duos, hoc loco, testes certo quodam numero, & singulari consilio denotat, cur nos ex certo numero incertum faciamus, iugúmque hoc in plures, aut pauciores distrahamus, nihil causæ video. Etsi multò plures, ac diuersos fuisse scio, quos excetra hæc ascendens de abysso, diuersis temporibus oppresserit, quos etiam sacra Apocalypsis posteà commemorat, nihil repugnat tamen, quin Propheta hoc loco duos peculiariter, aptissimèque adnotasse videatur, vel quia, primi isti euangelicæ militiæ prodromi, primam Antichristi aciem sustinuerunt, omnésque eius vires & copias, in se experti sunt: vel propter illustre ipsorum

forum testimonium, in quo constantissimè succubuerunt: vel quia ex morte illa, tanquam fœcunda radice, vniuersa hæc ecclesiæ reformatio, in posteros propagata, primam hinc duxisse originem, aut incrementa sanè vberiora traxisse videatur, vt ne addam insuper, quòd Romana illa bestia, vulnus capiti inflictum nunquam ferè letalius acceperit, quàm ex hac ipsa nece, eo quòd siue doctrina eorum admoniti, siue exemplo excitati complures, pontifici posteà egregiè restiterunt. Ad hæc, si mens prophetæ in recensendis his testibus, plures, eosque incertos numero intellexisset, cur duos igitur præcisè, distinctéque numerauit? Quid dualitatis numero expressæ duæ oliuæ, quid candelabra duo, eadémque ante Deum stantia sibi volunt? Cur denique de ijs dicitur: quod hi duo Prophetæ cruciauerunt eos, qui habitant super terram? Quæ omnia si ritè componantur, in nullos aptiùs conuenire, quàm in Diuum Husium, & Hieronymum iunctissimum illi consodalem, videantur.

TERTIA CIRCVMSTANTIA.

3 Circumstan.

ACcedit tertia deinceps Circumstantia, qua efficitur, vt prophetia hæc nullo modo adaptari possit, quàm in duos hos duntaxat Bohemos, quos, vna simul in causa, vno in tempore ijsdem pariter diebus prophetare, simul cadere, eosdem sustinere aduersarios, vno eodémque supplicio corruere, denique vno eodémque temporis articulo reuiuiscere oporteat. Quæ quidem omnia simul coniuncta, ita in solos duos istos quadrant ad amussim, vt in nulla præterea tempora, vel in personas congruere, quisquam hactenus viderit, aut vnquam visurus est.

QVARTA CIRCVMSTANTIA.

4 Circumstan.

ADde huc, quòd non de cæde solùm, & sanguine sanctorum Martyrum, sed de vita etiam eorum restituenda mysticus prophetat vates. Postquam enim bestia bello eos adoritur, atque occidit, corporáque occisorum, in plateis Sodomæ, & Aegypti, insepulta aliquandiu iacuerint, non sine ingenti multorum lætitia, eò quod hi duo Prophetæ cruciauerunt eos, qui habitant super terram: tandem præter omnem hominum expectationem, summo Dei miraculo, vita eis reddita est, steterúntque super pedes, receptique in cœlum, terrorem inimicis inferunt multò maiorem, quam antea voluptatem conceperunt. Quibus ex rebus quid colligas aliud, quàm quod historia manifestè comprobat, testes videlicet duos à Deo mittendos esse, quorum doctrina à tribubus, linguis & gentibus spreta, ad tempus iacebit, at posteà reuigescet tamen, maiore cum splendore, inuito Antichristo, cunctisque illius Concilijs. Iam cùm tot pios verbi præcones, sanctósque Martyres, infinita ferè strage, ab hydra hac Romana exhaustos esse constat, tum ex istorum omnium numero, quos duos mihi proferes, in eadem causa simul extinctos, in quos vaticinium hoc similiter competere potest, de vita primùm illis erepta: deinde, post aliquod temporis interuallum, ijsdem iterum restituta, quemadmodum de restaurata Ioannis Husij, Hieronymique doctrina comperimus.

Corpora duorum testium occisa, per bestiam.

Corpora eorũ insepulta.

Corpora eorũ reuiuiscunt post tres dies & dimidium.

QVINTA ET VLTIMA CIRCVMSTANTIA.

5 Circumstantia.

VERVM, quum omnes rationes, & coniecturas perlustrauimus, nulla est, quæ propiùs rem ipsam attingit, firmátque euidentiùs, quàm si spacia ipsa mensium

mensium & dierum, quæ hîc ponuntur, rectè demetiamur. Sic enim legimus.

Dies 1260. *Et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis. Hi sunt duæ olivæ, & duo candelabra, ante Deum stantia &c.* Et mox deinceps: *Et cum finierint testimonium suum, bestia, quæ ascendit de Abysso, faciet aduersus eos bellum, & occidet eos. Et corpora eorum iacebunt, in plateis ciuitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma, & Aegyptus, vbi dominus noster crucifixus est. Et videbunt de tribubus, & populis, & linguis, & gentibus corpora eorum, per tres dies & dimidium, & corpora eorum non sinent poni in monumentis. &c.* Rursúsque in hæc verba.

Dies tres & dimidium.

Post dies tres & dimidium. *Et post dies tres & dimidium, spiritus vitæ à deo intrauit in eos. Et steterunt super pedes suos, & timor magnus cecidit super eos, qui viderunt eos. Et audiuerunt vocem de cœlo dicentem: Ascendite huc, & ascenderunt in cœlum in nube, & viderunt eos inimici eorum. &c.*

Quæ omnia si ad Husſium, si ad tempus concilij Constantiensis accommodentur, facillimam habent intelligentiam. Aliter, si ad alios detorqueas, velut coruos testa sectaris, nunquam efficies, vt cohereat, iuxta omnes circumstantias, adplicatio. Primùm amicti saccis dicuntur, quid aptiùs congruere in Husſium, & Hieronymum potest? qui ad Concilium accersiti, atque in carcerem mox detrusi, in squallore in situ, in stercore, in sordibus, in tenebris, in durissimis compedibus, rerúmque omnium inopia, crudelissimè distinebantur. Hi sunt duæ oliuæ, & duo candelabra.

Si quis voluerit eis nocere, ignis exit de ore eorum & devorat inimicos eorum. Hi potestatem habent claudendi cœlum diebus prophetiæ ipsorum, & percutiendi terram, omni plaga, quam voluerint, &c.

Euoluat qui volet, res gestas temporum, ante Concilium, in Concilio, & post concilium: ipsa pro Husſio loquatur historia. Primùm Alexander Papa vim aduersus eum moliri cœpit. Is paucis pôst mensibus morte abreptus est. Successit ei Ioan. 23. qui diro anathemate Husſium, ab ecclesia exturbare voluit. Quid accidit? Ipse in eodem concilio, quòd contra Husſium conscisuerat, deturbatus de suo solio, viuente adhuc Husſio, non multò post interiit. Episcopus Pragensis, ante initum Concilium, profectus ad Sigismundum Imperatorem, dum accusat Husſium, & ei adhærentes, moritur. Alter porrò Staniſlaus de Zuoyma, profecturus Constantiam, Husſij accusandi causa, in itinere, pestilenti intereeptus febre, periit. Quid de Imperatore ipso Sigismundo dicam, qui graui exacerbatus odio contra Husſium, bis ante concilium, contra Turcos pugnauit infeliciter, nec post concilium, cum eis postea congredi vnquam est ausus. Qui nec minus infeliciter cum Bohemis sæpiùs in aciem dimicans, toties ab eis repulsus ac in fugam versus est. Vt ne interim recenseam, quibus domesticis malis implicitus idem Imperator, quàm infelicem vitam, post Husſianam condemnationem egerit.

Exempla diuinæ vindictæ in aduersar. Huſſ. Alexand. pa. 5. Ioan. Papa 23. Episc. Pragenſ.

Staniſlaus de Zuoyma.

Diuina vindicta in Sigism. Imp. inimicũ Husſij.

Iam ne testes solùm, sed & prophetas Dei, istos rectissimè existimemus, vel hinc æstimari potest, quòd diuinus hic Husſius, cœlesti afflatu prophetans, contra Romanenses istos Martyrocidas, certò denunciauit futurum, vt centum reuolutis annis, Deo essent sibíque responsuri. Quæ verba in ambitu monetæ cuiusdam signatæ, imagine Husſij versatur adhuc in manibus. Nec minus vaticinii fidem comprobauit euentus.

Prophetica quædã vaticinia Ioan. Huſſ.

Altera prophetia Ioan. Huſs. de inclinatione regni pontificij.

Fertur itidem, quòd ante mortem, fatidico spiritu prænuncians secuturam inclinationem regni pontificii, affirmaret nasciturum ex suis cineribus olorem, quem non ita exusturi essent, sicut torrerent anserem. Significat enim Bohemica lingua Hus, anserem.

Prophetica altera reuelatio Husſij de restitutione Euangelij.

Quibus adiici potest & illud, non minus memorabile ipsius ὄραμα, cuius & ipse in epistolis commeminit. Præfuerat is sacello Bethlemitico, vbi assiduas agitabat

bat conciones, in qua ecclesia, visus est sibi per somnium, Christi & Apostolorum imagines nonnullas, pictura expressisse: at mox, accedente pontifice, cum suis, impeditum illum, ac imagines erasas esse: Quod vbi sit factum, post paululum adesse videt pictores alios, multóque plures qui denuò restitutis iisdem, quæ per pontificios expungerentur, alias deinceps picturas, non paulò plures, artéque celebriores adiecerunt, adeóque numero potentiáque inualuisse pictores istos, vt iam omnes cardinalitiæ centuriæ, cum pontifice suo, picturis rursus delendis impares existerent.

Ecclesia Bethlehem in qua docebat Hus.

Hoc ænigmate visum est Deo, quid esset sequuturum, seruo suo patefacere. Nec sefellit exitus. Quæso, Lector Christiane, ipse si Elias adfuisset, quid vel præstare ampliùs, aut certiùs eloqui potuisset? Quin nec addubito, permagna hæc & tibi videri congruentiæ argumenta, si modò ad res gestas huius concilij referantur. Sin aliter nulla omnino inuenietur ænigmatis huiusce solutio.

DE RATIONE TEMPORIS, DE MYSTERIO videlicet trium dierum cum dimidio.

VENIO nunc ad articulos temporum, quæ triplici ordine in hac prophetia disponuntur:

1 *Et prophetabunt, diebus mille ducentis sexaginta.* 2 *Et iacebunt corpora eorum inhumata, per tres dies & dimidium.* 3 *Et post tres dies & dimidium spiritus vita à Deo intrauit in eos, &c.*

Conferamus cum prophetica reuelatione, rerum consequentium historiam. Et prophetabunt, inquit, diebus 1260. &c. Primùm, quid voce hac, (prophetandi innuitur, explicemus. *Et prophetabunt*, inquit, *diebus* 1260, *&c.* Prophetarum autem hoc semper proprium fuit, in veteri testamẽto, vt peculiari legatione, nuncium diuinum perferrent ijs, ad quos destinebantur, siue ad impietates eorum redarguendas, siue ad rerum futurarum præmonstrationem. Sic Samuel missus est ad Saul. 1. Sam. 15. Nathan ad Dauidem. 2. Reg 12. Alius ad Amasiam. 2. Paral. 25. Elias ad Achab. 3. Reg. 18. Micheas ad Achab. 3. Reg. 22. Esaias ad Ezechiam Esai 37. 38. Ionas ad Niniuitas. Iona. 1. 2. Hieremias, Ezechias ad populum in Hierusalem. Ioannes ad Herodem. Daniel ad Chaldæos. Quibus omnibus ferè prophetis fatale hoc accidit, vt vix quisquam sine capitis periculo incolumis euaserit. Neque mitiùs cum pijs istis Martyribus actum est, qui in scriptis suis, & concionibus prophetantes, ex Euangelica doctrina, contra corruptissimos horum temporum mores, contra fastum, ambitionem, auaritiam, tyrannidem, symoniam sacerdotum, sacrósque ordines nimia licentia diffluentes prædicare, eósque in ordinem suæ vocationis reuocare, sunt ausi. Hinc bestia, quæ de abysso ascendit, funesto in illos odio flagrans, omnibus modis & machinis exitium illis molitur, tandémq; apprehensos, ad extremam vsq; necem, sæuissimáque tormenta persequitur.

Prophetarum communis ferè exitus.
Samuel. 1. Sam. 15.
Nathan. 2. Reg. 12.
2. Paralip. 25.
Elias. 3. Reg. 18.
Micheas. 3. Reg. 22.
Esai. 37. 38.
Iona. 1. 2.
Hierem. 1.
Ezech. 1. 2.
Ioan. Baptista, Mat. 14.
Dan. 2. 7. 10.
Bestia de Abysso.

Iam quòd diebus mille ducentis sexaginta prophetasse dicuntur, facile nobis hunc nodum discutiet historia, idq; duplici ratione si annos concilii ritè perpendamus, in quo prophetarunt isti Martyres. Durauit autem concilium hoc absolutè, per annos tres & dimidium: quod temporis interuallum si rectè ad calculos reuocemus, recta deductione, exibunt dies 1260. Anni verò tres cum dimidio. Siquidem tamdiu tempus propriè Husianæ perdurauit prophetiæ. Etsi verò ante id tempus, permultos in ecclesia nævos, & deformitates Sanctus Christi seruus cerneret, meritò reprehendendas, semper tamen intra fines sedatæ submissionis, huc vsque se continuit.

Durauit concilium Constantiẽse ann. tres & dimidiũ hoc est, diebus 1260.
Supputatio dierum, 1260.
Tres anni cum dimidio.

Postquam autem excommunicatus à pontifice eò adigeretur, vt aut deferendum sibi functionis officium, aut Papam cum satellitio suo, in se concitandum videret: Deum timere quàm homines maluit. Itaque veteres imitatus prophetas, ex sacris euangelicæ doctrinæ literis, corruptissimum regni Pontificij statum scribendo, mouendo, prædicando, acrius oppugnauit. Nec defuit interim successus, & applausus suorum, durante dierum illorum spacio.

Prophetiæ explicatio ex rerum gestarum euentu.

Non ferens Pontifex suas excommunicationes, tam indignè sperni, totus ira accenditur, quoniámque videret prophetas istos, aliter opprimi non posse, tot munitos fauoribus suorum: bellum in eos parat, consilia cum Imperatore contrahit, concilium conuocat, hominum non dico doctissimorum, sed sibi addictissimorũ. In quo concilio condemnatos bestia indignissimè occidit. Quin nec eo contentus furor Antichristi, in corpora occisorum insultat, probris, ac maledictis horrendis dilacerat. Quos adeò nullo dignatur sepulturæ honore, vt & cineres, cum terra abrasa, ad abolendam omnem eorum memoriam, in Rhenum proijceret: conscriptis insuper ad reges & nationes literis, sub autoritate sacrosancti concilij, in id sumo contẽdens studio, vt omnes in detestationẽ eorum sempiternã inflammaret.

His ita confectis rebus, post quam nihil iam restare videbatur, quod vel Antichristi rabies, vel cõcilij authoritas, aut vis hostilis, vel iudicia malignantium contra sacras istas oliuas, efficere potuerunt: cunctáque sibi iam tuta pollicerentur partes aduersariæ: Quid post hæc, diuina Christi potentia in cœlis egerit, in dissipandis inimicorum substructionibus, in propugnanda Euangelij sui causa, quæso velitis vicissim aduertere. Ita enim in prophetica narratione, subsequitur.

Et post dies tres & dimidium, spiritus vitæ à deo intrauit in eos: Et steterunt super pedes suos, & ascenderunt vocati in cœlum in nube, videntibus eos inimicis &c.

Tres dies & dimidium.
Spiritus vitæ intrat.
Super pedes stare.
In cœlum ascensio.
Ex lib. Concil. Tom. 3.
Concil. Constant. perdurat 3. integros annos, & 6. mẽses
Sessio 45.
Ex Actis Constantiæ & decreto Martini publicè lecto, 10. Calend. Junij in dissolutione Concilij.
Obiectio.
Solutio.
Error papistarum, qui regnum Antichristi, tribus tantum annis duraturum defiuiunt.

Plena mysterijs omnia. Age, & qui sunt dies isti tres & dimidium? Quis hic spiritus vitæ est à deo intrans in eos? Quid est stare super pedes suos, & in cœlum ascendere, timentibus inimicis. Quid an cuiquam id datum est in cœlum ascendere, præter solum dei vnigenitum? Aut his, qui ascensionem illius, typo prophetico præsignabant? non arbitror, sed ad tropicum sensum ista exigenda sunt. Ac primùm, quod ad dies attinet, non displicet mihi veterum interpretatio, qui tres dies istos, ad tres annos reducunt, cum dimidio. Constat enim non ex publicis modo testimonijs historiarum, sed ex libris ipsis conciliorum, per integrum hoc spacium triennij, & sex mensium, Synedrion hoc constantiense perdurâsse. Cuius prima sessio, inita est octauo die Decembris anno 1414. quo die Ioannes Husius, è domo cantoris Constantiensis, vbi per octo dies detinebatur, in Monasterium prædicatorum relegatus, carceri & vinculis mancipatur. Sessio vero 45. & vltima exijt anno 1418. vicesimo secundo die Maij, siue vt Bibliander numerat, 17. eiusdem mensis. Quod temporis interuallum conficit tres annos cum dimidio.

Quid ergo, inquies, an Antichristus regnum occupabit non amplius, quàm per vnum trienium & menses sex, quemadmodum commentantur papistæ? Non sentio, nec astruo: imo falsissimum hoc papicolarum esse delirium iudico. Sensus prophetæ longè aliud innuit. Loquitur de duobus Christi testibus, (quos numerat, sed non nominat) qui sub bestia, hoc est, sub Antichristo, affligendi sunt, & cruciandi tribus annis, & sex mensibus. Neque tamen proinde ex hac particulari, vniuersalis sequitur affirmatiua, quasi vniuersum Antichristi regnum tribus tantum annis, & semialtero, sit definiendum. Scribæ & pharisæi, tribus annis cum dimidio, Christum sunt persecuti, qui tertio demum die resurrexit corporaliter. Quid tum postea? At non ideò protinus, post tres istos annos, conquieuit eorum tyrannis, qui ante Christum, permultos occiderunt prophetas,

simulque

simúlque post Christum, permultis insuper martyribus, sub Romano Imperio, necem intulerunt. Nec aliter Antichristi Romani Phalarismus, longo quidem tempore, in corpora bonorum desæuijt, nunquam tamen, crudelitatem suam insigniùs demonstrauit, quàm in triennali concilio hoc Constantiensi, aduersus duos istos lectissimos Christi seruos, quos peculiariter nobis tanquam digito indicat hæc prophætia. Háncque esse genuinam prophetæ mentem, quo dilucidiùs sine omni hæsitationis scrupulo, pateat, cum ijs, quæ diximus, verba prophetæ continenter subsequentia conferamus. Pergit enim ille.

Et post dies tres & dimidium, spiritus vitæ à deo iterum intrauit in eos: Et steterunt super pedes suos &c.

Quis non videat, hæc ita quadrare in tempus huiusce concilij, beatósque hosce martyres, vt in nullos præterea torqueri vlla ratione queat. Primùm audis binos testes, cum finitum esset eorum testimoniũ, extinctos esse, à bestia. Iam quid bestia hæc nobis representat aliud, nisi potentiã Antichristi? At potentia hæc Antichristi, quænam tandem, aut qualis existat, intelligamus? Quid in vnius tantùm hominis vita ac morte, ac potestate posita, cõtinetur? Minime, sed in ordinaria quadam sedentium, ac regnantium successione publicáque consociatione, & multitudine Apostatarum rebellantium contra dominum, qui Christo posthabito, aliud sibi caput tanquam idolum, in terris statuunt, quod omnibus colendum, sub capitis periculo, obtrudunt. Atque illud quidem est adorare bestiam primam, nec contenti præscriptis euangelicæ doctrinæ, nouas leges sciscunt, nouos cultus, recentes ritus, & religiones efformant, iura decreta, dogmata condunt, constitutiones, vsurpationes nouellas cudunt, nexus, nescio quos, decretales, & laqueos articulorum implicant, quibus, seu Gorgonio ostenso capite, ora hominum, sub obtentu ecclesiæ, obturant, condemnántque pro hæreticis, ad carceres, ad ignes, ad tartara, ad dæmones, quicunque ipsorum dignitati oppedere, aut placitis obstrepere sunt ausi: Quemadmodũ ad rogum nuper condemnatus est Husius, cũ suo commilitone, in conuentu Constantiensi. Quid ita obsecro? causam nimirum subiungit propheta:

De potentia Antichristi.

Vtrum potestas Antichristi in vita vnius personæ cõtineatur.

Adorare bestiam primam.

Quoniam, inquit, *hi duo prophetæ cruciauerunt eos, qui habitant super terrã. &c.*

Pij prophetæ excruciant eos, qui habitãt super terram.

Non vnum dicit Pontificem excruciatum, aut paucos cardinales, sed eos qui habitant super terram &c. Vastam absque dubio propéque dixerim, vniuersam hominum multitudinem complectens, qui ex omnibus, nationibus, huc confluentes, ac in necem sanctissimorum consentientes, voluptatem ex interitu, dolorem ex doctrina eorum reuiuiscente, percipiunt. Quæ cum ita sint, quid modo de sãcta illa matre Romana ecclesia sentiendum, quæ longè latéque fusa per vniuersas terræ plagas, in catholica sua multitudine, tantopere gloriatur? Quod si eos prophetæ cruciarunt, qui habitant super terram, quis hic non videt, in quanta errorum caligine terra id temporis vniuersa detinebatur, quando populi & nationes super terram habitantes lucem diuinæ prædicationis ferre non potuerunt, in necem conspirantes eorum, quos misit dominus ad prophetandum.

Ecclesia Rom. Mater errorũ.

Quod si instabunt iterum Romanenses, hæc minimè referenda esse ad tempus huius concilij, sed ad vltimum trienniũ in fine mundi, quũ, regnante Antichristo, Enoch, & Elias de cœlo redituri sunt ad martyrium, ac demum in cœlum recipiendi: Satis à nobis iam ante huic figmento responsum est: vt pauca repetamus: primùm negat scriptura, de cœlo descensum, aut ascensum fore in hoc seculo præterquam illius, de quo dicitur. Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis, qui est in cœlo. Negat rursus eadẽ scriptura vllam fore visibilẽ carnis resurrectionem, ad vitam æternam, præterquã Christi, ante supremum diem illum, in quo non solùm Enoch & Elias, sed omnes simul prophetæ, & martyres resuscitandi sunt ad gloriam. Deinde quod somniant isti Endimiones redituros Enochũ, & Eliam: quorsum tandem istorum opus fuerit præsentia? Nimirum, vt confutent,

Cauillatio Papistarum. Responsio

Ioan. 3.

Nulla causa cur Enoch & Elias redeant ad confutandum Antichristum.

opinor, ex ſcripturis Antichriſtum. Agedum, & quid interim Romana faciet eccleſia, quæ tot abundat illuminatis doctoribus, quæ errare ipſa nunquam poterit, ductu diuini ſpiritus ſemper ſuffulta? Si Chriſtus eccleſiam ſibi charisſimam deſerere non poterit, nec ſpiritus ſui potentia deſtituere, cur igitur vicariam ſuam hanc ſedem non opponit potius Antichriſto? quid opus accerſito è cœlis, ad hoc negotium, Enocho & Elia, cum catholica eccleſia donis à Chriſto ſatis inſtructa, tot copijs cincta Catholicorum, ſatis per ſe valida videatur ad demoliendas omnes Antichriſtianas hæreſes, quamuis nullus veniat Elias? Præterea, quod de fine mundi fabulantur, nihilo meliùs cum ſcriptura cohæret Quandoquidem poſt decurſum triennium Antichriſti, & cædem duorum prophetarum, antequam concrepat ſeptima buccina, multa alia in hac vita ſecutura ſunt, teſtante eadem hac prophetia, ante ſupremam mundi cataſtrophen.

Nulla cauſa cur Enoch & Elias redeant ad confutandũ Antichriſtum.

Confutatur ab ſurda Papiſtarũ obiectio de Enoch & Elia.

Sed pugnabunt fortè iſti ex autoritate Auguſtini, Hyppoliti, Thomæ, Anton. & Vincentij, ſic enim Vincentius in ſpeculo hiſtoriali libro 2. part 2. diſt. 1. Enoch, & Elias diu reſeruati, in illo tempore venient, vt Antichriſtum redarguant, veritatem defendant, ſeductos reuocent, prophetabunt diebus 1260. amictu ſaccis, tribus annis cum dimidio. Prædicabunt pœnitentiam verbo & exemplo. Tum beſtia faciet aduerſus eos bellum, & vincet eos, corporaliter occidendo. Et iacebunt corpora eorum inſepulta, in platea Hieruſalem, gaudentibus interim cum Antichriſto inimicis eorum. Sed faciet deus cũ tentatione prouentũ. Nam poſt tres dies, & dimidium, diuina virtute reſurgent, iam non amplius morituri. Erit autem eorum reſurrectio manifeſta, vt ſicut impij priùs gaudebant, ita vice verſa, ijdem nunc ſtupeſcant & terreantur. Tunc aliqui mouebuntur ad pœnitentiam. Alij verò ad duritiã. Tunc Iudæi videntes ſe fuiſſe deceptos, conuertentur ad Chriſtum &c.

Vincentius in ſpeculo hiſtoriali. lib. 2. part. 2. diſt. 1.

Vincẽtii error de Enoch & Elia.

Enoch Elias Anton. cap. 6. tit. 6.

Sed huic rurſus opponimus Hieronymum, ſuper Malachiam, ad Meinerium & Alexandrum, cap. 4. vbi vocat Iudaizantes eos, qui putant Heliam in perſona vẽturum, his verbis: Iudæi & iudaizantes hæretici, Heliam putant eſſe venturũ & reſtituturum omnia. Vnde & Chriſto in Euangelio proponitur quæſtio: Quid eſt, quòd phariſæi dicunt, quòd Helias venturus eſt? Quibus ille reſpondit: Helias quidem veniet, & ſi creditis iam venit, in Helia Ioannem intelligens, hæc Hieronymus.

Hieronymus ſuper Malachiam, ad Meinerium & Alexandrum, cap. 4.

Error de Enoch, & Elia, ab Hieronymo confutata.

Breuiter, id mihi aduertant iſti, ſimúlque reſpondeant velim. In tota hac prophetia, de beſtia, de cæde duorum teſtium, de vita illis reſtituta, de tribus annis, & ſemialtero, de luctu & deploratione inimicorum contemplantium, de terræmotu, de decima parte ciuitatis occiſa, de occiſis in hoc terræmotu ad ſeptem hominum milia, de cæteris terrore fugatis, quid, inquam, in tota hac deſcriptione, mihi referent? quid denique, in tota hac allegatione Auguſtini, Hyppoliti, Thomæ, Vincentij, producent de Enocho & Helia, quod iam non ante in concilio hoc, & duobus hiſce teſtibus, in ſpiritu & virtute Eliæ prophetantibus, perfectum atque expletum cernimus? Primùm prophetabant illi diebus mille ducentis ſexaginta, id eſt, teſte Vincentio, tribus annis cum dimidio, in quibus prædicabant iſti pœnitentiam, verbo & exemplo. Initum eſt contra eos bellum. Occiſi ſunt à beſtia, nulla data corporibus ipſorum, imo ne cineribus quidem ſepultura: iacuerunt contempti & execrabiles. Antichriſtus cum ſuis triumphauit in morte iuſtorũ, qui prædicatione priùs eos excruciabant. Sed fecit deus cum tentatione prouentum. Nam poſt tres dies & dimidium, diuina virtute reſurrexerunt, factáque eſt eorum reſurrectio manifeſta, ſic vt impij, qui prius gaudebant, nunc, vice verſa, dolore perciti obſtupeſcerent vt verbis loquar vincentij & Antonini.

Quæ omnia cum in ſacris iſtis præconibus iamiudum peracta, præteritáque videantur, quid amplius in hac ſupereſt prophetia perficiendum? Ex quo facile conijciet, lector non imprudens, quàm craſſe iudaiſant hi (vt cum Hieronymo dicam) de venturo Antichriſto, quẽ ipſimet in ſuo pontifice, tã diu relucere, atq; adhuc in templo dei ſedere, in mũdo regnare, tantáſq; in eccleſia tragœdias excitare vidẽt,

niſi

nisi nihil omnino videant. Quin neque minus ridiculum est, quod de Enocho & Elia de cœlo redituris, atque occidendis à bestia fabulantur. Quasi verò in orbe desint Martyres occisi ab Antichristo, nisi & hi accedant pariter, qui numerum suppleant. Iam, quàm concinnè hæc cum verbis prophetiæ cohæreant, videamus. Nam si ad confutandum Antichristum, cœlitùs isti in terras immittendi sunt, nec Antichristus in terris regnaturus sit, vltra tres annos, & dimidium, qui eos, ante expletum finem triennij, sit occisurus, vbi iam dies mille ducenti sexaginta, quibus duo illi contra Antichristum prophetabunt?

Sed missis istis, prophetam ipsum loquentem audiamus, ac circumstantias notemus diligenter.

Et post dies tres & dimidium, &c.

Quid aptius de Constantiensi conciliabulo dici potuit? quod per tres annos, & sex menses perdurauit. Quo demum soluto concilio, mox diuina virtute, spiritus vitæ in eos rursus intrauit, qui in concilio occubuerunt, steterúntque super pedes suos, non quòd corpora eorum reuixerint, sed quòd causa, doctrinæque ratio, quæ in concilio prius proiecta, prorsúsque extincta, per triennium vidébatur, vitam ac vires, diuina virtute recolligens, effloruit, in solem rursus emersit, ac demum maiore propagatione, longè latéque, per omnes ecclesiæ partes se sparsit. Quod, quo spectatius eluceat, redeamus ad rerum gestarum historiam.

Cum primùm Bohemiæ auditum est, de indigno interitu Ioan. Husij simúlque Hieronymi, offensi ea re non parum nec immeritò, Magnates & proceres regni Bohemiæ, & Marchionatus Morauiæ, circiter sexaginta, coniunctis inter se consilijs, & suffragijs, literas dant (quas patentes vocant) vna cum sigillis appositis ad patres eius senatus conscriptos. In quibus, primùm famam suam, in concilio Constantiensi, non mediocriter læsam expurgant, ac defendunt. Deindè, quid communi sententia inter ipsos ratum esset, ac decretum, exponunt.

Nempe ne vllus sacerdos arceatur, aut prohibeatur, qui munus hoc sibi concedi expetit, quo minùs liberè liceat verbum deprædicare, iuxta sacræ scripturæ veritatem, siue in sacello, siue in templo, siue Monasterio.

Præterea, si quis sacerdos erroris insimulatus fuerit, is, vt ad Episcopum suæ solùm ditionis citetur, à quo si legitimè reus conuincatur, loco ac officio dimoueatur. Sin aliquis ex Episcopis, odio veræ & Euangelicæ doctrinæ, priuatam in eum vindictam nullo in errore deprehensum, moliatur, constitutum apud eos esse, ne Sacerdotem illum, ad talem Episcopum citari patiantur: sed vt causa ad Rectorem Academiæ, ad doctores sacrarum literarum, & Magistros deferatur.

Ad hæc, publico apud eos decreto, sancitum esse ac sacerdotibus insuper mandatum, ne quis excommunicationes accipiat, præterquam ab Episcopis suæ ditionis. Quæ autem legitimæ fuerint censuræ, eas se non repellere. Cæterùm si qui, ex ijsdem Episcopis, suæ ditionis, voluerit iniquis excommunicationibus, aut vi aliqua iniusta, ecclesijs ipsorum molesti esse, propter verbum dei & sanctum eius Euangelium, aut propter aliud quiddam, de quo non fuerit facta cognitio legitima, communi sententia ipsis decretum esse, non modo non obtemperare, sed etiam resistere, si ita necessitas postulabit. Idémque porro se facturos, si quis extraneus ipsos adoriri excommunicationibus voluerit, ne præter meritum suum, cuiusquam opprimantur tyrannide &c.

Præter has, non multo post mittuntur & aliæ litteræ, D. Cardinalibus. Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, Ambasiatoribus, Doctoribus & magistris, atque toto concilio Constantiensi, per Nobiles, milites Militares, & Armigeros, in regno Bohemiæ, & Marchionatu Morauiæ, conscriptæ ac consignatæ, cum subscriptis nominibus ad numerum, 54. Quarum summa his ferè capitibus continetur.

Concilij Cõstanti. durauit annos 3. 6. mẽses, nõ amplius

Finito concil. Constantiẽse, vita Husſij, i. doctrina eius restituta, quæ adhuc manet in ecclesia manebítq; in æternum.

Ex libro epist. Ioan. Husij Epist. 61.

Literæ patentes magnatum & procerum 60 in Bohemia & Morauia ad concil. Cõstãt.

Contra Bullã. Alexand. 5 & Ioan. 23.

a

3

Cõtra Romanas & exteras excommunicationes.

Ex lib. epist. Ioan. Husſij Epist. 62. Ann. 1416.

TESTIMONIVM NOBILIVM IN REGNO Bohemia pro Ioan. Huſſio: poſt mortem ſanctorum Martyrum, Ann. Dom. 1416.

Teſtimonia Nobilium in regno Bohemiæ de Ioan. Huſſio.

PRimùm egregiè cum illis expoſtulant, de indigniſſima condemnatione venerandi Magiſtri, bonæ memoriæ Ioannis Huſſij, quem Conſtantienſes, haud ſciunt, quo ſpiritu ducti, non confeſſum, nec legitimè conuictum, nullis contra eum monſtratis erroribus, ſolùm ad ſiniſtras, & importunas capitalium ſuorum inimicorum accuſationes, & delationes, tanquam hæreticum pertinacem condemnarint, & condemnatum acerbiſſimo mortis ſupplicio affecerint, in regni ſui Bohemiæ, & Moraniæ ſempiternam infamiæ notam.

Progredientes poſt hæc, ad purgationem atque encomium eiuſdem Huſſij, hæc habent verba: fuit, inquiunt, vir bonus, iuſtus, & Catholicus, à multis annis in regno, vita, moribus, ac fama laudabiliter conuerſatus, & comprobatus, legem etiam Euangelicam, & ſanctorum patrum, veteris & noui teſtamenti libros, iuxta expoſitionem ſanctorum doctorum, nos & ſubditos noſtros catholicè docuit, prædicauit, & in ſcriptis multa reliquit, omnes errores, & hæreſes conſtantiſſimè deteſtando, ad pacem, ad charitatem, quantum ſibi fuit poſſibile, verbo, ſcriptis, & opere ingiter exhortando: ita quòd nunquam audiuimus, nec intelligere potuimus, etiam omni diligentia appoſita, quòd præfatus M. Ioan. Hus quenquam errorem, aut hæreſim, in ſuis ſermonibus docuiſſet, prædicaſſet, aut quouis modo aſſeruiſſet, vel nos, ſubditoſque noſtros, verbo, vel facto, quoquo modo ſcandaliſaſſet, quin piè & manſuetè in Chriſto viuens, omnes ad ſeruandam legem Euangelicam, & ſanctorum, patrum inſtituta, iuxta prædicationem ſanctæ matris eccleſiæ, & ad ſalutem proximorum, quantò potuit verbo, & opere, diligentiſſimè hortabatur, &c.

Teſtimonium nobilium de Hieronymo Pragenſi.

Atque hæc illi de Huſſio. *Quin nec diſſimile teſtimonium in celebrando etiam Hieronymo ediderunt, quem virum, præter ſingularem facundiæ laudem, ſumma non ſolùm pietate, ſed & liberalium artium cognitione, cumulatiſſimè præditum, nec minus philoſophum illuſtrem, patres Conſtantienſes, non viſum, non auditum, non confeſſum, nec conuictum, ſolum ad ſiniſtram quorundam ſycophantarum delationem, ſine omni miſericordia comprehenſum, incarcerârunt, iámque, vt audiunt, crudeliſſima morte, ſicut Ioannem Huſſium, contrucidârunt.*

ALTERVM TESTIMONIVM SEV APOlogia pro Ioan. Huſſio.

Alterum teſtimoniũ Nobil. pro Huſſio.

DEmum poſt Apologeticam hanc, illuſtriſsimorum Martyrum defenſionem, ad ſuam deinde regniq; ſui purgationem progreſſi, grauiter cum illis expoſtulãt, quòd profeſsionẽ viri tam ſancti ac celebres, fidem tam leuiter adhibeant leuiſsimis tenebrionibus, qui falſiſsimis delationibus, ſuadere nituntur, in regno Bohemiæ, & Marchionatu Moraniæ, diuerſos pullulaſſe errores, ex eorum prędicatione, qui corda fidelium incolarum, periculoſiſsimè infecerunt, adeò vt niſi lima correctionis maturé adhibeatur, irreparabilem breui ſequuturam eius eccleſiæ ruinam. Quod quàm falſum ſit, & malitioſè confictum, luculentis argumentis commonſtrant. Illud addẽtes inſuper, idq; non ſine ſtomacho planè heroico, profitentes: quòd quicunq; hominum cuiuſcunque ſit ſtatus, vel præeminentiæ vel dignitatis gradus, conditionis, ſiue religionis (Imperatorem ſolùm excipiunt) qui hoc de ſe dixerit, aut dicturus ſit, in caput is ſuum mentiatur. Quoniámq; Euangelica cautione ita præſcriptum ſit, vt iniurias ſuas priuatas domino, cuius eſt vindicta, remittant: id ſe lubenter quidem facere, vt nihilo minùs tamen, ſi publica ita poſtulet neceſsitas, in eo non defuturos ſe officio ſuo, vt legem Domini noſtri Ieſu Chriſti, eiúsque humiles & conſtantes prædicatores, vſq; ad ſanguinis effuſionem, omni timore, hominúmque edictis,

edictis, atque interdictis quibuscunque posthabitis, tueri velint ac defendere.

TERTIA DEFENSIO APOLOGETICA, pro Ioanne Hussio & Hieronymo, per rectorem, & cœtum totius Pragensis Academia.

Tertia Apologia Academiæ Pragensis pro Ioann. Hussio & Hieronymo.

POST has Nobilium literas, ad constantiensem Synodum transmissas, subsequitur non multo post, & alia Apologia, per Rectorem, ac vniuersum cœtum Academiæ Pragensis, in defensionem Ioan. Hussij, & Hieronymi, quæ quoniam non admodum prolixa sit, nec inutilis ad maiorem historiæ fidem, ad verbum propè transcribenda, hoc loco, videbatur. In quâ, tota eius vita, ipsorum ita verbis, velut in tabula delineatur. Quæ, vt aiunt, mox à teneris annis semper sub nostrorum oculorum radijs posita, ita fuit moribus sanctis instituta, vt de eo culpam, etiam vnius criminis, nemo nostrum iuste sciat publicè profiteri. Cuius etiam intellectus magistralis, perspicuè nobis extitit mirabilis, vt in intelligendo velocior, in scribendo paratior, & in respondendo cunctis alijs esset sublimior, in prædicando cæteris feruentior, & melior apparet, nec vsquam in erroris perfidia, auditus à nobis, & inuentus est, præterquam quod, fuit sinistris malorum conuicijs sæpe, pro iustitia, laceratus.

O virum ineffabilem, veneranda præfulgentem speculo sanctitatis! O virum humilem, & magnæ pietatis radio coruscantem! qui contemptor diuitiarum, vsque ad excussum sinum, pauperbus ministrabat, qui genua pronus flectere, ad egenorum lectos non recusabat, qui lachrymis duros ad pœnitentiam prouocabat, animósque feroces, ineffabili dulcedine, mulcendo, mitigabat, qui vitia generaliter cunctorum, præsertim, superbi, cupidi, & opulenti cleri, antiquis scripturarum remedijs, quasi nouo quodam incentiuo, ex magna charitate, funditus exurebat: apostolicisque innixus vestigijs, tota sua cura, primeuæ ecclesiæ mores, in clero restaurabat, & populo. Qui etiam in verbi fortitudine cæteros instruxit, in omnibus omnia exercens charitatis opera. Et vt breuiter similia perstringamus, ipsum diuini muneris specialis gratia, vberioribus successibus ita afflarat, vt in omnibus fieret magister vitæ, sine pari. Certè fecit in eo natura, quod potuit, diuinaque munificentiæ gratiosa effecit liberalitas, vt non virtuosus modo, sed dici possit emphaticè, ipsa virtus.

Quid multa? profecto enim res ipsa probat. Aspera mors, quam à suis grauibus inimicis patientissimè pertulit, fidelissima testis est, quòd super fundamentum diuinæ fortitudinis fuerit stabilitus. Diuina profecto res fuit, & ipsum robur solius diuinæ firmitatis, tot impia probra, tot improba supplicia, famem, infamias, pro dei veritate, semper læto & ridenti vultu excipere, & tanta pietate etiam immobiliter coruscare, vitamque irreprehensibilem, in omnibus indefessam, morte acerbissima, consummare.

Hæc igitur, omnium Christi fidelium oculis, meritò proponenda prouidimus, ne fideles hunc virum, prorsus virum iustitiæ, aut quenquam eius sectatorẽ dubijs derogationibus, in anima sua periculum velint maculare, & falsa pro veris, improborum more, asseuerare. Hoc vnum optantes animo, vt sicut nobis factus est, conspicuum exemplar, in omnibus: Ita fiat omnibus Christi fidelibus, testis catholicæ veritatis.

Hussius & Hieronymus duo testes.

Consimilem in modum de Hieronymo testificantes, ita prædicant. Hoc ipsum publicè, corde, & ore profitemur, quòd M. Hieronymus, vita & moribus, in vniuersitate nostra, & regno Bohemiæ, laudabiliter conuersatus, & in fide catholica, & orthodoxa, multipliciter commendatus, pro veritate euangelica promulganda, & sinistra nota Regni Bohemiæ abolenda, desudans assiduè sicut ipse Ioan. Hussius superbiam, auaritiam luxuriam, & symoniã, cum alijs criminibus notorijs, præsertim ipsius cleri arguendo

patenter, & intrepidè deteſtando, in Conſtantia mortem conſtantiſſimè ſubijt, & de omnibus inimicis ſuis glorioſè triumphauit. In cuius rei euidentiam clariorem, præſentes literas, ſigillo noſtro appendente, iuſſimus communiri. Datum Prage, in pleno Concilio noſtre Vniuerſitatis. Die 23. menſis Maij Anno 1416.

EX ijs ſat vides, pie lector, quid pij iſti proceres, tum in regno Bohemiæ, tum in marchionatu Morauiæ, de ſe, de fidei ſuæ Orthodoxa integritate, de vita, & doctrina ſuorum Martyrum literis ad concilium miſſis, profiteantur. Quibus inſuper adiunximus honorariam teſtificationem Rectoris, totiúſque Academiæ Pragenſis, in defenſionem Huſij, & Hieronymi. Supereſt quarto iam loco, paucis attingamus literas etiam illorum, in quibus præter Nobiles Bohemos, Morauos, & Academicos, popularis eius ciuitatis multitudo, ſiue communitas, cum reliquo clero Pragenſi, iunctis pariter ſuffragiis, ac publicatis literis, ad ſingulos, & vniuerſos, conſenſionem ſuæ fidei, maximè circa quatuor articulos exponunt,

GENERALIS TESTIFICATIO TOTIVS COMmunitatis Pragenſis in defenſionem Euangelica veritatis, & doctrinæ Huſſianæ.

1 Libertas cõmunicandi ſub vtraq; ſpecie.

QVorum primus eſt contra inſanum, vt appellant, Concilii Conſtantienſis, decretum, de vſu integræ communionis, iuxta præceptum Chriſti, iuxta euangelii normam, veteriſque eccleſiæ diuturnam obſeruationem, retinendo.

Paupertas euangelica & Apoſtolica in eccleſiam reuocanda.

2 Vt ſacerdotes eccleſiæ, ſicut ex officio, vicarij ſunt Apoſtolorum, & ſucceſſores diſcipulorum Ieſu Chriſti, contenti iis, quæ ad alimentã & amictum ſunt neceſſaria, exemplo Apoſtolorum, reuocent, ſe in ordinem euangelicæ moderationis abdicatis ſuperfluis mundi opibus, & poſſeſſionum cumulis, in quibus, ſine modo, omniq; ratione, ſuperbiunt, ac luxuriant intemperanter.

Contra Bullã Alexandri quinti prohibentem in ſacellis prædicare.

3 Vt verbum dei, bullis Pontificijs non ſit alligatum, ſed à ſacerdotibus, & miniſtris liberè & paſſim annuncietur.

Poteſtas Pontificia & Sacerdotum ſubiecta ſceptro ſeculari.

4 Vt vniuerſa vitia, publica, mortalia, tam eccleſiaſtarum, quàm aliorum per Rectores politiarum, & ciuiles magiſtratus, quorum intereſt, à plebe fidelium, ſtudioſiùs extirpentur, &c.

Ex lib. Epiſtol. Ioan. Huſſii Epiſt. 66.

Publici huius ſcripti exemplar, cum argumentis, & probationibus, è ſcriptura & doctoribus, quoniam extat inter Epiſtolas Ioannis Huſſii, minimè hîc interſerendum, breuitatis cauſa, exiſtimaui, hæc interim, ex libris, & literis iſtorum obiter adſcribere libuit, quo plenius lectori conſtet, de Huſſio & Hieronymo, quales hi duo teſtes fuerint, quidque bonis omnibus, de ſanctiſſimis hiſce martyribus iudicandum ſit. Longè profectò aliter, quàm præceps, & ſanguinarium Concilium iudicabat Conſtantienſe, aut quàm ſcurrilis rabula Cochlæus, qui maledica inuectiua, in ſua contra Huſſitas hiſtoria, Huſſium peiorem facit, quouis corporali adulterio, aut Sodomita, ſeu parricida, aut infanticida, aut etiam, quàm vllus Cyclops, quantumuis ferus humanarum carnium deuorator, quódque mitiùs habeant iudicari (vtor verbis ipſius) non ſolùm infideles Pagani, Turcæ, Tartari & Iudęi, verumetiam flagitioſiſſimi Sodomitæ, ac impuriſſimi filiarum, aut ſororum, imò & matrum compreſſores Perſæ, atque etiam immaniſſimi parricidæ, Cain, Thyeſtes, Leſtrygones, aliique Anthropophagi, & famoſi Infanticidæ, Pharao & Herodes, &c. Sed abeat moloſſus hic, cum ſuis latratibus, nos, ad hiſtoriam reuertamur.

Probra Cochlæi contra Ioan. Huſſium.

Mat. 5. Beati eſtis cum probra iecerint in vos, & inſectati fuerint, & dixerint omne malum verbum aduerſus vos, mentientes, propter me.

Concil. Conſtant. ſolutio.

Durauit igitur, vt ſupra dictum eſt, tribunal hoc Conſtantienſe, ad ſpacium an-

um annorum trium, & sex mensium. Quibus demum euolutis, Synodóque dissoluta, per Martinum, anno 1418. vbi nihil iam restare amplius videbatur, quòd de progressu synceræ reformationis sperari posset, ibi maximè se proferre, ortúmque ducere cœpit splendor Euangelij, vt non frustra hîc locum habeat Leonis illud ad Theodoretum, Veritas ipsa, & clariùs reuiuiscit, & fortiùs retinetur, reddita post laborem, quàm per otium continuata. Nec malè à Cicerone in eandem ferè sententiam, scriptum: sæpè multorum improbitate depressa, veritas emergit, & innocentiæ defensio intercluſa, respirat, quòd aut hi, qui ad fraudem callidi sunt, non tantum audent, quantum excogitant, aut illi, quorum eminet audacia, à consilijs deseruntur. Ann. 1418. Leo ad Theodoretum ep. 61 Cice. pro Aul. Cluentio.

Quòd clarissimo hîc exemplo istorum ostenditur, qui quum in opprimenda veritate, vires omnes consumpsissent, plurimúmque se posse confidebant: in medio cursu à Deo repressi, spéque frustrati, à consilijs deserebantur. Interim vtcunque mortales spe sua frustrati à consilijs deseruntur, certè nunquam ecclesiam suam deserit nec deseret Christus, quin Euangelij sui causam, quantumlibet collapsam, ac propè extinctam, reficiet tandem, atque feliciore posteà successu prouehet. Cuius rei plenæ sunt exemplis historiæ, nulla autem plenior, quàm historia hæc Husiana. Psal. 118.

Bohemi igitur, & Marchiones, vbi literis, precibus, argumentis, nihil se proficere vident, causámque Husij solidam esse, verbo Dei, ac natura euangelij consonam, æquam, inculpatam, orthodoxam, quam ipsi nullo modo deserere debeant, communicatis simul consilijs, iunctísq; auxilijs, sese ad omnia aduersa subeunda parant. Nec stertit interim pontifex, cum toto suo rasorum genere, in contrariam partem connitens quantum potest. Erat, hoc tempore, profecturus Sigismundus Imperator contra Turcas, à quibus bis ante superatus, castris exutus, cunctísq; spoliatus ornamentis, non sine turpi Christiani nominis labe, vix demùm ex hostium etiasit manibus.

Finito itaq; concilio, bellum denuò cõtra Turcas molitur, erátq; iam in itinere, vt à finibus Hungaricis, hostem longiùs propelleret. Sed retractus à pontifice, & pontificijs, ad bellum Bohemicum, ex Austria, copias reducit in Morauiam. Atque hac in fide confirmata, deflexit in Silesiam, turbas illîc, in regione Vratislauiæ compositurus. Inde ad bellum Bohemicum se contulit, accitis subsidijs Saxonicis, & Marchicis.

Inualuerat enim contra Pontificios potentia Bohemorum, qui Husio addicti, indignóque eius supplicio inflammati, omnes Sacrificulorum, & Monachorum ordines, horúmque defensores, hostiliter persequebantur, comprehensos raptabant ad supplicia, fugientes pellebant in exilia, monasteria exurebant, è templis, statuas, & idololatrias exturbabant, quas reprehenderat Husius. Exhist. Peucerì lib. 5.

Etsi autem aliquoties inter se, iusta acie, vtrique conflixerint, vicerunt, tamen Husitæ, Zisca duce. Imperator ergo, ad eos reprimendos, ingressus in Bohemiam, Pragam caput gentis inuasit, & obtinuit, anno 1420. solitóque more, regio redimitus diademate, atque inunctus, in Bohemiæ regem, copias quas attraxerat, immisit in Bohemicas, à quibus, cùm illæ fortiter repulsæ essent, ac dissipatæ, Sigismundus aduersitate fortunæ territus, secessit in Morauiam, ad bellum redintegrandum. Interea Martinus quintus Pontifex, per Cardinalem Vintoniensem Anglum, totam, in Bohemos Germaniam qui tres ingentes contraxit exercitus, quorum quilibet satis ad opprimendam Bohemiam videbatur, concitarat. Quorum vnum ex Saxonibus conflatum ducebat Saxoniæ elector. Alterum, ex Franconibus, Marchio Brandeburgensis. Tertium ex Rhenanis, Bauaris, & Sueuis, Archierpiscopus Treuerensis, Otto. Zisca Bohemorum dux. Ann. 1420. Victoria Bohemorum cõtra pontificias legiones & Imperatorias.

Hæ copiæ omnes tripartito exercitu ingressæ sunt Bohemiam. Quæ vbi primũ in hostis conspectum venissent, incredibile dictu, quantus eos terror inuaserit. Ex libro Chronicor. Henrici Mutij. lib. 27.

Husſitæ collectis in vnum copijs, aciéque inſtructa, infeſta in hoſtem ſigna ferunt. Quod vbi vident pontificij, vix dum conſpecto hoſte, panico terrore perculſi, fugam turpiſſimam arripiunt, per ſyluam diſpalantes. Impedimenta omnia, machinæque bellicæ ſunt hoſtibus relicta predæ. Cardinalis & Archiepiſcopus hortari ſedulò, ne tantum admittant dedecus, ſed nihil proficientes coguntur & ipſi fugere. Ex hac fuga, aucti ſunt animi non parum Huſsitis, aduerſariis verò magnoperè deiecti.

Fuga papiſtarum in bello Bohemico.

Sigiſmundus autem Imperator animo nondum fractus, Norinbergam, principes, & ciuitates conuocat, docétque, quàm neceſſariò ſit iteranda expeditio, in Bohemos. Venit eodem tempore Norinbergam, pontificis legatus, Iulianus Cardinalis S. Angeli, qui principes hortaretur ad bellum ſuſcipiendum. Eſt igitur alia ſtatim expeditio decreta, & contractæ copiæ maximæ. Dux electus eſt Fredericus, Marchio Brandeburgenſis. Erat in eodem exercitu, Cardinalis S. Angeli, velut Anteſignanus militiæ. Hæ ergo copiæ, Bohemiam ingreſſæ, cæde, incendio, obuia omnia perdunt. Nulla ratio ſexus, neq; ætatis habetur. Huſsitæ contra, collectis viribus, obuiam occurrunt hoſtibus: Quorum aduentum ſimulátque audiuêre illi, nondum viſa hoſtili acie, abiecta præda, & armis, fugiunt pauidiſſimè. Cardinalis allocutus fugientes hortatur, vt maneant, magna victoribus præmia pollicetur, largiſſimas indulgentias, benedictiones Apoſtolicas, ſanctam obedientiam, hócque genus alia. Surdæ ſunt aures, verba ferunt venti. Cardinalis mirari, Germanos bello fortiſſimos, ita territos fugere, ſequi tamen cogitur fugientes. Multos in fuga occiderunt Bohemi, & conſecuti ſunt magnam prædam: cœperunt etiam eorum multos, & vicina quædam caſtra occupârunt, & villas diripuerunt, atque incenderunt. Sigiſmundus conuentus principum celebrat, reparare arma cupit. Sed quidam principum fatigati, differendam rem cenſent, donec mutatio aliqua animorum fiat.

Iulian. Cardi.

Dux Frederic. Marchio, dux belli contra Bohemos.

Cardinalis S. Angeli.

Pontificiæ legiones iterum profligatæ à Bohemis.

Breuiter quinquies tentatam tunc fuiſſe Bohemiam, totiésque eos, qui cõtra Huſsitas arma tulerunt, exutos eſſe caſtris, atque omnibus impedimentis, cítra prælium, narrant hiſtoriæ, vt dubium non ſit, hæc non ſine numine diuinæ potentiæ, gubernari, pro pio grege, & pro ſyncera doctrina filij Dei dimicantis. Quod vel hinc liquere poſsit, quum in aliquot annos, hoc bellum protraheretur, ſemper tamen conatus Romanæ eccleſiæ eruperunt in neruum, hoſtésque conterriti, palantes ac trepidantes, ſola conſternatione animorum, tota demum excluſi ſunt Bohemia.

Pontificiæ legiones quinquies à Bohemis victę & profligatę.

Conferamus iam iſta, cum verbis huius prophetiæ. Quid vel ſignificantiùs expimi, vel quadrare conuenientiùs poterit. Poſtquam enim de morte primùm ſanctorum martyrum, tum de vita illis reddita poſt dies tres & dimidium, poſteà de iiſdem in cœlum receptis, anunciaſſet, vbi iam inter ſanctos Dei martyres, feliciter triumphant beati ipſorum ſpiritus: in terras deinde deſcendens propheta, res dehinc gerendas perſequitur.

Et in illa hora, inquit, *factus eſt terræmotus magnus, & decima pars ciuitatis cecidit, & occiſa ſunt in terræmotu, nomina hominum ſeptem milia, & reliqui territi ſunt, & dederunt gloriam Deo cœli. &c.*

Primùm non poſſe hæc, in Eliam & Enochum competere, neque ad vltimam Antichriſti ruinam accommodari, ex eo palam eſt, quòd tam multa, præter hæc, alia magnáque reſtant, ante finem mundi ſequutura, veluti terræmotus magnus, in quo decima ciuitatis pars corruet, ſeptémque hominum milia occidenda ſint. Reliqui terrore perculſi ad ſaniorem mentem redituri ſint. Quæ omnia, in hac Huſsiana hiſtoria, illuſtriſſimè patebunt, ſi rectè bellicos hos motus intueamur, qui poſt Huſſii martyricidium, inter Huſsitas, & Pontificios, in Bohemia inciderunt, ſi terrores & conſternationem animorum in aduerſaria parte conſideremus. Denique ſi diuinam vindictam, in præcipuos huius turbæ autores rectè reputemus.

Vindicta Dei contra aduerſarios Huſsitarum.

Primùm,

Primùm Alexander quintus, Papa vix decem ſuperfuit menſibus, Ioann. 23. in Conſilio Conſtantienſi exautoratus eſt. Martinus quintus ad concilium Baſilienſe non perdurauit. Sigiſmundus Imper. quàm infelix fuit in bello Turcico, in prælio Bohemico, atque in domeſtico coniugio, ſupra nonnihil attigimus. De Iuliano Cardinale, pontificij exercitus anteſignano, ſupra paulò diximus. Qui non ita multò poſt, contra Turcas, cum Ladiſlao Vngariæ rege militans, vitam, cum ipſo ſimul rege, in turpi fuga, non ſine iuſta numinis vindicta, amiſit. Quæ omnia, ſi ritè ad perpendiculum trutinentur, haud ambiguam hinc intelligendæ prophetiæ, lucem attulerint. Quis enim non videt, terræmotum hunc præſagire bellicos tumultus, poſt perſecutionem Conſtantienſem, continenter in Bohemia ſubſecutos? Quid ciuitas corruens aliud, quàm publicam aliquam communionem cuiuſdam factionis eiúſque ruinam deſignat? Quid decima huius ciuitatis pars conuulſa, niſi imminutionem importat Romanæ obedientiæ? Quid occiſa ſeptem hominum milia, niſi cladem diuinitus inflictam aduerſarijs? Id quod in expeditione hac Bohemica, factum cernimus. Sequitur porro:

Contra Alex. 5
Cõtra Ioa. 23.
Cõtra p. Mar. 5
Contra Sigiſmund. Imper.
Contra Iulian. Cardinalem.
Iulian. Cardin. à Turcis occiditur.
Prophetiæ interpretatio.

Et reliqui territi ſunt, & dederunt gloriam Deo, &c.

Si præſens ipſe adfuiſſet propheta, rem ita, vt geſta eſt, expreſſiùs digito indicare non potuiſſet. Tanta ſiquidem copias Pontificias corripuit conſternatio, quæ retineri, aut reuocari à fuga, nullis ducum monitis potuere. Vt pluſquam cæcus ſit oporteat, qui manum domini hîc non videat belligerantem, pro populo ſuo, contra Pontificios. Illud certè nemini dubitandum eſt, quin milites (ipſi quos ſenſus horroris huius adeò deiecerat) facilè intus perſenſerint, terrificam Dei dextram, cui nulla vis humana, nulla Germanorum militum fortitudo potuerit reſiſtere. Vnde, teſtante Propheta, haud dubium eſt, quin omnem huius victoriæ laudem, ac gloriam, non hominibus, ſed deo ſolùm aſcribere cogerentur.

Ex iis igitur, quæ partim ex propheta hactenus commemoraui, tum ex ijs maximé, quæ in hiſtoria poſtea ſunt conſecuta, haud obſcurè liquet, quid de tota cauſa Huſſiana, quid de Beſtia, quæ aſcendit de abyſſo, quid de cruenta tyrannide Romanæ ſedis, corruptiſque doctrinæ eius inſtitutis, cogitandum ſit. Quod, quo conſpectius oculis ſubiiciatur intuentium, quæ reliqua ſunt hiſtoriæ, paucis perſtringamus.

Synod Baſiliẽſis ann. 1431.
1. De communione ſub vtraque ſpecie.
2. De ciuili dominio clericis interdicto.
3. De libera verbi prędicatione.
4. De publicis delictis minimè tolerãdis.
Synodi autoritas ſuperior papali.
Decreta aliquot Synodi Baſilienſis.

Poſt plagas has Romano Pharaoni, diuina manu, inflictas, ſequuta eſt, non multò poſt Synodus Baſilienſis, anno 1431. inita primùm per Martinum quintum approbatum aliquandiu per Eugenium quartum. Ad hoc Concilium inuitati fuerunt, atque etiam admiſſi Bohemi: ſimúlque adhibiti viri celebres & eruditi, ad deliberationes de controuerſis dogmatibus. Præter has diſceptationes, cum legatis Bohemorum, quæ quatuor capitibus ſuperiùs comprehenſum retulimus, certatum eſt acerrimè, de autoritate papali, tandémque decretum ex ſanctione Conſtantienſi, Synodi autoritatem ſuperiorem eſſe papali dignitate: poſſe Synodorum legitimis iudicijs Pontifices à gubernaculis dimoueri: tribuenda eſſe ſuffragia non ſolis Epiſcopis, ſed & cæteros, qui docti eſſent, ac pii, liberam habere, & dicendi, & diſcernendi facultatem.

Eugen. Concil. ſedem trãſfert Ferrariam.
Eugenius papa citatus ad Cõcil. Baſilienſe.
Eugenius confirmat acta cõcil. Baſilienſis.

Hos articulos, etſi leuiores, cùm non ferendos putauit Eugenius, ratus ex his paulatim plus ſibi libertatis ſumpturos, præcepit Synodum transferri, primùm Ferrariam, dehinc Florentiam, atq; inde rurſus Ferrariam. Quod cùm graiter ferrent Sigiſmund. Imp. & cæteri, qui conuenerant, citaréntq; Eugenium Baſileam, & ſi non compararet, diras ei execrationes minitarentur, abdicationémq; à pontificatu, territus Eugenius confirmauit acta Synodi. Sed mox adeptus occaſionem, nouam ex aduentu Græcorum, cum Ioann. Palælogo Imper. Byzantino, rediit ad prius Conſilium, promulgato edicto de Synodo, Ferrariam traducenda.

Inte-

Interim verò, dum in vinis esset Sigismundus, acriter restiterunt patres Synodi Basilienſis conatibus Eugenij. Mortuo autem Imperatore, vicerunt artificia Eugenij. Qui, quum autoritate non posset, armis Synodum dissipare studet, incitato Delphino Galliæ, vt Basilea, eos, qui conuenerant, pelleret. Sed neque hic defuit liberatrix dei gratia, contra vim Romanam depugnans, Galli enim in Alsatiam irrumpentes, postquam inauditam illic crudelitatem exercuissent, atque inde Basileam petere cogitant, exiguis admodum Heluetiorum copijs, fortiter cum toto exercitu, fusi sunt ac profligati.

Delphinus Galliæ incitãte Eugenio armis Basilæam adgreditur.

Delphinus diuina gratia victus & profligatus.

Synodus interea Basilienſis se disturbari, & loco remoueri passa non est, sed authoritate sua vsa, contra Eugenium, sententiam tulit, qua illum Pontificatu deiecit, suffecto in eius locum, Amadæo Sabaudiæ duce, qui Fælix 5. dicebatur. Inde nouum subortum est schisma, Papa contra Papam: Synodus contra Synodum, vt iam duo generalia concilia sub duobus capitibus, in vna ecclesia, nouo, ac inaudito exemplo celebrata vno eodémque tempore viderentur. In hoc schismate, motus ingentes extiterunt: causáque ecclesiæ variè habuit. Eugenius, cui adhæserunt Græci, accusat concilium, certátque pro suo iure, vniuersalem esse sedis illius autoritatem, qua nulla sit, siue concilij, siue cuiusquam potestas superior. Quicquid in ea sede statuant Pontifices, id pium erga deum, & iustum esse erga homines. Contra Basilienses aduersus Papam tres ædunt censuras, quas, veritates fidei catholicæ vocant. 1. Quòd generale concilium, vniuersalem ecclesiam repræsentans, supra Papam, aut quemlibet alterum, potestatem habeat. 2. Quòd concilium, generale legitimè congregatum, nulla authoritate, sine ipsius consensu dissolui, aut alio transferri possit. 3. Quòd quisquis his duabus veritatibus supradictis pertinaciter repugnat, hæreticus est censendus. In hoc tumultu rerum Romanensium, satis, ni fallor, perspicit prudens lector, quàm aptè conueniant historiæ, dicta prophetæ, de terræmotu, de decima parte ciuitatis extirpanda, de septem milium vastatione, de terrore reliquis incutiendo. Quæ omnia certissimo oraculo, post cædem diuinorum prophetarum sequutura, iam ante accepimus.

Eugenius papatu deiectus in concil. Basi.

Felix 5. in papatum assumitur.

Duo papæ, & duo generalia concilia vno & eodem tẽpore.

Schisma in põtificia ecclesia.

Ex decretis concil. Cõstãt.

Ex decretis concilij Basilienſis. Sessi. 33.

Item Session. 2

Sed pergamus vlterius. Et si enim multa magnáque hactenus diuinæ vindictæ argumenta, contra Rom. sedem, magnáque eiusdem inclinatio, post Husianam condemnationem sequuta est, non destitit sic tamen vindex dei iustitia, in debellanda Pontificij regni celsitudine, quin nec desitura, vt videtur, priusquam cruenta hæc hydra, quæ ascendit de abysso, redacta eò rursus vnde exierit, è medio prorsus profligetur. Quod, quo certius speremus, haud difficilis, nec obscura præbetur æstimandi copia. Nam alioqui quorsum pertinebat insigne illud, planéque diuinũ munus artis typographicæ, eodem ferè tempore, sub finem concilij Basilienſis, non tam humana sagacitate, quàm diuina Prouidentia, à deo terris immissum, in libris non scribendis, sed procudendis, tanta celeritate, ac facilitate, vt plus vno die, ab vno homine literarum imprimatur, quàm toto anno à pluribus scribi possit.

Ann. 1440. vt alij, 1453.

Ars Impressoria diuinitùs terris immissa.

Ex quo nouo, & mirabili scribendi genere, vix dici potest, quanta secuta sit rerum in ecclesia mutatio. Quanta hinc inflicta, infixáque Rom. tyrannidi plaga. Nec mirum, quàm diu enim hominum studia tam fœda occupauit barbaries, mentes occæcauit inscitia: pro fide inualuit superstitio, pro Christo regnauit Antichristus. Nulla sacrarum literarum lectio, nullus ferè saniorum scriptorum vsus, nulla politiorum disciplinarum cognitio viguit: tenebris, errore, corruptione, fædata omnia, quid mirum, si personatus hic Christi vicarius, in tanta temporum caligine, cæcas hominum mentes, adeo dementauit suis fucis, & fabulis? Cæterum vbi sic deo visum est, tam oportuno, ac singulari beneficio, expergefactas hominum mentes, ad meliorum studia literarum exuscitare, viámque sternere ad vberiorem rerum percipiendarum cognitionem, monstrata tam expedita libros excudendi facilitate: hinc cœperunt fontes primùm apperiri, euangelicæ veritatis, codices vtriusque testamenti, aliíque doctissimorum autorum, & interpretum libri, incredi-

Primus huius artis inuentor Germanus quidam Ioan. Gutbertus in vrbe Argentinensi.

bili

bili quadam copia, per omnes linguas euulgari, adeóque in manibus hominum versari, vt iam pueris ac fœminis conspicuè eluceat, ficta, falsa, fucata, plena mendacijs, & erroribus, quæ Romæ iam diu docentur. In quibus nihil fere sanum, nihil cum Euangelij natura consonum, nihil apostolicis exemplis aut vestigijs affine, nihil priscæ ecclesiæ antiquitatem redolens, ex sacra lectione, ex doctorum monumentis, ex historiarum inspectione, manifestè deprehendi poterit. Ex quo probabile fit diuinum hoc organon typographicæ inuentionis, à deo profectum, non alio consilio fuisse, quàm in fatalem papalis magnificentiæ ruinam.

Cæterum, quod ad hanc rem attinet, etsi nihil satis de ea dici possit, quoniam tamen diximus iam aliquid, ad alia properemus. progrediamúrque ad eum vsque annum, quo Ioannes Husius futurum prædixit aduersarijs, vt, centum reuolutis annis, deo responderent, & sibi.

Vertebatur siquidem annus, a morte Husij, & Hieronymi, iam centesimus, in quo, singulari dei gratia, excitatus est M. Lutherus, aliíque cum eo permulti. Deinde post eum, multo plures pictores extiterunt egregij, qui iuxta Husianum præsagium, easdem Christi, & Apostolorum imagines, à Pontifice, & cardinalibus erasas, denuo refecerant in capella Bethlemita. Hoc Husij vaticinium nunc verisimum esse, cum Papa, magno suo malo, experiatur, totque pictores tanta multitudine contra se indies videat inualescere, quorum ipse nec copijs resistere, nec argumentis refragari valeat: quin igitur ipse nunc videat, quid deo respondeat & Husio, quid commeruisse eos dicat, quamobrem in flammas conijcerentur. Nempè, opinor, quia ventres monachorum, & coronam Papæ ausi sunt attingere. O cœlum! O terra! O scelus hæreticorum expiandum? At si pro hæreticis plectendi sint, qui labes, & offensiones vitæ reuellere ab ecclesia laborant, quin eadem ratione, in ius vocetur Hieronymus, Augustinus, Chrysostomus, Origenes, Ambrosius, Bernardus, qui acerbiùs inuehuntur, in malos monachos, clericos, & virgines suorum temporum.

Ann. 1516. M. Luther. diuina prouidentia excitatus.

Salsa Erasmi ironia ad ducē Saxoniæ Fredericum.

Duo esse minimē attingēda: Coronā papæ, & monachorū ventres.

Christus tum grauiter increpat pharisæorum protocathedrias, & protoclisias: quid, an idem vicarium hunc sinum, tam superbè in protocathedria hac sua gestientem, agnosceret? Non venit ille, vt ait, vt sibi ministraretur, quin nec discipulos pertulit, de gradu inter se dignitatis concertantes. Rursúsque nec ferre potuit Christi spiritus, quæ excelsa huius mundi essent, quid, quæso, facturus, si triplicem hanc Pontificiæ coronæ celsitudinem cerneret? Si excelsos istos ordines Cardinalium intueretur? Christus dominus, non domini, sed serui formam susciPiens, exanimauit seipsum: Et Papa, non serui, sed domini susceptā forma, dominabitur vniuersis? Spreuit ille oblatas à satana mundi opes. At quid aliud Papa, quàm inhiat, pugnátque pro mundi opibus? Paulus, cum cæteris profitetur Apostolis: Non nos, inquit, ipsos prædicamus, ad nostrum quæstum, aut gloriam, sed Iesum Christum, dominum nostrum, non nobis, sed illi laborantes, adeò nullùm in vos dominium arrogantes, vt seruos nos vestros esse fateamur, propter Iesum, cuius amore nosmet omnibus, in seruitutem, subijcimus. Quid, & Apostolicus hic vicarius, vniuersalem sibi sumens autoritatem, adeò nullam agnoscit subiectionem, vt summos etiam reges, & monarchas, ad pedem beatorum osculā adigat?

Mat. 21. Mat. 20. Luc. 22. Luc. cap. 16. Philip. cap. 2, Luc. cap. 4. 2. Cor. 4.

In his morbis & vlceribus Pontificiæ hierarchiæ reuellendis, si præstitit quod potuit Ioannis Husius, quid fecit ille aliud, quàm quod multi ante eum fecerunt viri boni: aut quid docuit aliud ille, quàm quod complures, post eum, docuerunt, docéntque quotidie viri sancti, & eruditi, idque multo vehementiùs, solidiúsque, quàm Husius vnquam aut Hieronymus? Illud ne ipse quidem diffiteri potest Romanus Pontifex, qui tot quotidie libris, scriptisque disertissimorum hominum voluminibus, vndique ex omnibus mundi pla-

gis, in caput ipsius prouolantibus impetitur. Ex quo videant, & respondeant nunc Pyrachmones isti, quid sibi lucrifecerint, ex cæde istorum Martyrum: Quorum res multò iam deteriori in loco versantur, quàm viuente, & docente Husio. Siquidem eò nunc res redijt, aut breui reditura videtur, vt aut deponenda Pontifici persona hæc, quam gerit, aut exeundum è proscenio. Postquam mundus nunc videre incipit, Romanæ Pseudologiæ præstigias, adeóque ad summum rerum caput deuentum sit, vt vulgò disputetur, non iam de vniuersali primatu, aut successione Romanæ sedis, non vtrum papa, iure diuino, caput sit totius ecclesiæ: sed vtrum Papa, qui sedem hanc occupat, verus sit Antichristus, quem Scripturæ, certissima descriptione, nobis definiunt, venturúmque præmunciant. Quæ vna quæstio, si pergat, ita vti incepit, commodéque discutiatur, finem cæteris omnibus in Ecclesia turbis & controuersijs allatura, neruósque omnes Pontificij Imperij, vno ictu, conscissura breui videtur tempore.

Caput & corpus omniũ cõtrouersiarum: Vtrum papa sit Antichristus, an non.

At hæc arcano Dei iudicio, quæ futura sunt, relinquamus. Illud certum, quod nec Synodus ipsa Constantiensis negare poterit, quin multò deteriore in loco, res existant ipsorum, quàm viuentibus his, quos tam indignè mactauerunt. Atque de sexta tuba hæc hactenus.

Quid septima nunc tuba afferat, vicissim auscultemus.

Et septimus Angelus tuba cecinit, & facta sunt voces magnæ in cœlo dicentes: facta sunt regna huius mundi, domini nostri & Christi eius, & regnabit in secula seculorum. Amen. Et viginti quatuor seniores, qui in conspectu Dei sedent in sedibus suis, ceciderunt in facies suas, & adorauerunt deum dicentes: Gratias agimus tibi, domine Deus omnipotens, qui es, & qui eras, & qui venturus es, quia accepisti virtutem tuam magnam, & regnasti. Et irata sunt gentes, & aduenit ira tua, & tempus mortuorum, vt iudicentur, & reddas mercedem seruis tuis, Prophetis, & sanctis, timentibus nomen tuum, pusillis & magnis, & perdas eos, qui perdunt terram. Et apertum est templum Dei in cœlo, & visa est arca Testamenti eius, in templo eius. Et facta sunt fulgura, & voces, & tonitrua, & terræmotus, & grando magna.

Regnum Christi dom. nostri.

De septimo Angelo, quod paulò superiùs, in sexta tuba promissum accepimus, id nunc præstari cernimus. Prædixit enim fore, vt ad primum septimi Angeli classicum, finis temporum, rerúmque omnium τὸ τέλος adueniat, aboleantur mundi regna, cessent reges, & monarchæ terræ, cedántque illorum imperia ei, cui iure debentur. Vt iam non plures sint reges, sed vnus Rex, cuius Imperio subijciantur vniuersa, cadant principatus & potestates, flectatur omne genu cœlestium, terrestrium, & infernorum, qui solus regnabit in iudicio & iustitia in sempiternum.

Septima tuba.

Esai. 9.

De regni huius solida æternitate, quum multa apud Prophetas legimus, Esaiam, Danielem, Ieremiam, Ezechielem, Micheam, Zachariam, &c. Tum in hac maximè Apocalypsi, expressas de cœlo, voces audimus triumphantes, adgratulantium Angelorum, velutíque epinicion cœleste conclamantium, gratiásque agentium Deo, quòd aduenerit tempus illud beatissimum, tam diu exspectatum, quo sceptra mundi, quæ tot retro seculis, ab ijs occupata sunt, qui per vim & tyrannidem, miseris imperârunt mortalibus, terrásque pessimè perdiderunt, erepta ab eorum manibus, in verum tandem ac legitimum Principem redierunt, Christum Dominum, filium Dei vnigenitum, cui hæreditaria debetur omnium rerum possessio, idque duplici iure, naturæ videlicet, & redemptionis.

Ierem. 23. 33.
Ezech. 34.
Dan. 7.
Micheas 4.
Zacha. 9.

Quanquam neq; hoc interim negandũ, imperia & gubernationes politicas in humana hac vitæ societate, diuina permissione minimè carere. Nulla enim potestas,

Rom. 14.

testas, quæ non ex deo est, teste paulo. Et rectè quidem. Adeo enim mundus in maligno positus est, vt nisi fræno superioris potestatis coerceretur, nullo ordine, sursum deorsum omnia confusa perturbatione miscerentur. Verùm quoniam in ijs ipsis regnis & Imperijs multa peruersè & improbè geruntur, multa per vim & crudelitatem, in vexandis potius, quàm regendis ciuibus committuntur, quemadmodum in Turcico Imperio, similiúmque tyrannorum Monarchijs, accidere videmus: ideò à summo rerum conditore deo constitutum est, vt terrenæ hæ gubernationes, quæ ad tempus permittuntur, finem aliquando suum, cum mundo, fatalem habeant, redeátque omnis sub cœlo potestas, sub vnius principis nutu, ac numine, eiúsque æterna autoritate contineantur vniuersa. Quo tempore, vt nihil felicius, aut regno beatius, aut principe sublimius, optari potest: ita nec certius quicquam à nobis expectari debet.

Quod cum ex cæteris innumeris scripturæ locis, tum ex huius prophetiæ descriptione, cum primis constare poterit. Quo autem die, aut hora beatissimum tempus illud affuturum sit, minimè hoc loco indicatur. Attamen sub qua tuba, quo buccinante Angelo, faustissima hæc rerum inuersio, orbisque euersio ventura sit, perspicuum euadit. Vix enim Angelus septimus buccina personare incipiet, quin mox ad regnum capessendum, orietur ex alto cœlestis ille princeps, qui cæteris deletis regibus, solus occupabit vniuersa. Dies & hora venturi iudicij incognita, at coniectura tamen vicinitatis probabilis.

Atque interim quàm non procul absit à foribus optatissimus dies hic domini, quantáque hinc nobis concipienda sit certitudo, vel hinc pijs mentibus eluceat, quòd propheta de rebus non futuris, more aliorum prophetarum, vaticinatur, sed quasi de rebus, iam præsentibus, corámque in conspectu positis ἱστορήσας, ea, quæ vidisse se dicit, singula enarrat ordine, rem ipsam perinde ac si modò gestam oculis intuens, ijs verbis explicat. Regna mundi omnia Christo soli cessura.

Et facta sunt regna, inquit, *huius mundi Domini nostri Iesu Christi &c.*

Móxque conuersus propheta ad ea, quæ in cœlis gerebantur, producit in cœlo seniores, præ gaudio cadentes in facies suas, adorantes deum, simúlque gratias ei agentes, qui accepta virtute magna, & potestate imperij, hostibus suis quantumuis iratis, iram & vindictam, ecclesiæ verò suæ lætam pacem, alcedonia nunquam finienda induxerit, quódque aduenerit nunc tempus tam diu desideratum, beatissimæ resurrectionis καὶ δικαιοκρισίας quæ mercedem rependet sacris Christi cultoribus, prophetis, sanctis martyribus, pijsque dei seruis, nomen ipsius timentibus, tum pusillis, tum magnis: contráque ijs, qui perdunt terras, iustam perditionis vltionem infliget, &c. Iudicij descriptio.

Post hæc pergens propheta, septimam tubam duplici concludit sententia, quarum altera ad electos pertinet, quibus cœlum primum aperitur, in cœlo deinde templum dei: in templo denique arca testamenti ostenditur. Altera ad impios, in quos è cœlo irruunt fulgura, voces, tonitrua, terræ motus, & grando magna. Non potuit vis, totáque diuini iudicij ratio, breuiùs aut expressiùs representari. Vt enim inestimabile erit gaudium piorum, quibus in cœlo arca testamentaria, tam diu occlusa aperietur, cum reconditis omnibus in ea mysterijs: hoc est, omnes Christi thesauri palam fient in quo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter Col. 1. Ita diuersa ratione, horrendum erit iudicium impiorum, quibus nihil vnquam defuturum est, quicquid è cœlo emitti potest aduersitatis, & molestiæ. Videant proinde diligenter, caueántque sibi in tempore Pyracmones isti incendiarij, sæuiq; piorũ carnifices, qui vtcũque sub glorioso ecclesię titulo, cum Antichristo suo blandiuntur sibi ad tempus, in sexta hac tuba: veniet tamen septima aliquando tuba nec procul certè abest quæ mira rerum, ac temporum inuersione, præterita antiquabit, noua omnia, cœlum nouum, nouas terras constituet, Septima tuba Iudicij prænuncia. Col. 1. Pyracmones incendarij. Admonitio ad papistas persecutores.

ſtituet, quæ afflictis ſolatium adferet, potentes de ſede excutiet, humiles exaltabit, excelſa huius mundi deprimet, abiecta recolliget, quo tempore ij, qui Chriſto eiúſque Euangelio ſe opponunt, terráſque nunc ſua crudelitate, flagitijs, omníque genere calamitatum dilacerant, niſi meliori gratia reuocentur, æternum luent exitium, diuino fulmine in Baratrum nunquam finiendæ damnationis præcipitandi. Quum interim ipſi dentibus ſtridentes, dei amicos eſſe tunc intelligent, quos hæreticos iudicârunt, túncque in gloria Dei refulgere, quos priùs calcauerunt. Dominus Ieſus, Agnus ille Dei illibatus, occiſus olim pro peccatis noſtris, ſedens nunc ad dexteram maieſtatis, miſeros nos peccatores infinita gratia ſua circundat, ſuósque ſeruet ab omni malo. Amen.

CAPVT XII.

ET ſignum magnum apparuit in cœlo. Mulier amicta ſole, & Luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum 12. & in vtero habens, & clamabat parturiens, & cruciatur vt pariat. Et viſum eſt aliud ſignum in cœlo, & ecce Draco magnus rufus, habens capita ſeptem, & cornua decem, & in capitibus eius diademata ſeptem. Et cauda eius trahebat tertiam partem ſtellarum cœli, & miſit eas in terram.

Et Draco ſtetit ante mulierem, quæ erat paritura, vt cum peperiſſet, filium eius deuoraret. Et peperit filium maſculum, qui recturus erat omnes gentes, in virga ferrea. Et raptus eſt filius eius ad Deum, & ad thronum eius. Et mulier fugit in ſolitudinem, vbi habebat locum paratum à deo, vbi paſcant eam, diebus mille ducentis ſexaginta.

Et factum eſt prælium magnum in cœlo: Michael & Angeli eius, præliabantur cum Dracone: & Draco pugnabat, & Angeli eius, & non valuerunt, neq; locus inuentus eſt eorum amplius in cœlo. Et proiectus eſt Draco ille magnus ſerpens antiquus, qui vocatur Diabolus, & Satanas, qui ſeducit totum terrarum orbem, & proiectus eſt in terram, & angeli eius cum illo proiecti ſunt.

Et audiui vocem magnã in cœlo dicentem: Nunc facta eſt ſalus, & virtus, regnum dei noſtri & poteſtas Chriſti eius: quia proiectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat illos, ante conſpectum Dei noſtri, die ac nocte. Et ipſi vicerunt eum propter ſanguinem Agni, & propter ſermonem teſtimonij ſui, & non dilexerunt animam ſuam, vſq; ad mortem. Propterea latamini cœli, & qui habitatis in eis. Va terræ & mari, quia deſcendit Diabolus ad vos, habens iram magnam, ſciens quòd modicum tempus habet.

Et poſtquam vidit Draco, quòd proiectus eſſet in terram, perſecutus eſt mulierem, quæ peperit maſculum. Et datæ ſunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, vt volaret in deſertum, in locum ſuum, vbi alitur per tempus, & tempora, & dimidium temporis, à facie ſerpentis. Et eiecit Serpens ex ore ſuo, poſt mulierem, aquam, tanquam flumen, vt eam faceret rapi à flumine. Et auduit terra mulierem, & aperuit terra os ſuum, & abſorbuit flumen, quod miſit Draco ex ore ſuo. Et iratus eſt Draco aduerſus mulierem, & abiit facere prælium cum reliquis de ſemine eius, qui cuſtodiunt mandata Dei, & habent teſtimonium Ieſu Chriſti.

QVæ hactenus decurſa ſunt, in ſuperiore huius voluminis parte, tribus maximè viſionibus continentur, de quibus ſatis iam dictum arbitror. Quæ reſtant deinceps, viſiones aliæ, numero plures exiſtunt, tum quatuor potiſſimum à plærisque numerantur: quarum quæ primùm in præſenti hoc capite locum occupat, mulierem, eiúſq; ſemen oſtendit, ſimúlq; horrendos tumultus Draconis, aduerſus mulierem eiúſq; partum deſcribit, præter alia item ſtupenda, atq; admiranda, quæ in duodecimo hoc alteróq; conſequente capite, ſpectanda proponuntur.

Et

Postquam autem ita visum est diuinæ pietati, pro immensa sua misericordia, humanum genus è misera hac mortis & Diaboli captiuitate, qua tamdiu obstringebatur, eximere: filium suum vnigenitum in orbem ablegare voluit, expediendi huius negotij gratia, qui dependens pro peccatis nostris, acceptáq; potestate, in cœlo, & in terra, salutem vniuersis in se credentibus, liberaliter & gratis indulserit. Hunc filium dei vnigenitum peperit primùm virgo mater corporaliter, peperit deinde mater ecclesia, paritq; quotidiè. Qua ratione? non carnali, sed dum fidē Christi Seruatoris vbiq; gentibus disseminat, salutis æternæ viam hominibus spiritualiter aperit. Ex quo Christus quotidiè in cordibus multorum per ministeriū ecclesiæ propagatur. Hanc fidei doctrinam, vitæq; æternæ beneficium nullo modo ferens Satan, omnibus cōparatis præsidijs, oppugnat, ingenti æstuans furore aduersus mulierem: at multò magis efferatus in filium ipsius, modis omnibus eum persequitur. Verùm cum diu frustráq; conādo, frustratum se omni expectatione videt, eò quòd subductus is esset in cœlum, ad thronū dei, quem attingere amplius non potuit, vim omnem malitiæ in mulierem conuertit, quæ peperit masculum. At quæret hîc aliquis, quū filius hic mulieris, functus peregrinationis suæ curriculo, mox in cœlum sese subduxit, tutus ipse à morsu serpentis, cur non & matrem vnà secum euexerat? cur in terris reliquit, in tanto aduersantium furore discerpendam?

Ecclesia spiritualiter quomodo Christum parit.

Obiectio.

Quòd raptus ille esset in cœlū, necesse fuit: primùm vt propheticis de se miraculis respōderet: tum vt caput ipsius corporis in tuto collocaretur, nō parui referebat. Non potest enim perire corpus, florēte ac vigente suo capite: deinde vt efficaciùs è sublimi regnans, ac triūphans, suis succurreret in huius mūdi pelago luctantibus. Neq; n. cœlū ita eum tenere arbitremur, ac si illic desideat otiosus. Imò multa plura, & maiora, corpore absens, indies præstat, ac perficit, quàm cùm præsens in terris inter suos ageret. Primùm, dū Draconem cum suis angelis, cunctásq; ipsius accusationes è cœlo exturbat: dum ecclesiā suam donis cœlestibus instruit, fide illustrat, spirituali cōsolatione imbuit, in afflictionibus subleuat, inimicos compescit, dum nauem sæuis persecutionum fluctibus iactatā, mira sua prudentia tranquillat, tentationū procellas sedat, afflictiones immissas, opportuna solatij cœlestis vicissitudine tēperat, vires, vigorem, virtutes, robur, sensus, scientiam, gregi suo submministrat, exuscitans hinc inde, quosdā apostolos, alios Euangelistas, alios prophetas, quosdā doctores, ministros, & pastores idoneos in ædificationē ecclesiæ suæ. Quam nunquā interim deserit ille, aut præsente sua ope destituit, quamuis longè hinc à nobis, toto cœlo sepositus videatur. Deniq; nec dubium est, quin quo raptus sit modo mulieris filius, eodem pariter & mulier, nimirum ecclesia ipsa, recipiēda sit, suo tēpore, vbi rediturus est ipse, ad iudicādum viuos & mortuos. Interea tēporis relictam in terris mulierem, diutiùs adhuc versari in mundo necesse fuit. Quæ etsi in cælum simul cum filio, pari societate, non raperetur: ita tamen diuina ope datum est illi, vt alis aquilæ magnæ subuolaret in solitudinem, vbi sedem habens à Deo paratam, tutámq; ab hostili incursione, *pascerétur, arcana dei prouidentia, diebus mille ducentis sexaginta.* In muliere, cuius fuga in solitudinem, conditio ecclesiæ intelligitur. Etsi enim in primis illis, & periculosis ecclesiæ temporibus, permulti sanctorum occubuerunt, at ecclesia tamen à deo cōseruata, atq; occultata ab hostibus, nec peruestigari, nec tota vnquam extingui potest, quin reliquias semper aliquas habeat, sempérq; plures partus gignat Euangelio. Sed de ijs suo loco fusiùs, aspirāte Christo. Post hæc propheta relicta paululum muliere in solitudine, in cœlos iterum visionem reflectit: vbi prælium magnum factum videt.

Solutio.

Causæ necessariæ cur Christus è terris in cœlum se subduceret.

Christus quomodo cœlum tenens, in terris præsens.

Christus corpore suo absēs, quæ commoda præstat suæ ecclesiæ.

Ephes. cap. 4.

Mulier cur nō in cœlum rapta cum suo filio.

Michael, & angeli eius prœliabātur cum Dracone. Et Draco pugnabat, & angeli eius, & non valuerunt, neq; locus inuentus est eorū amplius in cœlo. Et proiectus est Draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus, & Satanas, qui seducit totum terrarum orbem. Et proiectus est in terrā, & angeli eius cum illo proiecti sunt: et audiui vocē magnā in cœlo dicentem: Nunc facta est salus, & virtus, & regnū dei nostri, & potestas Christi eius: quia proiectus est accusator fratrum nostrorū, qui accusabat illos ante conspectū dei nostri, die ac nocte.

Et ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni, & sermonem testimonij sui, & non dilexerunt animam suam, vsq; ad mortem, propterea latamini cœli, & qui habitatis in eis. Va terræ & mari, quia descendit Diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens quòd modicum tempus habet, &c.

Prælium in cœlo cum Satana quando oritur.

Hypotyposis hæc prophetica vberrimo scatet consolationis fructu, mirãq; historiã rerum in cœlo gestarũ oculis exhibet. Exoritur quippe prælium ingens in cœlo, inter duos potentissimos exercitus, quod nunquam ante partum mulieris, illic visum, aut auditum est. Quid ita? Quia cum omnes ex Adamo peccatores, diuinos iudicio obnoxij tenerentur, ad hunc cumulum miseriæ accesit insuper, non minus acerbus accusator in cœlo, antiquus serpens, qui sanctos Dei, assidua criminatione, apud tribunal summi iudicis impeteret. Quo factum est, vt cùm nullus inueniretur, qui posset nobis patrocinari, aut causam deploratam sustinere, aduersus accusatoris querelas, tam diu fortis ille armatus, atrium suum, nullo resistente, tenebat in pace, nec vllum in cœlo prælium contra eum, pro sanctis ad hoc vsque tempus gerebatur, quandoquidem inuicta huius accusatoris potentia, nulla vi Angelorum, aut hominum profligari potuit, donec mulier tandem hæc, amicta sole, peperit suum masculum, raptúsque ille in cœlum esset.

Satanas sanctorum accusator ante Christum in cœlo potens & inuictus.

Victoria Christi aduersus Satanam.

Vnde noua quædam fortitudo, & audacia sanctis Dei, angelísq; in cœlo accreuit, qua suffulti sancti, cum Michaële, cæterísq; Angelis in cœlo, prælium ineunt cũ Diabolo, victum è cœlo exturbant, sanctos Christi seruos quantumuis peccatis implicitos, omni accusatione aduersaria expediunt. At qua ratione istud? Num propria ipsorum virtute, aut operum meritis? Nihil minus. Sed solùm per sanguinem Agni, per quem pacificata sunt omnia, chirographum antiquatum, & cruci suffixum, quod erat contra nos in mandatis situm, vis inimici eneruata, caput Stygij serpentis fractum, peccata credentibus in Christum condonata, potestas denique omnis iudicij, translata in manus illius, qui non solùm iudex, sed & redemptor est, nec vindex modò peccati, sed pro peccatis etiam victima. Quæ felicitas optari maior potest? Quæ consolatio plenior, sic pios ac sanctos versari nunc in cœlis, vt nihil sit, quòd metuant, sic de tremendo dei iudicio cogitare, vt nullum extimescas damnationis periculum? Quid enim periculi, vbi deiecto nunc Satana, cum suis Angelis, nemo sit, qui te accuset amplius? vbi accusator non est, nec crimen productum, quid habet Iudex, quod condemnet? Quod rectè præsentiens D. Paulus, grauissimis confirmat verbis: Si deus (inquit) pro nobis, quis contra nos? Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum? quî fieri potest, vt non cum eodem, omnia nobis donet? Quis intentabit crimina aduersus electos Dei? Deus est, qui iustificat: Christus est, qui mortuus, qui suscitatus, qui & ad dexteram intercedit pro nobis, quis ille, qui condemnet?

Felicitas & libertas per Christum.

Rom. 8.

At perturbat te forsan accusatrix conscientia. At eadem ratione, qua Satanæ accusatio de cœlo deiecta est, & tuæ similiter conscientiæ cadit accusatio. Cur ita? per sanguinem videlicet Agni, qui pro peccatis nostris dependit, qui peccatores fide sua iustificat, in quo vincimus etiam cum accusamur, vt nihil iam restet, in cælo amplius, piis & sanctis Christi cultoribus, nisi pax & salus, iuxta triumphalem cantionem Angeli, quam, ceu ἐπινίκιον & lætissimum παιᾶν quendam, ingenti æditum voce, commemorat propheta.

παιᾶνα.

Nunc ergo (inquit) *facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi eius, quia proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri, die & nocte. Et ipsi vicerunt eum, propter sanguinem Agni, &c.*

Antipophora.

Quæret fortasis hîc quispiam: quidnam velit illud, quod ait: Nunc factam esse in cœlo salutem, & virtutem Dei nostri, quasi ante id, nulla in cœlo salus viguisset, aut virtus Dei. Verùm hæc propriè ad sanctos, & electos Ecclesiæ, non ad Deum ipsum, nec ad Angelos Dei sunt referenda. Semper enim in cœlo, perpetuò

Solutio.

constitit

Et ſignum (inquit) magnum in cœlo apparuit mulier amicta ſole, & Luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona 12. ſtellarum. Et in vtero habens, & clamabat parturiens, vt pariat &c.

Mulieris huius τῇ πρωτοπαγραφίᾳ quid ſignificetur, quidque rurſus maſculino eius partu intelligatur, minimè difficilis eſt interpretatio. Quis enim non videt mulieris nomine Eccleſiam adumbrari, ſeménque eius Chriſtum Dominum repræſentare? Vnde imprimis conſtat viſionem hanc à tempore Dominicæ natiuitatis initium ducere. Iam quòd mulier ſole amicta, lunáque ſub pedibus eius ſubiecta, quòd ſtellis duodecim coronata dicitur, quid ſingulis his vocibus contineatur myſterij, non diſquiro enixiùs, nec placent mihi τὰ ἀλληγορούμενα quorundam, qui ſcrupuloſa nimis ſpeculatione, ſingulis immorantur voculis. Illud certum, quod & ſimplicis ſimum videtur, emblemata hæc omnia ſolis, Lunæ, ſtellarum, non in aliud adhibita, quàm vt eximiam & incomparabilem dignitatem exornent, quam Eccleſia Dei, ſi non in mundo hoc, certè in regno Chriſti habeat, ſempérque eſt habitura. Quēadmodum enim in viſibili hoc mundo, nihil ſolis orbe ſplendidius, Luna nihil pulchrius, ſtellis in cœlo micantibus nihil ornatius, haud aliter Eccleſia Chriſti ſpõſa, vtcunque in mundi huius deſerto, obſcura nonnunquam latitat, ſæpe etiam conculcatur, tamen qui ſpiritualibus oculis, diuinum in cœlo ſignũ huiuſce mulieris, cũ Ioanne intueri poſſit, longè alia Idæa ac ſpecie præditam comperiet, quàm externis hominum ſenſibus foris apparere ſolet. Vnde hieropſaltes, prophetico ſpiritu, admirandam huius puerperæ cum ſuo partu, magnificentiam adſpectans, haud immeritò ei applaudens: Glorioſa (inquit) dicta ſunt de te, ciuitas Dei, cuius fundamenta, procul videns, in montibus ſanctis poſita eſſe dicit.

Mulieris deſcriptio.

Mulier typum gerit eccleſiæ.

Eccleſia in mũdo humilis, apud Deum glorioſa.

Quæ autem de eccleſia hîc dicuntur, nemo ſuſpicetur, quicquam attingere Romanam noſtram hãc, quam glorioſo titulo, velut vnicè ſanctam matrem, verè catholicam et Apoſtolicam eccleſiam, colunt tantoperè ſenatus populúſque Romanenſium, cum tam longè diſſidet, huius, atque illius ratio. Habet quidem & hæc ſuam lucem, ſplendorem, dignitatem, gloriam magnificè in hoc mundo conſpicuam, & illuſtrem, habet eadem & opes ſuas, pompam, potentiam, palatia, ſatellitia, theſauros, delitias, bonáque in hac vita plurima, quæ tamen omnia externa ſunt, in auro, argento, gemmis, mitris, purpura, annulis, calceisque auratis poſita: At longè aliter habet Eccleſiæ hîc nobis propoſitæ deſcriptio. Quid igitur dicemus, in tanta hac rerum diuerſitate? Aut enim geminam eſſe Eccleſiam, eámque diuerſi generis: aut vnam eſſe, vbique ſui ſimilem fateamur oportet. Si plures ſunt eccleſiæ, fallit igitur confeſſio Nicænæ Symboli, quæ vnicam ſtatuit. Sin vna fuerit, aut eam eſſe, quam ſcriptura hic nobis deliniat, aut quam Romani nunc occupant, neceſſe eſt. Nam vtraque cum altera conſiſtere in tanta naturarum diſiunctione, non poteſt: primùm, in cœlo coruſcat mulier illa amicta ſole, calcans ſub pedibus, ſubiectas mundi opes, hæc in terris fulgurat, externis diffluens opibus, preſidijſq; humanis fulta. Parturit illa cum cruciatu, paritque tandem maſculum, Chriſtum videlicet Dominum ac ſeruatorem: hæc verò ſancta mater Romana Eccleſia, quem filium, aut quos filios nobis ædit? Pontifices, Cardinales, Patriarchas, Epiſcopos, Archiepiſcopos, palliatos, mitratos annulatos, turbam ſacrificulorum, monaſticarum religionum quiſquilias, decretorum plauſtra, ceremoniarum paleas, conſtitutionum ſtipulas, ac mera σκύβαλα, vt ſimiam facilè ex fœtu ſcias.

Fallax eccleſiæ perſonatæ ſpecies.

Vna eccleſia Catholica.

Veræ eccleſiæ & falſæ comparatio.

Partus Romanæ eccleſiæ.

Ante illam, quæ erat paritura, Draco ſtetiſſe dicitur, filium eius deuoraturus. Euenit hoc, in ipſa illico pueri infantia. Qui vix dum in cunis vagire cœpit, cum inſtigante Dracone, turbatus eſt Herodes rex, totáque Hieroſolyma cum eo. Neque ſic conquieuit malitia ſerpentis, aſſiduis eum inſidijs, per omnem vitam diuexans, nec finem perſequendi faciens, donec ad mortem tandem adigeret, atque in crucem ageret. Sed quam infeliciter ceſſit hoc ſerpenti, res ipſa mox declarauit, quum ex morte hac plus amiſit, quam ex vita & natiuitate priùs metuebat. Deuorauit ita-

que ſerpens Chriſtum, verum quidem, ſed ita, vt Ionam deuorauit Balæna, quem deuoratum retenere nequibat, ſed reddere rurſus, poſt diem vnum & alterum, cogebatur. Nec aliter Chriſtus victor è morte perendino die redijt, inuito ſatana, quicq; prius obediens factus eſt, ad mortem crucis, nunc per ſanguinem crucis pacificauit omnia, ſiue quæ in cœlis, ſiue quæ in terra, velútque opima ſpolia referens, ſubactis principatibus, & poteſtatibus, de illis triumphans, palam in cœlum denique receptus eſt, vbi tutus nunc ἐν τῶν βίλων τοῦ Διαβόλου ſempiternum agit gloriæ triumphum, vt habent Prophetæ verba.

Et raptus eſt (inquit) *filius mulieris ad Deum, & ad thronum eius.*

Id quod, die Dominicæ aſcenſionis aperte conſpectum eſt. Age, & vbi interim, toto hoc tempore, Romana hæc mater erat Eccleſia? aut quando tandem in medium emerſit illa? Quid, ante Chriſtum in mundo natum, aut cum Chriſto nato, illà ſimul exorta eſt? aut aſcendente in cœlum Chriſto, auditum eſt vſquam Romanæ Eccleſiæ nomen? Quid, an ſancta mater illa vnquam Chriſtum enixa eſt? Minimè, ſed Antichriſtos è diuerſo multos profúdit quotidie. Et quo modo igitur, vna ſanctáque mater & vniuerſalis eccleſia Romana hæc cenſebitur, quæ nec Chriſtum mundo genuit, nec cum Chriſto maternam ſuam traxit originem. Ex quo huiuſmodi ſtruitur argumentum.

Origo Romanę eccleſię excutitur.

Eccleſia Rom. prima eſſe non potuit.

Argumentum in 2. figura.

Vna & vniuerſalis eccleſia Chriſtum peperit. Apoc. 12.

Romana eccleſia nunquam peperit Chriſtum.

Ergo Romana eccleſia non eſt vna & vniuerſalis eccleſia.

Eccleſiæ vnius vnum principium.

Rom. eccleſia nõ vniuerſalis ſed particularis ſolùm eccleſia.

Quomobrem Pontificia eccleſia, quum eandem non habeat originem, cum prima eccleſia, quæ Chriſtum produxit in mundum, fidémque illius vndique per omnes gentium nationes diffudit, fieri non poteſt, vt vniuerſalis ſit Chriſti eccleſia, ſed vt pars tantum ſit, cum cæteris eccleſijs particularibus illius matricis eccleſiæ, vnde catholica Chriſti fides, paſſim in omnes terræ plagas, dimanauit.

Perſonæ.

Res perſonarũ.

Perſonarum in hoc capite, triplex diuerſitas

1

2

3

Percurramus cætera. Quæ omnia, ac ſingula, vt breui perſtringamus compendio, duobus potiſſimum capitibus continẽtur. Aut enim perſonas nobis deſcribũt, aut res perſonarum geſtas indicant. Ac primùm, perſonarum triplex nobis diuerſitas ſpectanda proponitur. Quarũ prima eſt mulieris parturientis. Secunda eſt, filij ipſius. Tertia, Serpentis antiqui. In muliere, vt dixi, eccleſiam dei intellige. Filius mulieris Chriſtus eſt. Tertia Diaboli perſonã gerit, cũ reliquo ſuo agmine. Nã in his tribus ſeu duabus potiſſimum perſonis, vniuerſa verſatur huius negotij, noſtræque ſiue ſalutis, ſiue perditionis ſumma, ſiue bona nobis immittantur, ſiue contraria. Si quid boni ſit, quod ad ſalutem faciat, id à ſemine mulieris, proficiſcitur, propriéque ad eccleſiam fideliũ pertinet. Contra ſi quid noxiũ, aut vitæ æternæ infeſtũ incidat, id ſatanæ authori acceptũ debetur, pertinétq; propriè ad ſynagogã malignãtiũ.

1. Eccleſia mater.

2. Chriſt. filius.

3. Serpens Diabolus.

Omnis boni ſeu mali origo ex duobus præcipuè principiis proficiſcitur.

De perſonis, deque triplici earum diuerſitate, dictum eſt. Nunc quæ illarum vis, quantáque exiſtat potentia, quid agant, quid poſſint, quid præſtãt, excutiamus. Ac primùm de filij æterna magnitudine, infinitáque maieſtate ſatis nihil dici, ſatis nemo admirari poterit, qui rectũrus hic dicitur verécq; dicitur, *omnes gentes in virga ferrea.* De muliere, quæ eccleſiam repreſẽtat, eiúſque ſingularis ſplendore, quæ Sole Luna, aſtris amicta, cunctis prælucet mundi creaturis, nonnihil ſuperiùs attigimus. Quid quantúmque Draconis antiqui, qui princeps eſt mundi huius, immanitas valeat, poſſitque potentia, vel hinc colligere licebit, quòd eadem nulla ratione aliter debellari potuerit, niſi morte & ſanguine filij Dei.

Chriſti potentia.

Iam verò tres iſti, quos dico, potentiſſimi principes, quoniam ea ſunt natura præditi, vt nunquam moriantur, ſed viuant, ſicque viuant, vt nunquam ſint otioſi, ſed in perpetuo labore, mutuáq; inter ſe conflictatione verſentur: poſtulat deinceps locus, vt opera vtriuſque, actiones, ſtudia, certamina, conflictus, ſtratagemata, pathemata, victorias, ex Prophetica narratione penſitemus. In quo multa, egregia quidem admiratione digna, occurrunt, plena myſterijs & miraculis omnia.

Poſt-

constitit salus, nec vnquam defuit virtus Dei. Sed sanctis nulla quidem affulsit salus, nec vlla vis tanta in cœlo visa est, quæ diuinæ iustitiæ satisfacere valuit, aduersus inuectiuas maligni hostis, ante fusum sanguinem Agni. Quo tempore, cœperunt tum primùm respirare, vincere, ac inualescere sancti, non tam sua vt diximus, virtute aliqua, aut equitate causæ, non viribus Michaelis (nisi Michaelem pro Christo typicῶs interpretemur) aut præliantium Angelorum copijs, sed solum per sanguinem crucis eius, quo pacificata sunt omnia, & quæ in cœlo, & quæ in terra. Age & cur igitur subiungit postea? Omnis victoria nostra per sanguinem Agni.

Et propter sermonem testimonij sui, & non dilexerunt animam suam vsque ad mortem, &c.

Si vnica Christi victima, triumphatum est de Satana, eáque sola causa, omnis nostra nititur victoria, quorsum tanquam altera causæ pars cum Christi sanguine connectitur, cum dicit per sermonem testimonij, & pathemata sanctorum Martyrum? Obiectiũcula.

Haud difficilis scrupuli, æquæ facilis fuerit enodatio, si analogiam Scripturæ, rectè introspiciamus. Cum per omnia Prophetarum oracula, certissimum constat, solum hoc mulieris semen existere, quod conterit Serpentis caput, solum hoc semen esse, in quo benedicentur omnes gentes: cum torcular solus calcauit ipse, & de gentibus non sit vir cum eo. Cum omnes nos quasi oues errauimus, & posuit in eo Deus, iniquitatem omnium nostrum: Cum solus is mediator Dei & hominum passim in scripturis proponitur, idémque in terris versatus, satanam ruentem de cœlo, tanquam fulgur, vidit, priusquam vlla conflagraret, in pios Martyres persecutio. Non igitur Martyria sanctorum quicquam contulerunt, ad gloriam cœlestis huius victoriæ, nec vt causa, aut pars causæ præcesserunt, sed vt effecta consequuntur. Responsio. Gen. 3. Gen. 22. Esai. 63. Esai. 53. Luc. 10. Satan de cœlo deturbatus ante sanguinem Martyris vllius effusum. Causa victoriæ cœlestis excutitur.

Breuiter, hunc nodum nemo rectius Basilio discutiet. Manet (inquit) sempiterna requies illos, qui in hac vita legitimè certauerunt, non ob eorum merita factorum, sed de munificentissimi Dei gratia, in qua sperauerunt &c. Ex quo liquet, aliam esse rationem eorum, quæ causam rei præbent, aliam eorum, quæ causam, tanquam effectus subsequuntur. Fides radix virtutum multarum fœcunda, vt salutem parit, ita obedientiam præstat in afflictionibus, multáque alia per charitatem operatur. Nequaquam igitur perpessiones electorum, tanquam causa electionis, electos reddunt, aut salutem eternam præstant, sed personas electorum, velut testimonia, & argumenta insequuntur, quæ non in alios ferè, quàm in pios, & fideles solent cadere. Neque ideò in eos cadunt, vt his iustificentur, sed vt explorentur. Ignis, vt aurum explorat, non efficit, haud secus asperitates vitæ, filios & hæredes Dei ipsæ per se non efficiunt, sed vt effectus fidei eos plerunque comitantur, qui per fidem electione sancta ad salutem destinantur. Basil. in Psa. 34. in præfat.

At dices, quum omnes sistemur, ante tribunal Dei, reddituri, pro suo quisque delicto, rationem, vbi iam deiectus è cœlo hostis accusator, quo modo metus damnationis ademptus, vbi causæ pro meritis excutientur? Obiectio.

Scio rationem cuique reddendam esse, in supremo iudicio. Sed facilis hæc ratio futura est, sanctis & fidelibus Christi, quorum iam ante resurrectionem, peccata per fidem condonata sunt: quemadmodum in symbolo, remissionem peccatorum confitemur: venturum igitur iudicium, id nemo negat, sed adhibenda hîc est distinctio Augustini, qua discernatur iudicium discretionis, & condemnationis. Quorum alterum ad fideles Christi, alterum ad infideles pertinet. Sistemur quidem, coram iudice Christo vniuersi, sed non vna eadémque ratione. Qui ita se comparant, vt à Christo, fidéque eius sejuncti, virtutibus suis rectéque factis vitam polliceantur, eorum quidem causæ pro meritis Responsio ad obiecta. Augu. de Ciu. Dei. lib. 20. cap. 5. Aug. de consēs. Euangelist. lib. 2. cap. 20. Iudicij distincta cōsideratio iuxta August.

meritis, excutientur. Contrà, quos fides Christo adglutinat, quíque omnem salutem suam & iustitiam, sola ipsius gratia & expiatione metiuntur, in iudicium quidem venturi sunt, non vt condemnentur, sed vt ab infidelibus seiungantur: iuxta illud. Math.25. Et congregabunturante eum omnes gentes, & separabit eos, ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hædis. Math.25.

Et quænam sunt oues istæ ab hædis separandæ, nisi cœtus fidelium, quos syncera fide Christo inhærentes nullum attinget cóndemnationis iudicium? Vndè dicentem rursus Dominum audiamus: Qui verbum meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, & in iudicium non est venturus, sed transijt à morte ad vitam. Idémque alibi discipulos suos compellans, cum sederit filius hominis, ait, in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos, super duodecim sedes, iudicantes duodecim tribus Israel. Quæ verba Augustinus sic interpretatur, vt ex duodenario numero, non solùm duodecim Apostolos, sed vniuersitatem, cum Christo iudicantium, in resurrectione colligat. Quin nec multum ab hoc sensu discrepans Apostolus Paulus, ad Corinthios, in eandem ferè sententiam scribit: An nescitis (inquit) quod sancti mundum iudicabunt? An ignoratis, quòd Angelos iudicabimus? Ingens profectò fidei Christianæ præstantia, quæ pios Christi cultores, non modò exæquat Angelorum conditioni, sed iudices etiam Angelorum, eosdem statuit. Et vbi nunc igitur ἀκριτόμυθοι isti Theologi, qui contra sensum Pauli, contra exemplum Ioannis, contra omnem Scripturæ rationem, θρησκείαν, & inuocationem Angelorum, ingerunt tam fortiter, quos scriptura ipsa, fidelium subijcit iudicio?

Ioan.cap.5.

Math.cap.19.

Apoc.cap.22.

Atque hæc obiter, de accusatore Satana, quem è cœlo nunc tandem (sit Christo gratia) repressum, deiectúmque cernimus. At non ita tamen, quin è cœlo ruens antiquus ille hostis, antiquam suam malitiam secum aduehat, quam etsi in cœlo exercere diutiùs non licebit, in terris tamen, mirum est, quas turbas excitat. Itaque vt lætari iubentur ij, qui in cœlis sunt: Ita væ terris, & mari ominatur mysticus Propheta, causámque indicat.

Ruens è cœlo Satanas, quas turbas excitat.

Quia descendit ad vos Diabolus, habens iram magnam, sciens, quia modicum tempus habet.

Age, & quæ tandem turbæ sint istæ, quas dirus excitat Dæmon in terris attendamus.

Et postquam vidit Draco, quòd proiectus esset in terram, persecutus est mulierem, quæ peperit masculum. Et datæ sunt mulieri duæ alæ, aquilæ magnæ, vt volaret in desertum, in locum suum, vbi alitur per tempus, & tempora, & dimidium temporis, à facie serpentis, &c.

Quod ad ruinam hanc Draconis attinet, principio aduertendum est, casum hunc minimè localem esse, sed spirituali quadam ratione accipiendam, quemadmodum non malè ab Andrea Cæsariensi Episcopo adnotatum legimus, vt sensus sit, Diabolum è cœlo deturbatum, hoc est, diminutas esse illius vires, fractámq; potentiam, vt iam pios, propter peccata accusare, apud Deum non possit amplius, etsi in mundo, apud homines territat nonnunquam, sæuis modis conscientias, atq; in corpora ipsorum grassatur, permittente quandoque Domino: at in cœlis tamen, apud Deum, nullam habet lædendi potestatem: Qua de causa? Propter perpetuam peccatorum remissionem, quam reuellere ab Ecclesia nunquam poterit. Quod Christus ipse innuens, animósque suorum confirmans: Confidite, (inquit) ego vici mundum. Item, iam princeps mundi huius eijcietur foràs. Vnde quæso, aut quonam ille eijcitur? E cœlo videlicet in terram extruditur, hoc est, ex mentibus piorum, in terrenos τὰ ἐπίγεια φρονοῦντας. (Vt cum Chytræo dicam) quos inhabitat ille, atque ad omne genus peccata impellit: idq; est, quòd Propheta, ijs verbis subinnuit:

Andreas Cæsarienſ. Episc. in Apoc. ser.12

Ex Dauid. Chytræo in Apoc.cap.12.

Et postquam vidit Draco, quòd proiectus esset in terram &c.

Age,

Age, & quo tẽpore incidit hic Draconis casus? post partumnè mulieris, an ante partum? Si à partu, quid igitur ijs respõdebimus, qui ex loco Iudæ fratris Iacobi, ex Esaia, receptáque veterum opinione, de lapsu Luciferi, Angelorúmque ruina disputant, quos multo ante Christum natum, non seruantes originem suam, è cœlesti domicilio concidisse autumant? Cui vt respondeam obiectioni: vt id non negamus, deturbatum de cœlo Luciferum, cum suis Angelis, ante æditum in mundo seruatorem: at nihil id obstat tamen, quin verum sit, quod de vtroque tempore Luciferinæ ruinæ commemoratur, sed alia atq; alia ratione. Primus enim Luciferi lapsus, iusto dei iudicio, ob superbiam, eum è dignitate Angelica expulit in Barathrũ condemnationis. In quam ruinã ipse postea Adamũ cum vniuersa humani generis posteritate vna secum traxerat. Si quidẽ quo iudicio corruit Lucifer ob superbiam, eadem similiter sententia, Adamo, eiúsque posteris, inflicta est mortis condemnatio. Hoc tamen interest, quòd posteritas Adamica redemptionem habet per seruatorem: contra, ille nullũ habet redemptorẽ. Pulsus itaque superbus Lucifer è sublimi domicilio, licèt priorem amiserit stationem, nondum tamen ita attritum erat ipsius caput, quin potentiam adhuc contra sanctos retineret, aditúsque in cœlum, eius calumnijs & delationibus pateret, ob peccata populi, quæ accusari apud deum poterant, quoad tandem veniret beatum mulieris semen, cuius singulari congressu cum potentissimo serpente, perfectũ est, quicquid anteà plenæ defuit victoriæ. Etsi enim Michael, Angelique eius, quibus maximè posset viribus, prælium cum eo iniret, inuicta tamen huc vsque illius stetit potentia, quæ de cœlo prorsus exterminari non potuit, donec adueniret fortior ille, qui mirabili stratagemate vincens, non resistẽdo scilicet, sed moriendo, virulentum illum accusatorem, τὸν διάβολον non è cœlo solum, sed ex atrio etiã suo, quod tam diu tenuit, atque etiam è corporibus multorum, viuẽtibus Apostolis, profligauit, cũ suis reliquijs, nullũ iam consistendi locũ, in cœlesti patria inueniens, præceps in exitiũ agitur. Neque solus quidem ille ruinã hanc accepit sed cum ipso pariter eius ruinæ participes conciderunt angeli eius, simúlque locus quo conciderint indicatur: nempe in terram vbi in improbos suã exerceat tyrannidẽ, ecclesiámque, cum eternis non possit, temporarijs saltem malis affligat.

Obiectio. De casu Luciferi. Solutio. Duplex Luciferi lapsus è cœlo. Lucifer post lapsum sanctorum in cœlo accusator.

Age, & cur non princeps tenebrarum hic cũ ipsius turmis, recta via, in profundum potius abysi præcipitatur? Causa in ipso contextu redditur, eò quòd modicũ tempus, diuino permissu, ei concessum sit. Quo interim tempore, non stertit, nec dormitat venenatus serpens cũ suis, summa ope in hoc enitens, vt cum in cœlis nullus ei supersit locus, nec animas sanctorum lædere possit amplius, in terris saltem, corpora eorum infestet, quantum possit, miserisque interim dominetur peccatoribus: quos ille si non omnes, at maximã eorũ partem possidet. Quemadmodum primos olim parentes fucis, & blanditijs, in perniciem coniecerat, neque vllum etiamnum insidiandi finem facit, quo miseros Adami posteros simili fallendi via, falsis suis blanditijs pessundet, communique secum inuoluat exitio, partim fluxis huius mundi bonis, eos illectans, multos diuitijs occæcans, alios honoribus, gloria & falsa seculi prosperitate, in superbiam primùm, deindè in ruinam pertrahens. Quosdam fascino dementat, vel terroribus concutit, tentationibus pulsat, atque in fraudem pertrahit, nõnullos erroribus implicat, hæresibus & sectis corrumpit. Deinde quos illecebrarum blanditijs captare nequit, vi ac tyrannide aggreditur. Quin nec desũt ei duces & satellites malitiæ, qui in prouehẽdo regno strenuã illi nauant operã sedulò.

Quæstio. Responsio. Duces & satellites Satanæ.

Nam vt mulier puerpera peperit suũ masculũ, electósq; fidelium cœlo gignit quotidiè: ita nec Serpenti deest sua in mundo soboles, multo tũ potentior, tum numero frequentior. Ex qua progenie exurgit primùm duplex bestia: Altera è mari, altera ex arenis prosiliens: de quibus proximo in capite, aspirante Christo.

Duplex bestia.

His accedit porrò sæuus, sanguinolentus Antichristus, cui nec ipsi suæ desunt legiones, satis numerosæ. His itaque tam multis, magnisque munitus firmamẽtis Draco veneficus, vniuersum terrarum orbem, vel erroribus implicat, vel armata tyran-

Antichristus cum suis legionibus.

tyrannide eò adigit, vt omnes ipsius imperio ceruices submittant, exceptis duntaxat paucis, quos Christus, peculiari electione ereptos, è potestate mortis, & Satanæ, in regnum suum seuocat. De quibus Christus ipse sic in Euangelio: Nolite (inquit) timere, pusille grex, quia complacitum est patri vestro, vobis dare regnum. Rursusque alibi: cùm multos vocatos, paucos electos dicit, paucitatem quidem suorum subinnuit. Qui tamen ipsi non adeò pauci sunt, vt verbis eloquar Augustini, quin in se comparati ingentem faciant exercitum. Sin cum reproborum multitudine conferantur, perpauci videantur.

Fallax regula multitudo.

Non igitur numero, & multitudine metienda est hæc res, quæ Christi ecclesia sit, quæ Synagoga Satanæ. Nihil enim hac ratione fallacius. Nam alioqui quo pacto vniuersum ille orbem seducere dicitur, si non maximam mortalium partem, fucis suis & imposturis corrumpat? Quod tamen ipsum non ita accipiendum est, quasi nulla orbis pars ab vniuersali hac seductione, integra relinquatur: cæterum alia nobis sequenda regula est, vt non quæ pars maior, sed quæ melior existit, prudenter exploremus. Proindè vtcunque habeat Satanas greges suos, & regnum, quod longè latéque in hoc mundo diffunditur, opibus florens, splendore nitens, specie externa magnificum, viribus copijsque munitum: at nihilo minùs habet & Christus in medijs his copijs, regnum suum, habet ecclesiam, & ecclesiæ filios, quos regno Satanæ opponit, atque ab illius seductione incolumes tuetur.

Non quæ pars maior, sed quæ melior spectãdum.

In medijs Satanæ copijs christus habet suam ecclesiam.

Atque hinc capitale illud odium serpentis contra mulierem, quam quoniam, nec fallacijs in suum obsequium abducere, nec filium vi opprimere valeat, ipsam omnibus modis & machinis, omni tormentorum genere persequitur. Nec dubium, quin funditus etiam obrueret, nisi superior quædam interueniret maiestas, pro mulieris defensione. Age, & quonam modo eam defendat, videamus. Imo audiamus hac de re concionantem prophetam.

Capitale odiũ serpentis contra mulierem.

Et datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ vt volaret in desertum in locum suum, vbi alitur per tempus & tempora, & dimidium temporis à facie Serpentis, &c.

Mulier ecclesiam nobis repræsentat, & ecclesiæ filios, quorum nonnullos etsi trucidat Tartareus hic Draco, alios duris diuexat afflictionibus, modisque varijs fatigat, nunquam tamen vniuersam ecclesiam hactenus aboleuit, nec vnquam abolebit. Inconcussa stat Christi promissio: Portæ inferorum non prævalebunt aduersus eam. Stetit huc vsque inuicta ecclesia, contra tot persecutionum tempestates, contra tot tyrannorum Cæsarum furiosos impetus, státque eadem adhuc, tot nuper defuncta periculis, sub impressione Turcica, nec minus Antichristi incredibili impetita tyrannide, manet hodiè, manebitque, inuito Satana, in æternum. Principio in ipsis nascentis ecclesiæ primordijs, regnante Nerone, Domitiano, Traiano, Maximino, Decio, Valeriano, Diocletiano, Maximinlano, quanto studio, quanto tumultu, conspiratum est ab Ethnicis Imperatoribus, totóque Imperio Romano, in perniciem ecclesiæ, quæ, quo minùs obrueretur, singulari miraculo diuinæ defensionis non caruit, quæ, vt suis nunquam deesse solet in rebus desperatis: ita ecclesiam in hac rerum tanta asperitate minimè deseruit, opem ei mirabili modo subministrans. Quo modo tandem? Non pugnando aut resistendo, sed latitando & fugiendo: non armis, non militari exercitu, non apparatu bellico eam muniens, sed alis solùm Aquilæ datis ad euolandum, paratóque illi hospitio, in solitariis latibulis deserti, vbi non solùm tuta, & incolumis à facie Serpentis conquiesceret, sed necessario etiam pastu, atque alimento, vitam extra periculum sustinere posset, quoad modicum illud expiraret tempus Satanæ, à Deo præscriptum ad sæuiendum.

Mat. 16.

Mira ecclesiæ defensio.

Mulier euolãs in solitudinẽ.

De spatio autem temporis, quamdiu pascenda illa sit in solitudine, quid dicam, nescio: vel quia difficilis videtur mysterij explicatio; vel quia docti sanctique hic interpretes, plærique ferè omnes, quos hactenus videre contigit, nihil hîc certi statu-

ſtatuunt, niſi quòd tempus, tempora, & dimidium temporis, ad tres duntaxat annos, & ſemialterum reſtringunt. Nec malè id quidem, ſi non in eo ita ſiſterent, ſed vlteriùs proferrent ſuos calculos, conſultáque hiſtoria, ex rerum ipſarum exitu rationem ſubducerent. Qua in re, etſi vix tutum mihi fuerit, à claſſicis iſtis autoribus diſſilire, tamen ſi æqua bonorum venia, & nobis itidem liceat εἰκάζειν, non pigebit, quid noſtra hîc fert coniectura, paucis attexere.

DE TEMPORE QVO PASCITVR MVLIER in ſolitudine per tempus, tempora & dimidium temporis, Coniectura prima.

PRimùm negari illud non poteſt, mulierem hanc, qua eccleſia fidelium adumbratur, cum fugeret à facie Serpentis, deſertum tenuiſſe, tamdiu, vbi cœleſti prouidentia paſcebatur, quoad tumultus ille perſecutionum æſtuaret. Nam alioqui ſi in lucem apertam ſe dediſſet, fieri nunquam potuit, (quæ tum erat temporum rabies) vt tot hoſtiles turmas, quoquo modo euaderet, in necem eius coniuratas. Exempla ſumamus, à pijs Epiſcopis, ſanctisque Martyribus, qui quoniam in publico occupati miniſterio eccleſiæ, in oculis atq; conſpectu hominum verſabantur, vitare non poterant, quin à beſtia occiderentur, vt Stephanus, Petrus, Paulus, cæteriq; cum his Apoſtoli, viriq; Apoſtolici, Polycarpus, Ignatius, Antipas, Leonides, Cyprianus, Sixtus, Laurentius, Romani item epiſcopi complures, numero 25. aliáq; poſt hos, clariſſima membra, & lumina Eccleſiæ. Nec dubitandum, quin primis illis temporibus, vniuerſa ſimul eccleſia, eodem temporum incendio conflagraſſet, ſi vniuerſa à Dracone, quoquo modo peruestigari potuiſſet.

Fuga mulieris in deſertum.

Cædes Martyrum. Ex Sophronio.

Sed aliter benigniſsimo Deo viſum eſt, vt eccleſiam dilectam, ne tota periret, in meliora ſeruaret tempora. Ideóqe patefacta illi ad elabendum via, in deſertum abducebatur, vbi à facie ſerpentis, ad tempus occultaretur, ſicut in Epiſt. ad Hebræ. cap. 11. teſtatum de his accipimus, qui oberrantes in ouillis, & caprinis pellibus, in deſertis errârunt montibus, in ſpeluncis, & cauernis terræ, &c. Quod ſi igitur fuga hæc mulieris toto illo perſecutionis ſpatio, perdurauit, quod negari non poteſt, plures certè annos, quàm tres & dimidium, illi demus neceſſe eſt. Conſtat enim ſub Nerone, Domitiano, Traiáno, Seuero, Commodo, Decio, Diocletiano, imperium Draconis, longè ſupra triennium conſtitiſſe. Quæ perſecutionum tempora, ſi rectè ex hiſtorijs ſupputentur, vſque ad vinctum Satanã ſub Conſtantino effluxerunt menſes 42. anni verò 294. Tot enim annos, menſes iſti 42. conficient, ſi vt Daniel numerat ſuas hebdomadas, itidem & nos ſingulos menſes, in ſeptenarium annorum numerum deducamus. A primo enim perſecutionis initio, hoc eſt, à decollatione D. Iohannis Baptiſtæ, ad pacem eccleſiæ, ſub Conſtantino reſtitutam, ſi rem ad calculos reuocemus, tot interceſſerunt anni, quot ſuprà retulimus, ducenti, nonaginta, quatuor. Cui ſupputationi appoſitè numerus quadrat menſium 42. Menſes enim 42. ſi in ſeptenos annos ſinguli diuidantur, exeunt in iuſtam periodum annorum, 294. Quo anno ſolutum eſt regnum Draconis, ipſéque vinctus ad annos mille in abyſſum mittitur.

Heb. cap. 11.

Menſes 42. Ann. 294.

DE DIEBVS, ET MENSIBVS IN APOcalypſi poſitis, coniectura altera.

AT quid interim de reliquis dicemus numeris? Veluti cùm mulier in deſerto, alenda dicitur per tempus, tempora & dimidium temporis. Rurſúsque alibi, vbi dies deſignantur 1260. Quo numero, plærique ferè omnes interpretes, tres annos, & dimidium ſignificari intelligunt, hoc eſt, menſes 42. Etenim omnes hæ

Apoc. cap. 12. Apoc. cap. 11.

 config-

Menses 42. Dies 1260. Anni 294. Tempus, tẽpora & dimidium temporis in idem recidunt.

consignationes dierum, annorum, temporum, in idem recidunt, vt menses 42. constituant. Dies siquidem 1260. similiter & tempus, tempora, & dimidium temporis, magno multorum consensu, tres annos vulgares, & dimidium alterius designant. Iam verò tres anni cum dimidio, integros menses 42. continent. Age, sit hoc ita. Neque enim valdè repugno. Cæterum quorsum menses 42. tendunt, quid portendunt, videndum est diligenter: quos si singulos dilatemus in septenarium annorum numerum, consurgent anni 294. Tanto enim annorum spacio durârunt persecutio, & regnum Draconis, contra Primæuam ecclesiam.

DE MODICO TEMPORE SATANAE,

Tertia coniectura.

Modicum tẽpus Satanæ.

EX quo haud difficilis occurrit coniectura, quid velit modicum illud tempus permissum Draconi, ad grassandum. Sic enim verba habent Prophetæ:

Sciens quòd modicum tempus habeat, &c.

Thom. Aquin. in Apo. cap. 12 Error Thomæ refellitur.

Permulti hoc ita accipiunt, ac si perpusillum hoc Satanæ tempus finiendum non sit, ante mundi consummationem. Sic enim Thom. modicum tempus, quia à passione domini, vsq; ad diem iudicij, modicum tempus est, respectu temporis quod præcesserit. Quod minus mihi consentaneum videtur. Etsi enim tempus modicum, vtcunq; dici possit, à passione domini, ad diem iudicij, respectu temporis, quod præcesserat: tamen non satis respondet hæc interpretatio huius prophetiæ circumstantijs, quum scriptura ipsa prædicit fore, vt ferale hoc monstrum, ante consummationem seculi, constringendum sit, ad annos mille, ac deinde ex abysso rursus emittendum, exiguo tempore: vt seducat gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog & Magog, vt congreget eos in prælium, vt obsidiat castra sanctorum, & ciuitatem, dilectam, &c. Quòd itaque ad tempus Satanæ attinet, duplex illud, & diuersum esse oportet, atque vtrunque quidem exiguum. Quorum alterum sub prima persecutione, vsque ad eius vincula, mensibus quadraginta duobus, hoc est, annis 294. perstitit. Alterum, post secundam eius solutionem intelligendum est, quod totidem rursum annos, 294. sub nouissima persecutione, complectitur.

Apoc. 2. cap. 20.

Duplex tempus datum Satanæ ad grassandum atque vtrumque modicum. Apoc. 12. 20.

Prima persecutio per Imperatores ann. 294.

Secundum tempus modicum Satanæ in nouissima persecutione, post secundam eius solutionem. Ann. 294.

Secunda solutio Satanæ. Apocalyp. cap. 20.

Quo tempore autẽm secunda hæc solutio Satanæ incœpit, nonnulla forsan subest difficultas: quæ tamen facilè dispellitur, si verba Scripturæ, recta trutina expendamus. Sic enim legimus capite vicesimo. *Et vidi Angelum descendentem de cœlo, habentem clauem abyssi, & catenam magnam, in manu sua. Et apprehendit Draconem, Serpentem antiquum, qui est Diabolus, & ligauit eum, per annos mille, vt non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni, &c.*

Age, & quando eum, quæso, ligauit Angelus, ante persecutionem primitiuæ ecclesiæ, an postea? Certè ante primam illam persecutionem, tam grauem & horrendam, nemo dixerit ligatum fuisse Satanam, qui nunquam magis immanitatem suam exeruit, quàm primis illis trecentis annis, ante Constantinum. Efficitur proindè, vt restrictionem hanc Satanæ, non ilicò à passo Christo, sed à pace ecclesiæ, per Constantinum reddita, necessariò numeremus, hoc est, post trecentos ferè annos à morte Domini. Quibus si adiungantur mille anni illi, quibus relegatus est Satanas in carcerem, perueniemus ad annum illum, quo iterum solutus ex ergastulo antiquus serpens, ad nouas turbas, in ecclesiam excitandas emittitur, partim per Turcas, partim per Antichristum. Eáque secunda est persecutio, tetra & terribilis, quæ ab initio Turcarum, huc vsq; durauit, totidem penè annis, quot prima illa sub Ethnicis Imperatoribus, nimirum annis 294. octo duntaxat exceptis.

Imperiũ Turcicum incœpit ann. 1300.

Secunda persecutio generalis ecclesiæ per Turcas annis iam ferè 294.

In

In posteriore autem hac persecutione, tantò grauior incidit ecclesiæ calamitas, eò quòd duo simul hostium genera sustinere, illa cogitur, Turcas videlicet, apertos nominis Christiani hostes, & Antichristum. Qui sub blando Christianæ ecclesiæ titulo, Christum eiúsque ecclesiam, immanissima persequitur crudelitate. Atque de Turcis iam ante dictum est, de Antichristo, aspirante Christo, proximo capite videbitur.

ERRORVM QVORVNDAM CONFVTATIO, in pontificia Ecclesia.

Errores aliquot in Pontificia ecclesia confutati.

INterea ex ijs, quæ in hoc capite continentur, non vnus occurrit error istorum Romanensium, minimè hoc loco transiliendus. Primùm, quòd tres istos annos & dimidium, siue dies 1260. non ad primam ecclesiæ persecutionem accommodant, sed ad posteriorem illam sub Antichristo futuram in fine mundi. Quum prophetica veritas hîc testatur, fugam mulieris, quæ in solitudine, pascenda sit, diebus mille ducentis sexaginta, non differendam, vsque ad finem mundi, sed iamdudum post Christi ascensionem præterijsse. Quin nec minus in eo aberrant, quòd Antichristum suum nondum venisse, sed adhuc expectandum esse, sub nouissimum seculi exitum, astruunt. De quo nonnihil iam ante dictum est, plura, volente Christo, posteà. Præterea neque illud dissimulandum est, quòd cum omnes gentes, totúsq; terrarum orbis, in errorem seducendus, à diabolo in hac Prophetia ostendatur, isti tamen non alio magis nomine gloriantur, quàm frequentia hominum, suis maximé decretis applaudentium.

Primus error.

Secund. error.

Tertius error.

Imò contrà potiùs, si tenenda sit nobis scripturæ regula, haud alia certior nota esse possit synagogæ Antichristianæ, quàm frequentia, & applausus plurimorum, cum Pontifice Romano concurrentium. Scio, ac fateor, non adeò omnes terræ angulos, sua seductione impostorem Dæmonem corrupisse, quin ecclesia semper habeat aliquot milia, licèt non adeò multa fortasse, nec hominibus cognita, quæ nunquam incuruauerunt genua ad Baal. At quota hæc hominum portio est, si cum vniuersa seductorum colluuie componatur? Non est ergo, cur Romanenses in vniuersitate, & suffragijs fauentium, veritatem suæ causæ constituant. Rectè Aug. Non numeranda (inquit) sed ponderanda sunt suffragia. Nam alioqui, nisi hanc teneamus regulam, quid Satanæ orbis seductori, quid Turcæ, quid Antichristo dicemus? Sicut enim Christus habet in mundo ecclesiam suam, ita neque istis deest in mundo synagoga sua, non templa, non sacella, non curiæ, cathedræ, cultus, & religiones. Quæ omnia si externa specie, si titulis, aut catholica adhærentium vniuersitate metiamur, Christi numerum multis exuperant parasangis.

Multitudo nõ facit ecclesiã. Augustin.

Sed quid hoc ad rem, quàm multi, aut quàm pauci, siue obscuri sint, quos consectemur. Res ipsas intueamur, non rerum luxuriantem vbertatem. Non quę passim obuia, semper præstantissima sunt, nec pessima, quæ rarissima. Vt non quæuis tellus aurum gignit, ita vbi maximè prouenit, plus illic nascitur luti, quàm auri: plus vbique lapidum, quàm gemmarum reperies. Nullus tam fertilis ager est, qui non vrticas, tribulos, Zizania multò facilius sua natura profundit, quàm annonam. Cum tritico semper maior concresit, siliquarum & palearum copia. Sic Christus in Euangelio cùm multos vocatos dicit, electos non nisi paucos designat: viámque arctam, quæ ad vitam ducit, atque à paucis calcatam memorat. Sic seminator Euangelicus, sparsurus sementem suam in agros diuersos, non nisi quartam duntaxat partem, sato suscipiendo idoneam comperit. D. Paulus sanctam & Apostolicam ecclesiam describens, quid de se, cæterísque dicat, obseruemus diligenter. Nos (inquit) ignoti, & tamen noti, quasi pauperes, multos tamen ditantes,

Math. 20. 22.

Luc. 8.

2. Cor. 6.

vt nihil habentes & tamen omnia possidentes. &c.

Quomodo ignoti, quæso, & noti? mortui, & tamen viui? pauperes nihilque habentes, atque ijdem omnia possidentes? Mundo quidem ignoti & obscuri, Deo noti, præsenti huic seculo mortui, at Deo viuentes, iuxta externam rerum terrenarum affluentiam inopes, nihilque habentes, at spiritualibus bonis adeò accumulati, vt plurimos ditarent. Idem & Israeliticæ quondam ecclesiæ accidit, prophetante Elia, quæ adeò obscurè tum latuit, vt etiam nec ab Elia Propheta perspiceretur, quum Deo sat nota essent, septem genuum milia quæ se non flexerant ad Baal. Quapropter non rectè rem accipiunt, qui ecclesiam Christi visibili splendore, numero, ac multitudine personarum metientes, sine his nullam constare ecclesiam, verè catholicam autumant. Age, & vbi tum visibile hoc ecclesiæ decus, Apostolorum tempore, qui nõ nisi paucis cogniti erant? aut vbi tũ mulier, quæ à facie serpẽtis, exul in desertum abduceretur, non hominibus, sed soli Deo, aut paucis electis cognita? Quid ergo? an ideo, Ecclesia esse Christi definebat, quia foris minùs conspicua apparuit? Atquî hac ratione, nec Apostoli ecclesiæ membra existimentur, qui ignoti in mundo obscuri, inopésque vixerint, quemadmodum & Christus ipse. Nam si cognouissent, non crucifixissent Dominum gloriæ.

Ecclesia non omnino omnibus conspicua, quandoq; etiam occulta.

Scio ecclesiam, vbicunque versatur, Deo nunquam non manifestam, nunquam ab eo desertam, nec deserendam esse: at eadem nonnunquam exul in desertum á Deo mittitur, ne semper oculis hominum pateat. Quanquam neque id rursus abnuerim, quin post atroces tempestates, succedant nonnunquam, dei beneficio, Alcedonia, ac intermissiones persecutionum, quando liceat ecclesiæ sese recolligere, atque è cryptis prodire in publicum. Sed ne tum quidem, in his ipsis Alcedonijs desunt ecclesiæ adhuc sua certamina, & agones, etsi non contra publicas tyrannorum infestationes, at non desunt tamen pijs, & sanctis in hac vita, priuatæ suæ afflictiones, quibus exerceantur. Vt enim castigat Dominus, quem diligit, Heb. 12. ita ecclesiæ suæ filios plærunque humiliat in hoc sæculo, ne cum sæculo pereant: vt ne nimio rerum successu, bonorúmque affluentia inflati, insolescant, atque ab originis suæ statu transuersi, abripiantur. Nulla enim pestis virtuti funestior, quàm prosperitas immodica: Nec vllum tempus ecclesiæ periculosius, quàm diuturnæ pacis & tranquillitatis, nisi magna adhibeatur & prudens cautio. Præclarè & sapienter Cicero: Vix quisquam (inquit) nisi magna præditus sapientia, facilè se in regionibus officij, magnis in fortunis, & copijs continet. Vndè nec inscitè Augustinus: Prosperitas (inquit) sæpe auget luxuriam, & alia peccata: aduersitas tollit.

Ecclesia in deserto agens nonnunquam.

Prosperitas externa ecclesiæ periculosa.

Cic. contra Rullum.

Aug. de Ciu. lib. 1. cap. 30.

Quamobrem non in fœlici statu, cursúque rerum, non in vitæ splendore, non in turba, aut multitudine personarum, non in loci dignitate, aut numerosæ successionis serie Ecclesia quærenda est, sed ad normam diuini verbi excutienda. Permultos videas, qui nullam ferunt ecclesiam, nisi suam, quam vocant Catholicam, cæteras quasque nouitatis condemnant, Vbinam (inquiunt) ecclesia erat vestra ante annos centum, aut quinquaginta? At nos, non de sensibus hominum, aut titulo ecclesiæ contendimus, sed de doctrina verbi. Quæ si nunc respondeat antiquissimis doctrinæ Euangelicæ institutis, cur non inter primarias, & antiquissimas ecclesias meritò censeatur. At nemini hactenus visa, aut audita est, ante paucos hos annos. Neque mirum, dominante sic in animis, & auribus hominum Antichristo.

Ecclesia vbi querenda.

Contra Antiquitatem pontificię ecclesię.

Alia ecclesia Christi.

Alia Antichristi.

Sed age, liceat & mihi totidem verbis, ab istis scisciatari: Vbinam, quæso, tum apparuit masculi huius mater, quum à conspectu Serpentis transfugiens, in solitudine peregrinaretur, dominante Nerone, Domitiano, Diocletiano? Romæ, inquiunt. Et quo pacto igitur in deserto, si Romæ diuersabatur? Aut quo modo conspectum Serpentis declinâsse dicitur, si visibilis in vrbe commorans, oculis se spectandam exhibuisset.

Antiqua ecclesia abacta in solitudinem Romana non erat.

Rom. ecclesia nec antiquissima nec vniuersalis.

Prætereà

Prætereà mulier hæc, si typum gerit ecclesiæ, quænam hæc fuerit ecclesia scire velim? Romana scilicèt. Quid ita? Quia demonstrari nulla possit alia, quæ visibilis, & vniuersalis existat, præter solam Romanam. Quid ergo, an sola hæc visibilis & vniuersalis ecclesia Romana, masculum hunc nobis in lucem enixa est? Quid, an eadem etiam visibilis Romana ecclesia post partum æditum, Serpentem fallens in deserta loca se subduxit? At quam quæso ob causam? Vt palam cerneretur? quomodo tum à facie Serpentis profugisse dicitur, si oculis adhuc maneret exposita? Sin vt obscura lateret, qua ratione igitur, visibilem suam Ecclesiam isti iactitant?

Quanquam neque id negandum est, quin complures Episcopi, sanctique Martyres Romæ, tum cernerentur, qui vitam suam, Christi causa impenderent. Rectè, ac membra quidem ista Ecclesiæ fuisse, ac lumina quædam præclara, non negamus, at in his integram constitisse ecclesiam, nec vllam esset vniuersalem ecclesiam, nisi quæ omnino visibilis existat, minimè fatendum est.

Ad hæc, si vniuersalis ecclesia, Romæ tum visibilem ac conspicuam se præbuisset, quî fieri potuit, quin tota funditùs extingueretur? Sed aliter Deo visum est, ecclesiam suam, è media hominum turba, ad tempus educere: Quemadmodum & his modò nouissimis Antichristi furoribus. Post Waldensium, Angrensium, Anglorum, Wicleuitarum, Husitarum, Lutheranorum clades, dubium non est, quin habeat Dominus suas reliquias, alicubi in suis domicilijs, & hospitijs latitantes, quæ si minus splendeant in oculis hominum, nihil hoc Ecclesiæ causam imminuit, quæ non ex numero, & nominibus professorum, sed ex natura doctrinæ spectanda est.

Vniuersalis ecclesia in primis persecutionibus latuit.

In nouissima hac persecutione sub Antichristo habet Deus suas reliquias, licet nõ quibusuis notas.

Ea si ab Apostolis olim, priscísque maioribus accepta, nunc demùm, post diuturnas tenebras in pristinum nitorem restituatur, quid causæ est, cur noua existimetur? Quid enim nunc dictum, factum, aut scriptum in libris, templis, concionibus aut concilijs nostris, quod non dictum priùs, adeóque à primis temporibus, suam ducat antiquitatem? Non aliter, atque politiores literæ humanitatis, linguarum, & eloquentiæ, quæ tam diu hactenus fœda Sophistarum barbarie obrutæ iacuerunt, si nunc feliciore seculo cœperunt reflorescere, non ideò tanquam noua inuenta, reijciendæ sunt: Nec inueterata illa barbaries, ideò retinenda, propter diuturnam temporis consuetudinem. Consimili exemplo visibilis hæc papistarum ecclesia, quantumuis multo iam tempore principatum tenuit, in quo exclusa Euangelij syncera prædicatio, pro temporis iniquitate, publicè admitti non potuit, nihilo magis hinc efficitur, cur eadem, vel propter visibilem formam, aut antiquitatis opinionem, laudem mereatur, vel cur purioris Euangelij cultus, post longum exilium, & persecutiones, iam iterum reflorescens, repudietur. Imò hoc ipso nomine quo minus publicè pateat, tantò propius accedere videtur, ad veræ Ecclesiæ exemplar, quæ fugiens in desertum latuit: contrà, altera illa, quam illi semper visibilem prædicant, in diuersâ meritò suspicionem incurrat, vt fucata, & seducta tantò magis existimetur, quòd fauor & applausus mundi, semper deteriorem ferè partem comitari solet.

Ecclesia quæ noua, quæ vetus existimanda.

Literę politiores quia nunc reflorescunt, non ideò nouę sunt.

Antiquitatis opinio nihil confert, si desit puritas Euangelij.

Quod cum ita sit, non est, cur vel Pontificiæ ecclesiæ, quantumuis numerosæ, popularis cuiquam blandiatur magnificentia: vel cur Euangelicæ ecclesiæ paucitas, quenquam offendat, siue obscuritas, cuius semper hoc ferè proprium sit, vt non alia re externa certius cerni possit, quàm odio huius mundi, & ferendis miserijs.

Huius rei haud aliud luculentius capi possit argumentum, quàm ex descripta huius mulieris puerperæ hypotyposi, qua genuinæ ecclesiæ typus depingitur. Primùm parienti suum masculum præsto adest Draco, illum deuoraturus. Id quum non possit, mulierem persequitur, quæ peperit masculum.

Mulieris & ecclesię consimilis Idæa.

Verùm neque hîc defuit etiam diuina manus. Datæ sunt illi duæ alę, quibus transuecta in solitudinem, euitaret illius immanitatem. Frustratus spe sua Serpens, non sic conquiescit tamen Quid fit ergo? Subsequitur in contextu:

Et eiecit Serpens ex ore suo post mulierem aquam tanquam flumen, vt eam faceret rapi à flumine. Et auduit terra mulierem, & aperuit terra os suum, & absorbuit flumen quod misit Draco ex ore suo.

Terra adiuuit mulierem quo modo?

Quidnam hoc flumen, quid terra mulierem iuuans velit, interpretum alia sunt aliorum iudicia, quę singula hîc commemorare perlongum foret. Mihi verò cum temporum historijs rem conferenti, haud incommodè in hunc sensum intelligi posse videtur. Postquã Pagani illi vrbis Romæ Imperatores, imò pestes, à Satana cõtra Christianos excitati, omnes in eo vires suas, machinas, studia, ac tormentorum genera consumpserunt, vt nomen christianum funditùs è terra conuellerent, neq; rẽ satis succedere pro votis viderent: præter has tam diras lacerationes, & inusitata supplicia piorum Martyrum, ne quid intentatum relinquerent, ad delendam vniuersam christiani nominis memoriam, adduntur insuper horrenda edicta, rescripta,

Flumina post mulierẽ proiecta.

ac mandata Imperatorum, maximè Maxentij, & Maximini, eáque tabulis æneis, ad sempiternam insculpta, passimque toto terrarum orbe, in compitis, & columnis suffixa, quibus mandatum est singulis, ac vniuersis prouinciarum præsidibus, ne quid vsquam saluum restaret ijs, qui Dijs suis sacrificare recusarent.

Porrò ad pernicioſum errorem magis infigendum, subijciuntur rationes, quàm eximia atq; præclara hinc commoda populis ac terris accedunt, ex Christianorum profligatione, & Deorum suorum cultu, quanta cœli temperies, quæ terræ fertilitas, campi latè patentes, segetes florentes, & spicis redundantes, prata imbrium irrigatione, plantis ac floribus amœna, redditáque aëris constitutio temperata ac salubris, &c.

Euseb hist. eccles. lib. 9. cap. 7.

Vides ex his, ni fallor, pie Lector, satis horrendum, & vastum flumen ex ore Draconis proiectum post mulierem, vnde spes penè omnis rerum meliorum Christianis adempta videretur, parúmque abfuit, quin iuxta diuinum illud Christi oraculum, electi quoq;, si fieri potuisset, ob ista scandalum passi fuissent. Verùm quum iam emortua propemodum spes plurimorum esset, subito vt in rebus deploratis fieri solet, opitulatrix affulsit Dei potentia, simul cum pietate coniuncta, id efficiens, vt terra audiens mulierem aperiret os suum, & obsorberet flumen, quod misit Draco ex ore suo. In quo duo nobis aduertere licebit, In altero, adiumentum mulieris diuinitùs præstitum: in altero, letiferam aduersariorum cladem. Id enim terra dehiscens, ac flumen absorbens, apertè demonstrat.

Postquàm itáq; ab immanissimis tyrannis, parata confectáque essent omnia, quę ad excindendam Christi ecclesiam excogitari possent, iamq; legati, per singulas prouincias discurrentes, vt edicta imperatoria æneis tabulis affigerent, dum adhuc in cursu essent (vt supra ex Eusebio narratum est) subitò cœlestis suæ ecclesiæ ὑπέρμαχος ὁ Θεὸς omnia inimicorum consilia & molimina mirabili euertit prouidentia, superbámque tyrannicæ contra Deum contumaciæ iactantiam perfregit.

Adiutrix dei manus tempore opportuno.

Nam qui paulò ante omnia sibi tuta faustáque pollicentes, nec famem, nec pestem, nec bellum suis euenire temporibus gloriabantur, propter simulachrorum suorum cultum, & Christianorum profligationem, hæc omnia subitò, atq; eodem tempore, versa rerum humanarum vice, longè in diuersum reciderunt. Imbres enim, & pluuiæ hyberno tempore, consuetum telluris irrigandæ fluxum remiserunt. Vnde fames incredibilis inualuit. Hanc deinde consecuta cuncta ferè populans pestis.

Accesit huc insuper bellum Imperatoris cum Armenijs. Quod triplex malum, velut triplici agmine, in omnes ferè terras irruens, vix credendam mortalibus stragem ædidit: Quorum plurimi fame, plures peste interierunt.

Impera-

Imperator Maximinus, bello contra Armenios ſuſcepto, miſerum in modum & ipſe deſtinebatur.

Fames verò & cœli intemperie & telluris ariditate tanta, apud Euſebium (vt ſupra diximus) vt vna tritici menſura, bis mille, & quingentis Atticis venderetur. Moriebantur itaque innumeri per ciuitates, agros, & vicos, partim cibi inopia, partim peſtilenti morbo corrupti. Multi, quæ chariſsima habebant, pro tenuiſsimo cibo, ditioribus locare quærebant. Alij poſſeſsionibus paulatim diuenditis, ad extrema egeſtatis diſcrimina venerunt. Nonnullæ etiam per ciuitates nobiles fœminæ ad extremam indigentiæ neceſsitatem adactæ, ad agros mẽdicandi gratia exire cogebantur.

Itaque in medio foro, & per angiportus, mortua ac nuda corpora pluribus diebus inhumata, miſerabile viſentibus ſpectaculum exhibebant. Quin nec minus & peſtis, ſingulas domos & ætates depaſcebat, opulentos præſertim principes, prẽſides, & magiſtratus, quos fames, propter copiam ciborum perdere nequibat.

Soli Chriſtiani, qui intacti ab his malis ſeruabantur, ſedulam operam curandis alijs, & ſepeliendis, ſimúlque paſcendis ijs qui fame periclitabantur, impendebant. Quę pietatis officia Pagani cùm perſpicerent, Deum Chriſtianorum glorificauerunt, ſolóſque illos veri Dei cultores confitebantur. Ex his, ni fallor, vides, pie Lector, flumen hoc tam periculoſum, ex ore Draconis proiectum, ad perdendam mulierem, quo euaſit denique. Sequitur poſt hæc. Chriſtianorũ officia erga Paganos.

Et iratus eſt Draco aduerſus mulierem, & abijt facere prælium cum reliquis de ſemine eius, qui cuſtodiunt mandata Dei, & habent teſtimonium Ieſu Chriſti.

Poſtquam execrandus Draco cum reliqua ſua viperarum progenie, integrum Eccleſiæ corpus internecione delere, quod ſummo impetu moliebatur, non potuit, fruſtráque vires in eo omnes conſumpſiſſet, membra ſaltem reſidua corporis illius, quotquot nanciſci quibat, aggreditur, omnémque in eos feritatem ſuam exercuit, quos à ſuo famulitio alienos, diuinis obſequijs mancipatos, Chriſtique cultores cerneret. Hincq; tot clariſsimorum Martyrum ſanguis per ciuitates, & prouincias ijs temporibus profuſus: ita tamen, vt eccleſia interim, Chriſti fulta præſidio, extingui nulla hactenus virulentia potuerit, nec vnquam extinguetur.

CAPVT XIII.

ET vidi de mari beſtiam aſcendentem, habentem capita ſeptem, & cornua de- Cap. 13.
cem, & ſuper cornua eius decem diademata, & ſuper capita eius nomen blaſphemiæ. Et beſtia, quam vidi, ſimilis erat pardo, & pedes eius ſicut pedes vrſi, & os eius ſicut os Leonis.

Et dedit illi Draco virtutem ſuam, & ſedem ſuam, & poteſtatem magnam. Et vidi vnum de capitibus eius quaſi occiſum in mortem, & plaga mortis eius curata eſt. Et admiratio fuit, in vniuerſa terra poſt beſtiam. Et adorauerunt Draconem, qui dedit poteſtatem beſtiæ: & adorauerunt beſtiam dicentes: Quis ſimilis beſtiæ, & quis poterit pugnare cum ea? Et datum eſt ei, os loquens magna & blaſphemias, & data eſt poteſtas faciendi menſes quadraginta duos.

Et aperuit os ſuum, in conuitia ad Deum, vt conuitijs afficeret nomen eius, & tabernaculum eius, & eos qui in cœlo habitant. Et eſt datum illi bellum facere cum ſanctis, & vincere eos. Et data eſt illi poteſtas in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem, & adorabant eam omnes, qui inhabitant terram, quorum

non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ Agni, qui occiſus eſt ab origine mundi. Si quis habet aurem, audiat: Qui in captiuitatem ducit, in captiuitatem vadit: qui gladio occiderit oportet eum gladio occidi. Hîc eſt patientia, & fides ſanctorum.

Et vidi aliam beſtiam aſcendentem de terra, & habebat cornua duo ſimilia Agni, & loquebatur ſicut Draco. Et poteſtatem omnem prioris beſtiæ facit, in conſpectu eius, & facit terram & inhabitantes in ea, adorare beſtiam primam, cuius curata eſt plaga mortis. Et facit ſigna magna, vt etiam ignem faceret de cœlo deſcendere in terram, in conſpectu hominum. Et ſeducit habitantes in terra propter ſigna, quæ data ſunt illi, vt faceret in conſpectu beſtiæ, dicens habitantibus in terra, vt faciant imaginem beſtiæ, quæ habet plagam gladij, & vixit.

Et datum eſt illi, vt daret ſpiritum imagini beſtiæ: & faciet, vt quicunque non adorauerint imaginem beſtiæ, occidantur. Et facit omnes puſillos, & magnos, & diuites, & pauperes, & liberos, & ſeruos accipere characterem, aut nomen beſtiæ, aut numerum nominis eius. Hîc ſapientia eſt. Qui habet intellectum computet numerum beſtiæ. Numerus enim hominis eſt, & numerus eius, Sexcenti ſexaginta, ſex.

Cum liber hic propheticarum viſionum oracularis, tot contineat præclara myſteria, quibus mutationes regnorum, rerumpub. perturbationes, curſus temporum, rerum caſus, fata & vicisſitudines ſeculorum, Eccleſiæ variæ iactationes, & certamina deſcribuntur: tum in toto hoc myſteriorum ſacrario vix quicquam magis excellens apparet, cuius contemplatio, vel admiratione nos magis detineat, vel delectatione afficiat, vel vtilitate ipſa legentium animos exuſcitet, quàm quod præſenti capite, de duplici beſtia, nobis à ſpiritu ſancto depromitur. In quo non ſolum hoſtium aduerſus eccleſiam furentium feritas depingitur, ſed illi ipſi hoſtes, quinam ſint, vnde prodeant, quæ ſedes ipſorum, quæ propria eorum ciuitas, quis præterea numerus exiſtat, quin inſuper nomen ipſum beſtiæ, priuſquam exurgat, aperta deſignatione exprimitur, quo certiùs ab omnibus videri & præcaueri poſſit. Quo magis mihi mirandum videtur, quæ tanta πώρωσις poſſideat mentes mortalium, vt in tanta Scripturæ luce, rerúmque tam manifeſta euidentia, tanquam in ſole ipſo caligantes, nihil videant, nec animæ ſuæ, in tanto ſalutis diſcrimine conſulant, quin vltrò ſeſe præcipites in ſeductionem Satanæ conijciant. Quòd ſi de Antichriſto, nihil nos ſcriptura præmonuiſſet, aut tam obſcura eſſent diuinarum prædictionum vaticinia, quibus tam graphicè multis ſcripturæ locis, aduerſarius hic Chriſti demonſtratur, eſſet fortaſſis nonnihil, quod iſti ſuæ prætexere poſſent inſcitiæ, qui Antichriſtum nondum veniſſe, nec in Romanum Pontificem vllo modo quadrare iſtas Antichriſti notas, in ſuis Academijs diſputant. Nunc cum tot argumentis conſtat, nullum eſſe præter ſolum Romanæ ſedis Pontificem, in quem propriè cadunt, quæ in ſacrarum literarum monumentis, de Antichriſto referuntur, mirari ſatis nequeo, quid iſtis in mentem veniat, qui tanto conatu, partes Pontificias ab omni ſuſpicione Antichriſtianiſmi vindicant.

Mirabilis huius viſionis cõtemplatio.

Duplex beſtia.

Nomen beſtiæ.

Deplorata hominum quorũdam cæcitas.

Sed fruſtra nituntur. Quin eadem opera laterem etiam lauent, qui Pontificiam ſedem ab hac labe emaculare ſtudent. Quod nunquam efficient: qui quum dixerint omnia, vel hic vnus Scripturæ locus, omnes eorum ratiunculas, oppoſitiones, fabulas, & fabricas paulo momento diſſipabit, ita vt Prophetiæ huius autoritas vel neganda ſit, aut fatendum, ſolùm Romanum eſſe, qui in ſcrinio pectoris ſui Antichriſtum circumferat. Cæterùm ne extra modum excreſcat oratio, verba ipſa præſentis Prophetiæ, pro facultate, quam dederit Dominus, diligenter expendamus. Quod priuſquam adgrediamur, exoratum ab amico lectore velim, tum ijs maximè perſuaſũ eſſe, qui Romanæ ſe aſtrinxerunt clientelæ, ne quis putet ſtudio maledicendi aut inconſulta mentis temeritate, ſiue aliqua calami petulantia, in vllas hominum perſonas hæc proficiſci, quæ dicturus ſum: ſed quia tam multos hodiè inſidioſis Satanæ artibus, qui totum ſeducit terrarum orbem, deluſos videam,

Pontificij propugnatores fruſtra laborant.

videam, qui falsa pro veris, pro Christo Antichristum, qui bestiam pro Deo viuo adorant, atque amplificant, qui denique in sedem hanc bestiæ sic affecti videantur, vt nullam esse ecclesiam putent, nisi quæ Romana sit, nec vllam salutis spem, nisi quæ in hac ecclesia subsistat, refellendam hanc opinionem, atque mentibus bonorum eximendam, quantum licebit, existimaui. Antichrist. pro Christo à multis colitur.

Vt igitur propiùs ad rem institutam accedat oratio, propositam vtriúsq; bestiæ imaginem intueamur, simúlque quæ in superiori præcesserunt capite, cum ijs quæ in isto subsequuntur, quoniam mutuo quodam nexu inter se colligantur, ex causis & circumstantijs expendamus. Ac primùm de filio mulieris masculo, iam ante dictum est. Filius hic Christus seruator est, à Deo nobis singulari munere destinatus. Quem in finem? Vt deuicto mortis, & Satanæ regno, ecclesiam sibi conscisicat, eámque salute æterna donet. Age, Et quænam hæc ecclesia existit? Cœtus est eorum, quotquot syncera fide & confessione, in Christi complexus confugiunt, credentes in nomen eius. Ecclesia quid. Rectè: Et qua ratione eos seruat ille? Per mortis suæ efficacem energiam, quæ pro peccatis fidelium, offensam Dei iustitiam abundè compensat. Quid ergo? An omnes seruat mors Christi? Certè, quotquot coniecta in Christũ fide infucata, recipiant eum, credántque in nomen eius. Est enim sola hæc in filium Dei fidei conditio, quæ si vigens veráque sit, ecclesiam verè constituit, eámque perficit ad vitam æternam. Quum fidem dico, non eam intelligo, quam sophistica Papistarum schola implicitam appellat, qua generaliter singula & vniuersa credere tenemur, quæcunque recipit sacrosancta mater Ecclesia, quam illi Romanam vocant: sed quæ à Deo cœlitus illustrata ad certas scripturæ normas se componit, ac dirigit, iuxta verissimum illud Christi oraculum, Nemo venit ad me nisi pater traxerit eum. His ita positis fidei & salutis nostræ fundamentis, cętera quæ indè consequuntur, ordine persequamur. Ita enim plærunque vsu venire solet, vt vbicunque fides hæc Christi certa, solidáque conspicitur, nunquam desint aduersarij, qui Tyria malorum maria, totáque persecutionum flumina, excitent, idq; non sine permissu summi numinis. Quid ita? Non vt his persecutionibus salus perficiatur Sanctorum, sed vt exerceantur sancti, in hac vita, & ab illecebris huius mundi retineantur. Offensa dei iustitia pacata per Christum. Fides in Christum. Fides implicita. Bonauent. dist. 23. q. 3. lib. 3. Ioan. 6. Afflictiones in hac vita cur pijs immittuntur.

Hinc occulta Dei dispensatione, Draconi permittitur hæc, quam cernimus, in ecclesia tumultuandi potestas, nulla accepta in pios iusta sæuiendi causa, sed odio tantùm, & inuidiæ stimulis inflammata, qui quum Christum Seruatorem è cœlis reuellere non possit, fidem eius in terra oppugnat, per scelestos furoris sui ministros. quos habet infinitos. Hincq; tam graues illæ in Primitiua ecclesia perturbationes, per blasphemã bestiam, ad perdendã mulierem, & reliquias feminis illius, inflãmatę: de qua bestia, Ioan. in hunc modũ cõmemorat: *Et vidi de mari bestiã ascendentẽ, &c.* Potestas Satanæ in affligendis pijs.

Hæc autem bestia, quæ apud Danielem, quarta bestia dicitur, in hoc capite, prima producitur, Romanam nobis figurans monarchiam, nõ quæ nunc sit, sed quæ olim per sæuos, & Ethnicos imperij tyrannos, in tantam accreuit amplitudinem. Bestiæ prioris descriptio. Per primã bestiam vetus Roma figuratur.

Habentem capita septem, & cornua decem, &c. Quid septem illa capita præ se ferunt, ipse sui interpres Propheta subindicat. *Septem* (inquit) *capita 7. montes sunt.* Qua topologia rursus vrbs Roma digito mõstratur, quæ ciuitas, teste Virgil. & Propert. 7. monticulos seu colles suo ambitu complectatur. Palatinũ, Capitolinum, Auentinũ, Cælium, Esquilinum, Viminalem, & Quirinalẽ. Iã verò, quòd capita ista 7. ad reges septẽ, Angelo ipso interprete cap. 17. accõmodantur, vt varia sunt, hac de re scriptorũ iudicia, ita liberũ erit cuiq; id sectari, quod verò propius videbitur, siue secutus Bullingerũ, 7. reges ad eos referat, qui primùm Romæ regnauerũt, vsq; ad Tarquiniũ, vel qui proximè post Iuliũ, ad Neronem Imperat. septimũ ordine successerunt, siue ex sententia Chytrei eos enumerare malit, qui post Neronẽ, ad Neruã subsecuti sunt: aut si cui libeat magis, cum Pet. Artopæo, & D. Fulcone, septenarium hunc numerũ: Roma septicollis. Septem colles Romæ. Bullingerus. Da. Chytręus. Pet. Artopæus D. Fulco.

ad septemuiratum seu septem ordines gubernationis referre, nempe Reges, consules, Decemuiros, Dictatores, Triumuiros, Cæsares, & Imperatores externos. Porrò, quod ad cornua decem, hoc est, ad decem Reges attinet, id ita nonnulli interpretantur, veluti Sebastianus Meyer, & Aug. Marloratus, vt decem hæc cornua, totidem insignita diadematis, ad vniuersos mundi reges, & principes accommodent, qui studio extinguendi nominis Christiani mutuas coniungunt operas.

Septem ordines gubernationis, in vrbe Roma.
Seb. Meyr.
Aug. Marlorat.

A qua sententia nec multum discrepat Primasius, Rupertus, Haymo, & Aquinas, qui cornua decem, vniuersam peruersorum multitudinem, regnáque terrena bestiæ subiecta, interpretantur. Sunt qui cornua hæc decem, prouincias consulares exponunt, quas Roma tum decem habuit, totidémque proconsules, qui regia potestate, in ditione Romana dominabãtur, autore Strabone, & alijs. In hac tãta sententiarum varietate, poterit & hæc apponi coniectura, vt decem cornua haud incõmodè referri queant ad decem tyrannos, qui decem primas persecutiones contra ecclesiam Christi atrocissimas inflammârunt. Quorum primus erat Nero, 2. Domitianus, 3. Traianus, 4. Antoninus, 5. Seuerus, 6. Maximinus, 7. Decius, 8. Valerianus, 9. Aurelian, 10. Diocletian, & Maximinianus cum suis pariter collegis, qui decimam, illã maximéque funestã persecutionẽ, decem continuis annis, contra pios Christi Martyres, concitârunt. Adduntur porrò, singulis cornibus singula diademata, cum nomine seu nominibus blasphemiæ, singulis imposita cornibus: vnde suprema quædam in terris maiestas, prorsus inimica, & contumelioſa aduersus Dominum, & aduersus Christum eius, intelligitur. Pergens insuper in descriptione blasphemæ bestiæ, affingit illi

Primasius Rupertus Haymo Aquinas.
Decẽ cornua & Diademata decem.
Strabo lib. 7.
Borrhæus Chytræus.
Decem Reges persecutores.
Decem diademata Blasphemiæ.

Imaginem Pardi, Vrsi, & Leonis.

Quæ epitheta Imperatoriæ huic sedi, non ob aliud tribuuntur à Propheta, nisi vt ostendant Imperatores hos nihilo mitiores futuros populo Dei (vt rectè subindicat Alphonsus) quàm solẽt Leones, Pardi, Vrsi & bestiæ rabidissimæ, in greges ouicularum irruere. Nec mirum, quum Draco ipse, princeps seculi huius, contulit Bestiæ virtutem suam, & potestatem magnam, atque sedem. Sequitur deinceps

Alphonsus.

Et vidi vnum de capitibus eius quasi occisum in mortem, & plaga mortis eius curata est. De quo plura, Christo ducente, inferiùs. Pergit ille.

Et admiratio magna fuit post bestiam in vniuersa terra, & adorauerunt Draconem, qui dedit potestatem bestiæ & adorauerunt bestiam, dicentes: quis similis bestiæ, & quis poterit pugnare cum ea?

Ingens profecto cæcitas, infanda impietas, dæmonem pro numine cœlesti colere, sicque affici rerum humanarum gloria, vt nihil aliud in cœlo ipso colendum videant. Age, & quales sunt isti adoratores? Si numerum spectes, infiniti sunt. *Et adorabant* (inquit) *eam omnes, qui inhabitant terram:* Si conditionem, mox audis: *Quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ Agni.*

Numerus & conditio eorũ qui adorant bestiam.

Pergamus in descriptione: Et quid tandem marina hæc bellua, in terris efficit? quid conatur?

Et datum est (inquit) *illi bellum facere cum sanctis & vincere eos.*

Potentia bestiæ.

Fata hæc sunt ecclesiæ, vt vim patiatur, in præsenti seculo, contráque vt impij ad tempus vincant, atque triumphent. At quàm diu hæc durabit victoria? Quin neque illud reticetur. *Et data est ei potestas faciendi menses 42.*

Potestas faciẽdi menses 42.

Etsi diuina sic dispensante voluntate, laxantur habenæ interdum impijs, ad ferociendum & tumultuandum, pro suo ingenio, at frænum rursus, in medio cursu, eis injicitur, quo non liceat ipsis, quantum libeat. Permissa est itaque ferali huic monstro potestas pugnandi, & vincendi: sed certis tamen septis, & cancellis circumscribitur, quibus demum expletis, finem accipiat rabies. Qui autem sunt menses isti 42. plusculum in eo videtur subesse difficultatis, præsertim, quum tan-

to

to consensu omnium ferè veterum patrum, recentioríque catholicismi, vna iam diu obtinuit sententia, vt menses hi quadraginta duo, tantum contineant annorũ spatium, quantum apud Danielem significatur, per tempus, tempora, & dimidium temporis, ita vt tempus annum designet, tempora duos annos, dimidium temporis, sex menses denotet, ex quibus conficitur triennium cum dimidio: tam diu enim regnaturum asserunt Antichristum. Quanquam hæc interpretatio nostrorum hodie temporum theologis quibusdam minùs arridet, qui tam angustis annorum finibus Antichristi regnum minimè coarctandum arbitrantur. Ideoq; laxiorem temporis periodum illi designant, nullum tamen certum ei annorum modum statuentes. Tantùm ex mensium, non annorum dimentione hoc futurum colligunt, vt neq; tam breue sit Antichristi imperium, quàm putant Antichristiani, neq; rursus tam diuturnum, quin meritò se consolentur, sub cruce laborantes Christiani.

Menses 42.

Veterum opinio de mensibus 42.

Bullinger. Marlorat. Chytræus. Fulco. Alfonsus. Gu. Whitaker. demonst. 6. Pe. Artopæus. Seb. Meyer.

Qua in re, etsi nihil habeam, quod certò velim, aut ausim statuere, recitabo tamen paucis, & simpliciter, quid ante annos non ita multos, cuidam acciderit, mihi non ignoto, nec vulgari charitatis nexu colligato. Erat is in texenda Martyrum historia versatus sedulò, qui dum primas illas ecclesiæ persecutiones euolueret, videretque infinita, dictúque horrenda innocentissimorum Martyrum supplicia, torturas, virgas, flagra, bestias, oculorum effossiones, vngularum asperitates, carbonum adustiones, quibus non ad mortem, sed ad diuturnitatem supplicij multi horrendum in modum contorquebantur, membrorum conscissiones, viscerum dilacerationes, aliáque varia, & varijs modis excogitata, eademq; subinde repetita tormentorum genera: quæ fortissimi tum Christi athletæ, viri pariter ac fœminæ pertulerunt, quorum alij manibus post tergum reuinctis, in ligno extollebantur, ac instrumentis quibusdam, membratim distendebantur, atque ita postea vniuersum corpus iussi tortores affligebant. Alij ligno post verbera imponebantur, ac per quatuor foramina vtróque pede sic extendebantur, vt nullam corporis sui facultatem haberent, propter vulnera, quæ vniuerso erant corpori inflicta. Alij fractis cruribus puniti, multi ex pedibus in sublime capite dimisso suspensi, igni remissiore subiecto ardentis materiæ fumo contorquebantur: vt de mulierculis interim nihil dicam, quæ vno pede ligatæ, sublimésque in aëra dimissis capitibus, ligneo quodam instrumento, in altum sublatæ, non sine inhumanissimo ad videndum spectaculo, atrocissimos sustinuerunt cruciatus. Rursus alij arboribus, ac ramis alligati, corporibus frustulâtim diuulsis, enecabantur.

Narratio quid cuidã acciderit de 42. illis mensibus cogitanti.

Suppliciorum varia genera in primitiua ecclesia.

Et quis omnes grauissimarum afflictionum species, & formas, pijs Christi Martyribus inflictas, vel præsens, tunc sine lachrymis intueri, vel nunc præteritas, sine graui horrore, recordari poterit? Quas cùm Martyrologus hic noster, quem dico, in perlegendis historijs singulis, pertractâsset, vix dici potest, quanta perculsus animi consternatione, mirari primùm ipse secum, deinde, crescente magis solicitudine, vacillatione quadam mentis fluctuare, ac tandem cum Deo etiam tacita ferè cogitatione expostulare cœpit, ita secum cogitans: Sciretnè ista Deus, priusquam euenirent: Si non sciret, quo modo omniscius? Si sciret, quo modo tanta pietas, tot tantáque mala, in charissimos sibi seruos incurrere, permitteret? Saltem cur non asperitatem torturarum aliquo lenimento mitigaret? cur tam seuerus in fideles sui cultores, tantam ostenderet in inimicos lenitatem? Sin autem sciret, & permitteret, cur non aliqua significatione, ecclesiam suam de futura aliqua pœnarum harum mitigatione, præmoneret, præsertim in sacra sua Apocalipsi: In qua, quum de cæteris rebus tam multis, multa promuntur oracula, de hac persecutione tã graui, & diuturna, nulla facta esset mentio, vt illi tum videbatur. Nã etsi bestia hæc Apocalyptica prælių gerens cum sanctis, eosq; vincẽs, speciem nonnullam exhibere potuit, istarũ sub Imperatorũ tyrannide, persecutionũ per 3. mẽses & dimidiũ, tamẽ id rursus obstare videbatur huic interpretationi, quòd numerus mẽsiũ horũ 42. qui in vno solùm triennio, & 6. mensibus absoluuntur, nullo modo cum diuturnitate

harum

harum perſecutionum conſiſtere potuerit. Tot enim menſes conceſſi ſunt beſtiæ ad populandum, qui omnes, ſi ſupra vnum triennium non extendantur, fieri non poteſt, vt tanta temporis breuitas, tantis & tam diuturnis afflictionibus reſpondeat.

His, inquam, curis & cogitationibus implicita mens ita deſtinebatur, vt vix ita multum abfuerit, quin prolapſa penè in diffidentiam, illud cum Hieropſalte Pſal.72. diceret: Mei autem penè moti ſunt pedes, penè effuſi ſunt greſſus mei. Quid multis? fluctuanti in hunc modum hominis animo, multúmque ſecum cogitanti, de his rebus, tum maximè de numero menſium, in quo omnis conſtabat difficultas, non defuit tandem felicior quædam diuini (vt reor) numinis gratia, quæ arcano quodam, admonitionis ſibilo velut reſpondens, ſine voce tamen, at non ſine vehementi cogitationis impreſſione, ſubitò in hunc modum ei ſuggerit, vel increpat potius: Stulte (inquit) numera hos menſes, quemadmodum Daniel numerat ſuas hebdomadas, per ſeptenarium numerum annorum. Quo accepto reſponſo, cœpit ſecum altiùs rem trutinare, móxque exiliens è cubili, in quo decumbebat, dies autem erat dominicus, ad ædes cuiuſdam mercatoris ſe proripit, quo certiùs de ſumma totius numeri edoceretur.

Myſterium menſium 42. explicatur.

Aderant ibidem tres ſimul mercatores. Quorum vnus, laudatiſſimæ vitæ mercator, iamdudum vita functus eſt. Reliqui duo in viuis adhuc ſuperſunt, qui excuſſis ad calculos diligenter menſibus 42. iuxta ſabbata annorum, reperiunt annos in vniuerſum ducentos nonaginta quatuor. Qua accepta ſupputatione, redijt alter domum, rem cum hiſtorijs contulit. Summa integra ad amuſim conuenit. Siquidem inter baptiſmum Chriſti ſeu carcerem Ioa. Baptiſtæ, vſque ad pacem eccleſiæ ſtabilitam, per Conſtantinum, poſt mortem Licinij nouiſſimi perſecutoris interfluxerunt anni, ſi ritè ſupputentur ex commentarijs Cuſpiniani, circa hunc maximè numerum quem dixi, 294. Nomen illius, qui reſponſum accepit, non hic ædo, nec opus eſt. Rem ipſam ita vt geſta eſt, vera ſimplicique narratione adnotandam duxi. Deus mihi teſtis eſt, nec mentior, nec fingo, nec muto quicquam. Nec poſtulo, vt quiſquam τούτοις τοῖς χρηματισμένοις fidem adhibeat, niſi velit. Qui non velit, ipſe de ſua tripode adferat meliora. Mea quidem ita fert ratio, vt credam Chriſtum, nec mortuum eſſe, nec mutum. Quorſum in eccleſia templum Dei, aut in templo oraculum, cum propitiatorio, ſi nemo in cœlis ſit, qui in dubijs Scripturæ rebus, votis interpellantium reſpondeat?

Annorum numerus quibus primæ durârunt perſecutiones.

Pergamus in deſcriptione beſtiæ.

Et data eſt ei poteſtas faciendi menſes 42. Et aperuit os ſuum in conuitia, ad Deum, vt conuitijs afficeret nomen eius & tabernaculum eius, & eos qui in cœlo habitãt. Et data eſt illi poteſtas in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem, & adorabant eam omnes, qui inhabitant terram, quorum non ſunt ſcripta nomina, in libro vitæ Agni, qui occiſus eſt ab origine mundi. &c.

Hîc iterum Romanæ Monarchiæ ſtatus clariſſimis coloribus, velut in tabula depingitur. Nam alioqui quod vnquam imperium, quæ Monarchia oſtendi poterit, præter ſolam Romanam, in quam omnia iſta ſimul confluunt, argumenta? In qua tanta vnquam audita ſit blaſphemia? In qua vniuerſæ terræ tanta obſtupuit admiratio? Cui tanta data ſit in omnem tribum & populum, & gentem, & linguam poteſtas? Denique quæ etiam ab omnibus, qui inhabitant terram, tantum non pro numine adorata ſit? Nero, & Domitianus, quid, an non pro dijs immortalibus ſeſe adorari, locaríque mandârunt ſuas in templis imagines? Sic enim in hiſtorijs de Domitiano fertur; Dominus & Deus noſter Domitianus ſic fieri iubet. Neque aliter Diocletianus cultum diuinum affectans, pro numine adorari ſe voluit: eóq; ſanxit edicto, vti omnes, ſine generis diſcrimine, proſtrati pedes exoſcularentur, vtque ex ipſo habitu, veluti pro deo coleretur, primus ille (teſte Euſebio) gemmas veſtibus, calciamentiſq; conſeruit, cùm ante eum, omnes Imperatores, in mo-

Ex Chronol. Lau. Leobergenſis. Euſeb. in lib. temporum. Eutrop. Ioan. Cuſpin. in Aurel. Caſſiod. commẽt.

dum

dum Iudicum salutarentur, & clamidem tantùm purpuream à priuato habitu discrepantem gestarent. Nam prius imperij insigne, in clamide purpurea tantùm erat, reliqua communia: Hodiè noster summus pontifex, qui se seruum seruorum perhumiliter appellat, suos pedes deosculandos præbet, calceis gemmas, & formam sanctæ crucis interserens: fortè Diocletiani maiestatem imitatus, à quo didicit sic adorari. Sed bestiæ reliquas notas persequamur. Veterum Imperatorum cultus.

Diocletianus primùm oscula inuexit, quòd nunc retinet Rom. Pontifex.

Si quis habet aurem, audiat. Qui in captiuitatem ducit, in captiuitatem vadit. Qui gladio occiderit, oportet eum gladio occidi. Hic est patientia & fides sanctorum. &c.

Postquam de tyrannide superbissimæ bestiæ, Romanæ nimirum Monarchiæ, in affligendis pijs Christi martyribus, multa superiùs exposuisset diuinus vates, ne quis belluinam hanc rabiem perpetuam, aut diuturnam, siue impunitam fore suspicetur, recreandæ nunc rursus ecclesiæ causa, de diuinæ vltionis talione, in vindicandis hostium iniurijs, in calce hæc subijcit, simúlque ad attentionem aures, atque animos piorum excitans, ad fidem & patientiam eos cohortatur.

Si quis (inquit) *aurem habeat audiendi, audiat.*

Age: & quidnam audire nos voluit?

Qui in captiuitatem ducit, in captiuitatem vadit. Et qui gladio occiderit, oportet eum gladio occidi. &c.

Quibus verbis, diuinæ iustitiæ vindicta, in vlciscendis suorum iniurijs, exprimitur. Etsi enim permittit nonnunquam Deus impijs in pios grassandi licentiam, vel vt suos ab illecebris huius mundi auocet, vel vt exerceat eos ad patientiam: at ita tamen afflictionum asperitatem temperat, sicq; bonorum, & malorum fines moderatur, vt qui per vim, & iniuriam indignè opprimuntur in hoc seculo, neque hi digna suæ patientiæ mercede frustrentur, neque improbi rursus, suorum scelerum commeritam effugiant vindicationem, quæ etiamsi lento interdum procedit gradu, at tarditatem supplicij, tandem grauitate compensat. Vnde non temerè hîc admonet, grauissimis verbis Propheta, Diuina vltio in vindicandis impiorum tyrannide.

Diuina vindicta, quo tardior, eo grauior.

Qui in captiuitatem ducit, in captiuitatem vadit: Et qui gladio occidit, gladio ferietur, &c.

Nec multum à diuino hoc vate, abludit Propheta Esaias: Væ qui spolias (inquit) nonnè & ipse spoliaberis? quum deuastare desieris, deuastaberis & tu, &c. Diuinæ huius vindicationis plena sunt exemplis omnia, vt vetus habet diuerbium. Esai. 33.

Non vrbs, non regio, non ætas vlla seueri
Iudicij exemplis, non domus vlla caret.

Extat de his exemplis regula, de quibus sæpè dicitur: Δία ὃν τὶς ἁμαρτάνει, ϑ' ἑαυτῶν καὶ παιδεύεται. Item,

Οἷα γὰρ ῥέζει τοῦτον τέλος αὐτὸν ἱκανεῖ. & rursus,

Τεύχων ὡς ἑτέρῳ τι, ἑῷ κακὸν ἤπατι τεύχει:

1. Per quæ quis peccat, per eadem castigatur.

i. Struens alteri malum, sibi ipsi malum accersit. Petro volenti gladium stringere responsum est, à Domino ipso: Immitte gladium tuum in vaginam: omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt. Hinc discant pij Christiani, qui sub cruce suspirant, neque vt desperent propter persecutionem, neque de retaliandа iniuria, ipsi torqueantur, sed in spe & silentio animas suas possidere studeant, iudiciúmque expectent illius, qui præcipit: mihi vindictam, & ego rependam, dicit dominus. Contráque, videant aduersarij, Imperatores, cum suis regibus, Turcæ cum suis Mammalucis, Papa cum suis cardinalibus, qui per vim & sanguinem, pro religione sua, pugnant tam atrociter, quem tandem euentum, suæ crudelitati expectandum putent, simúlq; ex aliorum malis maturè discant sapere. Quid Neroni, Domitiano, Decio, Valeriano, Diocletiano, & Maximiniano, quid Maxētio, Maximino Matth. 26. Deut. 32. Exempla diuinæ vindictæ in hostes sacræ religionis.

imino & Licinio, quid Herodi obuenerit, & Iuliano, ex tabulis hiſtoriarum petant. Erat huius Iuliani auunculus, qui & ipſe Iulianus dicebatur, is menſam ſacram lotio emiſſo profanauit, in contemptum, Antiochiæ. Reprehenſus ob id ab Eudoxio epiſcopo, alapam ei impegerat. Non multo poſt, graui correptus morbo inteſtinorum putreſcentium miſerè interiit, excrementis non amplius per meatus ſuos, ſed per os execrandum egredientibus. Addit Sozomænus libro quinto, capite octauo, carnem eius putrefactam, in vermes conuerſam eſſe, qui viuam eius carnem depaſcerent, donec interimerent.

Iulianus auunculus Iuliani.

Theod. lib. 3. cap. 13.

Sozom. l. 5. c. 8.

Eiuſdem Iuliani alter Theſaurarius erat, qui cùm prius Chriſtianus eſſet, poſtea in gratias receptus, in eodem templo ſacra conſpicatus vaſa: En qualibus vaſis (inquit) miniſtratur Mariæ filio. Idem mox ſanguine, à toto corpore per os emiſſo, miſerrimè interiit.

Theodoret. Sozom. ibid. Nicephorus li. 10. cap. 29.

De Salmoneo Eldis Rege narratur, qui quum Dei fulmen in aëre imitaretur (quemadmodum Romæ olim Domitianus) ab ipſo fulmine traiectus occiditur. Archiſelaus natus ex patre Perdica, & ancilla Alcethæ, nothus interfecit auunculum Alcetham regem Macedonum, & eius filium Alexandrum, & germanum fratrem Perdicæ filium. Tenuit regnum annos 24. tandem interfectus eſt ab adoleſcente nobili, quem per libidinem contumelia affecerat. Ad ſacra redeo. Iorâ filius Ioſaphat, omnes fratres ſuos, præter vnicum interemit. Conſimili ratione, filij item ipſius, præter vnum Achaz, extincti ſunt ab hoſtibus. Poſſem ad vicinior a tranſire tempora, in quibus, infinita exempla recentior hæc ætas ſuppeditat, de Henrico ſecundo. Rege Galliæ, ann. 1557. de Richardo 2. Anglorum rege, de Pontificibus Romanis & Cardinalibus, de Gardinero & alijs, ſed ſatis iam exemplorum, quum inſtar multorum, vel vnum illud Poeticum ſuffecerit.

Vltio diuina in Theſaurarium Iuliani.

Virgil. Ænead. lib. 6.

Archiſilaus Macedonum Rex.

Ioram. 2. Paral. ca. 21. & 22.

Henri. ſecund. Rex Galliæ.

Richard. 2. Anglorum Rex.

Steph. Gardin. Epiſc. Wintonienſis.

Ad genetum Cereris, ſine cæde & ſanguine pauci,
Deſcendunt proceres, aut ſicca morte tyranni.

Ita enim lege Dei, naturæ, omniúmque gentium receptiſsimum eſt, vt quiſque id ſibi retribuendum expectet, quod alteri intulerit. Huc pertinet illud Gen. 9. Qui effundit ſanguinem, huius effundetur ſanguis. Et in Euangelio, Quod volueritis, vt faciant vobis homines, hoc facite illis. Et rurſus: Qua menſura alijs menſi fueritis, eadem remetientur vobis alij, &c. Equiſsimum proinde fuit, vt quum Roma totum orbem deprædata ſit, omnésque gentes armis cruentis infeſtârit, ipſa vicisſim, Pari talione, ab omnibus propè gentibus impetita conculcaretur.

Gen. 9.

Math. 7.

Mar. 4.

Poſtularet hic locus vt ruinam Romanæ huius beſtiæ, quæ, non ita multò poſt tempora Conſtantini, iuxta Prophetæ vaticinium, iuſto Dei iudicio per Gothos & Vandalos conſecuta ſit, ordine exponerem; niſi quod ad hanc rem attinet ſatis iam dictum in quarta tuba videretur. Cæterùm quoniam in hunc rurſus locum incidimus, non alienum fuerit, quædam in hiſtorijs altiùs repetere, vndè fuſiùs Prophetiæ fides eluceſcat.

Quarta tuba cap. 8.

Expleto nunc igitur ſuperioris beſtiæ curſu, deletíſque priſcis illis tyrannis, qui tam diu multúmque, per annos penè 300. inſtigante Satana, ad delendam Chriſti eccleſiam ſeſe tantopere fatigârunt: ſubijt tandem in Imperii Romani habenas mitiſsimus Conſtantinus. Quo imperante, euenit, poſt hæc, non ſine ſummo propitii numinis beneficio, vt quæ res diuturnæ perſecutionis finem dederit, eadem initium Eccleſiaſticæ tranquillitatis, ſimúlque Romanæ ruinæ attulerit.

Conſtantinus magnus.

Cùm enim Conſtantinus extincto iam Lycinio, fauſtiſsimis auſpiciis, ſolus rerum gubernacula haberet in manu, eique ſoli ſumma incumberet Imperii, de ſede vrbis Romæ, Byzantium tranſferenda, cogitabat, ita futurum ratus, vt conſtituta in Byzantina vrbe, tanquam in orbis meditullio, arce Imperii faciliùs attendere eo pacto poſſet, vtrique parti, tam quæ ad orientales

populos

populos, quàm quæ ad occiduos pertinebat. Nec dubium, quin huic occasioni diuina non defuerit prouidentia, rem omnem miro gubernans consilio. Id quod non multò post euentus ipse docuit. Siquidem translato iam Imperio, ipsaque Monarchiæ acropoli in vrbe Constantini posita, eò factum est, vt Roma, iam Imperatoris præsentia, viribúsque nudata, faciliùs pateret hostibus. Quin nec hostes, ad eam rem designati defuerunt, & multi, & graues, iuxta quod audimus in Euangelio, Vbi cadauer, ibi congregabuntur Aquilæ: de quo mox, annuente Domino, dicemus.

Romanum Imperiũ translatum in Byzantium.

Mat. 24.

Incidit translatus hic Imperij status, é Roma veteri, in nouam Romam, anno Imperij Constantini 26. à nato Domino 336. A prima origine nouæ huius Romæ, donec à Turcis capta est, anni numerantur mille, centum, & octodecim. Tam diu perstitit, & efflоruit noui huius Imperij maiestas, post veterem deletam Romam. Postea demùm capta est hæc noua Roma, à Turcis, anno milleſimo, quadrageteſimo, quinquageſimo, tertio. Sed de hoc postea, ope Domini.

Ann. Constantini 26.
Ann. dom. 336.
Ex Prosp. & Orosio.

Habes hîc itaque, amice Lector, quod inprimis obseruandum est, ex vna Roma geminam, Italicam alteram, alteram Constantinopolitanam. Habes similiter vnius Imperij duplex caput: alterum vetus & occisum; alterum nouum & persistens. Caput hoc vetus & occisum, quidnam designat minimè obscurum est, nec dubitandum, quin ex eo intelligatur prior illa bestia blasphema & tyrannica, cui datum est bellum facere cum sanctis & vincere eos: de qua verissimè dictum est à Propheta: Qui gladio occiderit, oportet eum gladio occidi. Neque aliter veteri quidem Romæ euenit. Qua enim atrocitate sæuissimæ huius belluæ gladius vastauit alios, cæde ac sanguine cruentans omnia: pari vltionis vicissitudine, & ipsa hostili percussa gladio, plagam capitis mortiferam pertulit, quæ vix tandem longo post tempore sanitati est restituta. Quanquam neque eadem hæc ipsa Roma toto corpore vastata est, nec vtrunque caput, sed alterum duntaxat amiserat, de quo sic testatum legimus.

Duplex Roma vetus & Noua, Vnde duplex Imperij caput.

Et vidi vnum de capitibus quasi occisum in mortem: ac si diceret caput, alterum minimè quidem occisum esse.

Et plaga mortis eius curata est. Quod nisi de veteri Roma intelligi nullo modo poterit. Capta siquidem, & occisa Roma veteri, perstitit nihilo minus noua Roma, Constantinopolitana scilicet, salua atque incolumis diu postea, vsq; ad Turcicam expugnationem, ad annos, vt dictum est, mille, centum, & octodecim. Iam verò quod supereſt, quonam modo, à quibus, quo tempore, caput hoc occisum fuerit, rursúsque, quonam modo, quo autore, quo tempore conualuit, ex historijs videndum est.

Caput vnum Rom. Imperij occiditur: alterum consistit incolume.
Caput alterũ Imperij Rom. quam diu regnauit.

Imperante in vrbe Constantini, Honorio, anno Imperij eius decimo octauo, à nato Christo, 469. á morte Constantini, sexageſimo octauo, Radagisus primùm Gothorum rex, ducenta militum milia in Italiam duxit, sed infœlicitèr. Fame siquidem dissipata multitudine, Radagisus ad vrbem Fesulam, à Stilicone Honorij duce capitur, & strangulatur.

Radagisus Gothorum dux.

Successit ei Gothorum rex alter, Alaricus, qui omissa Gallia, pergens ad vrbem Romam, obsessam eam biennio capit, Calend. April. quinquennio post mortem Radagisi, anno Domini 414. quam tamen ipse non deleuit, neque in fideles, piósque homines admodum desæuijt. Multitudo ipsa in templa Christiana confugerat, non interfecta est: sed ex templis, & ex alijs thesauris publicis, & priuatis, ingens præda congesta est. Relictâ itaque Româ, Alaricus, vt reliquam Italiam spoliaret, exercitum ducit in Campaniam, inde in Siciliam, vbi in vltima Italiæ ora, vita functus est.

Alaricus Gothorum rex.
Roma primũ capta ann. 414

Adaulphus Gothorũ rex Romam occupat.

Post eum, factus est Adaulphus Gothorum rex, qui exercitum in Italiam reduxit, atque in Romam sæuijt acriùs, sed Placidiæ vxoris, sororis Honorij intercessione delinitus, vrbem, quemadmodum apud se decreuerat, non deleuit: sed facta cum Honorio pace, propter affinitatem, concessit in Galliam, inde in Hispaniam, vbi anno tertio post discessum, à suis interfectus est. Placidia Honorij soror, in vxorem data est Constantio Patricio Romano, quem Honorius consortem Imperij occidentalis fecerat, ex qua natus est Valentinianus tertius, vltimus Imperator occidentis, vsque ad Carolum Magnum.

Adaulphi cædes.

Constantius Patricius, Imperator Occidentalis.

Honorius Imperat. Oriẽtis.

Valentin. vltimus Imperator Occidentis.

Mortuo Honorio, successit in imperio Orientis, Theodosius secundus, qui consortem habuit Imperii Occidentalis Constantium, vt dixi. Tenuit Theodosius imperium Orientis, annos quadraginta duos: Post Theodosium, subijt in imperium Orientis, Martianus: Quo imperante, anno eius sexto, Gensericus Vandalorum rex, accersitus ex Africa, vt quidam ferunt, ab Eudoxia Valentiniani Occidentalis vxore, contendit in Italiam, Romam capit anno Domini 459. siue vt alij supputant, 445. anno Valentiniani decimo septimo, anno Theodosij trigesimo quarto. Metuens tandem odia suorum, pacem facit cum Valentiniano, imperij Occidentalis præfecto qui concesit ei partem Africæ, quam vsque ad tempus Bellisarij, retinuerunt Vandali annos 96.

Theodosius 2. Imperat Oriẽtis imperauit ann. 42.

Martianus imperat. Oriẽtis.

Attraxit hic Gensericus Attilam, & Hunnos, contra Gothos, in Hispaniam. Attilas igitur mouens ex Pannonia, cum quingentis milibus, ducit in Germaniam, & Italiam. Cui propè Tholosam occurrit Aetius, adiunctis sibi in belli societatem Francis, & Gothis. Nunquam duos maiores exercitus conspectos esse scribitur. Pugna inita anno secundo Martiani, Valentiniani verò vicesimo septimo, ab hora nona diei nocte tota, ad diem sequentem adeò efferbuit, vt in ea trucidarentur centum octoginta hominum milia. Etsi hoc tempore occubuit Theodoricus Rex Gothicus, victoria tamen, exercitum suum abducente Attila, ad Aetij partes, & Gothorum, inclinare videbatur.

Roma iterum capta à Genserico rege Vandalorum.

Gensericus Gothus.

Attilas Hunnorum rex.

Ann. Do. 455.

Clades hominum in vno prælio 1080.

De Attila verò, quanquam res magnas in Italia gesit, Aquileiam cœpit, Mediolanum & Ticinum diruit, ingentem Romanis terrorem incussit: tamen quia exoratus à Leone Pontifice, Romam non attigerat, non multum ad hunc locum attinet, plura commemorare.

Imperante Romæ Augustulo, filio Orestis, qui imperium, circiter vnum annum tenuit, Odoacer Rugianus exercitum, in Italiam adduxerat. Eam vt defenderet Orestes, pater Augustuli, ad Ticinum vsque ducit. Vbi robur Italiæ extinctum esse dicitur. Victus Orestes, ad vrbem Ticinum fugit, qua expugnata, Odoacer eum Placentiam adduci, ibique interfici iubet. Vrbes vicinæ metu, deditionem faciunt: Augustulus imperio se abdicans, in Campania postea vixit, tanquam exulans. Postremus hic fuit imperatorum Italicorum, vsque ad Carolum Magnum. Odoacer Romam ingressus, Regem se Romæ & Italiæ, non imperatorem nominauit, triumphánsque in Capitolium ascendit. Magnæ cædes, & direptiones in vrbe Roma, & alibi factæ sunt. Agrorum tertiam partem suis distribuit. Regnauit annos quatuordecim. Zeno enim imperator Constant. in Italiam, contra eum, misit Theodoricum Regem Gothicum, qui duobus magnis præliis Odoacrum profligat, tandémque post triennalem Rauennæ obsidionem, eum ilicò interficit, circa annum Domini 483. Regni sedem Rauennam fecit, Italiam tenuit Theodoricus Gothorum rex annos triginta tres.

Odoacer Rugianus an. 476.

Orestes pater Augustuli victus & cæsus.

Vrbs Ticinum superata.

Augustulus fugiens imperio se abdicat.

Augustulus postremus imperatorũ Italic.

Odoacer Rugianus.

Odoacer interfectus.

Theodoricus rex Gothicus.

Huic successit, in regno Italiæ, Atalaricus, Theodorici nepos annos natus octo. Qui demum, postquam cum matre Amalosuntha, prudenti, & virtute excellenti, fœmina, annos octo regnasset, dum voluptatibus indulget, à tutoribus

Atalaricus Theodorici nepos.

tutoribus malè educatus, moritur. Sub hoc Athalarico, Gothi interim, Romani imperij dignitatem in Italia delere minimè desistunt.

Mater deinde, post obitum filij, ad regni societatem, adiunxit sibi Theodatum Gothum, ex sorore Theodorici natum, qui Athalarico in Italia successit. Hic propter doctrinæ studia, spem satis præclaram initio Reginæ præbuit, sed paulò post, longè eam fefellit opinio. Auaritia enim, & naturæ prauitate correptus, imponebat Italiæ iniusta tributa, multósque calumnijs circumuentos facultatibus excutiebat. Ob hæc, quum reprehenderetur ab Amalosuntha, inclusit eam in carcerem, vbi aliquanto post, fraude Theodati interfecta est. Qui non multò post, ingratitudinis pœnas dedit. Vix biennium effluxerat, post occisam Amalosuntham, quin missus à Iustiniano Belisarius, ad vindicandam Theodati perfidiam: bello eum petijt. Cui rex Gothicus, siue metu, siue spretus à suis, non audebat se opponere. Quamobrem Gothicus exercitus ei iratus, exturbato Theodato, creat regem Vtigem, cui postea successit Totilas, alter Gothorum princeps.

Theodatus Gothus.

Theodati impia crudelitas in Amalosuntham.

Bellum inter Belisarium, & Theodatum Gothorum regem.

Sub his duobus, ingens Italiæ incidit dilaceratio. Roma sæpius capta, Mediolanum funditùs deletum à Gothis, qui triginta milia ciuium illic interfecerũt. Sunt & aliæ multæ vrbes detritæ, magni vtrinque exercitus trucidati. Vtiges, vbi iam totam penè Italiam vastâsset, Romam ipsam obsidione cinxit, anno vno, & diebus nouem. Multa ibi facta sunt magna prælia. Exercitus Vtigis erat, centum & quinquaginta milium Gothorum. Belisarij acies militum numero multò inferior. Quorum contempta paucitate, Gothi bellum acrius cient. Belisarius, etsi fortiter à suis defensus, in maximum venit discrimen, ac diuinitùs tamen seruatus, intra vrbis Romæ mœnia incolumis peruasit, cùm iam perijsse crederetur. Durante adhuc obsidione, quum crebra vtrinque prælia in mœnibus exarderent, vno die triginta Gothorum milia perierunt. Nec minùs, Roma cæde & fame afflictabatur. Vtiges tandem virtute Belisarij conspecta, omissa obsidione Romæ, cùm sexagies septies ibi dimicatum esset, exercitum alò diuertit, Italiam miserandum in modum vexans, vbi, teste Sabellico, omnia antiquorum Romanorum iura, instituta, & veteres familias, quæ restabant in Italia prorsus extinxit, & aboleuit. Inter hæc accesit tandem Belisarius ad Rauennam, vbi initis de pace conditionibus, obtinuit à ciuibus, vt Rauenna dederetur, in qua erat Vtiges. Quem ibi captum, & honorificè custoditum, non multò post Constantinopolim reuersus, secum ad Iustinianum imperatorem abduxit, qui ob reuerentiam Regij nominis, clementer eum excipiens, Patricium facit. Regnauit Vtiges annos quinque.

Vtiges Gothus Romam obsedit.

Ann. dom. 538.

Exercitus Vtigis.

Belisarius è magno periculo vix euasit incolumis.

Vtiges rex Gothorum captiuus Constantinopolim ad Iustin. Imper. perducitur.

Iustin. clementia erga Vtigẽ.

Post tot acceptas calamitates, neque Romani pœnitentia corriguntur, nec conquiescunt Gothi, nec priùs desistunt, quàm omnia in flammam & cineres redigerent. Historiam ita commemorant Chronographi, Auentinus, & alij. Totilas, biennio post dissessum Belisarij ex vrbe, in regnum succedens Gothorum, primùm ad Placentiam, vicit Romanum exercitum, duplo licet maiorem, quum is quinque tantùm milia virorum haberet. Inde progressus, occupauit magnam Italiæ partem. Nobiles matronas, virgines, pueros, vbicunque misit inuiolatos. Quo factum, vt propter Iustitiam, plures ad eum deficerent. Neapolim fame coegit ad deditionem. Quam vbi occupâsset, frumentum mox inuehi mandat, vrbísque direptionem prohibet. Romam tandem appetit, quam biennio ferè obsessam vbi obtinuisset, legatos cum mandatis mittit ad Iustinianum, postulans sibi Italiam, fœderisque inter ipsos pactionem flagitans, quod si non impetraret, minatur vrbem se, nonénque Romanum excisurum.

Auentinus lib. 3. Annalium, & alij.

Totilas Gothorum Rex.

Totilæ victoria contra Romanos.

Totilas Romam obsidet, & obtinet.

Respondit ille, Belisarium iam in Italia esse, cui res Italicas commisisset. Totilas, quum postulatis non annuisset Imperator, vrbem euertere Romanam decreuit. Mœnium partem maximam, pluribus locis solo æquat. Capitolium incendit.

Omnes ciues, cum coniugibus, & liberis, vrbe excedere iubet. Plebs per oppida Campaniæ dispersa est. Senatores patritiósque secum ipse pro obsidibus retinet. Inde ædificijs ignis vndique immittitur. Incensam omni parte Romam Gothus vacuam reliquit. Tredecim dies incendium emicuit. Fuit vrbs Roma, amplius quadraginta diebus, in ea solitudine, vt nec mulier, nec vir quisquam, in ea relinqueretur. Egressus ex vrbe Totilas, cum toto exercitu eam desolatam penitus & vacuam dereliquit. Bellisarius vacuam vrbem, occupat, fossa, vallo, aggere, turribus ligneis partem vrbis munit, nam tota restaurari tam subitò non potuit. Totilas adest, sed repulsus Tibur discessit. Reuocatur mox Bellisarius in Græciam, ab Imperatore. Redit Totilas, vrbem rursus obsidet, capit. Ita vno anno Roma caput mundi, Gentiúmque domina, ter capta est, teste Auentino. Et quæ ter inclyta quondam, Imperium Oceano, famam quæ terminat astris, in tertia hac occupatione prorsus destruitur, sicut prædictum fuit à Sybilla: Ῥώμη μοῦ ῥώμη ἔσται, καὶ οὐκ ἔτι μοῦνος ἀδελφός.

Roma in cineres vndiq; redacta.

Roma in solitudinem redigitur. Leonard. Auctinus lib. 3.

Roma vno in ann. ter capta. Virgil.

Roma quoties capta à quibus, & quo tempore.

Vt autem tempora ipsa, quibus capta est, breui repetitione recolligamus: primùm sub Honorio Imperatore Constantinop. Alaricus Gothorum rex Romam biennio circumsessam cœpit, ann. Domini 414.

Captiuitas Romæ prima an. 414.

Secundo tempore Martiani, Genfericus Vandalus eandem spoliauit, ann. Dom. 459. bis videlicet capta intra annos 44.

Secunda captiu. Romæ an. 459. per Genfericum.

Tertio, tempore Iustiniani per Totilam circumcessa circiter biennium, capta & vastata ann. Dom. 546.

Tertia captiu. ann 546. per Totilam.

Quarto deindè post triennium iterum per eundem Totilam capta, incensa, deleta, ann. Dom. 549.

Quarta destructio Romę per Totilã an. 549.

Regnauit Totilas annis decem. Interea viuente adhuc Totila, Iustinianus pro Bellisario, ducem & exarchum Italiæ Narsem substituit. Qui congressurus cum Totila ingentem exercitum sibi comparauit, præterea auxiliares copias, partim ex Herulijs, partim ex Longobardis adiungit. Veniens itaque ad Rauennam, legatos ad Totilam mittit, pacem cum eo certis conditionibus facturus. Totilas pacem nullo modo, sed bellum voluit. Vnde acerrimo inito prælio, victi tandem Gothi in fuga dissipati sunt. Fugiens Totilas cum paucis comitibus, in fuga vulneratur, in castra vehitur, ex vulnere moritur. Interfecto Totila Narses post triennium, vrbem Romam recipit. Reliquiæ tamen Gothorum regem faciunt Teiam. Qui rex Gothorum vltimus in prælio à Narse interfectus est, nondum primo regni anno exacto. Atque hic finis regni Gothorum fuit. Quod in vniuersum, si ab Alarico numeremus, durauit per annos, plus minus 132. Si ab Odoacro, per annos sexaginta: Narses verò exarchus, & Eunuchus Italiam rexit annos sexdecem.

Narses successor Bellisarij.

Totilas victus à Narse, fuga vulneratur, & moritur.

Teias rex Gothorũ à Narse victus interficitur.

Quanquam exturbatis hunc in modum Gothis, ne sic quidem suam nec dignitatem, nec libertatem Italia recuperare potuit. Etenim post Gothos, Italiam occupant Longobardi, quorum auxilia Narses, paulò priùs, vt dictum est, accersiuit. Ingressi itaque Longobardi in Italiam ann. Christi 568. regnum tenuerunt in ea Italiæ parte, quæ est inter Alpes & Apenninum, annis ducentis quatuor, sæpe etiam Romam, varijs incursibus infestantes: donec tandem à Pipino ac Carolo Magno, pontificis rogatu, subigerentur ann. Domini 773.

Longobardi quamdiu imperium in Italia tenuerunt.

Finis regni Longobard. Ann. 773.

Ex his satis iam satis constare arbitror, quænam hæc bestia sit, quam primo loco numerat Propheta, certissimo prænuncians oraculo, hæc omnia, quæ iamdudum accidisse veteri illi Romæ videmus: quanta eius superbia, quæ blasphemia, quanta per vniuersum orbem admiratio illius fuerit, & adoratio, quàm furiosè, accepta in sanctos grassandi potestate, gladio illos perimebat, sine modo & fine, qui Deum cœli coluerunt. Et demum quàm iusta diuinæ vltionis ἀνταπόδοσις in caput ipsius reciderit, quod prænunciatum est à Propheta, de vulnere

morti-

mortifero capiti eius infligendo. Quæ omnia, quum aliter, quàm in veterem Romam, congruere non posse nemini dubitandum sit, superest vt ad vlteriora huius Prophetiæ progrediamur: Quoniámque mentio subijcitur, de altera bestia, per quam plaga prioris bestiæ curata sit: postulat proinde locus, quando ad secundam nunc bestiam, résque illius gestas deuentum sit, quid de ea commemorat propheta, aduertamus diligenter.

Et vidi aliam bestiam ascendentem de terra, & habebat cornua duo similia Agni, & loquebatur sicut Draco. Et potestatẽ prioris bestiæ omnem faciebat, in conspectu eius, & facit terram & inhabitantes in ea, adorare bestiam primam, cuius curata est plaga mortis. Et facit signa magna, vt etiam ignem faceret de cœlo descendere in terram, in conspectu hominum. Et seducit habitantes in terra propter signa, quæ data sunt illi, vt faceret in conspectu bestiæ, dicens habitantibus in terra, vt faciant imaginem bestiæ, quæ habet plagam gladij, & vixit. Secunda bestia eiusque descriptio.

Et datum est illi, vt daret spiritum imagini bestiæ: & faciet, vt quicunque non adorauerint imaginem bestiæ, occidantur. Et facit omnes pusillos, & magnos, & diuites, & pauperes, & liberos, & seruos accipere characterem in manu sua dextra, aut in frontibus suis. Et ne quis possit emere aut vendere, nisi qui habeat characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis eius. Hic sapientia est. Qui habet intellectum, computet numerum bestiæ. Numerus enim hominis est, & numerus eius, sexcenta sexaginta sex. Numerus & nomen bestiæ.

Atque de priori hactenus bestia, sat dictum arbitror, quæ quin typum gerat non vnius personæ, sed politicum ordinem, & statum totius imperij designat, nemini obscurum est. Porrò Imperium illud, non aliud quàm Romanum fuisse, ex circumstantijs proprietatum necessariò colligitur, de quo satis iam ante dictum est.

Redeo ad secundam nunc bestiam, quæ quid, sub ænygmatica adumbratione, intus occultet secretioris mysterij, quid ex descriptione singularum proprietatum significetur, si ritè excutiantur, haud difficilis videbitur explanatio. Quis enim non videt, sub typo secundæ bestiæ, alterum illum Antichristum, omniúmque teterrimum effigurari, qui sub nomine ecclesiæ, nouissimis ijs temporibus, Christum in suis membris, multò funestius persequitur? Eóque tam graphicè expressus sub hac bestia videtur, quo facilius ab omnibus & cognosci possit, & caueri debeat. Spiritualis Antichristus.

Quæ res quò conspectiùs appareat, spectemus suo loco, & ordine, omnes Prophetiæ huius conditiones, quibus depingitur Antichristus, quas si conferamus cum Romano pontifice, comperiemus nullum esse hominum genus, nullam in terris sedem, in quam omnia hæc, quæ de bestia scribuntur, aliter queant quadrare, præterquam in Romanam hanc solam hierarchiam. Vtcunque Romanos proceres, summo conatu, in hoc incumbere video, vt à suo pontifice Antichristi nomen quàm longissimè remoueant, nunquam tamen Ethiopem hunc ita eluent, vt non proprijs ipse coloribus, qui sit, qualisque sit, manifestè appareat. Verùm enim verò priusquam altius feramur in hanc contentionem, Primùm, quid aduersarij, de eodem, æditis libris, edoceant, quid in comitijs disputent, qualem hunc esse definiant, rursúsque, qualem nobis Antichristum proponunt Propheticæ literæ, aperiamus.

Præterea, qui verè sit Antichristus, ex certis firmísque è Scriptura rationibus, nostras postea, si dederit Christus Dominus, subiungemus euidentias.

DESCRIPTIO ANTICHRISTI IVXTA *Papistas, eorumque traditiones.*

Persona Antichristi.

IN Pontificia ecclesia, Antichristi τὸ ἕνυμον ita exponunt, vt eo nomine, non nisi vna particularis, & individua vnius personæ ratio intelligatur: cui videlicet personæ, huiusmodi accommodant conditiones: Primùm, vt originem trahat ex tribu Dan in Babylone. Quæ deinde sedeat Hierosolymis, in templo Dei: ibique pro Messia se venditans, miraculorum præstigijs homines in se credentes dementabit, non credentes immaniter occidet. Inter quos, Enoch & Eliam è cœlo venturos interficiet, qui deindè post paucos dies, in vitam resurgent. Duraturum autem hoc Antichristi regnum, per tres annos & semialterum. Quo demum expleto, occidendus erit Antichristus, in monte Oliueti, post cuius interitum, dies deinde 45. concederentur electis ad pœnitentiam, quo tempore Dominus atque Saluator in sua maiestate venturus est, quemadmodum ex Hieronymo, & alijs concludunt Theologi Romanenses & Rhemenses.

Haymo in 2. Thess. 2.
Ioan. Damascenus.
Tribus Dan. Babylon.
Templum Hierosolym.
Messias Iudæorum.
Enoch.
Elias.
Hieronym. in Dan. cap 12.
Dies 45. concessi ad pœnitentiam.

Habes, Christiane lector, de Antichristo nondum nato, de persona eius, & tribu Dan, de Messia Iudæorum, eiúsque templo, de Enoch & Helia, de triennio Antichristi, & monte Oliueti, de inducijs dierum 45. satis catholicam, ni fallor, fabulam. Quam vnde illi hauserunt, etsi fortasse non ignorem, tamen vt maximè sciam, haud magni refert. Nam vt vt isti magnis sese tueantur authorum nominibus, Augustini, Chrysostomi, Hieronymi, Theodoreti, Aretæ, Irenæi, Ruperti, Hyppolyti, Ephremi, Antonini & similiũ? Quorum neq; nos autoritatem in totum refugimus, cum Scripturis tamen Augustini consilium secuti, conferimus, non præferimus. Quod nec ipsi à nobis postulabunt, opinor, Catholici. Quod quum ita sit, duo nobis quærenda occurrunt: primùm de libris, è quibus ista desumuntur. An simpliciter omnes genuinos esse dicant ipsorum, quorum feruntur titulo. Neq; enim dubium est, quin multa multis affinguntur autoribus, quę ipsi si adessent, nunquam pro suis agnoscerent.

Prisci doctores cum scripturis conferẽdi, non præferendi.
Priscorum doctorum libri non omnes genuini.

Sed age, vt hæc admittamus quæ nobis obtruduntur, (quod tamen cur fatendum sit, non video:) cæterum vt litem hanc illis remittamus: restat secundo loco quærendum. Quid tandem ex his doctoribus, in Pontificis sui patrocinium, comparabunt? Nempè, inquiunt, quia luculentissimis patrum testimonijs, falsissimum esse constat, quod garriunt hæretici, de duplici Antichristi regni statu. Quorum alter spiritualis, alter externus existat. Audio, & quid tum postea? Nempe, inquiunt, duplex huiusce regni status à Doctoribus refellitur: vnica proindè, ac singularis Antichristi persona sit oportet, quæ ex tribu Dan, inter Iudæos in fine seculi, nascitura sit, sedémque suam non Romæ, sed Hierosolymis, in templo Dei constituat, oportebit. Vnde hoc? ex grauissima videlicet celeberrimorum Theologorũ vetustate, qui vno ore, constantique omnes consensu id comprobant. An communis hæc sit doctorum omnium affirmatio, non hîc excutio. Illud cum Hieronymo, respondeo: Quicquid de Scripturis non habet autoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.

Ex disputatione eiusdẽ doctoris de singularitate Antichristi aduersus Herbrãdum. cap. 4.
Hieron. in 23. cap. Math.

Addo huc, & Augustini regulam, quæ statuit, tum de omnibus patribus, tum de seipso, & scriptis suis: vt illa tantum accipiantur, & pro catholicis habeantur, quando cum Scriptura catholica consentiunt. Sicque in libris suis omnes versari cupit, sicut & ipse in scriptis aliorum, ita nimirum, vt ad normam Scripturæ, omnia reuocentur. Idémque alibi omnes disputationes ecclesiasticas, ad Scripturæ cognitionem reuocans: Nec ego, inquit, Nicænum, nec tu Arimense debes, tanquam præiudicaturus proferre Concilium. Scripturarum autoritatibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concertet. Et mox: Patres nunquam se audiri, nisi quando scripturas rectè interpretantur, à quoquam postulant: & lectori liberum

Augustlib. Retract.
Aug contra Max. l 3. ca. 14.

liberum relinquunt, de ipsorum scriptis, iudicium, &c. Nec minus idem contra Faustum scribens perdoctè: quod (inquit) canonicum non est, non astringit. Vndè & Hieronymus, pari rursus breuitate, in eandem concinens sententiam: sine autoritate (inquit) scripturarum, garrulitas non habet fidem. Nemini non notum est illud, nec minùs etiam verum, quod monet Cyprianus, ne velimus attendere, quid aliquis ante nos faciendum putârit, sed quid, qui ante omnes fuit, Christus prior fecerit. Neque hominum consuetudines, aut rationes sequi debemus, sed veritatem Dei, quum per Esaiam Prophetam Deus loquatur, & dicat: sine causa colunt me, docentes mandata & præcepta hominum.

August. contra Faustum li. 23. Hieronym. in Epist. ad Tit. Cyprian. Epist. lib. 1. Epist. 8.

Quæ omnia huc adducta non eò pertinent, vt venerandæ doctorum existimationi quicquam detractum velimus, aut de ponte grandæuos magistros deijciamus. Maneant res suo quæque loco & ordine. Quæ Dei sunt, Deo tribuamus; hominibus, quæ sunt humana. Soli Deo hæc relinquatur prærogatiua, vt iudicio errare, verbo fallere non possit. Secùs res habet in hominibus: Qui, quamlibet ingenio acuti, iudicio præstantes, vsu, ætate, autoritate eximij videantur: quia homines tamen sunt, nihil ab his humani alienum esse arbitror. Hocque adeò res ipsa satis arguit. Quotum enim quemq; mihi dabis ex omni doctorum classe, quorum in scriptis, nullus vel nubilosæ contradictionis, vel erroris humani nævus resideat?

Quanquam nec inficior, vt quæque ætas propiùs ab Apostolicis abfuit temporibus, hoc minùs contraxit contagij. At nulla vnquam ætas homines, tam integrè perfectos genuit, quos non homines alicubi fuisse videamus, si scripta Prophetica & Apostolica excipiantur. Rectè igitur de sponsa ipsa dictum est, ab Augustino: Quæ aliter bono & tranquillo animo esse non poterit, priúsquam dicere liceat: Loquatur ad me sponsus meus, &c. Quid cæteri verò loquantur mortales, quid dicat Augustinus, quid Hieronymus scribat, quid sentiat Iræneus, quid Chrysostomus, quid reliqua doctorum interpretum approbat antiquitas, etsi magnum id quidem esse fateor: at minimè tamen per se satis illud fuerit, ad astringendam fidem, nisi, quod dictant illi, pariter cum analogia diuini verbi congrediatur. Rectè proinde Augustinus: Neque quorumlibet (inquit) disputationes, quamlibet Catholicorum, & laudatorum hominum, velut scripturas Canonicas habere debemus, vt nobis non liceat, salua reuerentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare, atque respuere, si fortè inuenerimus, quod aliter senserit, quàm veritas habeat, diuino adiutorio, vel ab alijs intellecta, vel à nobis, &c.

August. lib. confess. Augu. Epist 3.

Quin nec minùs idem Augustinus, ingenuè, Quod de cæterorum commentarijs, hoc ipsum & de se suisque opusculis, iudicium statuit: Qui negare se non posse, ac nec debere etiam affirmat, sicut in ipsis maioribus, ita multa esse, in opusculis suis, quæ possunt iusto iudicio, & nulla temeritate culpari. Móxque subiungens: Ideo (inquit) librum retractionum feci, vt discant Lectores, neque mea per omnia mihi placuisse, &c.

Ex his satis perspicuum pijs esse non dubito, quid, quantúmque Sanctorum Patrum iudicijs sit deferendum: quorum neque hominum canicies, neque nominum autoritas, ita nos illigatos tenet, vt non bona etiam ipsorum venia, resilire alicubi ab ipsis liceat, si aliò nos vocat rectior Scripturæ consideratio. Quanquam in communibus quidem illis Ecclesiæ controuersijs, in rebus fidei, ac morum, ad publicam vitæ, doctrinæq; institutionem pertinentibus, in quibus facilior patet veri inuestigatio, plusculum habere momenti non negem, grandiorum interpretum constantem consensionem. Cæterùm in occultioribus illis vaticiniorum mysteriis, & Propheticarum prædictionum altitudine, rectè id dici potest, quod docet D. Bernardus: In huiusmodi (inquit) non capit intelligentia, nisi quantum experientia attingit.

Bernard. super Cant. serm. 22.

DESCRIPTIO ANTICHRISTI IVXTA *Papistas, eorumque traditiones.*

Persona Antichristi.

IN Pontificia ecclesia, Antichristi τὸ ἔτυμον ita exponunt, vt eo nomine, non nisi vna particularis, & indiuidua vnius personæ ratio intelligatur: cui videlicet personæ, huiusmodi accommodant conditiones: Primùm, vt originem trahat ex tribu Dan in Babylone. Quæ deinde sedeat Hierosolymis, in templo Dei: ibique pro Messia se venditans, miraculorum præstigijs homines in se credentes dementabit, non credentes immaniter occidet. Inter quos, Enoch & Eliam è cœlo venturos interficiet, qui deindè post paucos dies, in vitam resurgent. Duraturum autem hoc Antichristi regnum, per tres annos & semialterum. Quo demum expleto, occidendus erit Antichristus, in monte Oliueti, post cuius interitum, dies deinde 45. concederentur electis ad pœnitentiam, quo tempore Dominus atque Saluator in sua maiestate venturus est, quemadmodum ex Hieronymo, & alijs concludunt Theologi Romanenses & Rhemenses.

Haymo in 2. Thess. 2.
Ioan. Damascenus.
Tribus Dan. Babylon.
Templum Hierosolym.
Messias Iudæorum.
Enoch.
Elias.
Hieronym. in Dan. cap 12.
Dies 45. concessi ad pœnitentiam.

Habes, Christiane lector, de Antichristo nondum nato, de persona eius, & tribu Dan, de Messia Iudæorum, eiúsque templo, de Enoch & Helia, de triennio Antichristi, & monte Oliueti, de inducijs dierum 45. satis catholicam, ni fallor, fabulam. Quam vnde illi hauserunt, etsi fortasis non ignorem, tamen vt maximè sciam, haud magni refert. Nam vt vt isti magnis sese tueantur authorum nominibus, Augustini, Chrysostomi, Hieronymi, Theodoreti, Aretæ, Irenæi, Ruperti, Hyppolyti, Ephremi, Antonini & similiũ? Quorum neq; nos autoritatem in totum refugimus, cum Scripturis tamen Augustini consilium secuti, conferimus, non præferimus. Quod nec ipsi à nobis postulabunt, opinor, Catholici. Quod quum ita sit, duo nobis quærenda occurrunt: primùm de libris, è quibus ista desumuntur. An simpliciter omnes genuinos esse dicant ipsorum, quorum feruntur titulo. Neq; enim dubium est, quin multa multis affinguntur autoribus, quę ipsi si adessent, nunquam pro suis agnoscerent.

Priscorum doctorum libri non omnes genuini.

Sed age, vt hæc admittamus quæ nobis obtruduntur, (quod tamen cur fatendum sit, non video:) cæterum vt litem hanc illis remittamus: restat secundo loco quærendum. Quid tandem ex his doctoribus, in Pontificis sui patrocinium, comparabunt? Nempè, inquiunt, quia luculentissimis patrum testimonijs, falsissimum esse constat, quod garriunt hæretici, de duplici Antichristi regni statu. Quorum alter spiritualis, alter externus existat. Audio, & quid tum postea? Nempe, inquiunt, duplex huiusce regni status à Doctoribus refellitur: vnica proindè, ac singularis Antichristi persona sit oportet, quæ ex tribu Dan, inter Iudæos in fine seculi, nascitura sit, sedémque suam non Romæ, sed Hierosolymis, in templo Dei constituat, oportebit. Vnde hoc? ex grauissima videlicet celeberrimorum Theologorũ vetustate, qui vno ore, constantique omnes consensu id comprobant. An communis hæc sit doctorum omnium affirmatio, non hîc excutio. Illud cum Hieronymo, respondeo: Quicquid de Scripturis non habet autoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.

Ex disputatione eiusdẽ doctoris de singularitate Antichristi aduersus Herbrãdum, cap. 4.

Hieron. in 23. cap. Math.

Addo huc, & Augustini regulam, quæ statuit, tum de omnibus patribus, tum de seipso, & scriptis suis: vt illa tantum accipiantur, & pro catholicis habeantur, quando cum Scriptura catholica consentiunt. Sicque in libris suis omnes versari cupit, sicut & ipse in scriptis aliorum, ita nimirum, vt ad normam Scripturæ, omnia reuocentur. Idémque alibi omnes disputationes ecclesiasticas, ad Scripturæ cognitionem reuocans: Nec ego, inquit, Nicænum, nec tu Arimense debes, tanquam præiudicaturus proferre Concilium. Scripturarum autoritatibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concertet. Et mox: Patres nunquam se audiri, nisi quando scripturas rectè interpretantur, à quoquam postulant: & lectori liberum

Augustin. lib. Retract.

Aug contra Max. l. 3. ca. 14.

liberum relinquunt, de ipsorum scriptis, iudicium, &c. Nec minus idem contra Faustum scribens perdoctè: quod (inquit) canonicum non est, non astringit. Vndè & Hieronymus, pari rursus breuitate, in eandem concinens sententiam: sine autoritate (inquit) scripturarum, garrulitas non habet fidem. Nemini non notum est illud, nec minùs etiam verum, quod monet Cyprianus, ne velimus attendere, quid aliquis ante nos faciendum putârit, sed quid, qui ante omnes fuit, Christus prior fecerit. Neque hominum consuetudines, aut rationes sequi debemus, sed veritatem Dei, quum per Esaiam Prophetam Deus loquatur, & dicat: sine causa colunt me, docentes mandata & præcepta hominum.

August. contra Faustum li. 23. Hieronym. in Epist. ad Tit. Cyprian. Epis. lib. 1. Epist. 8.

Quæ omnia huc adducta non eò pertinent, vt venerandæ doctorum existimationi quicquam detractum velimus, aut de ponte grandæuos magistros deijciamus. Maneant res suo quæque loco & ordine. Quæ Dei sunt, Deo tribuamus; hominibus, quæ sunt humana. Soli Deo hæc relinquatur prærogatiua, vt iudicio errare, verbo fallere non possit. Secùs res habet in hominibus: Qui, quamlibet ingenio acuti, iudicio præstantes, vsu, ætate, autoritate eximij videantur: quia homines tamen sunt, nihil ab his humani alienum esse arbitror. Hocque adeò res ipsa satis arguit. Quotum enim quemq; mihi dabis ex omni doctorum classe, quorum in scriptis, nullus vel nubilosæ contradictionis, vel erroris humani næuus resideat?

Quanquam nec inficior, vt quæque ætas propiùs ab Apostolicis abfuit temporibus, hoc minùs contraxit contagij. At nulla vnquam ætas homines, tam integrè perfectos genuit, quos non homines alicubi fuisse videamus, si scripta Prophetica & Apostolica excipiantur. Rectè igitur de sponsa ipsa dictum est, ab Augustino: Quæ aliter bono & tranquillo animo esse non poterit, priusquam dicere liceat: Loquatur ad me sponsus meus, &c. Quid cæteri verò loquantur mortales, quid dicat Augustinus, quid Hieronymus scribat, quid sentiat Iræneus, quid Chrysostomus, quid reliqua doctorum interpretum approbat antiquitas, etsi magnum id quidem esse fateor: at minimè tamen per se satis illud fuerit, ad astringendam fidem, nisi, quod dictant illi, pariter cum analogia diuini verbi congrediatur. Rectè proinde Augustinus: Neque quorumlibet (inquit) disputationes, quamlibet Catholicorum, & laudatorum hominum, velut scripturas Canonicas habere debemus, vt nobis non liceat, salua reuerentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare, atque respuere, si fortè inuenerimus, quod aliter senserit, quàm veritas habeat, diuino adiutorio, vel ab alijs intellecta, vel à nobis, &c.

Auguſt. lib. confeſſ. Augu. Epiſt. 3.

Quin nec minùs idem Augustinus, ingenuè, Quod de cæterorum commentarijs, hoc ipsum & de se suisque opusculis, iudicium statuit: Qui negare se non posse, ac nec debere etiam affirmat, sicut in ipsis maioribus, ita multa esse, in opusculis suis, quæ possunt iusto iudicio, & nulla temeritate culpari. Móxque subiungens: Ideo (inquit) librum retractionum feci, vt discant Lectores, neque mea per omnia mihi placuisse, &c.

Ex his satis perspicuum pijs esse non dubito, quid, quantúmque Sanctorum Patrum iudicijs sit deferendum: quorum neque hominum canicies, neque nominum autoritas, ita nos illigatos tenet, vt non bona etiam ipsorum venia, resilire alicubi ab ipsis liceat, si aliò nos vocat rectior Scripturæ consideratio. Quanquam in communibus quidem illis Ecclesiæ controuersijs, in rebus fidei, ac morum, ad publicam vitæ, doctrinæq; institutionem pertinentibus, in quibus facilior patet veri inuestigatio, pluſculum habere momenti non negem, grandiorum interpretum constantem consensionem. Cæterùm in occultioribus istis vaticiniorum mysteriis, & Propheticarum prædictionum altitudine, rectè id dici potest, quod docet D. Bernardus: In huiusmodi (inquit) non capit intelligentia, nisi quantum experientia attingit. Bernard. super Cant. serm. 22.

Viderunt quidem veteres mala omnia, quæ ſuo ſeculo erant in eccleſia: Sed vt omnia acutiſsimè cernerent, quæ poſteris quoque erant euentura, longè abfuerunt. Multò ſiquidem facilius eſt ea exponere, quæ completa ſunt, quam de futuris pronunciare.

In cognitione autem Antichriſti, quæ res captum humanæ rationis longè exuperat, nec aliter ferè quàm temporum progreſſu, rerúmque euentu intelligi queat, hallucinatos eſſe, & multos, & ingenioſos homines minimè mirandum eſt. Priſca illa ætate Auguſtini, Hieronymi, Cyrilli, Irenæi, Chryſoſtomi, Hippolyti, Ephremi &c. quum adhuc integra, atque illibata floreret, præ cæteris, vt videbatur, eccleſijs, Romanæ ſedis integritas, quis facilè ſuſpicari tum potuiſſet futurum, vt eccleſia tam celebris, tam Chriſtiana, in Antichriſtianam tam turpiter degeneraret, tot tantásq; errorum peſtes eadē in orbem transfunderet, quantas hodiè omnes vbique boni perſentiunt, ac deplorant? Atque equidem hinc factum arbitror, quòd quum primores illi ſuperioris eccleſiæ doctores, tanta ducti admiratione Romanæ ſedis, nullum in ea vrbe, patere locum Antichriſto poſſe exiſtimarent, alibi eum apud Iudæos, & Babylonios quęrere cogerentur. Quòd ſi autem ijdem noſtris hiſce adeſſent temporibus, eáque, quæ Romæ nunc geruntur, cernerent, cædes bonorum infinitas, tyrannidem pluſquam Phalaricam, cum ſuperbia pluſquam Tarquiniana coniunctam, opes, cenſus, redditus, patrimonia, pluſquam Regalia, luxum, cupiditates, pompam ac ſtrepitum huius mundi, bella, ſchiſmata, furores, tum maximè in religione, cultu, doctrina vſque adeò mutata, corruptáque omnia, vix vt ſcintillula vna priſtinæ ſynceritatis, reliqua ſuperſit, quæ exemplis Apoſtolorum reſpondeat. Hæc, inquam, ſi nunc viderent priſci illi antiquitatis maiores, equidem, aut tota fallor opinione, aut longè aliter, hi de Antichriſto, vel tum ſcripſiſſent, vel mutata nunc ſententia, idem planè nobiſcum iudicarent.

Rom. eccleſiæ olim apud priſcos doctores antiqua exiſtimatio & autoritas.

Status Rom. eccleſiæ quæ nunc eſt, lōgè diſſimilis antiquę Romæ.

Sed de ijs aliâs: interim ad id, quod agitur. Agitur enim de Antichriſto, eiúsque deſcriptione. Quæ cuiuſmodi ſit apud Catholicos, ex ſuis doctoribus deſcripta, ſatis ex ijs, quæ præceſſerunt, demonſtratum eſt. Reſtat demum, vt ſingula eorum argumenta, quibus hanc ſuam extruunt deſcriptionem, ordine quo adhibentur, excutiamus. Quæ quum plura paſſim in diatribis, & libris eorum inſulciuntur, nos in quatuor potiſsimùm demonſtrationes, ceu præcipua quædam capita, breuitatis cauſa, vniuerſam eorum philologiam contrahemus. Quorum primum à perſona & ſingularitate: 2. A temporis ratione, quòd in fine temporum venturus ſit, tantúmque triennale futurum eius regnum ſit: 3. Ex loci conditione, quòd non Romæus, ſed Iudæus, ex tribu Dan naſciturus ſit, quódque Hieroſolymis ſedere oporteat. 4. Ex notis Antichriſti, Scripturæ conſentaneis, quæ Rom. potifici, nullo modo congruunt. Nam ijs quatuor maximè argumentis, ceu demonſtrationibus, vt appellant, omnis nititur Catholicorum Romanenſium ſubſtructio: quas hic ſingulas, ſuo ordine, ſubijciemus.

Quatuor præcipua argumentorum capita apud Catholicos.

1
2
3
4

PRIMA DEMONSTRATIO CATHOLICORUM, *à ſingularitate perſonæ.*

Prima demōſtratio Catholicorum pro Rom. pont.

ANtichriſtus deſcribitur à D. Paulo, ſub vnius perſonæ nomine:
Pontifex Rom. non eſt vna ſingularis perſona,
Ergo ex teſtimonio D. Pauli, pontifex non eſt Antichriſtus.

SECVNDA DEMONSTRATIO CATHOL. *à tempore.*

Secunda demonſtratio pro Rom. pōt.

SVbuertendum eſt imperium Romanum rurſúsque reſtituendum: item prædicandum eſt Euangelium in vniuerſum orbem, priuſquam veniat Antichriſtus, qui

qui vnum tantùm regnabit triennium:
At iſta nondum euenerunt. Regnarúntque pontifices pluribus annis:
Ergo Pontifices Rom. perſonam non gerunt Antichriſti.

TERTIA DEMONST. CATHOL. A loco Antichriſti.

3. Demonſtrat. pro Rom. pōti.

ANtichriſtus vbi venerit, naſcetur ex familia Dan: regnabit Hieroſolymis: ſedebit in templo Solomonis.
Nihil horum cadit in Pontificem Rom.
Ergo, Nihil eſt, cur Pontifex pro Antichriſto cenſeri debeat.

QVARTA DEMONST. CATHOL. EX notis Scriptura, ducta.

Quarta demōſtratio pro Rom. Pontif.

SI Rom. Pontifex pro Antichriſto ſtatuendus ſit, debent in ipſum competere, quę de Antichriſti ortu, genere, familia, alijsq; proprietatibus Græci Latiniq; ſcriptores ſacris literis conſona dixerunt.
Verum hæc Rom. Pontifici minimè congruunt.
Non igitur dici poteſt Antichriſtus Rom. Pontifex.

RATIONES QVIBVS ARGVMENTA hac confirmant Pontificij.

Rationes quibus argumentum confirmant pontific. 1 2 3

AGe, & quibus tandem rationibus, vera hæc eſſe docebunt: quæ de Antichriſto ſuo diſputant, vt non ſomnijs & fabulis ſimiliora, quàm veris videantur? 1. Nempe ex clariſsimis Sanctorum Patrum teſtimonijs: 2. Ex irrefragabili antiquitatis autoritate: 3. Ex publico totius orbis Græci, & Latini conſenſu.

Magnas audio verborum ampullas: ingentia hominum nominúmque congeſta patrocinia video. Atque in eo quidem eſſet aliquid, ſi res eiuſmodi eſſent, quæ humana diligentia perueſtigari, aut captu rationis percipi potuiſſent. Aut ſi non ex hoc ipſo Doctorum numero, probatiſsimi etiam eorum aliquot, in hac rerum incertitudine, non vel hæſitationem ſuam, vel nonnulli etiam ignorantiam ingenuè profiterentur. Sic enim Irenæus, de Antichriſto ſcribens, nec certus tamen ſatis, quid de re incerta ſcriberet: Certius, & ſine periculo, eſſe affirmat, ſuſtinere adimpletionem Prophetiæ, quám diuinare, & ſuſpicari. &c. Vt ne interim commemorem, quàm inſcitè locum illum Hieremiæ, idem Iræneus interpretatur, ad Antichriſtum alieniſsimè ea accommodans, quæ Propheta, de terrifica voce Chaldæorum, ex tribu Dan audita, recenſuit.

Ad doctores citatos reſpōſio.

Ad Irenæum Reſponſio. Iren. lib. 5. ſub calce libri. Iere. cap. 8.

Quid Auguſtinus? qui ſimiliter querens de obſcuritate huius Prophetiæ, inter cætera, hæc habet: Et ideo nos, qui neſcimus, quod illi ſciebant, peruenire cum labore, ad id quod ſenſit Apoſtolus, cupimus, nec valemus: præſertim quia & illa, quæ addidit, hunc ſenſum faciunt obſcuriorem. &c. Et mox ibidem: Ego prorſus quid dixerit, me fateor ignorare. Suſpiciones tamen hominum, quas vel audire, vel legere de hac re potui, non tacebo. &c. Quin & alio in loco: Vereri me ſanè fateor, ne in decem Regibus, quos tanquam decem homines, videtur inuenturus Antichriſtus, fortè fallamur. &c. Ambroſius ſi quid de tribu Dan ædidit, vnde oriturum exiſtimaret Antichriſtum, illud ex vulgari ſui temporis opinione hauiſſe magis, quàm nixus certa aliqua Scripturarum autoritate, videtur. Quod porrò, de Pſeudo Hippolyto, & Ephrem Syro, citant, nihil in his video, quod quiſquam ſuo dignetur reſponſo.

Auguſt. de ciu. dei. li. 20. ca. 19.

Aug. de Ciuit. 20. lib. 23.

Ambr. de Bened. Patriarc. cap. 7.

Cæte-

Cæterùm de Doctoribus abundè iam ante dictum est: quorum ipse neque authoritati obstrepo, nec laudem imminuo. Illud tantùm quæro: Quid si testimonia hęc, siue suspiciones potius, & diuinationes Doctorum, quos dixi, interpretum, ad normam diuini verbi excussæ, non satis respondeant? Addo & hoc, quid si repugnent etiam ex aduerso? quid si, quod diuinant illi de persona, de ortu, de loco, & tempore, reliquisque circumstantijs Antichristi, prophetica hæc Apocalypsis, in qua nunc versamur, palàm disertéq; refellat? quid nobis hic faciendum putent? vtrùm fides Propheticis potiùs literis adhibenda sit, an istis detrahenda? Cedò, quid hìc respondeant mihi Pontificiæ classis Catholici? Si affirment, ecclesiæ docenti magis credendum quàm Scripturæ sacræ, opponam his Augustinum.

Primus honor sacris literis debetur: cætera cum iudicio legenda sunt. Aug. ad Volus. & Hieronym.

Sed negabunt, scio, vllam esse repugnantiam inter Scripturas, & sacras Doctorum opiniones, in ijs, quæ ad Antichristi descriptionem attinent: nec quicquam hac de re illos suis mandâsse monumentis, quod non ad amussim cum Prophetiæ & scripturæ autoritate concinat. Quod, quàm falsò ab illis positum sit, ex hoc ipso decimo tertio capite D. Iohannis, quod præsens modò in manibus versatur, haud difficilis fuerit, Christo donante, demonstratio. Vtcunque summo illos conatu id agere video, vt ne summus Pontifex, summus Antichristus videatur, nunquam tamen, in tanta scripturæ luce, id consequentur, vt Sol in cœlo splendere negari possit, aut Antichristus, quid agat, vbi agat, non omnium oculis manifestè conspiciatur.

Accedamus nunc ad demonstrationes, & argumenta aduersaria superiùs posita, vt in ijs quid verum sit, quid falsum inueniamus, singulisque, suo loco, & ordine deinceps respondeamus.

Argument. 1. cathol. ex persona Antichristi.

ARGVMENTVM PRIMVM.

Ma. Antichristus à D. Paulo sub vnius personę nomine describitur,
2. Thess. cap. 2. *Mi.* Pontifex Rom. non est vna tantùm persona:
Conc. Ergo Pont. Rom. ex D. Pauli testimonio, non est Antichristus.

Verba D. Pauli citantur ex secunda epistola ad Thess. cap. 2. Nisi venerit defectio priùs, & reuelatus fuerit homo ille iniquitatis, & filius perditionis, aduersarius, qui se extollit &c. Age & quid hinc struitur tandem? Cùm igitur nomen hominis, & filius ille perditionis singulari ponitur numero, non sine articuli etiam adiectione, ὁ ἄνθρωπος, Homo ille, qui vim habet proprij nominis eò fit, vt in Christi vicarium, qui homo vnus, & singularis non sit, hæc Prophetia competere nullo modo videatur.

Responsio.

RESPONSIO.

VErè id dictum video, quod dici solet: Nihil tam rectè dictum esse, quod non perperam narrando, & sinistrè detorquendo deprauari possit. Quæ Apostolus de Antichristo commemorat, satis per se elucent perspicuè, si submota sophistica, sensus verborum dextrè appendatur. Prophetat primùm de ventura Apostasia, deinde de præcipuo eius autore, & principe, de Antichristo nimirum sentiens: cuius ille propriam personam nominatim non recenset. Nec mirum, quum nulla talis esset certa & singularis persona, quæ nominatim proferretur, sed generalibus quibusdam Epithetis eũ circumscribit, hominem iniquitatis, filium perditionis appellans. Quæ nomina nullius certæ personæ propria existunt, sed vel publici officij communia sunt attributa, vel priuatæ malitiæ, ita vt quisquis is sit, aut vbicunque sit, qui erecta contra Christum ceruice, aduersarium se illi opponit, rectè Antichristus dicatur. Idque quo maiori impetu facit, aut robustiore potentia, hoc immanior & sceleratior est Antichristus.

Epitheta Antichristi.

Antichristus quid sit.

Est enim Antichristus, si rectè eum definire volumus, nihil aliud, quàm aduersaria

uersaria potestas cum pari coniuncta malitia, Christo rebellans. Cuiusmodi permultos hactenus aduersarios pertulit ecclesia: Quorum alij minus, alij immensius, pro virium modulo, nocuerunt. Quoniam autem præsensit diuina maiestas, post istos omnes aduersarios, qui hactenus præcesserunt, aliam quandam longè superiorem secuturam in mundo potentiam, quæ vi & roboris magnitudine, cæteras omnes antegrederetur, in opprimenda Christi ecclesia, hinc per prophetas suos, & Apostolos, de nouissimo hoc aduersario, eiúsque terrifica potestate, suos prænonitos voluit tam diligenter.

Antichristus quid sit.

Hinc Ioannes sub typo bestiæ: Hinc Apostolus sub nomine hominis, aduersarium hunc, & filium perditionis depingit tam accuratè: Non quòd vna certáque hominis persona Antichristum hunc finiendum existimaret. Neq; enim fieri potest, vt tam angustis finibus, tanta rei immensitas contineatur. Cum nulla sit, nec futurùs sit vnquam eiusmodi sub cœlo creatura, neq; Rex, neq; Imperator, tanta præditus potestate, qui solus omnia ista munia, & functiones, tantillo temporis spacio explere queat, quæ in Scripturis, tum maximè in Apocalyptica hac descriptione, Antichristo asfignantur.

Antichristi attributa officia.

Primùm vt cornuum simulatione Agnum repræsentet: vt collapsam Romani Imperij celsitudinem restauret, vitam bestiæ occisæ restituat, vt loquatur sicut Draco, vt potestatem prioris bestiæ omnem faciat in conspectu eius, vt cogat, terram, & inhabitantes in ea, adorare bestiam primam, vt signa & prodigia ædat, quibus seducantur habitantes in terra, vt imaginem bestiæ obtrudat hominibus ad adorandum, adorare nolentes occidat, sine cuius imagine aut charactere in manu dextra, aut in frontibus accepto, nemini fas sit emere aut vendere in toto terrarum orbe, &c.

Cornibus agnum referre.
Vt Romanum restauret imperium.
Vt bestiam occisum restituat.
Vt loquatur sicut Draco.
Vt potestatem faciat prioris bestiæ.
Vt omnes cogat adorare bestiam.
Vt prodigia ædat.
Vt imaginem bestiæ obtrudat adorandam.
Vt adorare nolentes occidat.
Ne cui liceat emere sine charactere bestiæ.

Hæc omnia tam immensa, atque admiranda, vt quisquam mortalis per se, solus, aut vno tempore præstet, non est expectandum. Desinant proindè imaginarium hunc Antichristum, in vna sola, ac singulari persona, somniare Endymiones isti, qui nunquam hactenus visus est, nec vnquam venturus. Maior potestas est nephandi huius aduersarij, quisquis is sit, plura ac grauiora eius officia, quàm vt ijs exequendis, vna vnquam persona, quantumuis robusta, par esse queat, aut vlla vnius hominis ætas, quamlibet diuturna sufficiat. Quod rectè præsentiens Augustinus: quæ sit porrò ista bestia, non abhorret, inquit, à fide recta, vt ipsa impia ciuitas intelligatur, vt populus infidelium contrarius populo fideli, & ciuitati Dei. Quid ergo, inquient, an non vnus passim dicitur Antichristus, cæterorum omnium nouissimus, dux insignis, impiorum, omnisque nequitiæ coryphæus, quem Paulus hominem peccati vocat, & filium perditionis? At quo modo vnus erit, si in plures homines distrahatur? Ita fiet, vt ad sæculum illud redeamus, in quo, cum B. Ioanne, pro vno multos habeamus Antichristos.

Imaginarius Antichristus.

Bestia pro ciuitate aut populo impiorum accipitur ab Augustino.

Obiectio.

Huic Lemmati respondebit nemo melius, quàm frater, ex Catholico hoc ipsorum genere, Ioan. Ludouicus Viualdus, de monte regali: Qui de Antichristo multa monens, hanc adhibet distinctionem: Potest (inquit) Antichristus considerari duobus modis, figuraliter, vel personaliter. Eadem distinctione, & mihi liceat vti, hoc tempore. Personaliter Antichristus dici potest, quæcunque persona quoquo modo se erigit contra Christum, aut eos qui Christi sunt. Sicque nihil prohibet, tot dici Antichristos, quot sunt, vel qui Ecclesiam infestant, vel, vt ait Hieronymus, quisquis sub nomine Christi ea docet, quæ contraria sunt Christo: aut secundum Isydorum, quisquis iuxta Christianæ professionis normam, vel non viuit, vel aliter docet

Responsio.

Ex opere Regali fr. Ioannis Lud. Viualdi tract. 12. de persecutionibus.

Antichristus dupliciter consideratur. 1. figuraliter. 2. personaliter.

Antichristus personaliter quis dicendus sit.

Hieronym. in explic. super Math. ad Eusebium, lib. 4. cap. 24.

Isidor. de summo bono. li 1. c. 28

cet, quàm docti à Christo sumus.

Antichristus figuraliter.

Figuraliter verò considerari potest Antichristus, quatenus non vnam aliquam personam, sed vnum aliquod regnum, aut ciuitatem, ex vno capite, multisq; membris constitutam, designat. Atque huius figuræ vsus, haud infrequens est in mysticis Scripturæ libris: vt caput & membra, quandoque sub vna persona, accipiantur. Sicut Iacob Patriarcha appellatur Israel: atque Israel rursus, non pro vna persona Patriarchæ, sed pro tota gente denominatur. Sic in libro Exodi aperta sunt Domini verba: Filius meus primogenitus Israel: vbi personaliter Israel non dicitur Iacob, sed populus ab eo descendens. Eiusdem figuræ est, quòd toties apud Esaiam Dominus populum suum, velut sub vnius hominis nomine, compellat: Nonnunquam & sub vnius montis figurata appellatione, gentem vniuersam subindicat. Et dixit Sion, dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus est mei, &c. Et iterum, audi me Iacob, & Israel, quem ego voco. Rursusque eadem vsus loquendi formula, qua Paulus ferè, licet in re diuersa, ad Thessal. Seruus (inquit) meus es tu Israel, quia in te glorificabor, &c. Ecquis tam plumbeo est ingenio, qui hanc Hæbraici sermonis phrasiologiam non aduertat, qua sub numero singulari, non vna persona, sed multitudo intelligatur.

In scriptura sæpè sub nomine vnius multitudo significatur.

Exod. cap. 4.

Esai. cap. 49.

Esai. cap. 48.

Esai. cap. 49.

Consimili locutionis tropologia, vna dicitur ecclesia Catholica, non quæ in singulari aliqua persona, continetur inclusa, sed quæ ex pluribus eodem studio, & professione, consentientibus, in vnam adgregatur societatem. Sic in canticis: vnica est (inquit) columba mea, perfecta mea &c. quæ tamen vnitas, non tam singularem personæ vnius formam denotat, quàm generalem electorum omnium conditionem complectitur. Noli timere, dicit Dominus, creans te Iacob, & formans te Israel, quia redemi te, & vocaui te nomine tuo, &c. Age, & quid singulari hoc nomine Israelis subinnuitur, vnus vir quispiam, an totius nationis populus?

Vna est ecclesia catholica, non personalis sed figurata loquutio.

Cant. 6.

Esai. cap. 43.

Daniel quatuor maximas descripturus Monarchias, imperium Babylonicum Leoni, Persicum Vrso, Macedonicum Pardo, Romanum alteri bestiæ comparauit, singularum bestiarum similitudines, singulis regnis accommodans. Et quî minus D. Paulo licuit, consimili Scripturæ more, & Phrasi, sub communi hominis, & filij Nomenclatura, communem Antichristi statum deliniare? Quæso, quid si Paulus pro homine iniquitatis, & filio perditionis, papam, aut pontificem posuisset, an minus propterea ex singulari hoc numero, publicum pontificiæ administrationis statum intellexisset?

Et quid igitur dicemus Canonibus, & Canonistis, qui papam, non alio numero sæpè, quàm singulari exprimunt, de publico totius ordinis genere intelligentes? Veluti vbi aiunt. Si Papa innumeras animas, cateruatim secum abducat in barathrum inferni, nemo illi dicat, quid facis? Rursus, vbi sic scribunt: Papa potest contra epistolas Pauli statuere. Itidem, Papæ potestas maior Apostolo prædicatur, cuius dictis possit derogare, secundum Rotæ decisiones. Et alibi: vbi Papæ datam esse potestatem affirmat, in cœlo & in terra, quæ se extendat ad cœlestia, terrestria, & infernalia, &c. Præterea, quòd Papa omnia iura in scrinio pectoris sui habere dicitur. Quid, an hæc omnia, de vno Papa aliquo, personaliter dicta esse, ac non figuraliter potius, de sede ac successione totius ordinis, significata accipiemus?

Distinct. 40.

Ex Carolo Ruino.

Rotæ decisiones, & Antonius Mariamus.

Antonius Florentius.

Contra verò isti, quid, inquiunt, an non Christus, vna & certa persona fuit? An non idem caput extitit iustorum omnium? Et quî minus consentaneum fuerit, quin Antichristus, qui summus sit Christi aduersarius, pari ratione omnium impiorum hominum caput vnum esse videatur?

Cauillum Papisticum.

Fallax est paralogismus, ab Elencho, qui Dialecticis, παρὰ τλιὸ διτία dicitur. Quod promptissimè liquebit ijs, qui causas rerum rectè perpenderint, quæ in Christo, & Antichristo dissimiles sunt, & diuersissimæ. Vt Christus

Dilutio. Fallacia à non causa.

vnus,

vnus,& solus caput sit singulare omnium electorũ,fieri aliter non potuit, duplici de causa : primùm propter potentiam personæ, qua solus præditus ille est, ad seruandum. Deindè propter ipsius immortalitatem, cui nemo succedere possit alius, in seruandi officio. Contra res habet in Antichristo:etenim cùm Antichristus,nihil aliud sit,quàm aduersaria potestas à Satana excitata ad perdendum: Certum est hanc definitionem cadere non posse,in quamcunq; singularem vnius hominis personam, propter duas has causas,Christo maximè contrarias : propter impotentiam videlicet personæ, tum propter mortalem eiusdem conditionem.Cùm enim nulla sit hominis persona tantarum virium,quæ nisi à cæteris adiuuetur, quicquam per se possit in rebus magnis moliendis,eò fit,vt definitio Antichristi, cuius potestas in sese nulla est, ad vastandam ecclesiam, in singularem aliquam personam cadere non possit : Deindè, quia idem Antichristus, quatenus vna persona est, mortalis existit, breuisq; æui, in certam, & singularem personam nulla ratione quadret, sed in vnius regni sede & successione,seu in coniunctione totius corporis cum capite, intelligatur, necesse sit.

Potẽtia & immortalitas Christi in quo consistat, perpenditur.

Definitio Antichristi in vnã cadere personã non potest.

Duæ causæ, cur nomẽ Antichristi in singularem vnam personam cadere nõ possit.

Iam verò, cur Christus vnum caput existat suæ ecclesiæ, duplex hæc causa, vt prænonuimus, consideranda est : quia vnica ipsius persona absolutam contineat potestatem, quàm nullo modo à membris suis Christus accipit, sed ab ipso solo, omnis virtutis deriuatio, ad vniuersa & singula eius membra, perenni scaturigine, redundat. Prætereá quia idem per se immortalis est, idcircò solus ipse omnium electorum ab initio caput rectissimè dicitur. Hæc quia in Antichristo inueniri nequeant,frustrà igitur & absurdissimè faciunt, qui Antichristum, animal videlicet triennale, caput principale omnium impiorum fieri posse somniant, quando illud Diabolo multò rectiùs, quàm Antichristo conueniat, si Augustino credimus. Eáque causa, Christus à patre missus in hoc potissimum creditur, vt Diaboli caput, qui princeps est omnis mali, confringat. Antichristus, quum seruus sit solùm Diaboli, caput ipse supremum esse impiorum non poterit. Atque de singularitate Antichristi iam satis.

Christus cur vnum caput sit ecclesiæ, duplex causa.

Augustin.in Psa. 139 Sicut bonorum caput Christus est : sic impiorũ caput Diabolus.

Properemus ad secundum modò argumentum, quo pontificem non esse Antichristum disputant, ex temporis videlicet ratione.

Caput principale impiorũ Diabolus, non Antichristus.

SECVNDVM ARGVMENTVM
Papist. ex temporis ratione.

2.Catholicorũ Argumentum.

SVbuertendum est imperium Romanum rursúsque restituendum : Item, prædicandum est Euangelium per vniuersum orbem, priusquam veniat Antichristus, qui tantum per triennium regnabit. Maior.

At ista nondum euenerunt:regnarúntq; iam pontifices pluribus annis. Minor.

Ergo pontifices Romani personam non gerunt Antichristi. Conclusio.

Vt respondeam : hæc omnia, ex circumstantijs temporum, ducta argumenta, duplici laborant vitio. Primùm, quòd falsis nituntur fundamentis : Deindè, ignoratione historiæ. D. Paulus ad Thessal. scribens, rectè eos præmonuit, Christum non ante venturum esse, quàm venerit Apostasia, cuius administer erit Antichristus. Quæ res ad politicam defectionem ab Imperio,haud quicquam pertinet. Etenim ἡ ἀποστασία, quid aliud est, quàm spiritualis defectio à fide, vel ipso testante Apostolo, 1. Tim.4. ἀποστήσονται τινες τῆς πίστεως, descissent quidam à fide. De Imperiorum mutationibus, nullum hic verbum. Neque ea res curæ magnoperè D. Paulo fuit : cuius omnis solicitudo, in res ecclesiæ intendebatur. Quin & Cyrillus Hierosolymus eodem sensu περὶ τῆς ἀποστασίας verba faciens : Nunc etiam (inquit) agitur apostasia illa, ἀπίστησον ἀνδρὶ οἱ ἄνθρωποι τῆς ὀρθῆς πίστεως.

Dilutio Argumenti.

Duplex argumenti vitium.

Apostasia quid

1. Tim.4.

Cyrill. Hieros. Catach.11.

Sed quoniam vrgetur tantoperè Patrum contra nos autoritas, age, vt cedamus hac in re eorum interpretationi, simúlque cum illis, de extinguendo Romano Imperio consentiamus, adeò nihil hoc nostro instituto incommodat, vt nullum fortiùs telum porrigi nobis possit ab aduersarijs, quod in ipsum Pontificis caput, accommodatissimè torqueatur. Quandoquidem præterierunt iamdudum hæc omnia, quæ de Antichristo, & Imperio sublato disputant. Quemadmodum superiùs à nobis, tota historia, ad plenum explicata est. Quid enim an nihil vnquam de Gothis, de Vandalis, Hunnis, Rugianis, Ostrogothis, Longobardis, legerunt isti? Nunquam ad aures peruasit ipsorum de Roma veteri ab anno Domini 414. vsque ad annum 549. quater obsessa, capta, direpta, ac tandem per Totilam penitùs vastata, in cineres & solitudinem redacta? Quid, an in lectione sacra huius Prophetiæ, nunquam hoc illi obseruarunt, de vno imperij capite occiso, altero incolume, rursúsque de occiso illo capite, prioris bestiæ, per secundam bestiam iterum resanato? Quid, an tam cæci sunt, vt eandem Romam adhuc non videant, post curatam plagam, quanta nunc in maiestate, & celsitudine præfulgeat, licet non sub nomine Imperatorum, sub nomine tamen Pontificis Romani, in cuius verba iurare omnes coguntur nationes, & ecclesiæ Christianorum? Quid & de tollendo Romano Imperio, rursúsque restituendo, somniare adhuc non desinunt? Quæ hæc mentium stupiditas? quæ operatio Satanæ? quæ erroris seductio est, in ijs, qui dilectionem veritatis non recipiunt? Quare vt eorum Paralogismo (in quo falsa sunt omnia, quæ de articulo temporis in Minori assumant) contrario argumento respondeam, breuiter sic accipiant.

Rom. Imperiũ ab ann. 414. ad an. 549 quater captum, direptum, incẽsum, ac in cineres redactum ab exteris nationibus.

Stat Rom. adhuc Imperiũ, vt arguunt Papistæ, verum non sub nomine Cæsaris sed pontificis.

ARGVMENTVM CATHOLICORVM contra ipsos inuersum.

Argumentum Catholicorum inuersum.

Maior. Minor. Conclusio.

REstitutio Romanæ Monarchiæ, facta est per solum Romanum Pontificem:
Restitutio Romanæ Monarchiæ fit per solum Antichristum: *Apoc. 13.*
Ergo, solus Romanus pontifex est Antichristus.

Maioris confirmatio.

Quòd ad maiorem attinet huius argumenti, quid manifestius? Quæ Ciuitas imperat hodiè cæteris omnibus Christianis rebuspub. nisi sola Roma? Quis præsidet Romanæ Ciuitati, nisi solus Papa? Quid aptius ad certitudinem Antichristi quisquam desideret?

Iam de temporis breuitate, quam Antichristo ascribunt, non est quòd multa dicam. Sic enim argumentantur: Pontifices Romani multo iam sederunt tempore, inde vsque à Petro. Esto, & quid tum postea? At Antichristo tempus definitum est, tantùm vnius triennij, & sex mensium. Vnde hoc? ex loco Danielis, quo dicitur Antichristi regnum duraturum, per tempus, tempora, & dimidium temporis, quod spacium continet vnius tantùm triennij, & mensium sex. Rectè, & quid inde concludent tandem? Ergo Papa personam illam Antichristi subire non potest, cuius tot iam sæculis, sedes constitit. Responsio: De loco Danielis, & Ioannis, quid intelligatur, quid spacio illo temporis, temporum, & dimidij temporis, contineatur, satis iam satis superiùs à nobis explicatum est, capite decimo-secundo. Qua in re, nec postulo vllam mihi adhiberi fidem, ni res ipsa persuadeat.

Ex loco Danielis non rectè intellecto.

Responsio ad obiectum Romanistarum.

Temporis cõsideratio quamdiu regnabit Antichristus.

Tempus tempora & dimidium temporis.

Primùm, in descriptione hac secundæ bestiæ, nulla statuitur certi temporis significatio. De superiori bestia ita audimus: Datam illi potestatem esse, faciendi menses quadraginta duos. Quos si in annos communes partiris, efficiunt tres annos & semestre: Quod illi supputant in tempus, tempora, & dimidium temporis. Sin iuxta mysticum scripturæ sensum, per septenarium numerum, deducas singulos

gulos menſes in ſeptenos annos, vt Daniel ſupputat ſuas hebdomadas, integer numerus conſtabit, totius perſecutionis ſub priori beſtia, vt demonſtratum eſt. Iam verò quum in ſecunda hac bellua, nulla ſit omnino mentio temporis, aut temporum, nequeo mirari ſatis, quid iſtis in mentem veniat, qui nouiſsimum Antichriſtum, tam angustis coercēt finibus, vnius duntaxat triennij καὶ τῆς ἐξαμήνου: præſertim quum, tantillo, temporis momento, vix mileſsima pars expediri poſsit eorum quæ Antichriſto in Scripturis imponuntur: nec vnus extat, in ſumma totius Scripturæ, apiculus, quo tam exiguum ſpacium beſtiæ comprobari queat. Nam quòd priſcorum interpretum titulis, & autoritate ſe tuentur tam fortiter, minimè id ſatis eſt, ad opprimendam Scripturæ veritatem: Si quid illi eo ſcripſerunt tempore, in quo, exitus tum rerum Propheticarum cernere illis non licuit, minùs quidem in illis mirandum, magiſque venia dictum fuerit. Iſtorum verò tam pertinax erroris addictio, tam obſtinata peruerſitas, ſatis culpari non poterit. Atque de temporum errore iam ſatis. De triennio Antichriſti regno error papiſticus.

Occurrit deinceps tertia Papigenarum obiectio, de loco, & ſede Antichriſti: Argumentum tendit in hunc modum.

TERTIVM ARGVMENTVM CATHOLICORVM *ex loco & ſede Antichriſti.*

ANtichriſtus, vbi venerit, naſcetur ex familia Dan: regnabit Hieroſolomis, ſedebit in templo Salomonis. Argumentum Romanum.
Nihil horum cadit in Pontificem Romanum,
Ergo nihil eſt, cur Pontifex Rom. cenſeri debeat pro Antichriſto.

SOLVTIO ARGVMENTI.

HOc argumentum ſeu figmentum potius, conſilij, & Scripturæ expers, mole ruit ſua, quod nihilo aberrat minus, in loco Antichriſti, quàm ſuperiùs delirabat in tempore. Templum, quod olim à Salomone vix toto ſeptennio extruebatur, poſteà in annis 46. ab vniuerſo populo, vix demum ardentiſsimo labore, refici potuit: rurſúsque poſt tertiam ruinam, diuinitus diſiectis fundamentis, nullo modo exædificari à Deo permittebatur: nunc à Turcis poſsidetur, atque ab ijſdem pertinaciſsimè defenditur. Reſponſ. ad Arg.

Et putant mirabiles iſti Catholici futurum, vt vnus Antichriſtus profligatis tam facilè Turcis, quos tanta tot Chriſtianorum principum poteſtas, nondum ſuperare potuit, vrbem illam in triennio recuperet, templum cuius nullum ſupereſt hodie veſtigium, tantillo in tempore, iactis tam citò fundamentis, in antiquam molem redigat, ipſéque in eo ſedeat? Quid ni? quum Paulus ipſe certiſsimo oraculo futurum prænunciat, vt Antichriſtus ſedeat in templo Dei? Obiectio.

Rectè quidem Paulus, in templo Dei inquit. At quo modo templum hoc Dei dicetur, vbi non Deus, Sed turpiſsimum Idolum, loco Dei, aut ſupra Deum ipſum, ſeſe colendum exhibebit? Aut quo modo Iudæi, Antichriſto illi adhærebunt, tenaciſsimi legis ſuæ cuſtodes, quæ doceat, Dominum Deum ædorare illíque ſeruire ſoli? Sed videamus quid apud Paulum ſit, ſedere in templo Dei. Quid nomine templi, ſignificet Apoſtolus, non obſcurum eſt. Quis enim non videt, quid velit ille, de templo Dei loquens, An neſcitis, inquit ille, quòd templum Dei eſtis, & ſpiritus eius habitat in vobis? Idemque mox, An neſcitis, quòd corpus veſtrum templum eſt, habitantis in vobis ſpiritus ſancti, quem habetis à Deo? Quod ſi igitur templum Dei dicendum ſit, vbi habitat Deus, vbinam quæſo habitare illum dicemus, in templis manufactis, per manus hominum conſtructis, de Reſponſio. In templo Dei ſedet Antichriſtus, 1. Cor. 3. 1. Cor. cap. 6. Act. 7.

rebus inanimis, sicut tabernaculum, lignis, velis, pellibus, cæteríſq; prætioſis rebus, & metallis? Non arbitror, vt cum D. Stephano, & Auguſtino reſpondeam. Habebant olim externa illa ſuam ſignificationem, quemadmodum præclarè ab Auguſtino ſcriptum legimus: videntur, inquit, omnia ſignificantia, quodammodo earum rerum, quas ſignificant, ſuſtinere perſonas: ſicut dictum eſt ab Apoſtolo, Petra erat Chriſtus, quoniam petra, de qua hoc dictum eſt, ſignificabit vtique Chriſtum, &c.

Aug. de ciuit. lib. 18. cap. 48.

Templum Dei quid ſit.

Ex ijs igitur ſatis conſtare arbitror, quid templum Dei apud Apoſtolum ſignificet. Nō vmbraticam fabricam illam Salomonis, non terrenam Hieruſalem, quæ ſeruit cum filijs ſuis: ſed illam potius ex viuis lapidibus, ex conſcientijs & corporibus hominum conſtructam? quæ creſcit in templum Domini. Age, & quid eſt igitur ſedere in hoc templo dei, niſi regnare tanquam caput, in vniuerſa eccleſia Dei, Chriſtique vice dominari in conſcientijs hominum? Id quod à Rom. pontifice iam diu factitatum, notius eſt, quàm vt vlla egeat demonſtratione. Sed formam ipſam Catholici argumenti inſpiciamus.

2. Argumentū.

SECVNDVM ARGVMENTVM CATHOLICORUM.

Maior.
Minor.
Concluſio.

ANtichriſtus, vbi venerit, ſedebit in templo Dei Hieroſolymis:
Pontifex Rom. non ſedet Hieroſolymis,
Ergo Pontifex Rom. non eſt Antichriſtus.

RESPONSIO.

Reſponſio.

AD maiorem reſponſum eſt ſatis, quæ licet falſiſſima ſit, tamen ſub hac lege & conditione, eam non repudiamus, nempè ſi vnquam venturus ſit ille Antichriſtus, vt ſedeat in templo Hieroſolymis. Sic enim dogmatiſant magiſtri iſti in Iſrael, Antichriſtum in fine temporum ſeſſurum Hieroſolymis in templo dei. Neq; equidem diffiteor, ea quidem conditione, ſi modò venerit Antichriſtus ille, quem dicunt, ſeſſurum eſſe in templo dei Hieroſolymitano.

Argumentum alterum ex aduerſo oppoſitum.

At Antichriſtus ille nunquam venturus eſt:
Ergo, vtrunq; falſum, & quod de aduentu antichriſti, & de ſede illius, diſputāt.
At enim ex diuerſa parte, ſic rurſus inſtabunt amici pontificis.

Αντικείμενον.

TERTIVM ARGVMETVM IN DEFENſionem Romanæ ſedis.

Argumentum Catholicæ Synagogæ.
Maior.

ANtichriſtus, iuxta Paulum, ſedebit in eccleſia Dei:
At Pontifex quem Lutherani Antichriſtum appellant, ſedet Romæ,

Minor.
Concluſio.

Ergo Roma eſt eccleſia dei.

Reſponſio.

RESPONSIO.

ARgumentum illegitimum eſt, & repudiandum, quia præter leges dialectas, quatuor redundat terminis. Minor ſic haberet: At Antichriſtus ſedet Romæ. Adde huc, quòd in concluſione aliter ſumitur eccleſia, quàm in maiore. Etenim vbi Antichriſtus ſedere in eccleſia Dei dicitur, ſenſus eſt, vt præſidere vniuerſæ eccleſiæ dei debeat, tanquam vniuerſale ipſius caput. Contrà in concluſione, eccleſia accipitur pro parte eccleſiæ duntaxat, aut priuata quadam ſede Pontificis, qua non publicum eius officium, ſed perſona ſolùm ipſius continetur. Eccleſiam itaque diſtinguamus oportet, vt alia ſit ratio publicæ eccleſiæ, alia priuatæ. Vt Pontifex Romæ ſedem

Quatuor termini.

Duplex eccleſiæ ratio.
Publica eccleſ.
Priuata eccleſ.

dem suam habeat, fieri quidem id potest, vt interim Roma non pro tota ecclesia, sed pro parte modò intelligatur. Neque enim Romam, ita totam ablegamus, ab omni ecclesiæ communione, vt nullam habeat ex vlla parte, cum Christi corpore coniunctionem.

De vrbe Roma sede Antichristi an tota excludenda sit ex ordine vniuersalis ecclesiæ.

Tam multos nouimus Romæ nasci, & baptizari infantulos, quos non ideò, quia Romani sunt damnationi adiudicamus. Præterea vtcunque seducta per Antichristum vrbs illa, in fatalem hanc Apostasiam, sicut & aliæ alibi ciuitates, deflexerit, ipsa tamen, si superiora eius spectemus tempora, inter laudatissimas ecclesias celebrata est. Quin neque dubium est, quin in hac ipsa ciuitate quantumuis meretricia, aliqua adhuc restent nomina, vt Sardis olim, quæ non inquinauerunt vestimenta sua: genua etiam non pauca, vt olim apud Israelitas, quæ non se flexerunt ad Baal. Ad hæc, vt vt impuris corripiantur erroribus Romani ciues, nonnulli fortasis per ignorantiam, callidámq; aliorum seductionem: tamen aliud iudicium est eorum, qui nescientes in fraudem impelluntur, pseudodoctorum vitio, aliud eorum, qui nec ipsi rectiora doceri velint, nec alios docere saniora possint.

Errantium dúplex consideratio.

Quin insuper & hoc addere liceat, quòd nec pontificem ipsum Romanum, ideò ex albo Ecclesiæ pellimus, vel quia in ecclesia, vel quia Romæ sedeat. Sedent enim alij permulti, super sedes in ecclesia Dei, qui non ilicò Antichristi sunt, quòd cathedras in ecclesia positas habeant. Verùm quo modo sedeant illi, quo modo Romanus Pontifex, videndum est. Neque enim sedes Antichristum facit, sed sedendi modus. Vt Romæ sedeat Romanus præsul, nemo prohibet. Sed aliud est sedere, aliud regnare. Aliter sedent ministri, aliter Principes. Quanquam vtrique & sedere, & gubernare dicuntur, vt non malè Augustinus: Sedes, inquit, præpositorum, & ipsi præpositi intelligendi sunt, per quos ecclesia gubernatur. At non eodem tamen modo sedent gubernántque præpositi isti, & principes. Hi quidem legibus, armis, potentia, suos quique subditos in officio continent, neque interim extra fines propriæ ditionis, dilatant sua gubernacula. Aliter illi, fide, doctrina, exemplo, non suos subditos gubernant, sed Christi greges pascunt.

Rom. pont. nõ vbi sedeat, sed quomodo sedeat videndum est.

Non sedes, sed sedẽdi modus Antichristum facit.

August. de ciu. li. 20. cap. 9.

Aliter sedent principes in repub.

Aliter sedent prępositi in ecclesia.

Sedeant itaq; gubernéntque præpositi, ecclesiam Dei, si velint, quantúmq; velint, modò domi sedeant, modò intra pellem suam se contineant, nec in alienas insolẽter erumpant exarchias. Quo modo autem sedere debeant, & gubernare ecclesiastici præsules, Christus ipse exemplo suo, luculenter ostendit: *Et sedens*, inquit ille, *docebat eos*. Idémq; alibi docens, quomodo sedere oporteat in domo Dei, sine omni fastu regali, & dominandi libidine, *Vos autem*, inquit, *non sic*. Similiter & Petrus eodem spectans, grauiter cum primis admonet: Non dominantes, inquit, in clero, sed forma facti gregis, &c. Quamobrem si sedem Petri vendicare sibi cogitat Romanus pastor, sedeat quidem, vt sedebat Petrus, non dominetur, ne regnet etiam: Aut si regnare etiam voluerit, age, non aliter regnet tamen, quàm cæteri solent reges, intra proprios regni fines. Etenim ex omni regum, ac principum numero, quis vnquam auditus est, qui suo non contentus titulo, regem se nominaret œcumenicum, aut principem omnium principum?

Luc. 5.

Ioan. 8.

1. Pet. cap. 5.

Sedes Romani pontif. supra reges & principes exaltata.

Atque vtinam œcumenicus hic episcopus ita sibi temperaret, vt si aliter nequeat, quin cum Comico illo dicat, regem se esse oportere, ita saltem se componeret in hoc regno suo, vt regem se solùm declaret, non etiam supra regem, se ostentet, tanquam sit terrestris quidam Deus. Nam quid aliud fastus iste, honores plusquam regales, bullæ, ampullæ, diademata, circumgestationes, pompa incomparabilis, quiduis dicendi, faciendi, statuendi, & dispensandi impunitas, claues, gladius cœlestis, & terrestris, quid forum pariter cum Christo commune, quid oscula beatissimorum pedum, quid hæc, inquam, aliáque multò his maiora, loquuntur aliud, quàm vt Deo, quam homini similior esse videatur. Ac neque mirum, hæc Romæ conspici. Nam aliter, quomodo Antichristus esse potuit Romanus pontifex, nisi hisce notatus insignibus? Quòd si verò dignitatis hæc prærogatiua, soli

Papa vt terrestris quidam Deus in templo dei sedet.

Quomodo pōtifex Rom. in templo Dei ſedeat, vt deus.

Deo ſit propria, vt princeps ſit omnium principum, & Dominus dominantium, quid quæſo, tragico huic pontifici dicemus? Qui non contentus propria eparchia, eoúſque ſeſe amplificat, vt ſatis ei non ſit, caput & Epiſcopus eſſe ſui gregis, niſi vniuerſale etiam ſit caput, & ſponſus totius eccleſiæ, vt princeps ſit principum? Imperatorum Dominus, Epiſcopus Epiſcoporum. Quæſo, quæ maior laus Deo conuenire poteſt, aut debet, quam vt Rex regum, ac principum princeps, ſolus dominetur? Et quid aliud hodiè facit, fecítque iamdiu Pontifex Maximus, qui ita in templo Dei ſedet, non vt princeps, ſed vt principum princeps, vt terreſtre quoddam numen, cuius vniuerſali imperio, omnes Chriſtiani reges, ſub neceſsitate ſalutis, obſtricti multò ampliorem deferunt reuerentiam, quàm Chriſtus ipſe, ſi adeſſet, in ſe vnquam recepiſſet.

Bacchalaureus quidam Moguntinus.

Pergo ad quartum argumentum. Ita enim ratiocinatur ex clero Moguntino Magiſtellus quidam, vindex ſui pontificis non inſtrenuus.

QVARTVM ARGVMENTVM IN DEFENSIONEM Pontif. ex reliquis notis ducta.

4 Ratio theologorum Romanenſium.

Maior.

SI Rom. Pontifex, pro Antichriſto cenſendus ſit, debent in ipſum competere, quæ de Antichriſti ortu, genere, familia, atque parentibus, Græci, Latiníq; ſcriptores, ſacris literis conſona dixerunt:

Minor.

Verùm hæc ei conuenire non poſſunt:

Concluſio.

Non igitur poteſt dici Antichriſtus.

RESPONSIO.

Reſponſio.

HIc planè euenit, quòd de ijs dici ſolet. In portu, quod aiunt, impingere. Quòd ſi in prima Syllogiſmi parte, pro Græcis, Latiníſque ſcriptoribus, literas ſacras poſuiſſet, aut eadem conſona eſſe diuinis literis probaſſet, quæ ſcripſiſſent illi, rectè ex veritate conſequentis, veritatem collegiſset antecedentis. Nunc ita breuiter reſpondeo: Neque conſequens eſſe verum, ac proinde neque accidens. Ratio eſt, quia neque competunt Rom. pontifici, quę de loco, ortu, & progenie Antichriſti ex Doctoribus arguit, neque ideo tamen conſequitur, Romanum pontificem non eſſe Antichriſtum. Quod autem ad ſcriptores illos attinet, ſiue Græcos, ſiue Latinos, quid illis abſque ſcripturæ autoritate tribuendum ſit, ſatis iam ante explicatum eſt. Quamobrem hæc, quæ aſſerit, aut conſona eſſe ſacris literis probet, aut taceat, aut meliora adferat.

Neq; antecedens verũ, nec conſequens.

In percenſendis aduerſariorum argumentis, ſat hactenus à nobis poſitum videri poterit, ſi vnum adhuc adiecero, quod ex verbis D. Pauli, perperam arceſſunt, in hanc formulam argutantes.

2. Theſſ. 2.

ARGVMETVM QVINTVM IN DEFENSIONEM Romani Pontificis.

Maior.

ANTICHRISTVS, vbi venerit, exaltabit ſe ſuper omne quod dicitur Deus, aut σέβασμα.

Minor.

Pontifex Romanus nunquam exaltauit ſe hoc modo:

Concluſio.

Nulla igitur cauſa eſt, cur Pontifex Romanus pro Antichriſto cenſeatur.

RESPON-

RESPONSIO.

DE maiore nihil dubitandum est. Verba sunt ipsius Apostoli, quæ si commodè intelligantur, nihil habent scrupuli.

In Minore verò cùm omnis versatur controuersia, quid huic minori respondendum sit, videamus, primúmque verba Apostoli, quæ in Maiore citantur diligenter intueamur. Sic enim ille Antichristum describens inter cætera hæc habet, ὑπεραιρόμενος ἐπὶ πάντα λεγόμενον θεὸν, ἢ σέβασμα, i. & extollitur aduersus omnem qui dicitur, Deus, aut numen, &c. Non ait, qui Deus est, sed qui dicitur Deus, an numen. Quinam autem illi sunt qui dij dicuntur in terris, ex psalmo docemur, quē Dominus etiam ipse citat in Euangelio: Ego dixi dij estis, & filij excelsi omnes. De his nimirum intelligens qui Iudices terræ, seu Dynastæ, ac potestates huius sæculi, velútque dij, quodammodo terrestres καὶ σέβασματα, diuina quadam appellatione hic honorantur. At negant aduersarij hæc epitheta vllo modo quadrare in mores Pontificis, qui in tantum ab Antichristiana hac abest sese extollendi cupiditate, vt etiam in summam deiectionē se deprimens, seruus seruorum Dei & dici & publicè notari nihilominùs erubescat, quin nec Agni etiam simplicissimi frontem ac cornua gerere non dedignetur. Psal. 81. Ioan. 10.

Et quomodo igitur, in tam humili professione, in tantam assurgere altitudinem aut posse eum, aut velle credibile sit? Imò nihil credibile magis, aut facile. Sic Dæmon ipse nunquam fallit nocentius, quam cùm maximè se transformat in Angelum lucis. Atque vt cum Cicerone dicam, nullæ sunt occultiores insidiæ, quam quæ latent in simulatione officij &c. Breuiter vt vno Chrysostomi verbo his omnibus respondeam: Σκῆψις ταῦτα καὶ πρόφασις fictio sunt hæc, et prætextus. Quamobrem non ad titulos, non ad linguam aut verba attendamus cum Augustino, sed ad facta. Certè qui non videt fastum papalem, καὶ ἀρχοντικὴν χορηγίαν, omnem non modum modo humanum, sed terrenam etiam dignitatem omnem longè transilire, nihil videt. Quid enim in mundo tam angustum, excelsum aut sublime exiſtit, quæ δυναστεία ἀκροτάτη, aut quæ tandem ἀρχισατραπεία tantæ celsitudinis, quam non ad nutum solùm capitis, sed ad oscula etiam pedum sibi subigat πρωτοσέβαστος hic Romani Ponti fex? Nota vox est Cardinalis nuper Eboracensis: Ego & Rex meus. Similiter, & Papæ ad Imperatorem. 2. Cor. 11. Cic. in Verre. Act. 3. Chrysost in præf. ad Rom. Item περὶ ἱερωσυν. August. in Epi. Ioa. tract. 3. Romani ponti fex. Verba Eborac.

Qui Petro seipsum præponens, Et mihi, ait, & Petro. Item legati illius Romani de Pontifice: Papa, inquit, Carolo 5. Imperatori dicere potest, Tu es Cerdo. Sic & Diaconi illius consecrantis papam: Ego te inuestio, inquit, papatu, vt præsis vrbi & orbi. Nec minus nota verba sunt Hadriani, Imperator per nos imperat. Sic & Clementis 5. in concilio Viennēs. Omne ius regum pendet à papa Breuiter, quid papa hodiè aliud est, quam monarcha aut princeps? Quid Cardinales, quos nunc vix alios esse fas est, quam principum & regum filios? Quid patriarchæ, quid magna ex parte Archiepiscopi, quid Episcopi, quid Abbates in regno pontificio hodie aliud sunt, quam ciuiles duces, & comites, quocunq; incedunt magnificè stipati, sæpè etiam torquati, & cathenati? In summa eo tandem impudentiæ creuit Romana ambitio vt iuramenta publicæ professionis in orbem vndiq; promulgârūt, quibus omnes ordines in obsequium suę obedientiæ astringant simúlq; decreta condiderint, quibus sanxerunt, iure diuino, papam non solùm episcoporum summum esse, sed etiam regum dominum, & suo arbitrio posse dare & eripere regna quibus velit. Verba legati de autoritate Papæ. Ex lib. ceremo. lib. 1. Verba Hadriani. Verba Clemē. tis 5. in concil. Viennensi. Ex libro Bullarum, in Bullam Pij 4.

Sed leniora hæc mittantur. Quid huic respondeant aduersarij quod ὁ ἀντικείμενος iste, non solùm ijs, qui dij dicuntur & σεβάσματα huius orbis, sed & Christo ipsi, suisq; Apostolis, aduersarius probari possit, adeóq; summi etiam patris legibus atque decretis, contraria sua decreta ex aduerso opponere comineatur. Sed de ijs liberior erit mox paulò expatiandi campus, vbi ad secundam bestiam, ducente Christo, perueniemus.

Postquā aduersarios huc vsque, pro suo Pontifice dimicantes, totis copijs, sumāq;

virium contentione, quid quantúmque possent, sustinuimus, argumenta eorum, & demonstrationes, præsertim quæ præcipui videbantur momenti, excussimus, diluimus, perfregimus, pro virili: His ita confectis rebus, superest porrò, vt ipsi nunc nostras, in diuersam vicissim partem, theses, & obiecta expediamus. Quæ omnia summatim, in septem euidentias partiemur, petitas, non ex fallacibus humanarum inuentionum lacunis, aut incertis Doctorum coniecturis: sed ex liquidissimis diuinæ scriptiuræ fontibus, καθ' ὑποτύπωσιν ταῖς γραφαῖς, tum maximè ex hac ipsa Apocalypsi, in qua modò versamur.

Septem argumennta, seu euidentiæ, ex sacris scripturæ fontibus contra Catholicos.

Etsi in diuinis quidem voluminibus non desunt & clara multáque testimonia, quibus vti liceat, ad debellandam pontificiæ vsurpationis infandam tyrannidem: tamen, meo iudicio, nullus est Scripturæ locus, qui ad Antichristi cognitionem certiùs nos ducat, aut qui Catholicæ partis defensionem fortiùs conuellat, quàm mystica hæc D. Ioannis reuelatio, si singulas eius partes totámq; hanc bestiæ secundæ descriptionem, qua par est, attentione perpendamus. Cùm enim dubium non sit, quin sub typo huius bestiæ, Antichristus præfiguratur, hinc facile fiet, vt ex rectè obseruatis huius scripturæ indicijs, & euidentijs, quæ in alium incurrere non possunt, quàm in Romanum Pontificem, ad veram Antichristi cognitionem, certissima via perueniatur.

Antichristus nusquam certiùs illustratur, quàm in Apocalypsi.

SEPTEM EVIDENTIAE CONTRA PONTIFICIOS THEOLOGOS, EX SCRIPTURIS DESUMPTAE QUIBUS CLARISSIMÈ EUINCITUR, ROMANUM PONTIFICEM IPSISSIMUM ESSE ANTICHRISTUM.

IAm verò in secunda hac bestia, quam describit hîc nobis Ioannes, quum plura occurrunt obseruanda, tum ex ijs omnibus, septem potissimùm proprietates, seu euidentiæ adnotandæ sunt. * Prima de discrimine & diuersitate huius bestiæ à superiore, locíque vnde orta sit differentia. Secunda de tempore bestiæ. Tertia de externa corporis eius specie, & interna simulatione. Quarta de potestate illius, quàm immensa ea sit, vnde accepta, quàm exitiosa rebus mortalium. Quinta de signis & fictitijs miraculis. Sexta de rebus gestis bestiæ, & de vulneris curatione. Septima de numero, & nomine bestiæ, eiúsque nominis declaratione.

* Septem Euidentię ex. D. Ioan. quibus Rom. Pontifex pro Antichristo necessario conuincitur.

1
2
3
4
5
6
7

PRIMA EVIDENTIA EX DVPLICI VTRIVSQVE BESTIAE DIVERSITATE.

QVoniam non vna, sed duplex & diuersa bestia, nobis ex hoc Prophetæ loco proponitur, quid sub duplici hac bestiæ diuersitate significetur, principio videamus. Quod si non vna, sed gemina sit bestia, quarum vtraque imaginem gerat Antichristi: duplicem proindè, non vnum esse Antichristum à Ioanne hîc consignatum, fateamur oportet. Si duplex & diuersus sit Antichristus, falsum igitur, quòd affirmant Papistæ, personam Antichristi vnam & singularem esse oportere.

Argum. contra Catholicos.
Maior.
Minor.
Conclusio.

PRIMVM ARGVMENTVM CONTRA CATHOLICAS POSITIONES.

QVod enim in se duplex & diuersum est, nullo modo, in vnam eandémque personam conuenire potest.

Maior.

Antichristus sub duplici bestia descriptus, duplex & diuersus est.

Minor.

Ergo, Persona Antichristi vna esse non potest.

Conclusio.

Quod

Quod autem non vna, sed duplex sit bestia, vna ab altera distincta, Prophetam ipsum audiamus.

Et vidi, inquit, *aliam bestiam ascendentem de terra, &c.*

Quæso autem, quid velit his verbis mysticus Propheta, quum vidisse se ait, bestiam non eandem, sed alteram, non de mari, sed ex terra consurgentem? Quid quæso bellua hæc, non eadem, sed altera denunciat: nisi alteram ecclesiæ persecutionem, per alterum Antichristum, sequentibus temporibus suborituram? At quo autore, obsecro, nisi pontifice? Quemadmodum iam euenisse, magno orbis malo, plus satis experti sumus. Quis enim terras has, & maria sic turbat ab imo, nisi pontificis Romani vniuersalis autoritas & potentia? Qui, vt nihil remittere de potestate sua velit, ita nihil ferè pro potestate decernit, quod Christo non contrarium sit, crucique eius inimicum. Atque hinc secunda persecutio, quàm portendit nobis secunda bestia. Quæ quàm feralis supra modum fuerit, quas quantásque furias & tragœdias iam diu in orbe Christiano excitauit, si fateri nolunt Papistæ, res ipsa clamitat, clamitant vsque ad cœlum, tot tam cruentæ piorum cædes, tot martyrum milia in cineres redacta per incendiarios istos pyracmonas.

Prima persecutio sub prima bestia.

Secunda persecutio autore Pontifice.

Quid ergo, & post tam tetras Christianæ ecclesiæ dilacerationes, an tertiam adhuc alterâ generalem persecutionem, tertiúmq; Antichristum expectabimus? Quid? an non satis erat duabus istis, tam turbulentis persecutionum procellis, primùm sub Imperatoribus, deindè sub Pontificibus sic concuti res ecclesiæ, tantúmque effundi Christiani sanguinis, nisi & tertium adhuc Antichristum, tertiamque bestiam, alteram statuamus expectandam? Et cur igitur tertiæ huius bestiæ nulla significatur mentio, in Apocalypsi? Quæ certè non omitteretur, si quid vnquam huiusmodi futurum, spiritus præsensisset Propheticus. Quamobrem quum duplex hic bestia, 1. duplex Antichristi status, politicus, & spiritualis, tam euidenter à Propheta consignetur, fieri certè non potest, vt mala omnia, quæ ab Antichristo expectantur, in vnam personam recidant. Sed negabunt aduersarij, duplicem Antichristici regni statum, in scripturis conspici, quum Christus, Apostolus, & ipse etiam Daniel, vt aiunt, nullum latentem, nullum spiritualem, sed omnino manifestum & clarum designarunt Antichristum.

Tertia nulla persecutio generalis expectanda.

Sub duplici bestia, duplex Antichristi status significatur.

Ex tract. Doctoris Friburgensis contra Herdbrand. cap. 4.

Age, & quo modo tandem probantur ista? ex Christo, ex Paulo, ex Daniele. Atqui quum Christus apertè monet, venturos sub pelle ouina, qui intus Lupi sint rapaces: multósque suo nomine adfuturos, qui sub plausibili cognominis prætextu, simplices in errorem pertrahant: an non ijs verbis latentem, & spiritualem Antichristianismi statum manifestè annunciat? Paulus quum Antichristum in Dei templo sedentem producit, qui confictis ad seductionem miraculis, credulæ multitudini sit impositurus, an non tectum, & simulatum Antichristi statum obumbrat?

Danielis propheticæ prædictiones, nihil vnquam de Antichristi rebus propriè attingunt, nec vlterius, quàm ad Christi solùm tempora, si rem rectè reputemus, porriguntur. Lex enim & Prophetæ, ait Dominus, vsque ad Ioannem. Quibus verbis admonemur, Ioannem omnibus veteris legis Prophetis, supremum colophonem imposuisse. Nam qui postea sequebantur prophetæ, à Christo excitati sunt, vt de futuris, in Ecclesia rebus, de persecutionibus, & de Antichristo prænunciarent.

Danielis prophetiæ ad Christum propriè, non vlteriùs porriguntur.

Lex & Prophetæ, vsque ad Ioannem.

Sed quid opus longiùs petitis testimonijs, quum ex hoc vno Ioannis loco, clarissimè conuellitur mendax pontificiorum, de singulari statu Antichristici regni assertio. Nam alioqui quorsum diuinus hic vates, de Antichristo prophetans, geminam bestiã, alteram ab altera, tempore diuersam, officio distinctam, produceret, nisi vt vmbratili hac hypotyposi, geminũ nobis Antichristi statũ præmonstraret? alterũ sub

Duplex Antichristi status in Apoc. commonstratur.

sub Ethnicis imperatoribus publicum, quo iam dudum defuncti sumus: alterum spiritualem, tectéque latentem, sub quo miserè adhuc luctamur, de quo duplici regno, seu statu Antichristi, Thomam ipsum, siue testem, siue iudicem audiamus.

Status Imperialis. Status spiritualis.

Sic enim ille: *Et vidi, &c.* Primó hic ostenditur persecutio, inquit, facienda sub Antichristo, mediantibus principibus: Secundò mediantibus Pseudoprædicatoribus. Primúmque de prima bestia loquens: Hæc bestia, inquit, est corpus hominum multorum peruersorum. Capita sunt Principes, qui eis præsidebunt. Vnum autem illorum capitum principale erit Antichristus, &c. Deinde de secunda bestia: *Et vidi aliam, &c.* Hic agitur, inquit, de persecutione facienda ab Antichristo, mediantibus Pseudoprædicatoribus, &c. Etsi perplexa satis & inuoluta hæc videatur interpretatio, tamen si sibi ipse interpres constare velit, Antichristi personam non vnam, nec vnum regni statum constituat necesse est. Cùm enim duplicem subinfert persecutionem, alteram per principes, alteram per Pseudoprædicatores, quid aliud hinc efficitur, nisi vt duplex concedatur Antichristianismi status: quorum alter ciuilis sit, alter spiritualis.

Tho. Aqui. in Apoc. cap. 13.

Duplex persecutio iuxta Thom.

Sed obijcient hîc iterum Romanenses ex suo Thoma, etsi corpus Antichristici regni, duplici constat membrorũ varietate, ciuili, & spirituali, quòd per bestiam primam & secundam significatur, nihil tamen hoc impedire, quo minùs persona Antichristi, qui caput corporis dicitur, vna & singularis exístat, quæ in tempore olim cõsummationis reuelabitur. Age, & qua tandem demonstratione illud comprobabunt? Ex S. Thoma, cuius ita verba habent: Et bestia, inquit, est corpus hominum multum peruersorum.

Romanenses Theologi.

Thom. Aquin. ex comment. in Apocalyps.

Huic incondito paralogismo, pseudologorum, Romanorum, & Remensium, non est quòd multis respondeam. Primùm verba ipsa Thomæ paulò propiùs intueamur: Bestia, inquit, est corpus hominum multum peruersorum. Cuius capita sunt principes, vnum autem illorum capitum est Antichristus. Sit ita. Cæterùm de qua bestia intelligit hîc Thomas videndum est. Cùm enim duplicem statuit bestiam, ac sub nomine bestiæ duplicem intelligit persecutionem, alteram mediantibus principibus, alteram mediantibus Pseudoprædicatoribus, vt supra monstratum est: ex his igitur apertè conspicuum est, de qua tandem bestia sentiat hic Thomas: nempè de ea, quæ, vt ait, de mari ascendit, quæ habeat capita septem, cornua decem, cum totidem blasphemijs, cui data est potestas Draconis, bellum faciendi cum sanctis, eosqúe vincendi, quæ potestatem habeat in omnem tribum, & linguam, & gentem, cuius caput vnum vulneratum sit, & plaga vulneris eius curata. Quæ omnia iuxta Thomæ descriptionem, nisi in primam bestiam conuenire non possunt. Quamobrem egregiè falluntur Theologi illi, qui verba Thomæ ad bestiam secundam, & ad corpus peruersorum hominum, sub nouissimo Antichristo, in fine mundi, detorquent.

Prima bestia de mari ascendens. Prima bestia iuxta Thomã Imperatores persecutores in primitiua ecclesia significat.

Quòd si igitur ad primam bestiam hæc sunt referenda, iuxta Thomam, quomodo hinc pontificij vnam duntaxat Antichristi personam certum sit, colligent? quum sub bestia illa, in primitiua ecclesia, decem ad minus persecutiones viguisse constat, sub diuersis Imperatoribus, quorum singuli personam gerebant Antichristi. Ex quo sequitur, tot fuisse tum Antichristos, quot fuerunt Imperatores, totúmque corpus illud peruersorum hominum, non vni seruisse Antichristo, sed pluribus. Quòd si autem bestia illa marina, iuxta Romanos corpus sit peruersorum hominum, quæro, an de omnibus peruersis loquantur, an minùs? Si de omnibus intelligant peruersis, qui ab initio fuerint: at horum caput, quomodo Antichristus esse potest, qui tres tantùm annos in consummatione regnaturus est? Certè Augustinus eorum caput Diabolum esse dicit, non Antichristum. Sin verò, de peruersis ijs intelligant, qui Antichristi tempore victuri sint; quid igitur isti, suo respondebunt argumento?

Confutatio Romanẽsium Theologor. de persona Antichristi. Singuli persecutores personã gerunt Antichristi.

Augustinus.

ARGV-

ARGVMENTVM.

VNiuersalis turba hominum peruersorum vna non est persona. Maior.
At Antichristus, iuxta papistas, est bestia i. vniuersalis turba hominum peruersorum. Rom. pag. 723. Minor.

Ergo falsum est & vanum, quòd Rhemenses nituntur tantoperè, in vnam certámque hominis personam, Antichristi nomen restringere. Conclusio.

Quod quàm Scripturæ repugnet, perfacili ratione monstratur. Quemadmodũ enim sub nomine bestiæ, non Nero vnus, non Domitianus solùm significatur, sed tota series, & successio Imperatorum, qui vni illi præfuerunt Monarchiæ: pari ratione sub secunda bestia, non vna aliqua, aut singularis cuiusquam viri persona, sed ordo potius, & professio plurium in vna sede principantium, intelligitur.

Cæterùm excipiet hîc iterum aliquis: Vtcunq; vera hæc sint, quæ de prima bestia hactenus, eiúsq; persecutione per prophanos principes dicta sunt, at nihil tamen hæc Prophetia pontificiam causam imminuit, ac ne attingit quidem, quum Romani pontifices adeò nullam habuere coniunctionem cum Monarchis illis, vt maxima pars illius persecutionis, in pontifices ipsos recidisse videatur, quorum triginta plus minus, martyrio ea tempestate affectos, testis est historia. Obiectio Catholicorũ pro defensione Rom. pontific.

Huic vt occurramus obiectioni, haud multis opus erit verbis. Primùm quod pro pontifice adferunt, etsi verum sit, non satis est tamen, vt non Antichristus probetur Romanus Pontifex, eò quod, apud Prophetam, non vna solùm bestia in medium producitur, ad præfigurandam Antichristi tyrannidem, sed præter hanc, alterius mox belluæ subinfertur mentio. Ex quo facilè dispelluntur Romanensium omnium Sophistarum inanissimæ telæ. Etsi enim in prima illa persecutione, nulla erat causa, quur pontifex Romanus pro Antichristo statuendus esset, regnante priore bellua: at si secundam bestiam illi succedentem, totámque eius descriptionem, mores, studia, res gestas, conditiones, singulas denique circumstantias & euidentias, propiùs aduertamus, in neminem alium, præter ordinem pontificium, & Pseudocatholicos Romanos, hæc omnia recidere comperientur. Atque de prima euidentia hæc hactenus. Ad reliquas deinceps progrediamur. Responsio ad obiect.

SECVNDA EVIDENTIA EX ordine temporis contra Cathol.

QVin nec illud hoc loco præteriundum est quod ad temporis rationem attinet. Vbi ait: 2. euidentia,

Et post hæc vidi, &c. Age, & quid vidit ille? Bestiam, inquit, aliam. Rectè & quando vidit? Post hæc, inquit, vidi. Post quæ tandem quæso? Post ea, quæ de priore bestia superius præcesserunt. Perge, & quænam hæc dicemus fuisse, quæ ordine temporis visionem secundæ bestiæ præcessisse dicuntur? Nempè ex ipso sermonis contextu elucidatur. Postquam enim superius de prima persecutione, per seuissimos Romani Imperij tyrannos, multa commemorâsset, progrediens porrò ad præsignandam fatalem Imperij illius ruinam, Prophetiam claudit tali Epiphonemate: De ruina Romæ præsagiũ;

Qui in captiuitatem ducit, in captiuitatem vadit: Qui gladio occiderit, oportet eum gladio occidi.

Nec fefellit euentus. Siquidem post horrendas illas Christianorum strages, inclinante mox fortuna Romana, vrbs illa caput olim orbis, & domina gentium, deleta prorsus ac dissoluta iacuit, per ducentos, aut trecentos penè annos: quoad noua quædam regni Pontificij facies, Romæ exoriri, virésque paulatim recolligere, temporis deinde progressu, in tantam excrescere cœpit magnitudinem, quantam nunc cernimus.

De 2. bestia. Atque hæc illa quidem bestia altera est, quam Ioannes post priorem gladio occisam, de terra exurgentem vidit. Quid ad oculum manifestius? aut quæ alia, prophetiæ huic accommodari potest interpretatio? Vnde videant nunc Romanenses isti, quàm tota errant via in verbis Hieronymi, & similium perperam intellectis. Qui quum negant venturum esse Antichristum, ante Romani Imperij excidium, id isti cæco opinionis errore detorquent, ac prorogant ad extremum vsque mundi finem. Quasi verò quisquam in lectitandis historijs, tam stipes existat, qui ignoret, per Gothos & Vandalos, multis retro sæculis, protritam ac deiectam veteris Romæ celsitudinem, excussis Imperatoribus, ad manus nunc Pontificum, & Cardinalium demigrasse, penes quos omnis nunc stat Romani nominis recuperata, post Imperatores, dignitas. Vnde ex eodem Hieronymo, & alijs, argumentum ita rursus in aduersarios, reflectere licebit.

Hieron. q. 2. ad Algasian.

ARGVMENTVM PONTIFICIORVM IN IPSOS INVERSVM.

Maior. QVo tempore dissipatum est Rom. Imperium, tunc veniet Antichristus.

Minor. Romanum Imperium multo ante tempore prostratum est:

Conclusio. Ergo Antichristus iam diu venit, regnatque in mundo.

Chrysost. 2. Thess. 2. Prima propositio constat ex Chrysostomo, pluribúsque alijs. Sic enim Chrysost. futurum prædicat, vt post Imperij excidium, Antichristiana desæuiat tyrannis.

Duplex probatio ex temporis euidentia. Quorum vtrunque iamdudum euenisse, negari non potest. Primùm, quantum accepit vulnus occisum senioris bestiæ caput, per externas gentes iam dictum est. Rursúsque, quanta mox insecuta sit, furítque adhuc pontificiæ potentiæ tyrannis, ab oculos omnium versatur. Quid plura quærimus? Atqui negabunt forte isti, dissolutionem hanc Imperij esse factam, hoc argumento, quòd Imperij huius dissipationem talem esse oporteat, quæ restitui non possit, cuiúsque occasus excidium mundi

Moguntini scriptoris cap. 9. Thess. 14. sit allaturus. Sic enim ex Paulo 2. Thess. 2. & Daniele cap. 7. ratiocinatur Moguntinus. Accedit insuper, quòd etsi attenuatas esse Imperij vires non inficiantur, at stare tamen hodierna die non prorsus dissolutum, at mediocriter sartum tectumque confirmant. Rectè, at cuius ope, & opera id factum sit, scire velim. Quis rudera illius reipub. in hanc recollegit integritatem? vnde restituta capitis huius occisi sanitas? Aut quis Romæ nunc imperat? Romanus imperator, an Romanus pontifex? Atque hæc hactenus, de tempore.

TERTIA EVIDENTIA ex definitione Antichristi.

3. Euidentia. NVnc ad reliquas euidentias Antichristi, ex sacris huius Scripturæ adytis deductas, accingamur.

Et habebat, inquit, *cornua duo similia Agno, & loquebatur sicut Draco, &c.*

Verba attentius notemus, Et habebat, inquit, cornua duo. Quum superior bestia decem habebat cornua, hæc duo tantùm habet. Ex quo vtriúsque bestiæ liquidò apparet diuersitas, non numero solùm, sed & qualitate distincta. Vt enim prioris bestiæ cornua decem, reges decem, non fictè, sed verè præsignabant: ita secundæ bestiæ cornua duo, agnum vnum mitissimum, filium Dei repræsentant, non verè, sed simulatè ideoq; addit:

Fraus Sinonia virg. Ænead. 2. *Et loquebatur sicut Draco*: subinnuens nimirum, talem hanc bestiam fore, quæ non aperto Marte, vt prior desæuiret: sed quæ Sinonia quadam arte fucans malitiã, aliud verbis, aliud factis ostẽdat, aliud in fronte, aliud in pectore gerẽs. Vnde multo plus periculi ab hac vna bellua, præ cæteris omnibus sit metuendum. Itaque nemo

mire-

miretur, si arcana Dei prouidentia, tam diligenter per Apostolos & Prophetas, de hoc vno omnium grauissimo Christi aduersario cauendo, tam multo antè præmonitos nos voluerit.

Etsi enim in regno Christi eiúsque ecclesia nunquam defuerunt hostes, qui ingentes in orbe Christiano tempestates commouerunt: tamen quia extra ecclesiam externi isti hostes vim apertam, minimèque dissimulatam profitebantur, eo quidē læserunt minùs, magísque caueri potuerunt. Minus enim lædunt hostes, qui præuidentur, vt fert prouerbium. At secùs res habet in hac altera bestia, quæ quum per operationem Satanæ, omnium grauissimè latissimèque, in omnes mundi partes virus diffundit, tum hoc ipso lædit nocentius, quòd in sinu ecclesiæ, adeóque in templo Dei sedens, sub Christiani nominis titulo, fraudes suas lethales, & insidias contegit, priusque infigit stimulos, sub prætextu amicitiæ, quàm hostis esse persentiatur. Adde huc, quòd quum cæteri illi professi hostes, corporibus solùm vim inferunt, animas non tam facilè suis inficiunt erroribus.

Gregorius.

Hostes externi, Interni.

At hæc bestia duplo nocentior, præterquam quòd incomparabili crudelitate, tot milia sanctorum corpora, postremis his persecutionibus, ferro, flamma, carceribus prosternit, tum multo grauiorem luem animis simplicium accumulat, dum irrepens in animos hominum, sub hypocritica pietatis simulatione, pietatem veram extinguit, Christum sub Christi nomine oppugnat, gloriam obscurat, incautis imponit, in errores pernicioſos maximam hominum partem, prætextu religionis abducit, fidem Euangelij adulterat, Sacramenta, cultusque à Deo institutos deprauat, mutilat, ac peruertit. Adeóque inualuit mira quadam fallendi calliditate, sensim illabens in conscientias hominum misera seductio, vt plærique ipsius persuasi phrenapatijs, bestiam hanc, non aliter quàm pro Petro aut agno etiam Dei, in Cathedra Petri dominantem suscipiant.

Hostis ecclesiæ domesticus & familiaris.

Vnde non sine singulari præmonitionis diuinæ vaticinio, Ioannes cornua nō veri quidē agni, sed agni similia bestiæ adscribit, quibus externā eius speciē, & magnificos foris titulos præferat, velut agnum quendam dei, ac Christi vicarium quempiam repræsentans. Verùm qui verba, & voces ipsas, quas crepat bellua, diligentius attenderit, sub agnina pellicula, plus quàm lupum, imò Draconem ipsum comperiet. Quare prudenter admoniti caueamus, ne externis rerum spectris, & formis deliniti, falsa pro veris, fucata pro syncēris, pro rebus vmbras rerum, tenebras pro luce, pro granis paleas, amplectamur. Quin potius Silenum hunc inuersum aperiamus: Non quid foris prætenditur, sed quid intus geritur, solerti obseruemus inspectione. Quemadmodum sub sordida sæpè pallio, immensæ occultantur gratiæ diuinæ opes: itidem è diuerso, quæ maximè excelsa sunt huius mundi, maximè sordent apud Deum. Ne ducamur igitur, (vt illi in specu olim Platonico) vmbraticis rerum ludibrijs. Res ipsas inspiciamus, agnúmque non ex cornuum similitudine, sed ex vnguibus Leonem, ex verbis Draconem, ex morsu Serpentem æstimemus. Exterior aspectus fallere potest: quid lateat in intimis animi recessibus, sermo animi interpres, occulti index iudicij declarat.

Simulata hypocrysis in bestia secunda descripta.

Admonitio salubris.

Excelsa huius mundi cauēda

Externa species fallax.

Quid autem, inquies, an nō Rom. Antistes seruum se seruorum Dei conscribit? Verùm quidem: Nam aliter, quomodo cornua Agni habere potuit? Age & quod nam luculentius submissi animi argumentum quisquam desideret? Certè, si titulis credendum sit, præclaram frontem videō, quæ agnum primo aspectu mentitur egregiè. Verùm sub titulari hac humilitate, quid intus monstri lateat, si scire vis, facta bestiæ huius, mores, studia, ingenium, voces, verba ipsa, totámque vitæ scenam, aduerte paululum, iam non agnum, sed Draconem loquentem, spirantem, imperantem intelliges. Quæ omnia quo lucidius appareant, quanta huius bestiæ potentia sit, vnde accepta, quàm pernicioſa ecclesiæ Dei existat, paulò diligentiùs discutiemus.

Seruus seruorum Dei.

Externis titulis non credēdum.

QVARTA EVIDENTIA DE POTE-state bestiæ.

4 euidentia. Tria spectãda. 1 2 3

QVarta euidentia ex potestate & viribus bestiæ exoritur: in quo tria potissimũ occurrunt spectanda. Primum in eo, quòd omnem potestatem bestiæ facit in conspectu eius. 2. quòd omnes homines facit adorare imaginem bestiæ. 3. quòd plagam vulneris bestiæ curat. Age, & quid vult nomen hoc bestiæ toties vsurpatum in exprimendo Antichristo? cur non vocabulo ipso vtitur potius Antichristi, quàm bestiæ? ad similitudinem Danielis hoc facit Ioannes: Quemadmodum enim Daniel, sub nomine bestiarum, feroces nobis depingit Monarchias, ad publicam orbis pacem dissipandam destinatas: Non aliter Ioannes, in hoc capite, duo tempora grauissimarum persecutionum, contra ecclesiam Christi mõstraturus, Antichristum ipsum non nominat, sed sub ænigmate duplicis bestiæ, duplex nobis imperium sæuissimorum tyrannorum aduersus ecclesiam adumbrat. Quarum prior quidem bestia, vt Imperium superius Ethnicorum principum potissimùm demonstrat: Ita posterior bestia, quin pontificum hoc regnum repræsentet, quod iam diu in ecclesia floruit, haud dubium est. Quod ex quarta hac euidentia clarissimè constare poterit, si potentiam & maiestatem regni huius Pontificij, cum immensa illa potestate prioris bestiæ componamus.

Regnum seculare.

Regnum spirituale.

1 2 3

Primum in eo, quòd potestatem prioris bestiæ omnem facit in conspectu eius.
2. Quod facit terram, & inhabitantes in ea, adorare primam bestiam.
3. Quod plagam mortis eius curat ac reficit.

At quid hoc est, plagam mortis eius curare, ipsamque belluam reuocare in vitam, nisi quòd immanis ille furor prioris bestiæ, in posteriori hoc Pontificis regno, non solùm cum pari potentia, sed longè cum maiore etiam reuiuiscat? Cùm enim omnis illa priscorum Imperatorum potestas, ad externum tantùm politicæ gubernationis statum pertinebat: tùm verò Pontificij huius regni plenitudo longè vlterius progreditur, non ad gubernationem solam politicam, sed etiam multo magis, ad res ecclesiasticas subuertendas. Ex quibus sic constitutis, huiusmodi contra pontificem Rom. procudi potest argumentum.

Duplex potestas regni põtificij.

ARGVMENTVM.

Maior. Quisquis restituit spiritum & vitam imagini bestiæ, certissimus est Antichristus:

Minor. Solus Pontifex Romanus, vitam & spiritum restituit bestiæ:

Conclusio. Ergo Romanus Pontifex certissimus est antichristus.

Quæ quum ita sint, quis non videt, sub figura huius bestiæ, pontificem adamussim non descriptum, sed digito velut monstratum esse? Quippe qui non contentus persona illa, quam ministris imposuit Christus, animos eousque attollit, vt non solùm Christo capiti sese subijcere sat habeat, nisi etiam Christo velut è terris ablegato, ipse locum eius, sedemque in terris possideat, vicem suppleat, gloriam vsurpet, vt non Christus iam pro capite, sed ipse pro Christo regnet in conscientijs, quasique Christus in cœlis ocioſus κεφαλὴν χωρὶς σώματος desideat, solus hic Christi vicarius, ceu prochristus aliquis, hæres Petri, tutor, vindex, iudex, caput, sponsus ecclesiæ, sic ad se omnes gubernandi partes pertrahit: vt vix quicquam Christo supersit reliquum quod in sua ipse ecclesia capessat. Quid enim iam agat ille, quum nihil non agat, possitque pontifex? Cuius potestas, quàm late se diffundat in rebus ecclesiæ, si nondum intelligis, accipe.

DE POTESTATE PONTIFICIS IN ecclesiasticis rebus.

PEnes eum (inquit Francis. Vargas) stat potestas excommunicandi, absoluendi, dispensandi, casus reseruandi, indulgentias, & beneficia & similia conferendi, leges ponendi, statuendi, puniendi, pœna, & præmio afficiendi, ecclesiasticam hierarchiam moderandi, hisque consimilia. Quæ vniuersa potestas, inquit, non solùm à summo Pontifice, ad Episcopos deriuata censetur, sed in eo tanquam in fonte reposita est, ab eóque ad alios, tanquam per riuulos immediatè promanat, &c. Quid audio? Itáne hæc omnia à pontifice Romano tanquam ex fonte immediatè scaturiunt? quid igitur de Christo? de fontibus illis salutis dicemus, vnde haurire nos cum gaudio iubet Esaias? Quid de fonte illo aquæ salientis in vitam æternam, de quo Ioannes?

Francis. Varg. in respon. de Episcoporum iurisdict. propos. 4. & deinceps. Nicol. Saunderus. pag. 726. Esai. 12. Ioh. 4.

Quid, an fontes hos omnes exiccatos exaruisse putabimus, vt ad Romanas, sub necessitate salutis, cisternas sit recurrendum, quemadmodum dictat Bonifacius? Quin nec mirum quidem, si hæc omnia, quæ hactenus commemorata sunt, possit præstátque Romanus hic Clauiger, quandoquidem Deus ipse, & papa (Hostiense autore) vnum habeant consistorium: posítque Papa quasi omnia facere, quæ potest Deus, excepto duntaxat peccato.

Hostiens. extrau. de transl. Epis. Quarto.

Et Panormitanus in eandem sententiam: Excepto peccato, inquit, Papa potest quasi omnia facere, quæ Deus potest, &c. Nec multò aliter Capistranus: vbi quærens, quousque protenditur autoritas Papæ: Respondet breuiter, quòd ad omne bonum, & ad nullum malum. Est enim quasi Deus in terris, maior homine, & minor Deo, plenitudinem obtinens potestatis, & c. Adde huc, quod & alij parasiti pontificij, consimili furore, Pontifice ipso ferente, & applaudente gloriantur, esse eum ens secundæ intentionis, compositum ex Deo, & homine.

Panormit. de Electione cap. Licet. Ioan. Capistranus Papæ & Ecclesiæ autoritate. pag. 53. Papa quasi Deus, maior homine. Papa ens secundæ intentionis compositus ex Deo & homine, secùdùm Papistas.

Quæ quum ita se habeant, quid iam Christo opus fuerit, cùm nihil sit quod non Papa Christi loco, imò supra Christum, non in terris solùm, sed & in cœlis, & in Purgatorio conficiat? In cœlis mandat Angelis, diuos & diuas, immensa multitudine sanctificat, templa eisdem nuncupat, vigilias festósque dies, in cultum eorum instituit, reliquias, ossáque eorum osculis ac venerationi addicit. In Purgatorio flammarum pœnas relaxat, peccatis eorum veniam, nexibus libertatem indulget, quantâ cuiq;, & quando lubet, modò emptorem inueniat. In terris sacrificat pro viuis & defunctis. Dispensat, ordinat, constituit, confirmat, excommunicat, deponit pastores quoscunque, & episcopos. Pueros, adolescentulos in præfecturas intrudit Ecclesiasticas. Cultus nouos instituit, nouas religiones consecrat, Sacramenta noua, pluráq; quam Christus cudit. A Christo instituta mutilat, immutat. Articulos, decreta, nouas leges condit, quas pares esse diuinis legibus, adeoque ijsdem homines non minùs obligari postulat, vt peccent mortaliter, qui eas negligunt, etiam sine scandalo.

Ioan. Andreas in Nouellis super caput. Quod super his. Potestas Papæ extendit se ad cœlestia, terrestria, infernalia.

Vnde Michael Medina lib. 7. Christian. Paraneseos cap. 17. Potestas in diuinas leges, ordinariè in Romano pontifice residet. In veteri synagoga, tria aut quatuor solùm festa quotannis, præter Sabbata, præscripta legimus: Hic multò plura introduxit. Christus duo tantùm Sacramenta Ecclesiæ suæ commendauit: Hic ex copiæ suæ cornu, duplo plura adiecit. Christus pauculos secum discipulos, eósque pauperculos circumduxit: Huic triginta præpingues, benéque purpurati non sufficiunt Cardinales. Christus vno contentus gladio, quo neminem tamen vnquam feriebat, alterum, qui huius esset sæculi, recusauit: Hic cum duplice claue, corona triplici geminum pariter coniungit gládium. Sic enim in Bonifacij octaui gestis refertur, qui cùm vno die, pontificio apparatu, cum clauibus procedens, se tanquam supremum Episcopum ostentâsset: altero die, Imperatorijs amictus vestimentis gladium ante se nudum monstrauit, cum hoc Epiphonemate, Ecce duo gladij hic.

Pontificiæ potestatis plena descriptio. Michael Medina lib. 7. c. 17 Duplex gladius. Bonifacius 8.

Christus Dominus suorum lauit pedes, exemplum suis discipulis ad imitandum relinquens: A quo exemplo tam procul abest superbus hic Tarquinius, vt summos etiam monarchas ad pedum suorum oscula adigat. Neque enim ignotum est, quemadmodum Alexander 3. Fredericum Barbarossam. Venetijs prostratum in terram pede proculcans, super aspidem & basiliscum ambulare se, ex Psalmo iactitaret. Cúmque Imperator, honorem eum Petro se exhibere, affirmaret, mox excipiens ille, Et mihi, inquit, & Petro: non Petro, ait, & mihi; sed sese præponens, & mihi subinfert & Petro.

Alexander. 3. Fredericus Barbarossa Imperator.

Quid porrò ampliùs, hac de re decretum, ac vsitatum sit Romæ, operepretium fuerit ex Cæremoniarum libro pleniùs cognoscere. Electus, inquit, Imperator cum suis omnibus, seruato ordine, per gradus ascendit suggestum. Et vt primùm videt pontificem, detecto capite, illum genu terram contingens, veneratur. Et iterum, cùm appropinquat ad gradus sedis, genu flectit. Demum, vbi ad pontificis pedes peruenit, illos in reuerentiam Saluatoris, deuotè osculatur. Similiter & Imperatrix coronata, mox osculatur pedem Pontificis. Quoniamque cæpimus de papalibus cæremonijs verba facere, cætera ex eodem libro, quæ sequuntur, paululùm attendite.

Ceremon. lib. 1. sect. 5. Cap. 3.

Eodem lib. cap. 6.

Papa nemini omnino mortalium reuerentiam facit, assurgendo manifestè, aut caput inclinando seu detegendo, &c. Quod nisi ita se gererent Pontifices, quo pacto verum constaret illud Petri de ipsis vaticinium: δόξας οὐ τρέμουσι: ὑπέροχα ματαιότητος φθεγξάμενοι. Plura deinceps de papalibus cæremonijs auscultare ne pigeat.

Ex eodem lib. cap. 2. 2. Pet. cap. 2.

Cùm Papa, per scalam ascendit, &c. Etiamsi Imperator aut quiuis maximus princeps adfuerit, sellam ipsam, cum Pōtifice, in humeris aliquantulum portare debet. Rursúsque eodem capite: caudam pluuialis portabit nobilior Laicus, qui erit in curia, etiamsi esset Imperator, aut Rex, &c. Sed nescio, an hæc τὰ ὑπέροχα, adhuc blasphema vox superat Antonini, in Summa, part. 3. in hæc verba scribens:

Cærem. lib. 1. cap. 8.

Ex eodem lib. & cap.

Non minor, inquit, honor debetur Papæ, quàm Angelis. Vnde recipit à fidelibus adorationes, prostrationes, & oscula pedum, quod non permisit Angelus à Ioanne Euangelista sibi fieri. Hæc ille.

Antoninus in sum. part. 3. tit. 22. cap. 555. 4.

Durandus, cum multa magnáque de potestate ecclesiasticæ iurisdictionis, sine limitatione loci, aut personarum, disputet, tum illud inter cætera, minimè prætereūdum, de necessitate obedientiæ subijcit. Christus, inquit, commisit B. Petro iura cœlestis imperij, & terreni. Et qui hoc priuilegio Romanæ ecclesiæ detrahit, in hæresim labitur, & hæreticus est dicendus. Quia cùm sedes illa nullis humanis constitutis, sed verbo Domini, & Scripturæ autoritate fundata sit, contra Scripturam peccat, qui hoc facit, & est hæreticus. Fidem quippe violat, qui contra illam agit, quę mater est fidei.

Durand. dist. 22. cap. 1.

Hæreticus quis sit, apud Pontificios catholicos.

Romana eccle sia mater Fidei.

Quòd si quis non satis adhuc arroganter dicta hæc factaque ab istis putet, historias eorum perlegat, decreta, decretalia, Iura papalia, Clementinas, Extrauagantes, Bullas, Censuras, comminationes, excommunicationes perpendat, in quibus sic statuit Papa, se Dominum esse omnium feudorum, cæterósque omnes eius esse beneficiarios, & vasallos, se supra Concilium, supra ecclesiam, supra Dei verbum esse, et que decreta ab eo fuerunt, tanquam è cœlis dictata à Spiritu Sancto accipienda esse, & credenda, sese in ijs, quæ fidei sunt Catholicæ, errare non posse: vsque adeò vt si totus mundus sentiat in aliquo contra Papam, videtur quòd standum sit sententiæ Papæ, &c. Radicem esse ecclesiæ militantis, Petri successorem. Qui licèt pessimus in se fuerit, tamen in virtute Christi, complectitur sub se triticum, quod nullo modo euellendum sit. Legem animatam esse in terris, stuporem mundi. Qui vices Dei in terris gerit. Penes quem potestas sit vtriusque gladij: Cui iura commissa sunt, cœlestis simul terreni Imperij. De cuius iudicio nemini iudicare aut sententiam retractare permittitur.

Extrauag. De election. & electi potestate.

Nic. Sanderus pag. 548.

Sixtus, decret. cap. Ab arbitris. Glossa.

Prohem. Clement. 1. Glossa, stupor mundi, &c.

Nec Deus es nec homo, quasi neuter es inter vtrunque.

Dist. 22. ca. omnes. Nicol. papa.

Imò

Imo licèt vix ferendum ab illa ſede iugum imponatur, ferendum tamen. De qua ſede dici nunc poterit, quod de archa olim fœderis: Si hæc humi lietur, ad cuius fugientis auxilium, & vbi relinquitis gloriam veſtram? Qui ſi innumerabiles populos cateruatim ſecum ducit in gehennam, culpas illius redarguere præſumat nullus: quia cunctos ipſe iudicaturus a nemine eſt iudicandus, &c. Cui quiſquis negauerit obedientiam, perindè facit, atq; qui Deo negat omnipotentiam.

Innoc. 2. item Nicol 17. q. 4. cap. Si quis. Item Nemini. Diſt. 19. c. in memoriam. 9. q. 2. cap. Alli. orum. Bonif. Marl. diſt. 40. c. Si Papa.

* Quid quòd quum Iſidorus per ſolem intelligit regnum, & per lunam ſacerdotium: contra Innocentius 3. Quantò Sol, inquit, maior eſt luna, tantò maior eſt papa, quàm Imperator. Itidem & Orichouius: Imperatoria, inquit, maieſtas tantò eſt inferior Papa, quantò creatura Deo. Atq; ne exemplis verba careant, audiamus Alexij Epiſcopi hac de re teſtificationem, qui in orat. habita ad Iulium 2. de Imperatorum ſubiectione, enarrat in hunc modum. Quid? an non Imperatores (inquit) de Henrico 4. ſentiens) pedibus nudis, non breui ſpatio, per niues, curſim ante mœnia procumbentes & alij ad pedes pontificum (Pontif. hic Hildebrand. erat) inermium certè, & ſola innocentia munitorum, prouoluti, eorum veniam precabantur, &c.

Ex Gloſſa ordinar. * Iſidorus. Innocentius 3. Staniſl. Orichouius in Chymer. fo. 97 Alexius Epiſc. Ex Tom. 4. Cõeil pag. 557. ex orat. Alexij Epiſc. ad Iuliũ 2.

* Quid quòd Papa in monetis etiam cudere atque vſupare non dubitat, Eſaiæ illud, quod Deo ſoli proprium exiſtit: Gens & regnum, quod non ſeruierit mihi, exterminabitur.

* Monetæ Papalis.

* Adde huc quòd Antoninus, de papa non abſurdè dici poſſe affirmat, quòd de Chriſto propriè docti interpretantur: Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius, oues & boues, & vniuerſa pecora campi, volucres cœli, & piſces maris, &c. Accedit nec minus inſolens illa Pontificij διπλωματοφόρου vox, apud Eraſmum, & alios ſic iactitans: Pontifex poteſt dicere Cæſari Carolo, Tu es Cerdo, &c. Idémque legatus quàm tetrico ſupercilio, contra Fredericum Saxonem minas ſpirans: Bene, inquit inueniemus illum ducem Fredericum, &c. O ſeruos ſcilicet ſeruorum Dei: imò O progenies viperarum: O furias, O peſtes non in vltimas terras, ſed in Tartara deportandas. Quænam hęc, quæſo, mentiendi ac fucandi hypocriſis? Cùm nullus in terris tantæ ſit princeps autoritatis, quem non glorioſi iſti Thraſones, ex Monarcha Cerdonem faciant. Age, & quid poſt hæc reſtat denique, niſi vt beſtia hæc cum cornibus Agni fictitijs, non humi repat, ſed cum Lucifero, cœlum conſcendẽs ſimilem ſe faciat altiſſimo? Plura poſſem. Superſunt enim permulta. At quorſum arenas numerare attinet? Breuiter, ſi quis tam plumbeus ſit, cui nondum ſatis perſpecta ſit fictitij huius regni faſtuoſa ambitio, mendáxque religio, pluráq; hac de re deſideret, ſuperbos titulos, totámq; pontificiæ magnificentiæ ſcenam, paucis deſcriptam carminibus, ex ipſorum delineatione perluſtret.

Pontificij legati ſuperba vox de poteſtate Papæ.

CASVS PAPALES APVD FR. ASTESANum, item apud Hoſtienſem reperti.

Caſus papales.

SI ſit Catholicus papam non iudicat vllus.
Erigit, & ſubdit Cathédras, diuidit, vnit,
i. votum terræ ſanctæ i. Degradatos, Epiſcopos & alios,
Mutat vota crucis, Reſtituit, Eximit. Ad ſe
Maiores cauſæ referuntur. Legitimátque
i. inſufficientes i. intrantes religionem
Promouet. Appellare vetat, prohibet profiteri.

.i. *defectum regis vacante regno.*
Deponit, transfert, supplétque, Renunciat illi

.i. *Simonia.* .i. *Iuramẽtum.* .i. *Excommunicatio à Papa facta.*
Præsul, & exemptus, Simon, Iurans, Anathema

.i. *tam Papæ, quàm legati.*
Vel proprium, vel legati, vel lex vtriusque

.i. *soluitur à Papa.*
Tum neque participans: Et si quem sponte salutat,

Quem Canon damnat, sibi soli quando reseruat,

.i. *qui irregularitatem incurrit.*
Soluitur à Papa: nec non quem regula damnat.

.i. *addas.*
Addas suspensum, causam, quum fertur ad ipsum.

.i. *addas.*
Rescriptum, Fidei dubium. Confert bona plura.

Irritat infectum, Legem condit generalem.

.i. *Imperatorem.*
Approbat Imperium, firmat, deponit, & vngit,

.i. *Canonizat.*
Concilium generale facit. Sacrat quoque Sanctos.

Ens non esse facit, non ens fore. Pallia semper

Portat. Concedit. Legi non subiacet vlli.

.i. *Immediatè.*
Appellatur ad hunc medio sinè. Iudiciúmque

.i. *de Monacho non Monachum facit.*
Est pro lege suum. Monachum reuocat renuentem.

.i. *Incæstum, &c.*
Maius adulterio soluit generaliter. Arctat

.i. *Impedimentum Matrimoniale.*
Et laxat, quicquid sponsis nocet. Ordinat extra

.i. *extra 4. tempora.*
Tempora, dando sacrum. Promotum promouet, Idem,

Ordinat, atque die, qua consecratur & ipse.

.i. *Sacerdotium confert nondum vacans.*
Viuentisque locum concedit. Iureque priuat.

.i. *Insignia episcopalia concedit.* .i. *à Decimis eximit.* .i. *Ministro concedit infantes vngere.*
Insignit. Laico sacra donat: Chrisma ministro:

Summa sede sedet, plenúsque vicarius extat.

Si sit Catholicus, Papam non iudicat vllus.

EX his hactenus commemoratis, abundè tibi persuasum esse non dubito, pie Lector, ex quantulis initijs, in quantam accreuit potentiam, Pontificia sedes. Superest deinceps, vt quod secundo loco proposuimus, quid commodi aut incommodi rebus humanis afferat vniuersalis hæc sedes Romana, exequamur.

DE SECVLARI PONTIFICIS ROMANI potestate, eiusq; fructu.

DE potestate Papali, eiúsque immensitate, quàm latè pateat, ad cœlum vsq;, ad superos, ad inferos superiùs monstratum est: nunc ex potestate hac ecclesiastica, quid nascatur bonæ frugis, secunda postulat consideratio, vt aperiamus. Ac primùm quod ad priorem bestiam attinet, qua Ethnici illi superiorum temporum Imperatores intelliguntur, quot quantáq; ab illis accepta sunt incommoda, satis testantur graues ille anteáctarum persecutionum, quas diximus, tempestates. Atq; istos tyrannos iam olim ceruicibus excussimus, singulari dei omnipotẽtis beneficio. Demũ post aliquot intermissa secula, alij, nescio quo infelici fato, in mundum irruperunt, nihilo minus cruenti, infestiq; nominis Christiani hostes Turcico nomine Imperatores appellati, qui etsi Roman. Imperatorum sedem non occupant, at Imperialem tamen eorum maiestatem, non sine graui Christianorum pernicie retinent atq; exercent. Cæterùm quum omnes aduersariorum molitiones, tyrannorum tumultus, temporũq; historias euoluimus, haud conferenda hæc quidẽ omnia videntur cũ ijs malis, quæ ex secũda hac bestia, eiúsq; superbissimo Imperio, postea sunt consecuta.

De Pontificio regno loquor, in quo modo dominantur viri sancti, & Apostolici, qui non Iulij Cæsaris, sed Petri Apostoli, vt videri volunt, successores, vrbem Romã possident, non vt Imperatores, nec nomine quidem Imperatorio, at non minori tamen cũ Imperio, nec minus imperiosè, multò certè magis perniciosè regnant, quàm Imperatores, siue Turcici, siue Romani. Quòd si enim ineunda nobis collatio sit, inter hos & illos, vix dixerim, quantum interest discriminis.

Illi in corpora solùm hominum desæuiunt: hi non in corpora modò, sed & in animas potestatem sibi vendicant. Illi vno armati gladio satis se munitos arbitrantur: Istis vnus non sufficit, nisi gemino gladio suam propugnent tyrannidem, quorum altero corpora, altero conscientias feriant. Etsi multis illi exitio fuerunt pijs & sanctis martyribus, semper tamen vi aperta grassati sunt, vt pro hostibus, vel cognosci vel cauèri possent. Hi quum multò plures occiderunt martyres, semper sub callida religionis simulatione, vim suam occultant, vt quo latentiùs, hoc letalius Christi opprimerent ecclesias. Illorum sæuitia Christi magis semper est illustrata gloria, religio firmiùs confirmata, quemadmodum ex Lactãtio legimus: Isti non alio nomine funestiores sunt, quàm sub agnina specie, dùm mirabiles occultant fraudes, qui dum amici religionis videri volunt, synceram religionis naturam pessundant, gloriã Christi obscurant, fidei extinguunt lucem, Euangelij gratiam abolent, libertatem adimunt conscientijs, non ferendis rituum ac constitutionum oneribus, simplicis vulgi animos adobruunt, à Christo abducunt, legalibus ceremonijs illaqueant, contra quàm spiritui sancto, in Actis Apostolicis visum est, qui nullo modo seruilibus traditionum vinculis ceruices gentium adgrauari voluit. Quid multis? Vis breui dicam cõpendio, quàm intemperanter, personati istrihistriones, potestate, quam inuito deo, & hominibus, occuparunt, in publicam orbis Christiani perniciem, multò iam tempore abusi sunt, atq; etiamnum abutuntur fœdissimè. Specta modò, ac supputa digitis, si poteris, quot martyrum milia infelix Pontificum potestas hactenus, per omnes prouincias exhausit. Quot, quantásque ædidit piorum cædes: Cruentas sedis huius inquisitiones, consistoria, iudicia, lanienas Hispanicas, Gallicas, Flandricas, Germanicas, Anglicas, Bohemicas, Italicas, Angronicas, Merindolicas

Comparatio inter veteres Imperatores Romanos, & nouos Pontifices Rom.

Ex. Lact. lib. 5. Iust. ca. 13 23.

Act. 15.

Bella seditiones cædes martyrum infinitæ.

aduerte paululum. Quid vnquam simile, vel in Roma veteri, vel in noua Turcia reperies? vt interim bella, seditiones, schismata, pugnas domi foris q̃, regum ac regnorum dissipationes, à fatali hac sede profectas præteream.

Ex oratione Phil. Melanct. ann. 1558.

Qua de re audiamus ex nostris quendam, non immeritò querentem in hunc modum: Cùm multa, inquit, extiterunt terribiles motus Imperiorum, sæuæque mutationes, his iam aliquot sæculis, tum harum tempestatum, præcipuæ causæ non alundè exortæ sunt, quàm à Romanis pontificibus. Hinc bella Henrici 4. & 5. Deinde Frederici primi & secundi. Post hos bellum Ludouici Bauari, & Frederici Austriaci. In quibus tumultibus non solùm regni dilaceratio facta est, & debilitata potentia, & cognati principes alij in alios, vt Cadmæi olim fratres, inter se dimicarunt: sed etiam ecclesiæ deletæ sunt, & multæ piæ mentes non in luctum, sed in periculosam etiam fluctuationem præcipitatæ, per furias pontificum, qui vt suam dominationem augerent, fuerunt & Europæ & ecclesiæ Alastores. Hæc ille.

Bella Henrici 4. & 5. Frederi. 1. & 2.
Ludouici Bauari & Freder. Austriaci.
Rom pont. Alastores Europæ.

Quid ego hìc bellicos inter se tumultus, domesticas de Papatu pugnas istorum, dissidia & schismata recenseam, quæ supra viginti quatuor in paucis annis connumerantur, quorum nouinulla inter tres, & plures simul pontifices, annis non minùs 40. perdurarunt? Tanta tum superbissimam sedem inuasit ambitio, cum pari coniuncta pertinacia, vt vsitatam longo iam tempore, in Imperatores rabiem, tandem in seipsos & viscera sua conuerterint, cũ dissidentes consilijs, & volũtatibus purpurati proceres, plures simul designarent pontifices, qui inter se, de sede dimicantes, quod armis nequirent, execrationum telis collectisque partium studijs, concitatis simul regibus orbis Christiani, mutua in seipsos infestatione inferuntur, contendentes non de gloria filij Dei, non de emendatione corruptæ doctrinæ, non de sartienda vitæ morumque puritate, non vt de Cæsare olim, & Pompeio, refert Lucanus, id solùm quærentes, vter imperet vrbi, sed hùc potiùs spectantes, vter imperet orbi. Vide, amâbo, fastus & superbia mundi in ecclesia quid facit?

Rom. pontificum schismata plus quàm 24. à tempore Formosi pon. Sub Concilio Constantiense scisma 40. annorum.

Adde cum fastu hoc & ambitu pastorali, coniunctam pariter, nihilo minorem auaritiam, prædas, rapinas, expoliationes, expilationes vrbium, regnorum, nationum, insularum, infinitas, inauditas, incredibiles, vel ex vna Anglia, quot mulos auro & argento Britannico onustos, quotannis auexit? Loquatur Pragmatica sanctio quid in Gallia olim sit factum, & fit quotidiè. Verba ex ipsorum annalibus huc ascribantur. Pij pontificis tempore, vacarunt in hoc regno, plus quàm viginti Archiepiscopatus, & Episcopatus, ex quibus pro annuo vectigali, quod Annatam vocamus, in singula diplomata, seu bullas, sena Aureorum milia dependenda sunt. Quæ summa est centum & viginti milium Aureorum. Item Cœnobiarchiæ, seu Abbatiæ ad 6. aut eo amplius vacauerunt, in hoc regno. Quarum singulæ 2000. Aureorum, vt minimum constiterunt Summa ergo est, centum & viginti milia aureorum.

Rapinæ, expoliationes inauditæ, per Rom. pon.
Pragmatica sanctio Gallica.
Redditus aureorũ 120000. ad fiscum papæ ex Gallia.
100000. milia Parochiarũ in Gallia.

Eodem tempore Prioratus, Decanatus, Præposituræ, Præceptoriæ, & aliæ dignitates Electiuæ, quæ titulo insignitæ non sunt, plusquam ducentæ vacauerunt. Ac in singula huiusmodi beneficia aurei numerati sunt quingenti. Summa igitur est, centum & viginti milia Aureorum.

Gratia expectatiua.
Diplomatum confectio
Non obstãtia.
Prærogatiuæ annullationes.

Constat præterea in hoc regno, vt minimum centum milia Paroechiarum esse quæ inhabitentur. Nec vlla est, in qua eo tempore, gratiam expectatiuam non aliquis impetrauerit, in quarum singulas 25. aurei impensi sunt, tam pro itineris sumptu, quàm diplomatum confectione, pro non obstantijs, prærogatiuis, annulationibus, & alijs specialibus clausulis, quæ gratijs ascribi consueuerunt: Item pro executorio processu super ijsdem gratijs. Summa est vicies quinquies centena milia Aureorum, &c. Ex Prag. Sanct. Duumvir.

Pro executorio processu super gratijs. 25100000. Aureorũ milia ex Gallia ad papã.

Quid de Hispania dicam, ex qua quantum accrescit pecuniæ Romano fisco, ex quotidianis indulgentijs, & bullis, vix dictu credibile? Vna Maguntia, cæteras taceo ciuitates, pro Archiepiscopali pallio, quantum dependit Pontificiæ curiæ pudet referre.

Archiepiscopale pallium Maguntinum.

Expro-

Ex libro 100. Grauaminũ.

Expromant Germani veteres ſuas querelas, & grauamina: quæ tamen non tam ipſos propriè attingunt, quàm omnium gentium ſunt communia: Ex diſpenſationibus ære redimendis, ex tempore nuptiarum, & ieuniorum relaxato, ex nundinationibus indulgentiarijs, ex palliorum quæſtu, ex ſtationarijs, ex religioſorum nũquam ſaciata mendicatione, ex cauſis prophanis, ad Romanum tribunal attractis, ex papalibus conſeruatoribus, delegatis, & commiſſarijs, ex beneficiorum collatione, ex Prælaturarum, quas vocant, commendis & incorporationibus, priuilegijs, Annatibus, contributionibus, conſecratione Templorum, Caſularum, ornamentorum, Altaris, Cœmiteriorum, ex Matrimoniarum cauſis, Miſſarum cantu, exequiarum nænijs, procurationibus, reſeruationibus caſuum, regulis Cancellariæ Papalis: præter alia, hoc genus innumera, ad centum vt numerantur, onerum iniquiſſimorũ grauamina, quæ per Principes, & Proceres ſacri Imperij, in comitijs Germanorũ deſcripta, atq; ad Curiam pontificiam tranſmiſſa ſunt, ſed reformata nunquam.

Gauamina Germaniæ.

Centum Grauamina per principes Germanorum deſcripta & ad Papam tranſmiſſa.

Iam verò ex prædicationibus exercendis, in confeſſionibus audiendis, in pœnitentijs iniungendis, pro ſignatura papæ, pro gratia, pro anticipatione datarum, pro diſpenſatione in cauſis incompatilibus, ſimilibúsq; tendiculis, quanta conuerritur vndiq; meſsis pecuniaria, vt Verres ille olim Romanus, non tam vnius Siciliæ prædo, quàm totus hic eccleſiæ vniuerſalis præſul, pyrata totius penè orbis cenſeri poterit. Quid illud? quòd vix vſquam contingit vacare beneficium eccleſiaſticum, vbi duo, tres, quatuor, vel ſex ad impetrandum non concurrant. Quæ lis in vlla vnquam prouincia naſci ſolet, in eccleſijs collegiatis, aut cathedralibus, inter Epiſcopos, & Archiepiſcopos, inter Epiſcopos, & Decanos, inter Abbates & Abbatiſſas: quæ non mox ad forum defertur Romanum, non ſine grandi iſtorum quæſtu, at multò maiore publicæ Eccleſiæ damno?

Anticipationes Datarum.

Diſpenſationes in cauſis incompatilibus.

Quin nec ſcio, an vlla re magis mitis hic Agnus in Angliam noſtram tantoperè hodiè exulceretur, tantóque odio, & furore in Reginam Elizabetham exagitatur,, eiúſq; necem tam crudeliter, per tot quotidiè ſubornatos ſicarios, Sanderos, Throgmortonos, Stukiſleos, Somerfeildos, Parios, ſimiléſque Ieſuitas ſitire videtur, niſi quia priſtino ſuo more ſpicilegia ſua, meſſésque pecuniarias ampliùs in hoc regno corradere non liceat. Vndè non immeritò de hoc hominum genere conqueritur Bernardus, non inſcitè mores eorum in hunc modum depingens: Miniſtri, inquit, Chriſti ſunt, & ſeruiunt Antichriſto: Honorati incedunt de bonis Domini, cui honorem non deferunt. Indè, quòd quotidiè vides, meretricius nitor, hiſtrionicus habitus, regius apparatus. Indè aurum in frænis, in ſellis, in calcaribus: plus calcaria, quàm altaria fulgent: Inde menſæ ſplendidæ in cibis & ſyphis: indè commeſſationes & ebrietates: inde cithara & lyra: inde redundantia torcularia, & promptuaria ex hoc in illud. Per huiuſmodi volunt eſſe & fiunt eccleſiarum rectores, & Epiſcopi, præpoſiti & Decani, Archidiaconi, & ſcholaſtici, &c.

Conſpirationes Pontificum in necem Reginæ Elizabethæ.

Sanderi, Throgmortoni, Stukiſlei, Somerfeildi, Parrij, alijq; coniurati Ieſuitæ cõplures in necem Reginæ Elizabethæ à pontifice & pontificijs ſubornati.

Bernard. in Cant. ſerm. 33.

Bernard. ibid.

Idemq; pergens porrò, in conferendis beneficijs, Romanas redarguere corruptelas: interdum, inquit, epiſcopus nepotulo ſuo duo milia animarum concredit, cui non committeret duo pyra. Pueri enim ob ſanguinis dignitatem, promouentur ad eccleſiaſticas dignitates, & de ferula transferuntur ad principandum Presbyteris: lęctiores quòd virgas euaſerint, quam quòd principatum meruerint, &c.

Sed illud omnium indigniſsimum, in quo Nerones, Domitianos, Diocletianos omnes longè ſuperant Pontificij, quòd non in corpora ſolùm bonorũ ſæuiunt, quòd ciuitates, nationes, regna, bonis & facultatibus emungũt, & expoliant: ſed quòd pernitioſa ſua doctrina, animas hominum multò magis peſſundant. Etſi enim barbara illa ſuperiorum tyrannorũ crudelitas in corpora hominum plurimum potuit, at huiuſmodi tamen religionis tum cultus erat, qui animas Chriſtianorum fallere nõ tam facilè poterat. Quis enim Idolatricam illorum turpitudinem aduertens, non mortem

Doctrinæ põtificiæ peſtifera corruptio.

ſibi

sibi priùs oppetendam, quàm idolis procumbendum censuit? At longè aliter res habet in Pontificia hac apostasia. Tanta est fucandi, & mentiendi impostura, vt priùs in seductionis exitium, animi pertrahantur, quàm periculum sentiant. Obtenditur blanda Catholicæ ecclesiæ species. Auditur Apostolicæ successionis irrefragabilis autoritas. Accedit & vetustæ antiquitatis, nunquam interrumptæ commendatio. Quin nec desunt ex ipsis Scripturis obtorto collo huc contorta nonnulla testimonia, quibus egregiè imponunt simplicibus.

Ecclesiæ pontificiæ blanda species. Successio. Antiquitas.

In externis cæremonijs, in titulis, in gestibus, in vestibus, in spectaculis, in templis, in votis ac regulis, in confictis miraculorum mendacijs, quàm omnia ad fallendos hominum sensus composita? quàm docta ad deludendum? Ex quo crassa plebecula formis istis, tanquam puerilibus crepitaculis, delinita in eam facilè persuasionem pertrahitur, vt nullam statuat ecclesiam, nec religionem somniet nisi quę Romæ vigeat. Ad auditum Petri nomen, quàm religiosè assurgunt, haud aliter quàm Petrum ipsum in suo successore, Christúmque Dominum in suo vicario, venerãtes. Tum, vbi cum cæterarum ecclesiarum, vnius ecclesiæ huius diuturnitatem conferũt, nullum aliud stabiliendæ suæ fidei argumentum quærunt. Sic enim colligunt; Fieri non posse, vt ecclesia, quæ tot iam sęculis, huc vsque intacta, illibata, inconuulsa sub Petri auspicijs, constitit, eadem nunc deserta à Domino, dormiente sponso, decidere à genuina sua puritate poterit.

Ficta miraculorum mendacia.

Non interim scripturas perpendunt, nec illud satis cogitant, fieri aliter non posse, testante passim Scriptura, quin Antichristo, sedenti in templo Dei, & locum, & tempus dari, ad regnandum & seducendum necessariò oporteat: ne cui mirum hoc adeò videatur, si Antichristus Romæ sedeat. Porrò, qui sedis huius antiquitatem vrgent quàm maximè, ad vlteriora tempora non satis intendunt oculos. Quid nunc gestum sit Romæ, quibus ea disciplinis regatur, minimè ignorant. At quæ olim apud priscos maiores ecclesiæ Apostolicæ facies fuerit, quibus tum moribus ac studijs viuebatur, quàm omnia tum diuersa, nihil consimile his institutis, quibus nunc Romæ viuitur, quàm omnia nunc noua, nullum omnino primæ antiquitatis vestigium, nullam cum Christi doctrina, & fide affinitatem præ se ferunt, hæc, inquam, omnia nec spectant, nec excutiunt.

Sedes & Antiquitas Romanæ ecclesiæ expenditur.

* Collatio nouę huius Rom. ecclesiæ, cum veteri. Ex Bernard. super Cantic. Serm. 33.

* Primùm priscis illis maiorum temporibus, ad regnum vsque Phocæ, vbi tum erat vniuersalis ecclesiæ episcopus? vbi oscula beatorum pedum? vbi duplex gladius, & corona triplex, gemmis, auro, carbunculis refulgens? vbi Romana illa supra cæteras Cathedras, supra Patriarchas, supra concilium potestas *ἀνυπεύθυνος* ad cuius obedientiam singulæ ecclesiæ sub necessitate salutis obstringebantur? vbi purpurati tot Cardinales? vbi tot religiosorum ordines? De luxu, & strepitu huius vitæ, de pompa plus quàm sęculari, de nitore meretricio, de histrionico habitu, de apparatu regio, de auratis frænis, sellis, calcaribus, de mensis Sybariticis, quid attinet hic referre?

Matrimonium ministris interdictum. Transubstantiatio. Priuat confes. Combustio hęretic. quando exorta. Eucharistię eleuatio, adoratio, circumgestatio. Iubilæi. Indulgentiæ. Festum corporis Christi. Vsus calicis ademptus populo. Lectio sacræ scripturæ interclusa.

Vbi ante Hildebrandum, prohibitus Christi ministris thorus matrimonij immaculatus? Vbi ante Innocentium 3. in sacra Domini cœna, eucharistici panis & calicis transubstantiatio, pœna sancita capitali? Vbi priuata in aurem sacerdotis, admissorum plena enumeratio? Vbi ante idem tempus, publica sanctione indictum exurendis corporibus combustionis tormentum? Ante Honorium, vbi Sacræ Eucharistiæ eleuatio, adoratio, circumgestatio? Ante Bonifacium 8. vbi tum Iudaici iubilæi & indulgentiæ? Ante Thomam, vbi festum corporis Christi? Quæ lex, aut consuetudo, siue priuata, siue publica, ante Concilium Constantiense, vsum calicis Dominici, vnquam, ademit populo? Apud priscos ecclesiæ maiores, quis audiuit vnquam, interdictum populo Scripturæ sacræ lectionem, plusque autoritatis ecclesiæ tribuendum esse, quàm Scripturæ? Et vbi nunc igitur antiquitas illa ecclesiæ, quàm tantoperè venditant Catholici? In qua nihil omnino antiquum, nihil cum Christo commune, nihil cum fide coniunctum, cum actis Apostolorum

lorum, cum spiritu Apostolico, nihil consentaneum, cernitur.

Quòd si Antichristus dicendus sit, qui maximè Christo ex aduerso opponitur: cui potius Antichristi nomen tribuendum, quàm Romano Pontifici? Qui quum cæteris in rebus ferè omnibus Christo grauissimè ἀντικεῖσθαι, tum nulla re alia, tetriorem, aut apertiorem se Christo aduersarium declarat, quàm prodigioso hoc doctrinæ genere, quod contra Christum, contra naturam Euangelij, contra Apostolicam fidem, & disciplinam inuexit in ecclesiam Dei, propugnátque tam immaniter. In quo hic vnus Antichristus, non modò cæteros omnes huc vsq; Antichristos, sed & hęreticos, quotquot hactenus vsquam in orbe extitere, infinitis partibus exuperat. Etenim de Antichristo huiusmodi in præsentia hîc agimus, non qui vnum tantùm Christianæ doctrinæ caput petat & euertát, quales fuerunt olim multi, qui ex vno quopiam errore suo, pro hæreticis notati sunt. Sic Philastinus, Episcopus olim Brixensis, teste Augustino, annotauit sectas in orbe, cùm ante, tùm post Christum, 156. Epiphanius tribus prolixis voluminibus, recensét 80. sectas, quæ ecclesiam turbarunt vsque ad sua tempora. Augustinus etiam, ad quod vult Deum, compendio collegit, quę apud Epiphaniũ inuenit. Et Theodoretus Cyri episcopus, scripsit compendium hæreticorum schismatum. Cæterũ si omnium sectarum diuersissimarum etiam omnes errores colligas in aceruum vnum, non tamen inuenies tam ingentem molem mendaciorũ, atq; in solo papatu, qui fingendi, errandi, mentiendi, & blasphemandi libidine, & proteruia, non vnam modò scripturæ partem, sed vniuersam ipsam Christi doctrinam, totius religionis summam, neruos fidei omnes labefactauit, corrupit, pessundedit: prorsúsq; nouam quandam religionis faciem, Apostolis ignotam, Christo inimicam, Euangelio contrariam, in ecclesia Dei statuit. Quod nemini obscurum esse potest, si quis singula Papismi huius dogmata, ac instituta penitùs exploret, adq; genuinam euangelicæ gratiæ trutinam exigat.

Pontif. Rom. Christo quam maximè opponitur.

Antichristus Rom. omnes alios Antichristos & hæreticos longè exuperat.

Quoniam autem hac de re satis iam multa, à multis perscripta sunt, nihil hîc mihi priùs faciendum, aut optandum existimaui, quàm vt studiosus lector, nostro rogatu, in manus sumat Antitheses Henrici Bullingeri, vel ad præclarissimas Rodolphi Gualteri homilias oculos intendat, tum maximè, vt ea diligenter perlegat, quæ doctissim. Nicol. Hemmingius in suis commentarijs scribens in epistolæ 2. cap. 2. ad Thessal. fusè exactéque de tota Pontificiæ doctrinæ summa disseruit.

Antitheses Henr. Bulling. Rodul. Gualteri homeliæ. Nic. Hemmingius in 2. Thes. cap. 2.

Breuiter, vt quod res est, verbo dicam. Cum sacra scripturæ instrumenta in hoc posita sunt à Deo, vt rectam viuendi normam omnibus præscribant, simúlq; vt certam nobis æternæ salutis notitiam commonstrent: in hoc vnum maximè nos niti decet, ne quid vsquam à sacra hac doctrinæ linea, siue ad dextram, siue ad sinistram, nos distrahat. Quòd si faceret Romanus Pontifex, rectè cum ecclesia ipsius nósque non illibenter Catholicam eam agnosceremus. Nunc, quum contra res habeat, vt nihil infestiùs pugnet cum Christo, totáq; natura euangelij, quàm pontificis doctrina, quid restat aliud, nisi vt salutem in Christo aut amittamus, aut Antichristum, cum sua doctrina prorsus repudiemus. Quandoquidem vtraq; simul cõsistere non potest: Si verum sit, quòd propugnant Pontificij, ruunt iam fundamenta vniuersæ scripturæ, & salutis nostræ. Quò enim spectant omnes Dei promissiones? Quid vult, quo nos vocat, quo ducit totius scripturæ tenor, nisi ad cognitionem Christi filij Dei?

Scopus & summa totius scripturæ.

Arcana vtriusq; Testamenti mysteria quid moliuntur aliud, nisi vt Christum nobis, tot typis & figuris præsignent? Quo lex ipsa nos ducit, septima septimana, post publicam Israëlis liberationem, à Deo promulgata, nisi ad Christum, qui finis est legis? Prophetæ, Apostoli omnes, quid spectant, quo nos mittunt, nisi ad Christum, in quo vno omnis consistit ipsorum, nostráque salus? Tot ædidit miracula Christus, póstque eum Apostoli. Quorsùm tandem, nisi vt ad fidem Christi cunctas inuitarent nationes? Et cur, quæso, ad fidem Christi, nisi quòd

Pentecostes præfiguratio mystica. Lex Dei post populi liberationem data, die 50. Fides Christi scopus scripturæ.

in hoc vno fidei fundamento, vniuersa consistat mundi salus? Sic enim Deo clementissimo Patri visum est, diuitias gloriæ suæ mundo patefacere, vt sicut per vnius inobedientiam, omnes homines condemnauit, ad mortem: ita per vnius obedientiam omnes restitueret ad vitam, miserósque seruaret peccatores, pro ineffabili sua gloria, non ea via, qua ducit Lex, sed quam aperit nobis fides Christi. Eum enim, qui peccatum non nouit, peccatum pro nobis fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei, per illum.

2. Cor. 5.

Volũtas & promissio Patris. Ioan. 6.

Quod quum ita sit, quumq; voluntas Patris stabili inita fœdere id decreuit, vt qui credit in filium, non pereat, sed habeat vitam æternam. Quum hæc, inquam, tam illustris Dei pietas, & promissio, de gratuita nostra, per fidem, iustificatione, non arcano solùm consilio concepta, sed manifestis etiam literis consignata, cunctis fidelibus, ad æternam salutis fiduciam proposita exhibeatur: an quisquam est tam proiectæ audaciæ, qui æternum hoc diuinæ voluntatis decretum conuellere, ac eneruare audeat, nisi qui summum se humanæ salutis hostem, ecclesiæ perduellionem, perditionis filium; ac Antichristum manifestum ostendere voluerit? Id quum apertissimè Romanus faciat pontifex, quid causæ est, cur non verissimè Antichristus esse videatur?

Nota Antichristi.

Negatio Papistarum diluta.

Sed negabit hoc Pontifex, scio, cum suis Romanistis. Age, proferant igitur ipsi sua dogmata, eáque cum sacro Dei verbo conferant, vt quid vtrinque interlit, inter diuinæ scripturæ doctrinam, & pontificiam, mundus intelligat. Quod facili fiet momento, si principia, medias causas, totámque naturam vtriusque doctrinæ perlustremus attentiùs. Ac primùm, quod ad fontes sacræ Scripturæ attinet, quænam eius doctrinæ vis sit, quid agat, quò tendat potissimùm, iam ante explicatum est. Nempe vt Christum vnigenitum Dei filium concelebret, vt mortem eius in carne, gloriæq; immensitatem varijs vaticinijs prænunciet, vt officia eius, & beneficia, immensamque erga nos misericordiam, fidei nostræ commendet, vt æternas Dei promissiones in filio, ac gratuitam in illo salutem, mortalibus aperiat. In hoc siquidem omnis potissimùm elaborat cœlestis doctrinæ cura, ac prædicatio.

Sacræ scripturæ vis & energia.

Collatio pontificiæ doctrinæ cum sacra scriptura.

Age, ad Pontificiam doctrinam oculos nunc aduertamus paululum: vt quid ea agat, quid petat, videamus. Quid? vt Christum, vt eius beneficia & officia commendet populo? vt promissum semen, in quo benedicendæ sunt omnes gentes, gentibus deprædicet: vt gratuitam in illo salutem, vt fidei dignitatem illustret, vt conscientiis captiuis libertatem in Christo edoceat? Nihil minus. Quid ergo? Si scire vis, Audies ex Ioanne ipso, studium omne Pontificiæ prædicationis, quo cedat denique:

Et facit terram (inquit) *& inhabitantes in ea, adorare bestiam primam, cuius curata est plaga mortis, &c.*

Romana hodiè doctrina, quo tendat.

Prima bestia per secundam bestiã curata.

Sub oraculari hoc mysterio, non obscurus latet sensus, quid potissimùm in toto papatu agatur, nempè non vt adoretur Christus, sed vt adoretur bestia, quæ prima dicitur, cuius curata est plaga mortis. Vt hinc facilè intelligas, quid sit, in quo elaborat omnis Pontificij studij contentio, primùm vt plagam curet bestiæ, deindè & curatam, ab omnibus adorandam obtrudat, eiúsque characterem cunctorum manibus, aut frontibus imprimat. Atque verò vt de bestia hac dicamus nunc aliquid, tametsi iam ante dictum satis videtur, tria hîc maximè occurrunt breuiter adnotanda.

Principio quænam hæc bestia prima sit: Quid deindè plaga hæc illius letifera significetur, vnde illa, quo tempore, à quibus accepta. Tertiò, quomodo & à quibus curata.

1 Prima bestia.

Primùm, nemini dubium est, quin prima illa bestia, antiqua maiestas & dignitas fuerit Rom. Monarchiæ, quæ per vim & tyrannidem cunctis dominabatur gentibus.

2 Plaga primæ bestiæ per Gothos, Vandalos, &c.

Secundò, plaga eius mortifera, vastitatem eius per Gothos & Vandalos designat, quæ

quæ post diras piorum contrucidationes, iusto Dei iudicio, ei inflicta est.

Tertiò, post hæc haud multò temporis progressu, reuiguit tandem pristina illa bestiæ occisæ sublimitas, cæpitque iterum gentibus dominari. Atque ita demum plaga ipsius curata est, per quos, aut quibus artibus, nemini in dubium venire potest. Quis enim non videt, post fatalem illam antiqui Imperij euersionem, in quantam mox excreuit Monarchiam Rom. sedes? Vnde obsecro, aut quibus modis, nisi per Romanos Pontifices? Qui singulari artificio, eò rem prouexerunt, vt multis iam annis, nulla gens, nulla ratio existat, quæ Romano nomini subiecta, ei non seruiat, potestati ceruices submittat, diras eius exècrationes & fulmina non sentiat. Quid illud, quòd nemini iam satis sit, sacris aut Sacramentis Christi initiari, nisi & Romano charactere imbuatur: nulli satis sit, fidem quamlibet rectam, aut Christianam profiteri, nisi & Romanam teneat. Hancque fidem illi implicitam vocant, cuius etsi nullam reddere queas rationem, dummodo Romana sit, pro Catholica statim habetur. Catholicum enim illud dicitur, quicquid Romanum est. Quod Romanum non est, hæreticum est, quantumuis alioqui Christianum.

Sic illi Catholicum ab hæretico distinguunt, vt si quis quid credat, quòd ab eorum Catholicismo paululum recedat, quantumuis cum verbo Dei, totáque natura Euangelij congruat quàm rectissimè, pro hæretico explodatur. Quid ita obsecro? Quippe quia ecclesia Romana, in rebus fidei errare non potest. Quid, & sacra errare scriptura poterit, vt satis non sit, verbi diuini niti autoritate, nisi Romana accedat comprobatio? Non, sed quia sensus diuinæ scripturæ, aliunde petendus non sit, quàm à Romana sede. Ex quo vides (Pie Lector) quis sit, qui caput huius bestiæ priùs conuulsum erexit denuò, in tantam hanc potentiæ magnitudinem, sine qua, nulla iam restat in rebus, neque agendis, neque credendis autoritas. Si autem scire discupias, quonam modo ad tantas tandem vires euasit Pontificia hæc maiestas, ex ipsis Scripturæ verbis, in promptu est vt discas. Non vtique vocatione aliqua legitima aut iusta ratione, sed per operationem Satanæ, inquit Apostolus, cum omni potentia & signis, & prodigijs mendacibus, & cum omni deceptione iniustitiæ. Conferamus hæc tandem cum Romano Episcopo eiúsque praxi: Quid congruentius?

Primò post subactum Romanum Imperium, regnante in occidente imperatore Constantinopolitano, cæterísque in Europa regibus, quum vi aperta, ac virtute bellica nihil se posse viderent Romani præsules, ad alias artes, ad impostura & fraudes sese contulerunt. Quin neque defuit ambitiosæ fraudulentiæ nonnulla aggrediendi occasio. Siquidem ann. 480. regnante in vrbe Roma, Odoacro, Achatius Constantinopolitanus Episcopus, per literas à simplicio Patriarcha Romano petijt, vt ipse, pro primaria sua, qua plurimum in ecclesia pollebat, autoritate, Petrum Alexandrinum Episcopum Eutichetis sectatorem hæreseos damnaret. Arrepta hinc occasione, cœpit Romanus magis de sua autoritate cogitare, séque efferre ambitiosius, velut primatum quendam sibi vendicans.

Hanc ambitionem non ferentes alij, qui post Achatium secuti sunt Constantinopolitani Episcopi, Catholicum hunc honorem sibi potiùs, propter Imperij sedem, deberi contendunt. Orta hæc inter præsules contentio, haud exiguo tempore, per annos nimirum 112. perdurauit. Quod tandem Ioannes quidam Constantinopolitanæ ecclesiæ episcopus an. 600. à Mauricio Imperatore impetrauit, vt per decretum publici consilij, Constantinopolitanus antistes Oecumenicus omnium ecclesiarum Episcopus diceretur. Mittitur, non multò post, decretum hoc Synodale præsuli Gregorio Magno: Qui magno conatu Ioanni huic se opposuit, missis ad Mauricium literis, in quibus præcursorem Antichristi eum diceret, quisquis vniuersalem se Episcopum appellaret.

Consimiliter ad Anastasium Antiochiæ, & Eulogium Alexandriæ Patriarcham

3

Plaga Romanæ maiestatis curata per Romanum pontificem.

Fides Catholicorũ implicita.

Catholicus quis apud papistas.

Hæreticus quis apud Papistas.

Romana ecclesia errare non potest iuxta catholicos.

2. Thes. 2.

Signa mendacia.

Anno 480. Achatius Constantinopolitanus Episcopus.

Simplicius Romanus patriarcha.

Prima occasio proue hendæ sedis Romanæ

Anno 600. Ioan. Constantinopol. Episcopus.

Decretũ Constãt. Consilij

Anno 600. Gregorius magnus contra primatum sedis Episcopalis.

archam, contra ambitionem Constantinopolitani episcopi, scribens, prophanum hoc vocabulum vniuersalis episcopi modis omnibus detestatur, & reijcit. Post Gregorij obitum, non destitit tamen a cœptis Ioannes, primatum sibi summa contentione vendicans, viuente adhuc Mauricio Imperatore. Succesit demum, in imperium Phocas, scelestus Parricida, qui trucidato Mauritio cum vxore, & liberis, captandi fauoris gratia, primus Bonifacio indulsit Romano episcopo, vt caput esset ecclesiæ vniuersæ. Hincque ex ijs auspicijs, prima pullulauit pontificiæ dignitatis origo, quæ nondum tamen subitò ad summum peruasit. Etsi enim in rebus gerendis ecclesiæ, in concilijs, sacrisque conuentibus principem teneret gradum, Romana sedes: at nondum ea pollebat potentia, quæ tantæ magnitudini affectati Imperij conueniebat. Partim ex eo, quòd Pontifices à Clero, populóque Romano eligendi erant (nondum enim in lucem prodijt noua hæc Cardinalium pupura) partim, quia hos ipsos Pontifices, post electionem, ab Imperatore, vel eiusdem vicario, Exarcho Rauennensi, confirmari necessariò oportebat. Quæ res in causa fuit, quo minus contra Imperatores, cæterósque principes, quicquam adhuc mouere auderent.

Prophanum vocabulum vniuersalis Episcopi.

Phocas Parricida Bonifacio 3. primatũ indulsit.

Bonifacius Rom. Episcop.

Põtificię dignitatis origo.

Electio Rom. pontificũ publica primum erat & popularis.

Non ita multò post, circa ann. 670. impetrarunt tandem callidi non minùs, quàm ambitiosi præsules, vt Constantinus eius nominis 4. Imperator, pontificem Benedictum 2. hoc priuilegio donaret, vt quemcunque posthac Clerus populúsque Romanus pontificem creasset, idem etiam ab omnibus ecclesiæ caput, & Christi vicarius agnosceretur, nulla licét confirmatione Imperatoria intercedente. Euectus demum, eo potentiæ, Romanus pontifex, intra an. 40. fastu adeò, atque autoritate accreuit, vt ipsos etiam Imperatores seditione & anathematismis oppressos, prorsus tandem extra fines totius Italiæ excusserit.

Ann. 670. Constantinus 4. Imperator. Bened. 2. pontifex ann. 670. Constantini Imp. donatum priuilegium.

Subit deinde post hæc, in imperio Græcorum, Philippicus Imperator, an. 712. Is quia affinis Monothelitarum opinioni credebatur, qui vnicam in Christo Iesu volũtatem asserebant: pontifex hanc arripit sibi, nescio quo iure, autoritatem, vt Imperatorem fulmine feriret excommunicationis, simúlque eodem tempore statuit, vt sanctorum patrum imagines, qui primis sex generalibus concilijs interfuerant, in D. Petri porticu depingerentur. Offensi hac re, Græcarũ ecclesiarum Antistites, magno se opponentes studio, nullas in Christianorum templis ferendas imagines esse contendebãt. Sed quia horum plærique; Monothelitarum nota infamarentur, victi põtificis autoritate succubuerunt.

Incipit fastus Rom sedis.

An. 712. Philippicus Imperator.

Haud multò post, vix quatuor euolutis annis, Leo eius nominis tertius succedit in Imperium, diuiuæ legis non instudiosus: qui per omnes Imperij fines in templis imagines abolendas curauit, simúlq; missis ad Gregorium 2. literis, idem ipse vt faciat, mandat sedulò. Vnde orta inter partes contentione, pugna exarsit grauissima. Papa Imperatorem, vt impium εἰκονόμαχον detestans, summo id agit studio, vt omnibus eum inuisum reddat, adeò vt Rauennæ, concitata seditione, Paulus exarchus Imperatoris vicarius, à seditiosa vulgi multitudine, vnâ cum filio occideretur. Pergit tamen nihilò minus, in cæpto instituto suo, Imperator aduersus imagines: simúlque alium exarchum, Rauennam mittere parat, qui res Italiæ administraret, Papa verò huic se conatui opponens, primum Anathemate Imperatorem obstringit, ecclesiæ communione, & imperio priuat. Ad hæc, quia minus ipse per se posset, Longobardos in auxilium, contra Imperatorem aduocat. Qui Rauennam mox forti manu obsident, oppugnant, capiunt, ipsúmq; Imperatorem, omni iurisdictione Italica exturbant.

Ann. 716. Leo 3. Impera. De imaginibus abolendis contentio. Gregorius 2. Rom. Põtifex. Papa contra Imperatorem. Imperator aduersus imagines. Põtifex Greg. 2. Imperatorẽ excõmunicat. regno priuat. Imperat. Italia expulsus per Pontificem & Longobardos. Pontifex per Longobardos molestatus.

His ita gestis rebus, nouæ increscant perturbationes, Luitprandus Longobardorum rex, regnandi flagrans ambitione, eam Italiæ partem, quæ Cõstantinopolitano antè parebat, vel ipso inuito papa, sibi suóq; regno vendicabat. Quin insuper vlterius progressus, finitimis vrbibus vndiq; subactis, ipsam vrbẽ Romã obsidione premens, papæ, suisq; molestissimus esse cœpit. Constrictus his angustijs pontifex

ad

ad Carolum Martellum Regiæ domus in Galijs præfectum mittit, ſubſidium ab eo implorat, impetrat. Carolus amica exhortatione, à Luitprando, ſuo compatre obtinet, vt copias ab vrbis obſidione retrahat. Liberatus hoc modo Pontifex, tutelam omnem Romanæ eccleſiæ, ab imperatoribus Græcis, ad Gallorum principes tranſmouet. Martello defuncto, ſuccedit ei filius Pipinus, ſuperbia & ambitione nihilo inferior ſuo patre. Erat hoc tempore rex Galliæ Chilperichus ſimplicis quidem, at minimè mali ingenij princeps. Pipinus contra hunc, ita ſtruit ſua conſilia, fultus partim Epiſcoporum, partim nobilium quorundam ex aula procerum, & Moguntini Archiepiſcopi opera, tum maximè Pontificis fauore ſubnixus, vt Chilperichus quamuis reclamantibus viris bonis, exutus regia dignitate, in Monaſterium recluderetur. Procurante id pontifice, vt totum regnum à iuramento, & fide Regi data abſolueret, ann 753.

Carolus Martell. Regiæ domus prefectus in Gallia.

Ad Gallos trãſlata Rom. eccleſiæ tutela.

Pipinus.

Chilperic. rex Galliæ regno exuitur.

Ann. 753.

Interea temporis Longobardi, qui diu iam Romæ imperium affectârunt, nondum deſiſtentes ab incæptis, ſub Aiſtulpho rege, Papæ ſe opponentes, Romanorum agros, & fines bellis aſſiduis diuexant. Stephanus Papa, hac compulſus neceſſitate ad Pipinum confugit. Pipinus beneficij à Zacharia accepti non immemor, põtificis petitioni acquieuit, auxilium parat, cum Longobardis congreditur, victoria potitur, profligato rege Aiſtulpho, vrbem Pontifici liberatam reſtituit. Acta ſunt hæc ann. 755. Sequenti deinde anno, Pipinus iterum Italiam ingreſſus vires Longobardorum, adhuc tumultuantes oppreſſit: Rauennatem Exarchum, aliáque Italiæ loca, quæ Imperatori antehac ſubiecta fuerant, Romanæ ſedi donauit.

Longobardi in Italiam per Pipinũ ſuperati. Ann. 755.

Imperat. Græcus iuſtæ poſſeſſionis iure ſpoliatus ex Italia eijcitur. Ann. 776.

Quin neq; ijs omnibus adhuc Pontificũ ambitioni ſatisfactũ eſt, quoad vniuerſam Longobardorum gentẽ, prorſus in Italia extinctam cernerent, per Carolum magnum Pipini filium. Qui cum exercitu, in Italiam euocatus, ab Adriano Papa Longobardorum regem vltimum Deſiderium, cum toto ipſorum regno, quod annis plus ducentis, in Italia obtinuerant, in vniuerſum deleret, regémque ipſum, cum vxore & liberis in Galiam exulatum relegarat: Ann. 776.

Carol. magn. Pipini filius.

Adrianus primus Papa.

Deſiderius vltimus Longobardorum rex.

Ann. 776.

Longobardi ex omni prorſus Italia electi.

Sequitur poſt hæc Leo 3. papa, qui agitatis cum Clero, populóque Romano conſilijs, effecit tandem, vt tranſlato ab oriente imperio, nouus in occidente Imperator, publicis ſuffragijs deſignaretur Carolus, qui omnem in ſe imperij dignitatem curámque ſuſciperet. 803.

Leo 3. Papa.

Tranſlat. Imperij ab oriente in occidẽtẽ. Ann. 803.

Labentibus deinde annis, euenit haud multò poſt, vt tranſlatio imperij, quæ à Græcia, in Galliam priùs demigrarat, Gallis rurſus erepta in Germaniam deuolueretur, per Agapetum pontificem, & Ioannem eius nominis 13. Qui quum ſuppetias Gallorum paulò tardiores ad ſuam, contra Lombardos, defenſionem perſenſerunt, ad Othonem Germanorum regem, principem Saxoniæ mittunt, rogantes, vt ſanctam Romanam eccleſiam, à Berengarij, ſuorúmque Longobardorum incurſibus liberaret. Is permotus precibus & literis pontificum, valido contracto Germanorum militum exercitu, in Italiam venit, Longobardos profligat, regem Berengarium, cum vxore & filio, exulatum in Germaniam abducit. Hinc vrbem Romam ingreſſus, Papam, cum vniuerſa Italia, omni liberat metu, & tyrannide, ipſe vicisſim, à Papa Ioanne accepto Imperij, Germaniæ, & Pannoniæ titulo, coronatur ann. 962. Hinc conſequitur iuramentum, quo Ioanni pontifici obſtringere ſe cogitur Otho, in hanc formulam, quam ipſi mox ſuis decretis inſeruêrunt.

Agapetus.

Ioannes 13.

Otho Germanorum princeps.

Otho primus Germanicus Imperator. Ann. 962.

Iuramentum Othonis. Characterbeſtiæ.

Tibi D. Ioanni Papæ, ego Rex Otho promittere, & iurare facio per Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, & per lignum hoc viuificæ crucis, & per has reliquias ſanctorum, quòd ſi, permittente Domino, Romam venero, ſanctam Romanam eccleſiam, & te rectorem eius, exaltabo, ſecundum meum poſſe, & vitam, & membra, nunquam neque ipſum honorem, quem habes, mea voluntate, aut meo conſilio, aut mea exhortatione, perdes: & in Roma nullum placitum, aut nullam ordinationem faciam, in omnibus, quę ad te, aut ad hos Romanos pertinent. Et quicquid de

terra ſancti Petri ad noſtram poteſtatem peruenerit, tibi reddam. Et cuicunq; Italicum regimen commiſero, iurare faciam illum, vt adiutor tui ſit, ad defendendum terram ſancti Petri ſecundum ſuum poſſe,&c.

Greg. 5. Papa.

Poſt hæc,ineunte Pontificatum Gregorio 5. papali ſanctione, cautum eſt, de imperatore eligendo, vt ſolis Germanis Imperatorem eligere liceret: ita vt tres ex Epiſcoporum numero præſules, totidémque Germaniæ principes, in eam rem deſignarentur, quibus adiunctus eſt ſeptimo loco, Bohemiæ rex, ad componendam partium diſcordiam, ea tamen conditione, vt electionis confirmatio, & Imperatoris coronatio,penes vnum Romanum pontificem conſiſteret. Quæ res incidit in ann.Dom.1002.

Electio Imperatoris per ſeptem electores.

Imperatoris confirmationẽ & coronationem ſibi ſoli reſeruat Rom. pontifex. Ann.1002.

Atque hæc de potentia pontificis Romani: quam ſi cum potentia Antichriſti conferamus,in Scripturis expreſſa,nihilo illa inferior inuenietur. Quanquam ne ſic quidem res ad ſummum peruenit Romana.Neq; enim ſatis hoc illis erat, in Imperatores Græcos, Gallos, Germanos,in Longobardos & Exarchas Rauennenſes vniuerſalem dictaturam ſuam dilatare,niſi & plenitudinem poteſtatis ſuæ, quaquauerſum, per omnes nationes, reges,& populos diffunderet.Qua autem via,quo ordine,ac ductu id perfecerit,ex ijs quæ ſequuntur apud Ioannem in quinta euidentia intelligemus.

QVINTA EVIDENTIA, DE SIGNIS *& fictitijs miraculis.*

REſtat deinceps proximo nunc loco quinta euidentia,quam ex ſequentibus prophetæ verbis deſumitur.

Et facit ſigna magna, vt etiam ignem faceret de cœlo deſcendere, in conſpectu hominum. Et ſeducat habitantes in terra, propter ſigna, quæ data ſunt illi, vt faceret in conſpectu beſtiæ,dicens habitantibus in terra,vt faciant imaginem beſtiæ,qua habet plagam mortis & vixit,&c.

2.Theſſ.2.

Non abs re fuerit cum ijs ſimul attexere, quæ ſcribit D.Paulus 2.Theſſ.2. Cuius eſt aduentus (inquit) ſecundum operationem Satanæ,cum omni potentia,& ſignis, & prodigijs mendacibus, & cum omni deceptione iniuſtitiæ, in ijs, qui pereunt, pro eo quòd dilectionem veritatis non receperunt,&c. Verba etſi non eadem ſint vtriuſque, at eadem tamen verborum mens, idem ſcopus, eadem ſententiæ ratio, in deſcribendo Antichriſti aduentu, niſi quòd Ioannes plures aſcribat circumſtantias. Conferamus autem ſigna hæc Antichriſti, & technologias fallaces, cum mendacijs Romanorum Pontificum. Quid enim vnquam magis ſimile inuenietur? Quibus coloribus expreſsiùs depingi potuit viua huius ſedis imago? Euoluamus ſingulas eorum praxeis, ex quantulis primùm initijs, ac gradibus ſenſim & paulatim,in tantam ſuccreuit molem res Pontificia, quid hîc aliud reperiemus, quàm mentiendi & fallendi artificium? Quoniam autem fallacia hæc Romanenſium duabus conſtat partibus, primùm in ſcripturis ſiniſtrè detorquendis, deindè in ſignis miraculorum mendacibus: nos de vtroque genere, Chriſti ope, ordine agemus, exorſi primùm à Scripturis,deindè dicturi proximo loco, de miraculis.

Mendacia Romanæ Technologiæ.

Dotatus primùm glorioſus Pontifex ſublimi titulo ab Imperatore, vt caput vniuerſalis eccleſiæ diceretur, tantam hanc gloriæ poſſeſsionem, quo firmiorem ſibi ſtabiliret, conſultans cum ſuis, eo rem deducunt lepidi iſti Phormiones fictitiis ſuis fabulis,fucatiſque mendacijs, populo ſic imponentes, quaſi Romana ſedes iam,non humano iure, ſed diuina prorſus autoritate,ac legitima vocatione, principatum, ſuper omnes eccleſias obtineat. Quo argumento? Eo nimirum, quòd Petrus caput omnium eſſet Apoſtolorum. Perge mentiri: quid tum porrò?

Falſum.

Huius

Huius verò Apostoli solus ac summus successor est Rom. Papa. Alterum mendacium. Pergamus ad alia: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam? Quid inde? Ergò super Papam ædificatur Christi ecclesia. Falsum.

Rursus: Tibi dabo claues regni cœlorum: ergò Papa solus est clauiger ecclesiæ. Falsum.

Præterea, Petro dictum est, Pasce oues meas: Ergò papa Petri successor summus pastor est vniuersalis ecclesiæ. Falsum.

Audisti hactenus, pie Lector, sat luculentas, ni fallor, errorum & mendaciorum illusiones: Quid vis amplius? Vt ignem nunc videas, de cœlo descendentem in conspectu hominum? Sequitur in decretis, Fecit Deus duo magna luminaria in firmamento. Quantum igitur differt solis magnitudo à Luna, tantò maior est autoritas papæ supra Imperatorem. At quid hoc aliud est, quàm ignem è cœlo deducere, in conspectu hominum, ex verbis Christi, ex diuinis Scripturis, ex cœlestibus luminibus, fingere & mentiri tam impudenter, quod nusquam est? Falsum. Sol supra Lunam. Papa supra Imperatorem.

Eiusdem & illud monetæ est, quod ex Apostolicis dictis similiter cudunt, Ecce duo gladij hic. Quid inde? Ergò diuino iure duplicem in terris gladium habet papa spiritualem, & temporalem. Scilicet, Quid enim aliud voluit Christus, quam vt Apostolos suos fustibus, & gladijs armaret, in hoc sęculo? At cur igitur nullum ipse gladium, in Monarchias hic potestates vsurpauit? Cur dictis, & exemplis, regnum suum de hoc mundo esse negauit? Cur idem Apostolos, ab omni dominandi cupiditate coërcet tam sedulò? Vos autem, inquit, non sic. Denique cur eosdem inermes & inopes in mundum emittit, non ad pugnandum, sed ad prædicãdum? non vt dominentur in clero, sed vt operentur in vinea? non vt principes sint principum, sed vt piscatores sint hominum? Falsum. 1. Pet. 5.

Clamat Paulus: Arma nostra non sunt carnalia, sed spiritualia. Et pontifex inuito Paulo, reclamante Scriptura, Machæram sibi vendicabit temporalem? Breuiter quacunque parte, pontificum facta, dicta, decreta, dogmata intuearmur, ac cum Scriptura conferamus, quid nisi mendacijs, fucis, errorúmque seductione referta omnia, reperiemus? 2. Cor. 10. Falsum.

Tendamus vlterius: dicit in Ioanne Dominus: Vnum ouile, vnum esse pastorem. Rectè, & quid concludit Bonifacius in Decretis, audiamus: Ergo, inquit, siue Græci, siue alij, se dicant Petro, eiúsq; successoribus non esse commissos, fateantur necesse est, se de ouibus Christi, non esse, &c. Ioan. 10. Falsum.

Rursus ex verbis Mosis: In principio, non in principijs, creauit Deus cœlum & terram &c. Quid hinc struit præclarus Bonifacius, ex vno hoc principio, nunc aduenientamus: Ergo, inquit, quicunque huic potestati à Deo sic ordinatæ resistit, Dei ordinationi resistit, quasi cum Manichæis, duo fugiens principia, quod falsum est, & hæreticum. Quæ omnia huc tendunt denique, vt cæteris omnibus exclusis, solus papa caput totius ecclesiæ statuatur, cui omnis humana creatura, de necessitate salutis subesse debeat. Gen. 1. Falsum. Bonifac. 8. extrauag. com. li. Ti. de maiorib. & obedientia. Ibid.

Quin insuper idem pergens Bonifacius: vnius igitur ecclesiæ, inquit, vnum corpus, vnum caput, non duo capita, &c. Age, & quid Christo igitur dicemus? An is ita recessit à suo corpore, vt desinat eius esse caput? Minimè, inquiunt, sed vnum caput, hoc est, Christus, Petrus, Petríque successor papa. Quid audio? Itane Christum, Petrum & papam vnum eundemque esse dicent? Quod dictu perabsurdum est, nec fieri vllo modo potest hoc argumento. Tit. eodem de maior. & obedient. Falsum.

Quod membrum est corporis, caput eiusdem corporis esse non potest: Argumentum.

Petrus est membrum corporis Christi:

Ergo Petrus caput eiusdem corporis esse non potest.

Argumentum ex contrarijs relatuis certissimum. Quòd si ergo Petrus caput ecclesiæ non fuerit, quantò minùs papa, qui nec Petrus est, nec successor Petri. Cùm enim duplex sit successio, spiritualis & carnalis. In spirituali certè successione spectandum est, autore Hieronymo, non cuius loco quisq; sedeat, sed cuius mores imitatur, Papa an sit successor Petri. Duplex successio.

Marc.3. Filij Abrahæ iuxta carnem, non iuxta ſpiritum. Ioan.8. Proſopopeia ad papam.

imitatur, iuxta axioma illud Chriſti: Qui fecerit voluntatem Dei, hic frater meus, ſoror mea, & mater mea eſt. Idémque rurſus reſpondens ijs, qui Abrahamum patrem iactitabant: Scio, inquit, quia filij Abrahæ eſtis, ſed quæritis me interficere, moxque ſermonem concludens: Si filij (inquit) Abrahæ eſſetis, opera vtique Abrahæ faceretis. Vos autem facitis opera patris veſtri, &c. Et quid ſi ijſdem Chriſti verbis, Papam itidem compellemus: Scio, quòd Petri ſucceſſorem te iactitas, ſed quæris ſeruos Chriſti interficere. Si Petri ſucceſſor aut hæres eſſes, faceres vtique opera Petri. Vos autem facitis opera patris veſtri, &c. Quid hîc mihi omnes Catholicorum centuriæ reſpondeant, ipſi ſecum deliberent. Nos ad alia progrediamur.

Gelaſ. Papa 9. quæſt.3. Falſum & vanum. Idē Gelaſius. Falſum.

Quid illud, quod à Gelaſio Papa impudentiſsimè ſcriptum legimus. Qui Epiſcopis per ſe conſtitutis ſcribens: Cuncta, inquit, per mundum nouit eccleſia, quoniam quorumcunq; ſententijs ligata, Pontificum ſedes B. Petri Apoſtoli ius habeat reſoluendi, vtpote qui de omni eccleſia ius habeat iudicandi. Et iterum: Cuncta per mundum nouit eccleſia, quòd ſacroſancta Rom. eccleſia fas de omnibus habeat iudicandi, neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio: ſiquidem ad illam, de qualibet mundi parte appellandum eſt, ab illa autem nemo eſt appellare permiſſus, &c. Huc etiam pertinet quòd Agatho Papa, nihil à reliquis degenerans, ſcribit in hunc modum; Sic omnes ſanctiones Apoſtolicæ ſedis accipiendæ ſunt, tanquam ipſius diuina voce Petri firmatæ, &c.

Agatho diſt.19 Sic omnes. Falſum.

Cap. Quantò de tranſl. Epiſc. tit.7. Falſum, vanū, & blaſphemū.

Adiungamus his, quæ de tranſlat. Epiſcopi leguntur ca. Quanto, titul.7. Papa dicitur habere cœleſte arbitrium, & ideò etiam naturam rerum immutat, ſubſtantia alia vnius rei, applicando alij. Et de nihilo poteſt aliquid facere, & ſententiam, quæ nulla eſt, aliquam facere. Quia in his quæ vult, ei eſt pro ratione voluntas. Nec eſt qui ei dicat, Cur ita facis? Ipſe enim poteſt ſupra ius diſpenſare, & de iniuſtitia facere iuſtiam, corrigendo iura, & mutando. Nam plenitudinem obtinet poteſtatis, &c. Euge, & quid hoc aliud eſt, pie Lector, quàm iuxta D. Pauli oraculum, in tēplo Dei ſedere, ſeſéque oſtentare ac ſi eſſet Deus? Quid enim diuinæ eſſentiæ magis proprium, quàm cœleſte habere arbitrium, quàm naturam rerum immutare, ex nihilo aliquid facere, & ſententiam, quæ nulla eſt, facere aliquam, ſimiliter & iniuſtitiam, iuſtitiam facere, corrigendo iura, & mutando? quàm plenitudinem poſſidere poteſtatis? quàm diſpenſare contra ius, & fas, & in ijs quæ vult, nulla teneri ratione, ſed vt ſola ſtet pro ratione voluntas? Quibus & illud adiungere licebit, quod Canoniſtæ de diuinitate Papę ſubnotant ijs verbis: In hac parte Papa non homo ſed vicarius Dei, & mixtum quiddam, ex Deo & homine, &c.

2.Theſ.cap.2. Papa non vt homo, ſed vt Deus ſedet.

Diuinitas papæ apud Canoniſtas. 6 Decret. l. 1. de elect. & elect. poteſt. tit. 6 c.17. Gloſſa.

Quæ omnia tam prodigioſa & ſacrilega mendacia ſi huiuſmodi forent, quæ non omnium paterent oculis, minus mirandum eſſet. Nunc quis tam cœcus eſt, qui iſta tam manifeſta non videat? aut ſi videat, quænam hæc tanta Satanæ operatio, in occœcandis hominum mentibus, vt hæc tam execranda non deteſtentur? Quòd ſi igitur ex mendacijs, ex ſignis, & præſtigiarum fallacijs, ſi ex operatione Satanæ, ſi ex potentia prioris beſtiæ, ſi ex deceptione iniuſtitiæ, & publica orbis ſeductione, arguendus ſit Antichriſti aduentus, cui dubium eſſe poteſt, quin papa in tanta hac errorum & mendaciorum ſeductione, ſit Antichriſtus. Cuius in tota adeò religione, nihil ferè verum, nihil non fucis & externis ad decipiendum fallacijs, egregiè inſtructum reperitur.

Secundum operationem Satanę. 2.Theſſ.2.

Faceſſat prætextus, non quid verbis, & titulis obtenditur, ſed res ipſas ſimpliciter intueamur. Seruus ſeruorum dici poſtulat, quum nihil ſit minus. Caput Chriſtianæ eccleſiæ. Vnde iſtuc? Quia iubetur Petrus paſcere. Duplex in vno verbo mēdacium: quaſi verò, paſcere idem ſignificet, quod eccleſiæ caput eſſe: aut quaſi Papa idem ſit, quod Petrus, & Ieſu Chriſti vicarius. Quid impudentius? Quis enim mortalium is eſt, qui in adminiſtranda eccleſia, ſingulíſque eius membris reficiendis, officium Chriſti ſupplere queat? Cœleſtis portæ ianitor. Fabulæ: quum Chriſtus ſo-

Mendacia in Papatu. 1.Mendac. 2.Mendac. 3.Mendac. 4.Mendac.

lus

lus sit, qui clauem habens Dei aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit. Præclarè Augustinus: Quodcunq; ligaueris super terram: si hoc Petro dictum est, non hoc facit ecclesia. Si autem in ecclesia hoc fit, Petrus certè, quando claues accepit, ecclesiam sanctam significauit, id est, bonos in ecclesia. Pater sanctus, ipsaque sanctitas. Frustra igitur de Christo dicitur in sacro cantico, tu solus sanctus. Petri & Pauli successor. Huic mendacio non scripturas modò, sed verba etiam Hieronymi opponimus: Non sanctorum filij sunt, qui tenent loca sanctorum, sed qui eorum exercent opera. Nec minus appositè Gregorius: Qui præsunt ecclesijs, inquit, non ex loci aut generis dignitate, sed morum nobilitate: non ex vrbium claritate, sed fidei puritate debent innotescere.

Aug. 24. q. 1. Quodcunque. 5. Mendac. 6. Mendac. Dist. 4. Non est facile. Ibid Nos qui.

Spiritualis & ecclesiastica potestas, potest terrenam potestatem instituere, iudicare, transferre & plantare, &c. Vnde hoc? Ex vaticinio Hieremiæ cap. 1. Ecce constitui te hodiè super gentes, & regna, &c. Argument. Misit Deus prophetam Hieremiam ad prædicandas ruinas gentium, & populorum: Ergò papa potestatem habet absolutam, super regna, & gentes terræ. Scilicet, Tam immensa cauì spirant mendacia folles.

7. Mendac. Extrau. com. de maior. tit. 1. vnam sanctã. Hiere. cap. 1.

MENDACIA PAPAE, IN SVPPOSITITIIS *scriptis & Epistolis Decretalibus, sub nomine Doctorum.*

PRæter scripturas has, quibus iniquissimè abutuntur, ad ambitionis suæ patrocinium, addamus porrò decretales illas epistolas, quas singulari fraude suppositas, sub falso nomine, pijs & vetustis autoribus affingunt. In ijs sunt, epistolæ Anacleti, Clementis, Antheri, Marcellini, Marcelli, Telesphori, Zephyrini, &c. Ignatij etiam nonnullæ, quin & epistola Athanasij, & Aegyptiorum ad Felicem papam, & Marcum, planè commentitia. Quippe quæ, ex impudentia incredibili, turpissima assentatione, apertissimisq; mendacijs conflata, Iuello nõ videtur Athanasij ingenium sapere. Eadem & de quæstionibus fertur cẽsura quæ titulum præseferunt Athanasij: quod falsum esse cõstat, autore Kemnitio. Gelasius dist. 15. expresè fatetur, librum Origenis de pœnitẽtia, Apocryphum esse: Vnde multa struuntur à pontificijs, de inuocatione Sanctorum. Idem sentiendum de homilijs Origenis, in diuersos sanctos, & de commentarijs in Iob, quæ sub illius nomine falsò leguntur. Item, de lamentatione Origenis, quem librum negat Erasmus Origenis esse, indocto alicui tribuens.

Epistolæ Decretales. 8. Mendac. 9. Mendac. Lege Respons. Buceri contra Latom. pa. 177. Vide Iuellum contra Harding. De primatu. Falsum. Quæstiones Athanasij. Vide examen, part. pag. 502. Falsum. Lib. Orig. de pœnitẽ. Apocryphus. Orig. homiliæ in diuersos sanctos. Comment. in Iob. De lamentatione. Ex Erasmo. Falsum.

CLEMENTIS EPISTOLA.

Falsum.

CLementis epistolam illam prolixam, qua ad res suas stabiliendas abutuntur papistæ, Illiricus ita refutat, vt varijs indicijs suppositititiam esse demonstret: vel quòd ritus tum illi non innotuerunt, vel quia Iacobus ille annis 7. ante Petrum mortuus sit, teste Iosepho, Hieronymo, Eusebio, & alijs. Extat sermo Bernardi, de cæna Domini, vnde multa pro re sua decerpunt pontificij: cùm tamen Petrus Martyr apertè confitetur oculis se vidisse in Gallica impressione, alterius cuiusdam nomen huic sermoni præfigi.

Clemẽt. epist. de Petri & Simonis concertatione. Ex Illiric. Caluino & alijs. Bernar. sermo de cæna Dom. Ex P. Martyre cõtra M. Constantium. Mendacium.

DE LITVRGIA BASILII.

DE Basilio, multa prolixè scribit Nazianzenus. Scripserunt item alij de Chrysostomo. Nemo tamẽ de Liturgiæ ordine ab his cõposito, verbũ vllũ attigit. Ex P. Martyre.

Liturg. Basilij & Chrysost. Ex P. Martyr. & Erasmo. Mendacium.

Martyre. Erasmus in gratiam Roffensis vertit liturgiam Chrysostomi, in qua tamen versione videtur, aut non idem habuisse exemplar, aut aliter reddidisse, quàm nostra nunc habent exemplaria.

LIB. AVGVSTINI DE OCTO quæstionibus Dulcitij.

Lib. August. de Octo quæstionibus.

Mendacium.

IN libro Augustini de octo quæstionibus Dulcitij, & in tertia quæstione, fit illic mentio cuiusdam Epistolæ, quam autor libri huius scripsisse se fatetur, ad filium quendam suum mercatorem, quum nulla talis epistola extat inter Epistolas Augustini.

LIB. DIONYSII.

Libri qui titulo Dionysii Areopagitæ circumferũtur suspecti.

Mendacium.

Erasm. Annot. in Act. cap. 17.

DE Dionysio, quem communis opinio Areopagitam, falso titulo commendat, citantur indicia, & argumenta Vallæ, & Erasmi, quæ nondum refutarunt aduersarij. Eusebius in his libris, & epistolis singulorum, quos nominatim iudicat, nullam facit huius libri mentionem, nec quisquam alius veterum Græcorum, vel Latinorum. De quo Erasmus in annot. in Act. 17. Mirum, inquit, si tam priscus autor fuit, & tam multa scripsit, à nemine veterum seu Græcorum, seu Latinorum, fuisse citatum, non ab origene, non à Chrysostomo, ne ab Hieronymo quidem, qui nihil intentatum reliquit, &c.

Homilia Origenis citata pro Dionysio repudiata.

Nazianzeni locus pro Dionysio nihil facit.

Ignatius falsò à Dionysio citatus.

Primùm enim homilia illa Origenis, quam pro Dionysio citant Papales, quòd suspecta sit, nemo est Doctorum, qui non nouit. Quod porrò ad Nazianzenum attinet, quem citant nonnulli, Dionysium quidem ille nominat, sed tantùm ait: quidam ante nos philosophatus est, quis ille fuit, non narrat. Quisquis fuit Nazianzeni iudicio Philosophus potius, quam Theologus esse videtur.

Rationes quibus probatur libros Dionys. Areopag. supposititios esse.

Præterea Dionysius ille Ignatij epistolas citat, quas post Areopagitæ mortem, scriptas, nemo dubitat. Nominat idem Iohannis Euangelium, & Apocalypsin, quorum æditionem recentiorem fuisse Dionysio constat. Mittit epistolam ad Polycarpum, eúmque ἱεράρχῳ. salutat, qui tamen eò longè erat adolescentior. Dionysius enim occisus dicitur in Gallis ann. 96. Polycarpus ann. 166. Timotheum filium vocat, qui tamen in fide potuit ei pater esse. Ad hæc quum meminit Pontificum, Præsulum, Sacerdotum, Monachorum, templi, Chori, res ipsa indicat, ex qua officina hic liber prodierit. Breuiter ipsa dictio, forma orationis noua, arguta, obscura, affectata Dionysium non esse Areopagitam arguit. Quid quòd, Grocinus Anglus, quum in æde D. Pauli profiteretur hierarchiam ecclesiasticam? Atque in præfatione stomachatus esset in eos, qui negarent eum Areopagitam esse, post paucas hebdomadas, vbi propiùs introspexisset autoris ingenium, sententiam prorsus mutauit, & iudicium.

Grocini retractatio de Dionisio Areopag.

IGNATII QVAEDAM.

De Ignatio.

Falsum.

Hieronym. Contra Pelagi lib. 3.

IGnatius vir Apostolicus, & Martyr, scribit alicubi, teste Hieronymo, aduersus Pela. lib. 3. in hæc verba: Elegit Deus Apostolos, qui super omnes homines peccatores erant. Quod tamen in epistolis Ignatij nusquam reperitur. Theodoritus ex epistola Ignatij ad Smyrnenses, sententiam quandam de Eucharistia profert, quæ nunc in epistolis eius desideratur. Eusebius lib. 3. cap. 15. quasdam Ignatii epistolas commemorat: Idem facit Hieronymus. At hodiè multò plures, quàm illi recensent, à nostris recipiuntur, in quibus de Quadragesima, & Sabbathi ieiunio, seuerè

uerè præcipitur, quam superstitionem eo tempore nondum natam credibile est. Adde huc quod nuper admodum epistolæ hæ Ignatij typis mandatæ in lucem prodierunt. Ignati. de Quadragesima & sabbati ieiunio

BASILII ASCETICA.

LIbrũ Basilij, qui inscribitur ἀσκητικα Amphilochio nuncupatum esse cõtendunt nostri catholici: quòd si verum sit, cur igitur Nazianzenus omnia Basilij opera enumerans, illud tanquam alienum præterijt? Adde huc, quòd Sozomenus semper de eo dubitatum fuisse ait: vtpote quem, non Basilius, sed hæreticus quidam Eustathius scripsisse iudicaretur. De lib. Basilij, qui inscribitur ἀσκητικα. Sozom. opinio, Falsum.

Sub nomine Augustini, citatur à Gratiano & Lombardo, liber de vera & falsa pœnitentia, cuius autor cap. 7. ipsum Augustinum nominatim allegat.

Item, titulo Augustini feruntur sermones de festo cõmemorationis omnium animarum vbi purgatorium strenuè defenditur, cum festum illud longè post Augustinum institutum fuit. Lib. August. de vera & falsa pœnitentia nõ esse eius probatur. Item serm. illius de festo cõmemorationis animarum. Falsum.

LIB. AVGVST. DE ECCLESIAST. DOGMAT.

LIber Augustini de Ecclesiasticis Dogmatibus magna ex parte desumptus videtur, præsertim in cap. 30. 31. 32. ex homilia 1. Chrysostomi de Adam & Eua: vel eadem hæc Homilia ex Augustino deducta. Lib. August. de Dogmat. ecclesiasticis. Falsum.

Qui vertit commentarios in Epistolas D. Pauli, falsò Athanasij nomine, eos inscripsit, quum sint Theophylacti. Commentarij in D. Pauli epistol. falsò Athanasij nomine. Falsum.

SEXTVM CAPVT EVANG. IOAN. EX *operibus Origenis subreptum.*

QVid illud, quòd Catholici cùm nuper excuderent veterem patrem Origenem, in Euangelio Ioannis sextum caput, vbi illum credibile, vel potius certum est, contra ipsos de Eucharistia multa disseruisse, integrum omiserunt, librúmq; mutilũ, potius quàm integrum, qui errores suos coargueret, dare maluerunt. Lib. Origen. in Euang. Ioann. truncatus à Papistis. Falsum.

DE EPISTOLA IACOBI.

DE Epistola Iacobi nihil hîc dico, nec abdico, quam tamen Eusebius lib. 3. c. 25. vbi omnes noui Testamenti libros recenset, quorum alios ὁμολογουμένους vocat, alios ἀντιλεγομένους eximit ab hoc catalogo, non facturus, si eam ab Apostolo Iacobo scriptam censuisset. Quin & lib. 2. cap. 23. idem Eusebius non solùm epistolam hanc à quibusdam repudiatam affirmat, sed & ipse quid de eadem sentiat, palam his verbis profitetur: ἴστεον ὡς νοθεύεται. i. intelligendum est hanc epistolam esse adulterinam. Quid quòd Hieronymus in Catal. Epistola, inquit, Iacobi, ab alio quodam sub eius nomine ædita asseritur: licèt eadem paulatim tempore procedente, vt ait, ἀυθεντίας τινὸς ἐπελαβετο, autoritatem quandam obtinuerit, autoritatem, inquit, non plenam, sed quandam, seu qualemcunq;, seu apud quosdam solùm: publicè fortassis lectam fuisse intelligens. D. Iacob. epist. Suspectum. Euseb. li. 3. cap. 25. Euseb lib. 2. cap. 23. Euseb. contra epist. Iacobi. Hieron. in catal. de epist. Iacobi.

DE LIBRO HERMETIS.

QVemadmodum & Pastoris liber Hermæ, eodem teste Hieron. in quibusdã Oriẽtalibus ecclesijs publicè perlegebatur. Neq; ideò tamen absoluta perfectáq; eius libri per vniuersã ecclesiam autoritas euincitur. Certè de vera rerum origine certiùs Pastor Hermæ. Hieron. de lib. Hermetis.

certiùs iudicat piorum antiquitas, quàm ætas recentior. Neque verò mirandum hoc adeò in superiore illa tum ætate, quòd eiusmodi libris celebrium virorum titulo, commendatis, locus in templis tribueretur: Sic enim pijs tum viris persuasum erat, Deo gratum esse, si tali fuco populus ad auiditatem legendi prouocaretur,

DE IVSTINI QVAESTIonibus.

Iustini quæstiones suspectæ authoritatis.

FEruntur Iustini nomine quæstones, quas ab illo conscriptas non fuisse, vel hinc constat: quod in quæstione 82. & 86. Citatur Origenes, qui longè post Iustinum vixerat. Vixit enim Iustinus an. Dom. 140. Origenes ann. 261. Rursus, Quæst. 127. Meminit idem Iustinus Manechæorum, qui ante ann. Dom. 300. non innotuerunt. Possent id genus sexcenta produci exempla, in quibus recentiores isti Catholici antiquorum Patrum scripta lacerant, supprimunt, truncant, deprauant.

In libris Aug. Hieron. Chrysost. Ambrosij & aliorum, multa suppositicia & adulterata.

In libris Augustini, Hieronymi, Chrysostomi, Ambrosij, permulta suborNata infulciuntur, quæ si viuerent nunc ipsi, nunquam pro suis agnoscerent. Vndè haud obscurè liquet, quid volunt verba hæc D. Pauli, & Ioannis, de signis, & prodigijs mendacibus, cum omni potentia, & deceptione iniustitiæ, in aduentu Antichristi. Quæ iuxta literam minimè intelligenda, pie Lector, putes, sed de spirituali potiùs illa, cuius meminit D. Paulus τῇ ἐνεργείᾳ τοῦ σατανᾶ, ἐν παντὶ ψεύδει καὶ ἐν πάσῃ ἀπάτῃ ἀδικίας τοῖς ἀπολλυμένοις, sub hypocrysi mendacium loquentium. Quæ enim mendacia atrociora aut impostura insignior esse potest, quàm in Scripturis peruertendis, & corrumpendis Doctoribus?

Locus Pauli & Ioann. de fictis miraculis Antichristi.
1. Tim. 4.
2. Thess. 2.

MENDACIA PAPAE IN SIGNIS & miraculis.

Descriptio Martyrum æneis typis Romæ.

QVanquam si quis etiam externas signorum operationes, sub his miraculis, & prodigijs intelligat: ne hæc quidem etiam externa, apud catholicos hosce histriones desunt, si Legendæ ipsorum, si vitæ Patrum, & liber Trophæorum Martyrúmque solennis illa descriptio, æneis typis Romæ nuper excusa, si deniq; fictæ narrationes reliquiarum, & apparitiones Sanctorum, ritè perlustrentur. In quo ordine hæc similiáque permulta censeri poterint. Veluti quum Sozomenus apud Herpolim refert arborem fuisse Persidem dictam proceram, & speciosam, quæ Christo puero in Aegyptum fugienti sese submisse in terram deflexerit, seu fructus suos præbitura, siue quòd Dæmon qui in ea tum colebatur ab incolis, Christi horreret præsentiam, quod fabulosum esse apparet.

Mendacium.

Sozom. lib. 5. ca. 21.

Mendacium.

In epistolis Grægorij, in hunc habetur modum: Prætereà sanctissimam clauem, à B. Petri Apostolorum principis corpore, vobis transmisi, quæ super ægros multis solet miraculis coruscare. Nam etiam de eius cathenis inferiùs habet. Eædem igitur cathenæ: quæ in illa sancta colla tenuerunt suspensæ colla vestra sanctificent.

Gregor. lib. 1. Epist. 30.

Idémq; Gregorius alibi: Prætereà transmisimus crucem paruulam, in qua de cathenis amatorum vestrorum Petri, & Pauli Apostolorum, inserta est benedictio, quæ oculis vestris assiduè supponatur, quia multa per eandem benedictionem miracula fieri consueuerunt.

Cathenę D. Petri.
Mendacium.
Grego. lib. 11. Epi. 47. indict. 6. ad Eulogiũ.
Mendacium sapit.

Rursúsque idem Gregorius miraculo tribuit, quòd equus, qui Ioannem Pontificem portasset proficiscentem Constantinopolim, postea feminam suam dominam portare recusauit. In quo ille mihi superbum equum, nimísq; altori suo ingra-

Gregor. lib. 3. Dialog. cap. 2.
Mendacium.

tum

tum atque infidum prædicat. At hoc miraculum vel hinc facilè coarguitur mendacij, quod Ioannis tempore nondum natus Constantinus, nec vlla id temporis vrbs Constantinopolis extitisset. Quòd autem cæcum ab eodem Ioanne luminibus restitutum aiunt, eiusdem videtur veritatis.

De miraculis S. Eduini, S. Osualdi, S. Oswini regum Northumbriæ, chronica consule. Legendas plege. Miracula falsa

Sanctus Albanus, ponte turba completo, flumen sicco pede transijt. Idem capite plectitur, quòd complexus miles, cui ossa pro Christo contusa fuerant, sanatur.

Tres sancti nepotes Sanct. Sigisfridi Episcopi Angli in Suetia occisi sunt, quorum capita in palude demersa, illi noctu per lucem Deus ostendit.

Sanctus Vulstanus duorum regum nepos occiditur, super cuius corpus per 30. dies, lux è cœlo micuit.

Sancta Ositha virgo & martyr, caput abscissum per mille passus gestat.

Caput Sanct. Edmundi Estanglorum regis præciditur, quod procul abiectum dum à suis quæritur, ter respondit, Hic, Hic, Hic. Eius corpus cùm deinde transferretur, capiti iunctum reperitur, rubra cicatrice vulnus indicante. Ex libro Trophæorum.

S. Decumanus heremita, ob Christi fidem decollatus, caput suum ad fontem vsq; vbi lauare se solitus erat, deportauit. Ex libro Trophæorum.

S. Thomæ Cantuar. Archiepiscopi, sanguis ac cerebrum in templi angulo proiectá, fontem aquæ producunt, qui semel in lac, quater in cruorem versus est. Mirac. S. Thomæ Archiepisc. Cantuar.

S. Wenefridæ virgini, ob virginitatem à Cradoco Alani regis filio, in Northualia caput amputatur, quo demum capite in vallem diuoluto, fons erupit adhuc miraculis clarus. Mirac. S. Wenefridæ.

Eiusdem virginis capite à S. Benone corpori adiuncto, ipsa ad 15. annos superuixit. Ex lib. Trophæ. Ex lib. Trophæorum.

S. Iustinianus monachus caput sibi amputatum manu portat. Ibid. Miraculum Berini.

De Berino misso in Angliam ab Honorio Papa quarto anno, post Augustinũ, narrat, Malsburiensis lib. de episcopis Winton. quòd in itinere quum iam esset in naui, oblitus rerum quarundarum in littore relictarum, nec ausus esset nautas de redeundo solicitare, pelago sese committens, pedibus super vndas ibat & redibat cum rerum suarum sarcina. Ex Malsburiens. libr. de epist. Wintoniens.

* Libro eodem narrat idem Malsb. de Birstano episcopo Wint. qui annis 4 eam rexit ecclesiam, qui dum in cœmiterio pernoctans (quod assiduè solebat) nocturnos pro animarum salute psalmos iteraret, veniſsétque ad illud, requiescant in pace, voces quasi infinitas è sepulchris audiuit, respondentium, Amen: quódque idem sæpè cum mortuis ibidem sermones misceret. Ex eodem Malsb. Mendaciuni. Miracul. * Birstani episwint.

Quid quòd idem Birstanus cum Birnio episcopo & Suythuno dicitur Athelwoldo regi apparuisse, ac quærelas ei de ingloria eius sepultura feciſse. Ex Malsb. ibidem.

Quid plura exaggerem, quæ infinita sunt huiusmodi fabularum ludibria de reliquijs martyrum, de fictis miraculis ad statuas Sanctorum, de inuocatione Diuorum, de peregrinatione ad loca sancta, de mirabilibus Sanct. Antonij, de quinque vulneribus Sanct. Francisci, de apparitionibus varijs B. virginis, de corporea eius assumptione, de lacte eius, & crinium reseruatione, de sanguine è latere Domini effluente, qui compluribus locis ostenditur, de calceis etiam Domini qui Romæ proferuntur, de clauis ferreis & ligneæ crucis innumeris fragmentis, de hydrijs plenis illius aquæ, quæ in vinum vertebatur, de fictis pictisque Sanctorum imaginibus. Quod enim in mundo monasterium, quod templum, aut fanum dixeris, in quo non aliqua reuerendi sancti memoria & pictura miraculis celebris populo ad visendum & offerendum proponebatur. Mendacium. Lubibria reliquiarum.

Nic. Lyranus in 14. cap. Danielis.

Vnde non immeritò iusta illâ laudatur Nicolai Lyrani querela: Fit, inquit, in ecclesia aliquando deceptio maxima populi, in miraculis fictis à sacerdotibus, vel eis adhærentibus, propter lucrum temporale. Et talia extirpanda sunt à bonis prælatis, sicut ista extirpata sunt à Daniele, &c. Nec minus scite ab Augustino scriptum legimus, in hæc verba:

August. in Ioa. tract. 13.

Contra istos, vt sic loquar, mirabilarios cautum me fecit Deus meus, dicens: In nouissimis temporibus exurgent Pseudoprophetæ facientes signa & portenta, vt in errorem inducant, si fieri potest, & electos. Ecce prædixi vobis.

Chrysost. in 74. caput Mat. hom. 49.

Ergò cautos nos fecit sponsus, quia miraculis decipi non debemus, &c. Quin nec multum ab hoc discrepat Chrysosto. Nunc autem (inquit) signorum operatio omninò leuata est: magis autem & apud eos inuenitur, qui falsi sint Christiani, fieri solita.

Ex his quæ hactenus disseruimus, nemini incompertum esse reor, vbi, in qua ciuitate, quo in cœtu, in qua sede & solio quærendus sit Antichristus. Quòd si verò Antichristus is sit, in quem omnes conueniunt notæ & proprietatum conditiones, in sacris Scripturæ tabulis depictæ, non potest effugere glorioſus hic Pontifex, quamcunque sibi personam induerit, quin pro Antichristo censeatur necessariò.

Obiectio.

Atenim præstò hîc video præsidia Romanensium, quibus causam sui Pontificis subleuant, pro sua reuerentia, tametsi nihil id sit, quod afferunt. Sic enim argutantur: Antichristus is propriè dicitur, qui negat Iesum esse Christum. Pontifex Romanus Christum non abnegat, imò propugnat sedulò. Consequitur proindè pontificem nullo modo esse Antichristum.

Solutio. Aug in Epist. Ioan tract. 3.

Vt paucis respondeamus, opponemus huic lemmati D. Augustinum, qui contra, Donatistas contendens: Interrogemus, inquit, hæreticos: Quem inuenis hæreticum, qui negat quia Iesus est Christus? Et mox: Iam ergo quæramus, quid hoc sit, negare, & non attendamus ad linguam, sed ad facta. Si enim interrogentur, omnes vno ore, confitentur esse Christum.

Vita loquatur sileat paululũ lingua.

Quiescat paulum lingua, vitam interroga. Certè negatio non lingua tantùm fit, sed & factis. Sic inuenimus multos Antichristos, qui ore confitentur Christum, & moribus dissentiunt à Christo: vel ipso testante Paulo, qui de talibus loquens, ait: Confitentur enim se nosse Deum, factis autem negant.

Negare Christum quid sit.

Quisquis igitur factis negat Christum Antichristus est. Non audio quid sonet, sed video quid viuat. Opera loquuntur, & verba requirimus. Quis enim malus non benè vult loqui? Copiosè & grauiter hæc Augustinus:

Vera Christi confessio non labijs, sed factis cernitur.

Quibus si & mihi liceat paucula accinere, dicam, sed breuiter. Iam ergò fratres, si facta interroganda essent Romani Pontificis. quid quæso nobis clamarent? Quid mores isti, opera, studia, mendax Scripturæ peruersio, signorum fallaciæ, totáque adeò vitæ & doctrinæ ratio, & miraculorum mendacia, quid dicerent? quid probarent aliud, nisi purum putum Antichristum Romanum esse pontificem? Quod qui non videt, nihil videt: qui etiam quum videt, non detestatur, dignus videtur, qui cum Antichristo pereat. Quid enim Christo magis contrarium, quàm quod in Romana ecclesia, his moribus, & temporibus vbiq; peragitur, & defenditur?

Obiectio aduersariorum.

At hîc iterum reclamabunt Apologetici isti, in defensionem sui patris. Quid, inquiunt, an quisquam vnquam auditus est Romanorum Pontificum, qui Christum publicè aut priuatim blasphemaret? Quod si faceret, absque dubio Antichristus esset.

Responsio ad obiectionem.

Si ad linguam attendamus, vera ratio est: sin ad facta respicimus, respondebimus cum Augustino: Christum quidem apertè non blasphemant Romani Satrapæ: neque enim audent. At blasphemant interim ministros Christi, à quibus corripiuntur. Quod perinde est, ac si reipsa Christum blasphemarent, si Christo ipsi credimus. Qui vos spernit, me

Luc. 10.

spernit:

spernit: Qui vos persequitur, me persequitur. Alioqui cur Paulo diceret, Quid me persequeris? quum non Christum ipsum, sed seruos Christi diuexaret? Acts.9.

Quæ quum ita habeant, quid restat denique, nisi vt quisquis saluti suæ consultum velit, caueat sibi prudenter, quid credat, aut cui credat. Multæ sunt fallendi viæ, vna tantum veritatis est, eáque simplex ἁπλότης τῶν σωτηρίων, quæ cuiusmodi sit, non nisi in sacris solùm Dei literis, constare potest. In quibus, id nobis ante omnia tenendum, quòd principium est omnis doctrinæ nostræ, nempè, vnum ac solùm Dei filium Christum esse, in Scripturis ab initio promissum, ac missum nobis à Patre, quem omnes audire iubet. Hunc qui rectè audit, errare nunquam potest. In quo vno, sic Deo patri complacitum est, vt solus ipse, sine accessorijs quibuscunque adminiculis, omnes obeat nostræ redemptionis partes, solus vniuersum salutis negotium absoluat, solus molem omnem calamitatum nostrarum in se recipiat, in hoc datus & natus nobis, vt pro peccatis solus semelque dependat, noxas remittat, patrem nobis reconciliet, Satanæ potestatem deijciat, inimicitias diluat, interstitium maceriæ diruat, Chirographum contra nos scriptum deleat, mortis aculeum, inferni victoriam dissipet, credentibus regnum cœlorum aperiat, vt in eo solo abluti, sanctificati, iustificati atque à morte vindicati simus, vel ipso teste Bonauentura, qui si ipse sibi constare velit, hæc habet inprimis vera & consona: peccatum nostrum, inquit, satis punitum fuit, quando Christus pœnam pro nobis subijt, & suam pro nobis pœnam exponit, & nostram fecit. Nos sufficienter iudicamur puniri, siue quantum ad duplicem in anima, & in corpore, siue quantum ad mensuram acerbitatis pœnæ, &c. Principium & finis totius scripturæ. Esai.53. 2.Cor.5 Ephe.2. 1.Cor.15 1 Cor.6 Bonauent.lib. 4 dist.20.

Hæc, inquam, quum solus iste præstet omnia, sicque præstet, vt gloriam suam, nulli concedat alteri, nec aliud vllum nomen relinquatur sub cœlo, in quo oporteat nos saluos fieri: quid igitur Romano huic dicendum? Qui nisi Antichristus esset, qua fronte, quo furore, quæ propria sunt Christi officia, is in se deriuare sit ausus, vicésque eius sustinere in terris, quasi aut nihil iam agat Christus in terris, aut si quid agat, frustrà fiat, nisi approbante vniuersali ipsius vicario. Verbi gratia, vtcunque Christus, arcano suo afflatu, idoneos, sibi in ecclesia excitet ministros, Apostolos, Prophetas, Euangelistas, Doctores, luce cognitionis suæ imbutos, qui in sana doctrina populum Dei exhortari queant, increpare præfractas, errantes arguere, afflictas consolari conscientias, hæc tamen Christi vocatio in suis delegatis, haud quicquam pensi habeat, nisi traducem isti suæ vocationis à Romana ducant ecclesia. At quid hoc aliud est, quàm Christum è templi foribus exturbare, vt Pontifex templo potiatur solus, in eóque sedeat, tanquam Deus, aut supra Deum? Esai.42, Acles.4

Quid, & post hæc tam conspicua, an dubitat quisquam, Romanum hunc esse Antichristum? Clamat in Euangelio Dominus: cum exaltatus fuerit filius hominis, omnia traham ad me ipsum. Clamat item paterna vox: Ipsum audite. Clamat Paulus: in illo nos completos esse. Quòd si in illo completi quid amplius desiderandum? Sic Prophetæ, sic Apostoli, & Euangelistæ, sic vniuersa deniq; scripturæ præceptio, vno omnes spiritu, ad solum Christum, eiúsq; fidem, nos trahunt, mittunt, manu ducunt. Ioan.3 Math.3 Colloss.2

Age, & ad quem nos mittit præclarus hic vicarius Christi? Ad Christúmne? Minimè gentium: sed ad Romanam ecclesiam, eiúsque obedientiam. Summa pontificiæ doctrinæ quo tendit

Qui etiamsi verbis non negat, in Christum credendum esse, at fides hæc, ita papalibus decretis conformanda est, vt Papam summum, maximúmq; Christi vicarium agnoscat, tanquã vniuersalis ecclesiæ caput recipiat, ouilis Christiani supremũ pastorem, cœlestis aulę vnicum ianitorem, regem, doctorem primarium, principem sacerdotum, Episcopũ Episcoporum, (addito insuper beatiss. sanctissimi patris, imò

sanctitatis ipsius, titulo,) celebret,ac veneretur. At hoc quid aliud est, quàm vt nomen solùm Christi, in ecclesia relinquatur, vis autem agendi, statuendi, ordinandi,tota penes Papam resideat. Hincque orta est tam superba & pertinax hæc, de clauibus,de ligandi, & soluendi potestate, de Christi ouibus pascendis, & alijs rebus innumeris disputatio. Hinc auricularis confessio, sacerdotalis absolutio,pœnitentiæ fucatæ exercitium,casuum reseruatorum prærogatiua, indulgentiarum nundinæ, operum humanorum satisfactio, propitiatorium Missæ pro viuis & defunctis sacrificium,infinitáque id genus alia, non in aliud vt videtur conficta, quàm vt vniuersa potestatis plenitudo, Christo è manibus erepta, ad Romanæ ecclesiæ fidem, atque obedientiam transferatur, vtque non Christus in templo, sed vt bestia, eiúsque imago adoretur, quemadmodum ex verbis Prophetæ proxima ostendit euidentia.

Potestatis plenitudo à Romanis in Pontificem deriuata.

SEXTA EVIDENTIA DE REBVS gestis bestiæ,& vulneris curatione.

6.Euidentia. SVbit deinceps post quinque priores,sexta nunc euidentia ex verbis ipsis vaticinij.

Et facit, vt quicunque non adorauerint imaginem bestiæ, occidantur. Et facit omnes pusillos,& magnos, & diuites & pauperes, & liberos,& seruos accipere characterem in manu dextra sua,aut in frontibus suis. Et ne quis possit emere, aut vendere,nisi qui habeat characterem, aut nomen,aut numerum nominis eius,&c.

Hæc quàm dextrè omnia respondeant factis Romani pontificis, stipes est, qui non videat. Quis primum vulnus curauit bestiæ? An non Pontifex? Quis celsitudinem collapsæ Romanæ reipub. ex ruderibus in integrum restituit? An non Romana hæc bicornis bellua? Quid olim Romano statu deiectius? At nunc quid iterum Romano nomine in mundo magnificentius? Cuius quæso præsidijs, nisi Romani pontificis? Idque duplici ratione, partim exquisitissimis fallacijs, ac fraude singulari, signisque mendacibus: partim vi externa, atque coactione adhibita.

Duplex ratio Romani pontificis, in restituenda Rom. vrbis dignitate

Fraus & violétia Rom.pontificis.

Character bestiæ.

Postquam enim in sublimen hunc potentiæ gradum fucis, & imposturis semel euasit, eò demùm rem prouexit, vt nulli iam liceat, sub capitis periculo,Romanæ ecclesiæ fidem detrectare, aut decretis obsistere. Quod qui faciat, aut qui characterem bestiæ respuerit, cuiuscunque sit sexus, aut conditionis, siue magnus, siue pusillus, siue diues, siue pauper, nobilis aut ignobilis, pro hæretico iudicatus, ad ignem pertrahitur. Nec cuiquam liceat emere, aut vendere, hoc est, nullo munere publico in repub. Christiana defungi,qui dicto audiens non sit Romano Pontifici, siue à communione Rom. ecclesiæ, quocunque modo recesserit. Qua de re manifesta extat constitutio Martini quinti, qua districtè prohibentur ij, qui Romanam sedem non agnoscunt, domicilia tenere, larem fouere, contractus inire, negociationes, & mercantias, vt loquuntur, quaslibet exercere, aut humanitatis solatia cum Christi fidelibus habere, &c. Atque istud est, quòd Propheta hoc loco prædicit futurum, vt quicunque non adorauerint imaginem bestiæ occidantur.

Constitutio Decretalis Martini 5. in fine Constantiensis concil.

Verba constitutionis.

Adorare imaginem bestiæ quid sit.

Quod sub tyrannide Pontificiæ autoritatis iam diu factum, ac comprobatum, non sine graui omnium populorum perturbatione,experti sumus. Vnde enim tanta hæc tempestas persecutionum, quanta iam diu efferbuit in ecclesia? Vnde tanta piorum martyrum strages, sanguisque tot milium effusus Christianorum? Atque qua de causa? quid fecerunt? quid commeruêre? nisi quia Christo addicti,spémque omnem salutis in sola illius fide defigentes, charagma bestiæ respuunt, eiúsque imaginem adorare, hoc est, Romanæ sese sedi, & Idolola-

Idololatriæ ſubijcere detrectant. Hinc iſtæ tam cruentæ tragœdiæ, furioſæ inquiſitiones, & pluſquam tyria malorum maria in orbem exundant, autore ſolo hoc Romano archiflamine. Qui priuſquam ipſi quicquam decedat de regni gloria, terram vniuerſam incendio miſcere annititur ſedulò. Et tamen tanta hominum mentes occupat operatio Satanæ, vt Antichriſtum tam manifeſtò ſe reuelantem, non videant.

SEPTIMA EVIDENTIA DE NOMINE & numero beſtiæ.

7. euidentia.

REſtat porrò ſeptima, & vltima euidentia, qua Antichriſtus, qui verè ſit, non incertis notis, & circumſtantijs rerum, locorum, temporum, figuriſque proprietatum deſcribitur, ſed certo, apertoque iam nomine ſuo, ſine omni circutionis ambiguitate, luculenter exprimitur, adeóq; omnium oculis conſpiciendus producitur, vt nullus ſit amplius de Antichriſto, qui, qualiſq; ſit, vnde ſit, vbi regnat, dubitãdi locus, aut diſputandi neceſsitas. Arrigamus igitur aures paululum, mentéſque attentiuſculè accommodemus, vt quid diuinus hic vates, cœleſti edoctus afflatu, nos doceat, verbis ſequentibus adnotemus prudenter.

Hic, inquit, *ſapientia eſt. Qui habet intellectum, computet numerum beſtiæ. Numerus enim hominis eſt, & numerus eius* χξϛ *ſexcenti, ſexaginta ſex.*

De numero hoc multi multa dixerunt, plura inuenerunt nomina, in quorum literis plenus hic numerus continetur. Cuiuſmodi ſunt, quæ apud Irenæum, Aretam, Andream, Cappadociæ epiſcopum, Rupertum, Primaſium, Bedam, Thomam, Lyranum, Auſbertum, aliósq; complures commemorantur: vt Lateinos, Teitan, Aroume, Lampetis, Machta, Antemos, Genſericus, Diclux, Benedictus apud quoſdam: Eccleſia Italica, *θεος ειμι ὲπι γαίης*. Deus ſum in terra, cæteráq; id genus complura.

Vide N Callidon em in Methodo Apocal.

Quæ omnia, quàm parum ad rem pertineant, non hîc diſquiro, ſed omnia ſuis relinquo autoribus. Ad poſteriores venio, recentioris memoriæ, theologos. Qui nec minus & ipſi enarratione huius myſterij, pro ſuo quiſque talento egerunt ſedulò. Quorum fidelem, in hac re, operam vt lubens amplector, ita ſi nobis viciſsim liceat, æqua ipſorum venia, ψηφίζειν, noſtrúmq; poſt ipſos calculum apponere, dicam breuiter, noſtra quid fert opinio, nullius interim præiudicans ſententiæ, ſempérque ſaluo rectiori iudicio. Neque id mihi ſumo, vt miſerorum infimus plus cæteris in hac re ſapiam. Abſit vt hæc cogitatio animum vnquam ſubeat: Sed id tantùm, vt quod videtur; pari cum cæteris libertate, aperire liceat. Scio maximam eorum partem, qui in enodatione huius ſcrupuli, hactenus antegreſsi ſunt, literas Græcæ linguæ numerales potiſsimum ſequutos eſſe, propterea quòd in ea ſolùm lingua, vt ait Irenæus, conſcripta ſit hæc reuelatio. Qua & ipſe ſimul ratione adductus, diu multúmq; me ſimiliter diffatigaui, ſed non multum promouens, dum nihil hinc certò elicere potui, quod placeret. Tandem ita in mentem venit, vt relictis Græcis ad Hebræos articulos me verterem: non ſine precibus interim, votiſq; enixè ad Chriſtum ſuſpirans, vt qui viſionem hanc prophetæ immitteret, dignaretur alicui ſeruorum ſuorum certam eius intelligentiam impartiri, ne fruſtrà in mundum miſſa hæc Prophetia videretur. Quid multis, vix primùm cœpi calamum chartulæ admouere, ac figuras Hebræorum numerales attingere, mox ad votum annuente, vt reor, domino ſucceſsit. Comperi enim nomen, quod nos Romano ſermone (ROMANVM) dicimus, ſi per literas Hebraicas exprimatur, numerum integrum conficere χξϛ 666.

Numerus & nomen beſtiæ exquiritur.

Hebraicè.		*Latinè.*	*Græcè.*		*Anglicè.*
ר	200	RO	P	100	A
מ	40	M	O	70	MAN
ע	70	A	MA	40	OF
נ	50	N	N	50	R
ו	6	V	Y	400	O
ש	300	S	S	6	ME.
		SVMMA	666.		

ROMANVS NOMEN ANTICHRISTI.

666. CVius nominis literæ, si ad numeros Hebraicos redigantur, summam nobis plenè, perfectéque exhibent sexcenta, sexaginta sex, ex quo numero, facilè ad nomen bestiæ peruenitur, hac ratione. Quia etsi nomen ipsum certo quodam consilio supprimit Ioannes; at numerum tamen bestiæ apertè indicat, ex quo numero facillima fit nominis collectio. Etenim posito hoc numero, sexcenta sexaginta sex, quæcunque literarum elementa plenum hunc numerum perficiunt, eadem, recta nos ad nominis notitiam deducunt. At solæ hæ literæ sex, apud Hebræos, quas dixi, Romanum exprimentes, numerum hunc 666. plenè ac solidè conficiunt: Ergo solæ hæ sex literæ, ROMANVM sonantes, nomen Antichristi clarissimè commonstrant. Eáque causa, rectè Ioannes cum nomine, numerum etiam hominis adiungit, vt ex certa numeri positione vera certáque nominis notitia patefieret.

Romanus. Nomen Antichristi.

Cum nomine Antichristi, numerus literarum conuenit.

At pulsat hic forsan mentes quorundam obiectiuncula vna, aut altera: Primùm quando prophetia hæc literis Græcis mandata sit ab Apostolo, consentaneum videtur, vt supputatio numeri, non nisi à Græcis figuris suscipiatur, quemadmodum prædicat Irenæus.

Obiectio opposita.

Respondeo cum pace Irenæi, vt hoc ei largiamur, euulgatam hanc fuisse prophetiam, Græco contextu, à Ioanne, quod ita ad popularem captum magis conducebat: at illud tamen haud dubium est, quin eadem hæc visio annunciata primùm Ioanni fuerit ab Angelo, ea in lingua in qua natus Ioannes maximéque versatus est. Hebræus enim erat natione, non Græcus: etsi nulla ei non nota esset lingua, nulla tamen ei familiarior, quàm natiua. Accedunt præterea haud dubia argumenta, vnde verisimile videatur, Hebraicè potius, quàm Græcè, dictatum primùm ab Angelo, prophetiam hanc fuisse Apocalypticam, tum ex dictionibus Hebraicis Abbadon, Harmageddon, Gog, Magog, ex crebra septinarij numeri vsurpatione, tum ex tota ipsa locutionis phrasiologia, quæ propius Hebraismum, quàm Græcismum redolet. Quemadmodum & verba Christi ad Paulum: Saul, Saul, quid me persequeris, etsi Græco idiomate reddita sunt, Hebraicè tamen prolata fuisse à Domino probabile videtur.

Respons. ad obiectionem.

Apocalyptica prophetia, etsi Græcè scripta, at Hebraicè tamen dictata primũ videtur.

Accedunt huc & aliæ scrupulosæ quædam difficultates: primùm cùm dictio hæc, Romana, proprium nomen non sit cuiusquam personæ, hinc non satis congruere, cum prophetiæ huius loco existimant.

Alia obiecta difficultas.

Verùm priusquam huic lemmati respondeamus, sciscitandum ab istis est, de Antichristo: Vtrum priuatam eum personam statuant, an publicam. Si priuatam affirment: fieri id non potest, vt vnius hominis priuata, ac singularis persona, quæ mortalis sit, ac æui breuis, tantillo spatio, tot tantisq; conficiendis malis sufficiat, vt sub externa Christi specie, mundo imponat, vt bestiæ caput restituat, vt

Responsio qua diluitur difficultas.

poten-

potentiam suam toto terrarum orbe diffundat, vt tot ædat signa & miracula, quibus omnes seducantur populi, tantúmque occupet in vniuersa terra tyrannidem, vt qui characterem bestiæ non susciperit, occidatur. Quæ omnia si in vnius hominis personam cadere nullo modo queant, reliquum est, vt Antichristum, non priuatam, sed publicam fore personam fateamur. Si priuata non sit persona, proprium igitur nomen sortiri non potest. Si publica, qualis ea futura sit, siue Christiana, siue Antichristiana, non ex proprio nomine, sed ex publica notatione, vel ex loco, quo sedet, vel ex officij, rerúmque, quas gerit, qualitate, cognoscendus est.

Quamobrem quum Antichristus proprie is sit, qui toto vitæ & doctrinæ genere, totá q; potentia rebellat aduersus Christum, siue vna persona siue plures sint, imò quando vna esse non possit, quæ tantas toto orbe tragœdias excitet, non est satis ad nomen eius proprium recurrere, vt verè noscatur Antichristus: sed facta inspicienda, sedes vbi regnat, professionis institutio, potentia quam exercet, tota denique vitæ series excutienda est. Ideóque vbi Ioannes mentionem facit nominis bestiæ, vt proprium nullum nomen ædit, ita cum nomine numerum simul adiungit, eúmque ad certa quædam elementa alphabetica restringit, quæ si numerentur, efficiunt numerum sexcenta sexaginta sex. Ita fit, vt ex numero literæ, ex literis nomen facilè eluceat. Quæ etenim literæ, in Hebraicis numeralibus, explent hunc numerum, quem Propheta statuit: eædem literæ sex, nomen exprimunt Antichristi: quas literas si Græcè, aut Latinè reddas, exit nomen, non proprium, sed appellatiuum, vt iam non Hebræus, nec Babylonius sit (sicut multi tota errantes opinione autumant) sed solùm ROMANVS, vt ex numero literarum nominalium liquet, quæ Romanum esse oportere apertè prænunciant. Quod quum ita sit, videant proindè quid agant isti, qui ecclesiam suam Catholicam Romæ statuunt, quum sacræ Dei literæ, nusquam nisi Romæ collocat Antichristum.

Antichristus ex proprio suo nomine sciri non potest.

At enim excipiet hîc iterum ex Catholica forsan familia aliquis. Si verum sit, quod ex prophetico hoc literarum numero elicitur, de Romano Antichristo, cur Deus tam diu cælatum voluit, in ecclesia, hoc mysterium? Cur anteà suis non patefecit? Cur ex veteribus nec Græci, nec Latini, nec Hebræi scriptores videre potuerunt? aut deniq;, qui fieri potuit, vt quum tot etiam seculis, locum suum huc vsq; tenuit Romanus pater, Deus ipse tam diu ecclesiam suam, in errore relinqueret, atq; in tantam conijceret Apostasiam?

Alia rursus exceptio.

Respondebit huic sophismati D. Paulus, Quia, inquit, dilectionem veritatis non receperunt, in hoc vt salui fierent, propterea immisit in illos Deus efficaciam illusionis, vt crederent mendacio, &c. Nempè vbi primùm cœpit ecclesia respirare à persecutionibus & tumultibus, ad laxiorem libertatem, haud longum fuit, quin viri ecclesiastæ, episcopi, ministri, pastores, patres, patriarchæ, obliti natiuæ paupertatis, & humilitatis Euangelicæ, cœperunt indies, maiori studio anhelare ad superbos titulos, ad protocathedrias & sublimes in ecclesia præfecturas, ad amplificandas suas ditiones, ad census, opésq; mundi cumulandas præter omnem modum, maximè præter naturam ipsam, & indolem Euangelij, præter Christi institutionem, exemplaque Apostolorum, præter omnem denique suæ vocationis professionem.

Ad exceptionem responsio 2. Thes. 2.

Excæcatio ecclesiæ vnde proficiscitur.

Non enim vocauit nos Christus in hoc mundo, ad opes, ad luxum, ad strepitum, glorias, delicias, huius vitæ, non vt superbis efferamur titulis, aut dominemur hic in populo, sed vt seruiamus cum omni mansuetudine, & humilitatis simplicitate. Vnde haud mirum est, si in tanta hac deformitate ecclesiæ, ij qui non crediderunt veritati, sed approbauerunt iniustitiam, iusto Dei iudicio, in ruinam hanc mitterentur illusionis, vt pro Christo Antichristum excæcaticolerent.

Accedit præter hanc, & alia respondendi ratio, ex ipso Ioanne. Qui quum in hoc ipso capite, duplicem producit bestiam, Christo aduersariam, dubium non est, quin sub duplici hac bestia, potestas, non vna, sed duplex significetur Christo inimica, altera videlicet Imperatoria, spiritualis altera: vtráque tamen Romana. Quod vel hinc perspicuum fit. Primùm Imperatores, quibus data potestas est in omnem tribum, & linguam, sanctósque occidendi, Romanos fuisse, nemini ambiguum est. Post prioris huius ruinam, insequitur deinceps altera bellua, quæ superiori vitam, spirítúmque reddidit: Eámque similiter Romanam esse, ex literis numeralibus nomen eius exprimentibus, liquidò constat. Quòd nec ipse etiam ignorabat Ioannes, si nomen Romanum simpliciter exprimere voluisset. Sed cur id minus faceret, singulari res non carebat consilio.

Duplex potestas Romana cõtra Christũ. Imperatoria Pontificia.

Primùm Imperatores ipsos, multò grauiùs hoc nomine inflammasset ad tumultuandum, Quin nec minus idem accideret, vigente posteà, & florente pontificum tyrannide, qui nullo modo audire aut ferre possent Romanum fore Antichristum. Quis enim vnquam auderet, aut sine manifesto capitis periculo, id posset in tanta persequendi rabie Romanos pontifices ac Cardinales, de Romano Antichristo commonefacere? Aut si faceret, quis vnquam in tanta orbis Apostasia Catholicorum omnium, id credidisset? Rectè igitur præsensit diuina prouidentia, tempus nondum esse, quàm diu regnum hoc staret Pontificium, mysterium nominis huius euulgandi. Nunc verò immortalis Christo sit gratia, mutata est rerum, temporúmque scena. Satis iam satis laruatus Pontifex occultauit suas fraudes. Satis suis mendacijs orbem ludificauit. Iactat se pro vicario Christi, quo nihil falsius: : pro successore Petri, quo nihil vanius: pro vniuersali ecclesiæ capite, quo, quid insanius? Atqui creditum est ijs mendacijs ad tempus, quoad visum est omnipotenti Deo, meliori cognitionis suæ luce, mentes illustrare credentium: vnde inuerso tandem rerum cursu, cæpta est tandem sedes bestiæ obtenebrari, fatáque Romana indies magis ac magis in interitum ruere. Vtcunque sibi applaudit gloriosus Pontifex, incipit nunc mundus oculos habere & aures, quibus non solùm fraudes Romanas perspicuè videant, sed & sedem etiam, nomenque ipsum Romanum & numerum Antichristi ex liquidissimis Scriptúræ notis percipiant atq; obseruent.

Causa cur Ioannes nomen Antichristi expresse redendum non existimabat.

Falsum. Falsum. Falsum.

Quod quum ita sit, quod supra præmonui, vt idem nunc repetam, moneo iterum, atque iterum, pios in Christo fratres, hos maximé, qui Romanas partes consectantur tam religiosè, vt Propheticis admoniti Scripturis, perpendant priùs prudenter, quid agant, ne pro Christi vicario, Christi aduersarium foueant, ne falsa pro veris, pro luce tenebras, pro cœlo gehennam sibi lucrifaciant. Quod ne fiat, faxit Dominus, precor, ille dominantium, qui solus in medio throni dignus inuentus est, librum accipere de manu sedentis, & aperire signacula eius, vt spiritu gratiæ suæ, aperire dignetur mentes istorum, vt qui seducti hactenus fuerint Romani Antichristi erroribus, relicto tandem Antichristo, redeant ad sinceritatem illam, quæ est in Christo Iesu. Amen.

Pergamus οὖν τῷ χριστῷ ad Caput proximum.

CAPVT XIIII.

ET vidi, & ecce agnus stans super montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor milia, habentia nomen patris sui, scriptum in frontibus suis. Et audiui vocem de cœlo, tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam vocem tonitrui magni: & vocem audiui citharœdorum citharizantium citharis suis.

Et cantant quasi canticum nouum ante sedem, & ante 4. animalia & seniores, & nemo potuit discere canticum, nisi illi 144000. qui empti sunt de terra. Hi sunt qui cum mulie-

lieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt. Hi sequuntur agnum quocunque ierit. Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo & agno, & in ore eorum non est inuentus dolus, Sine macula enim sunt ante thronum Dei.

Et vidi alterum Angelum volantem per medium cœli, habentem Euangelium æternum vt euangelizaret habitantibus super terram, & omni genti, & tribui, & linguæ, & populo, dicentem magna voce. Timete Deum, & date illi honorem, quia venit hora iudicij eius: & adorate eum, qui fecit cœlum & terram, mare, & fontes aquarum. Et alius secutus est dicens: Cecidit, cecidit Babylon ciuitas illa magna, quia à vino iræ fornicationis suæ potauit omnes gentes.

Et tertius Angelus secutus est eos clamans voce magna: Si quis adorauerit bestiam, & imaginem eius, & acceperit characterem in fronte sua, & in manu sua, & hic bibet de vino iræ dei, quod mixtum est mero, in calice iræ ipsius. Et cruciabitur igne & sulphure in conspectu Angelorum sanctorum, & ante conspectum agni. Et fumus tormenti ipsius ascendit in secula seculorum. Nec habent requiem die ac nocte, qui adorant bestiam, & imaginem eius: & si quis acceperit characterem nominis eius. Hic patientia Sanctorum est, qui custodiunt mandata & fidem Iesu.

Et audiui vocem de cœlo dicentem mihi, scribe: Beati mortui, qui in Domino moriuntur, à modo etiam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis: sed opera illorum sequuntur eos.

Et vidi, & ecce nubem candidam, & super nubem sedentem similem filio hominis, habentem in capite suo coronam auream, & in manu sua falcem acutam. Et alius Angelus exiuit de templo, clamans voce magna ad sedentem super nubem: Mitte falcem tuam: & mete quia venit tibi hora, quoniam aruit messis terræ.

Et misit qui sedebat super nubem falcem suam in terram, & demessa est terra. Et alius Angelus exiuit de templo, quod est in cœlo, habens & ipse falcem acutam. Et alius angelus exiuit de altari, qui habebat potestatem super ignem, & clamauit voce magna ad eum, qui habebat falcem acutam, dicens: Mitte falcem tuam acutam & vindemia botros terræ, quoniam maturæ sunt vuæ eius. Et misit angelus falcem suam acutam in terram, & vindemiauit vineam terræ, & misit in lacum iræ Dei magnum, & calcatus est lacus extra ciuitatem, & exiuit sanguis vsque ad frænos equorum, per stadia mille sexcenta.

IN ijs, quæ superiori capite præcesserunt, de vtraque bestia sat dictum est, de potentia vtriusque, ac horribili earum rabie contra Dominum, & Christum eius, de imagine bestiæ restituta, de occisis ijs, qui bestiam adorare, eiúsque suscipere characterem renuerunt, de nomine item, numeróque bestiæ. His itaque hactenus expositis, proximum est, vt quid affert capitis sequentis visio, vicissim videamus. Quæ in quatuor aut quinque partes præcipuè, ceu actus primarios digeritur.

SVMMA RERVM, QVAE IN HOC Capite continentur.

t DEscribitur spirituale regnum Christi, & sanctorum eius. Spirituale regnum dico, quia etsi ex hominibus consistit, atq; in visibili ecclesia, quæ est mons Syon, versatur, tamen vniuersa eius gloria, bona, felicitásque, & triumphalis ouatio prorsus spiritualis, nec nisi spiritualiter intelligitur, idque non nisi ab electis solùm.

Tres Angeli diuinæ prædicationis nuncij.

Reliquas tres partes occupant tres Angeli, seu nuncij diuinæ prædicationis, quorum prior euangelizans per medium cœli, inuitat ad timorem Dei, admo-

2 nens de hora diuini iudicij. Alter Angelus nunciat de ruina Babylonis. Tertius an-
3 gelus quarto loco, ingenti voce clamitat de fugienda omni coniunctione, & socie-
tate, cum Antichristo, simúlq; grauiter comminatur ijs, qui bestiæ charactere insig-
niuntur. Mox vocem hanc, & alia vox de cœlo excipit, prædicans de felici statu, &
4 conditione eorum, qui vel oppressi ab Antichristo, fortiter occubueruut, vel qui in
Domino fideliter quocunq; modo moriuntur.

5 Quinto loco aduenit Iudex ipse cum sua falce, in quo, reuelatio diuini iudicij o-
stenditur.

Et vidi, & ecce agnus stans super montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor milia, &c.

DE CANTICO SANCTORVM PSALLENTIVM CUM AGNO IN MONTE SYON, EORUMQ; SANCTITATE

Agnus stans super montem Sion.

SVb nomine Agni, filius Dei, seruator noster Iesus Christus, rex super montem Syon constitutus, caput vniuersalis suæ ecclesiæ, & Dominus vniuersorum significatur: Sub typo montis Syon ecclesia vniuersalis intelligitur. In hoc monte stat,

Agnus stans, & ambulans in medio ecclesiarum, non sedens modo.

non sedet agnus, nec stat solùm sed ambulat, etiam in primo capite, in medio ecclesiarum, nec solus stat, sed cœtu suorum electorum, satis numeroso comitatus, ad centum quadraginta quatuor milia, habentium nomen patris sui scriptum in frontibus suis. Age, & quo modo stant, aut quid agunt isti in monte Syon? Non muti, nec ocioſi, scilicet; sed modulantes, & concinentes citharis suis, canticum nouum, carmen triumphale, psallentes ante sedem throni, & Seniores.

Mons Syon.

Est autem Syon mons ecclesiæ typus, in qua quum stat agnus, non sedet, nec stertit, semper paratus in defensionem suorum: quid igitur causæ dicemus, cur

Pontifex ociosus sedens Romæ.

Pontifex Romæ ocioſus sedeat, vices Christi sibi sumens tam superbè, capútque ecclesiæ sese iactitans. At quorsum opus capite aliquo huiusmodi vicario, Christo ipso præsente, rémque gerente tam fortiter? Cuius cœleste numen suos haud vnquam deserens, singulari cura, & prouidentia ecclesiam prouehit, magnísque quotidiè incrementis dilatat, ac dotibus illustrat, ad gloriam nominis sui. Sed redeamus ad visionem.

Et cum eo centum quadraginta quatuor milia, &c.

Electorum numerus certus ne an incertus.

Tot enim numerantur in sacro hoc cœtu, quos dominus regni sui particeps, gloriæq; consortes voluit. Ducitur autem hic numerus, vt ante dictum est, ex duodecim tribubus Israel. Quibus si singulis singula duodena milia attribuantur, exijt integra summa, ad milia centum quadraginta quatuor. Quid ergò? an præter hos nulli admittendi sunt alij ad regnum gloriæ, quàm qui stato hoc numero continentur? Hac de re satis iam ante dictum est, in explicatione cap. 7. Vbi præter hos signatos, in-

Apoc. cap. 7

gens porrò auditur turba quam numerare nemo potuit ex omnibus gentibus & populis, & linguis. Vnde non exiguum videmus exercitum eorum, qui Christo adsũt, licet multò plures cernuntur, qui castra sequuntur Antichristi: tamen ijdem si per se considerentur, ingentem, ac propè infinitum numerum conficiunt, qui Deo quidẽ certus esse potest, hominibus planè incertus est, & incognitus.

Gaudia sanctorum in cœlo triumphantium.

Pergamus: Et quid agit tandem beata ista sodalitas in monte Syon, cum Christo? Cantillant, lætantur, citharisant, triumphant. Rectè, & quid causæ est, cur Propheta in visione hac tripudiantes, & psallentes eos induceret. Causa ipsa nec leuis, nec obscura videtur. Perſenſerat enim absque dubio Angelus, cum

Causa cœlestis lætitiæ apud sanctos.

suo cœtu, horam τῆς δικαιοκρισίας non procul abesse à ianuis. Quæ res illis summæ lætitiæ materiam præbuit: quemadmodum & pijs omnibus nihil possit esse iucundius, quàm quod ab Angelo mox sequente, auditum est, de hora iudicij aduentante. Nec dubium, quin propinquitas illius horæ, minimè late-

latebat sacrum hunc Christi populum. Quæ causa fuisse videtur, cur tanto delibuti gaudio pij spiritus, temperare sibi nequirent, quin citharis Domino canerent, simmáq; tripudiantes lætitia, ebuccinarent triumphale carmen.

Age, & quale hoc canticum fuisse dicemus? Nouum scilicet: quod nec ab vllis percipi posset mortalibus, præterquam ijs duntaxat, qui empti sunt de terra. Quid ita? Quia nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus se. Altiora sunt omni humano captu, veréque glorioſa, quæ dicta sunt de te, ciuitas Dei. Qui carnalia huius mundi sapiunt, suásque felicitates externis seculi opibus, delitijs, honoribus metiuntur, habent & hi sua quidem solatia, modulationes, choreas, gaudia, triumphos, habent & citharas & buccinas suas, quibus se oblectant, at quæ quantaque in Christo, parta sunt bona pijs fidelibus, minimè sentiunt, ac ne cogitare quidem possunt. Christum vtcunque in ore habent, fidémque illius labijs præ se ferunt, vim certè fidei nesciunt, factisque planè denegant, quæ Dei erga nos voluntas sit in filio, quæ quantæq; in illo promissiones, ignorant. Christianismus si verus sit, quid aliud est, quàm gaudium in spiritu sancto, quàm libertas, pax conscientiæ, securitas, confidentia sine metu, dignitas, gloria infinita?

Canticum nouum, nec notum nisi pijs. 1.Cor.2. Psal.86. Christus carnalibus ignotus.

Hinc suauissimæ illæ in Prophetis voces, Noli timere Iacob. Gaudium & lętitiam obtinebunt, fugiet dolor & gemitus. Et rursus: Nolite timere, neque turbemini. Et mox: Deleui, vt nubem, iniquitates tuas, & quasi nebulam, peccata tua.

Esai 43. Esai.35. Esai.44.

In diebus illis saluabitur Iuda, & Israel habitabit confidenter. Et Ezechiel: Habitabunt confidenter absque vllo terrore. Iterum Esaias lætitia sempiterna erit eis. Item, Ecce ego creo Ierusalem exultationem, & populum eius, gaudium, & gaudebo in populo meo, & non audietur in eo vltrà vox fletus, & vox clamoris. Item, Ecce ego facio omnia noua, & nunc orientur. Et capite 45. Ecce ego creo cœlos nouos, & terram nouam, & non erunt in memoria priora. Sed gaudebitis, & exultabitis in his, quæ ego creo: quia ecce creo Ierusalem exultationem & populum eius gaudium, &c. Rursus: Sicut cœlum nouum, & terra noua, sic stabit semen vestrum, & nomen vestrum. Similiter Ieremias: Feriam domui Israel, & domui Iuda fœdus nouum, peccatorum eorum non recordabor amplius, &c. Ezechiel: Dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri.

Ieremi.32. Esai.61. Esai.65. Esai.43. Omnia noua. Esai.45. Esai.66. Ierem.cap.31. Cor nouum, spiritus nouus.

Audiamus & D. Paulum: Ecce facta sunt omnia noua. Vnde idem Apostolus, pulso omni metu, Corinthios suos dilatato esse animo: Philippenses porrò, & Thessalonicenses, gaudere in Domino, iterúmque semper gaudere iubet. Breuiter incredibile est humanæ rationi, quàm stupenda, quantæque consolationis beneficia sunt parta nobis per Christum, donata per patrem, in scripturis certissimè promissa, quæ etsi carne non sentiantur, at spiritu & fide percipiuntur: etsi perceptio hæc plenè perfectéque ad vitam futuram pertinet, at gustus tamen eorum, vsúsque non mediocris sanctos, in hac etiam vita, suauissima consolatione perfundit. Quid enim delectabilius, quàm perpetua & gratuita peccatorum remissio? reconciliatio cum Deo, mortisq; victoria, vitæq; æternæ promissio, ab ira & legis maledictione immunitas, regni nunquam finiendi hæreditas, tuta denique tranquillaq; omnia, in cœlo, & in terra? Hinc q; spiritualis illa gratulatio, & applausus bonorum, in medijs etiam ærumnis.

2.Cor.5. Phil.3. 1.Thes.5. Beneficia Christi.

Sic cantabant Paulus, & Silas, in medio carceris: Sic gaudebant Apostoli virgis cæsi: Hinc fiducia piorum omnium, in morte redemptoris, gaudiumq; in spiritu sancto. Hinc nouum illud canticum, nouum carmen, quod canitur ante thronum Dei, mundo inauditum, nullisq; cognitum, exceptis ijs 144000. Quid ita? quia animalis homo non percipit, quę Dei sunt. Carnales non sapiunt, quæ sunt spiritus. Qui auersi sunt à Christo, non admittunt salutarem hanc doctrinam, de beneficijs, de

1.Cor.2.

de officio, de gratia ſeruatoris, ſed eam potius perſequuntur. Breuiter, myſticum hoc carmen laudis nulli omninò callent, niſi ſoli electi. Quin nec hi etiam ipſi vllo certè ſuo merito, aut operum præſtantia: ſed quia electi ſunt, vt euangelium audiant, & quia redempti ſunt, inquit, de terra, vt intelligant gaudia ſalutis.

Myſticum laudis carmen nullis notum, niſi electis.

In quo, deſcriptio breuis continetur veræ eccleſiæ. Eſt enim vera eccleſia cœtus hominum, qui redempti ſunt de terra, precioſo ſanguine agni immaculati: non quòd ipſi immaculati eſſent, qui redimerentur (ita enim nulla opus eſſet redemptione) Sed quia immaculatus eſſet agnus, à quo redempti ſunt de terra peccatores. Et cur redempti? vt pergerent in peccatis ſuis? Nihil minus. Sed vt proficientes in ſtudio piorum operum, gloriam Dei, pro acceptis beneficijs, perenni celebratione recolerent, loquentes ſibi ipſis in ſpiritualibus canticis, & pſalmis, pſallentes in corde ſuo Domino, gratias agentes ſemper, de omnibus, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti Deo & patri.

Si immaculati, quo modo redempti. Si redempti, quo modo immaculati. Redemptionis finis. Epheſ. 5.

Hæc hactenus de canticò pſallentium, itémque de numero eorum, atq; de cauſa etiam pſallendi, quæ duplex eſſe poteſt, vel propter vicinitatem diei illius magni, Dei omnipotentis, quem quia præſenſerant finem breui impoſiturum omnibus malis, non poterat illis, non ingentem lætitiæ & conſolationis incutere materiam. Vel etiam fieri poteſt, vt ſpiritus Dei propheticus, præuidens hodiernam eccleſiæ renaſcentis reformationem, qua, labente nunc regno Antichriſti, his poſtremis temporibus, Deus mirabiles gloriæ ſuæ opes incipit nunc oſtendere. Idcircò ex ſimilitudine ſuperioris illius gaudij, præludere voluerit, ad triumphalem multóque iucundiſsimam temporis huiuſcè noſtri, ſub finem mundi, conditionem, in reſuſcitando Chriſti euangelio, reficiendiſque hominum conſcientijs, idque non ſine ſingulari conſolatione, & applauſu omnium piarum mentium. Subiungit poſt hæc Propheta.

Cauſa pſallentium electorum duplex.

Ex Sebaſt. Meyr. & Auguſt. Marlorat.

Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, Virgines enim ſunt. Hi ſequuntur agnum, quocunque ierit. Hi empti ſunt de hominibus, primitiæ Deo & Agno. Et in ore eorum non eſt inuentus dolus. Sine macula enim ſunt ante thronum Dei, &c.

DE ECCLESIA VERA ET FALSA, DE *fide, & operibus.*

De eccleſia eiuſque notis. Vera cognoſcendæ eccleſiæ ratio iuxta papiſtas.

DE Eccleſia, quæ vera ſit, quæ falſa, quæ veræ eius notæ, & proprietates, quibus vtraque ab altera ſecerni queat, non parua iam diu exarſit inter partes diſceptatio. Qui pontificiæ ſtudent factioni, omnia redigunt ad ſummi Pontificis ſubiectionem, ac Catholicæ Romanæ fidei obedientiam. Ea quoniam errare nunquam hactenus, vt aiunt, viſa eſt, nec errare poteſt: falli eos, qui fide huius eccleſiæ ingrediuntur, non poſſe: cæteros extra hanc eccleſiam omnes hæreticos eſſe contendunt. At Chriſtus aliter, quæ vera ſint eccleſiæ membra, vt internoſcamus, non ex humana addictione, aut confœderata coniunctione, argumentum ſumit, ſed ad fructus vitámque eorum nos mittit. Ex fructibus, inquit, eorum cognoſcetis eos. Et rurſus, omnis arbor bona, facit fructus bonos. Item, vnaquæque arbor ex fructu cognoſcitur. Nequaquam igitur externis geſtibus, aut ſpectris fidere nos iubet Dominus.

Vera cognoſcendæ eccleſiæ ratio ex ſcripturis. Math. 7. Luke. 6.

Vt nihil periculoſius, ita nihil vſitatius eſt, quàm vt in veſtitu ouium ſubintrent, qui intus ſunt lupi rapaces. Ex morum igitur vera innocentia, vitæque inſtitutione, certiſsimum ſumitur iudicium. Qui electi ſunt, atque ſecundum propoſitum vocati ad vitam, præſtant, pro virili, quæ digna ſunt electione & vocatione Dei. Non quòd fructus iſtorum operum præcedant, aut efficiant electionem: ſed

electio

electio per gratiam, fidem parit, fides operatur, non charitas per fidem, sed fides per charitatem operans fructus producit, electione dignos. Sic Maria, non quia dilexit, ideò in Christum credidit: Sid quia credidit in eum, ideò dilexit multum. Sic arbor, quæ bona prius efficitur, fructus ædit bonos, non ipsa ex fructibus bona efficitur, at cognoscitur tantùm. Nec aliter qui electi, veráque ecclesiæ membra existunt, ex fructibus cognoscuntur quidem, non redduntur tamen ex ijs electi.

Opera bona non pariunt electionẽ, nec fidem: sed electio per fidem gignit opera bona.

Iam verò vt opera verè bona, Deóque grata, non nisi propriè electorum sunt: ita ex his ipsis fructibus Sanctorum, primam hîc laudem obtinet Virginitas, vt verba habent Prophetæ.

Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt, &c.

DE VIRGINITATE ET CONIugio.

QVoniam Virginitas res non simplex est, videndum in primis, de qua virginitate loquitur hîc propheta. Est enim virginitas alia externa, alia spiritualis. Ac primùm quòd ad externam attinet, si modo vera sit, ac huiusmodi, qualem describit Paulus, quæ dono Dei suffulta, τὴν ἐξουσίαν ἔχει τοῦ τηρεῖν, diuina planè res est, & Angelica, nec multis forsan concessa, tametsi nonnullos huiusmodi existere fatendum est, qui, Christo ipso teste, castrauerunt se propter regnum cœlorum, quos iure quidem præponendos esse cæteris vitæ ordinibus, non negamus.

Virginitas duplex.

Math. cap. 19.

Sed videndum interim, ne nimio Virginitatis studio abducti, nullas esse putemus virgines, nisi qui in cælibatu vitam transigunt. Nam vt id fateamur, virginitatis custodiam, si incorrupta sit, primam habere laudem, at nihil obstat tamen, quin & coniugium etiam suam habeat virginitatem. Quòd si enim virgines, hoc loco dicuntur, qui cum mulieribus, vt ait, non sunt coinquinati: sique nihil inquinatum nuptiæ habent legitimæ: Honorabile enim inter omnes connubium, καὶ ἡ κοίτη ἀμίαντος: nihil restat, quin qui in bono coniugali honestè se continent, nec alienos inuadunt thalamos, rectè virgines dicantur. Nam alioqui si omnes, qui Christo adsumulantur in monte Syon, virgines esse oporteat: nec alij vsquam virgines existant, præter eos, qui cælibem agant vitam: ita fiet, vt coniugati omnes, & Abraham, Isaac, & Iacob, Moses, Dauid, & Petrus ipse, maximáque sanctorum pars, à beato hoc contubernio excluderentur. Quod dictu nefandum est. Ad hæc, cur Dominus ipse nuptias in Cana Galileæ, sua non solùm præsentia, sed primo etiam miraculo dignaretur, nisi coniugalem copulam, rem sanctam & pudicam iudicasset?

Virgines qui rectè dicendi sunt.

Hebr. 13. Connubium honorabile suam etiã habeẽ virginitatem.

Vnde satis mirari nequeo, quis Dæmon Romanam hanc sedem adeò fascinauit, vt sacra hæc coniugalis libertas, tanto iam tempore, inde vsque ab Hildebrando, per omnes ecclesias, à populo ecclesiastico, oppositis legibus infandis, præter omnem rationem interdiceretur. Quod nec Paulus ipse futurum, tot retrò seculis ignorabat, adeóque disertis verbis, doctrinam vocat Dæmoniorum. Nec immerito. Quæ enim ex Stygia ipsa palude, turpissima libidinum fomenta, quanta malorum lues, quæ infanticidia, & fœdissimarum pollutionum monstra, in religiosorum ordines eruperunt, dictu horrendum est, nec verbis referendum. Atque hęc de externa hactenus virginitate.

Coniugij legitima libertas viris Ecclesiasticis interdicta per Antichristum Romanum. 1. Tim. 4.

Venio ad alteram illam, non quæ externis votis suscipitur, carnémque illibatam reddit, sed quæ mentem potius internam, ab adulterinis doctrinis, integram, ac inuiolatam tuetur. Atque hæc quidem Deo multo gratissima virginitas est, cùm interior hominis pars, nulla idololatria, aut meretricijs seductionum lenocinijs polluta, castam se virginem Christo exhibet, quæ nulla ratione, nullis peruersæ doctrinę

Virginitas mẽtis pura & integra ab omni Idololatrico cultu.

doctrinæ illecebris, aut humano terrore, à complexu sponsi sui, diuellitur, aut alienis sese erroribus capi patitur.

Atque illud est, quod innuere hîc videtur Iohannes, quum dicit, virgines eos esse, de sanctis nimirum intelligens, qui promissam fidem Christo seruant, nec alium agnoscunt sponsum, quam Christum, nec alium mediatorem confitentur: sed prorsus ab vno illo pendent, alios nullos inuocant, nec colunt sanctos, nec ab eo ad fallaces mundi vanitates deflectunt. A quo sensu, nec multum discrepat Augustini consona interpretatio, qui in verba hæc commentans, *Virgines enim sunt*: Virgines, inquit, hoc loco, non solùm corpore castos intelligamus, sed maximè omnem ecclesiam, quæ fidem puram tenet, sicut dicit Apostolus: Desponsaui enim vos vni viro, virginem castam exhibere Christo, nulla adulteri na hæreticorum commixtione pollutam, nec malè blandis, & mortiferis huius mũdi voluptatibus, vsq; ad exitum vitæ suæ, absque remedio pœnitentiæ, infelici perseuerantia colligata.

Augustin. in Apoc. hom. 11.

2. Cor. 11.

2 *Hi sunt, qui sequuntur agnum quocunq; ierit.*

2 nota sanctorum.

Imitatio Christi.

Etsi humanæ non sit fragilitatis, ijsdem per omnia ingredi vestigijs, quibus præcesserit Christus: at qui vera sunt Christi membra, dabunt operam sedulò, pro sua quisque virili, vt Christo capiti respondeant. Qui discipuli sunt, ne quando à latere sui præceptoris diuellantur: qui oues sunt, vt pastorem præsentem sequantur, quocunque duxerit. Quo modo autem præcesserit, & quo modo sequi eum oues oporteat, non inscitè indicat Augustinus, eo in libro, cui titulum dedit, de sancta virginitate. Præcesserit siquidem ille, in paupertate spiritus, qui pauper pro nobis factus est. Procul abijciamus & nos omnem vitæ fastum. Mitis erat ille, & humilis corde: discamus pariter cum eo mitescere. Lugebat ille, flens super Hierusalem: Esuriebat, & sitiebat ille, non alium magis panem, quàm vt faceret voluntatem eius, qui misit eum. Idem sit nobis cum illo cibus.

Aug. de sancta virgin. cap. 28.
Math. 5.
2. Cor. 8.
Math. 5.
Math. 11.
Luc. 19.
Ioa. 4.
Math. 5.
Luc. 10.
Math. 5.
1. Pet. 2.

Beati, inquit ille, misericordes: sequamur & nos Beatum illum Samaritanum, qui vulnerato in via, à latronibus subuenit, ne periret. Beati, inquit, mundo corde: Imitemur igitur eum, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Orauit ille in cruce pro persequentibus: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt: Et nos furiosi, non pacifici, vindictam non remittemus Domino? Beati qui persecutionem ferunt, propter iustitiam. Crucem suam portauit ille quàm mansuetè, relinquens nobis exemplum, vt sequamur vestigia eius. Hæc qui imitantur, sequuntur agnum, quocunque vadit, &c. Hæc Augustinus.

Tertia nota Sanctorum.

3 *Empti sunt ex hominibus primitiæ Deo & Agno, &c.*

DE REDEMTIONE, REDEMPTORE, ET *redemptionis precio.*

SVperius de terra, nunc de hominibus emptos dicit. Ipsa in re, nullum discrimen est. Sensus est, ex perdita terræ massa, miseraque hominum perditorum colluuie, hoc est, ex mortali mundi huius conditione, ex seruitute Satanæ, ad meliorem vitæ sempiternæ gloriam euocantur à Deo, vt aggregati regno Christi, agno seruiant ad laudem gloriæ ipsius. Hincque eos, ex reliqua hominum sorte, peculiari Dei electione, segregatos esse, imo non segregatos, sed presiori vocabulo redemptos affirmat. Et rectè quidem redemptos, vt hinc admoneamur, vniuersam fidelium salutem, non aliter quàm redemptione constare, non suis officijs, aut obsequijs, sed alieno pretio, & iure redemptionis comparatum esse, quicquid hoc felicitatis est, quo potientur electi in regno Dei.

Quoniam

Quoniam autem de redemptione incidit hic locus, in hac quidem voce plura spectanda sunt.

In redemptione sex consideranda.

1. Quid vox significet redemptionis. 2. Quis redemptor ille sit. 3. Cùm iuxta regulam relatiuorum emptio sine venditione constare non possit, Christúsque redemptor sit, à quo nos emit ille, videndum est. 4. Ad quos pertinet propriè hæc redemptio. 5. Quod pretium fuerit redemptionis. 6. Quæ beneficia hinc consequantur: simúlque ex quot quantísque incommodis liberat hæc redemptio.

1 2 3 4 5 6

1 Redemptio quid sit.

Primùm, quod ad definitionem attinet, iuxta scholasticos, Emptio & venditio, contractus est, per quem fit translatio dominij alicuius rei, de vno, ad alterum, pretio legitimo intercedente, ita quòd ibi sit merx, & pretium, & emens & vendens, &c. Hæc Gerson.

Gerson de cõtractibus part. 1. Consider. 4.

2 Redemptor quis.

Secundò, Redemptor quis alius sit, nisi Christus agnus Dei, qui tollit peccata mundi.

3 Ementis personam vendentem necessariò requirit: & quis ille.

Tertiò, quia iuxta regulam relatiuorum, emens sine vendente esse non possit, quis ille sit, à quo nos emit Christus, si quæratur, Pater sit necesse est, de quo transiuit possessio rei venditæ, ad emptorem, pretio legitimo mediante, vt in definitione ponitur.

4 Redempti qui. Quæstio, vtrũ totius mundi peccata tollãtur. Respons. Nullus in agno defectus, quo minus omnes seruentur. Distinctio scholastica. Iuxta sufficientiam, & iuxta efficientiam.

Quartò, quum vniuersalis res sit huius redemptionis beneficium, qui tollit peccata totius mundi: quæritur vtrum ad omnes Adæ posteros, ex æquo, pertineat redemptionis huius gratia an ad certum quendam numerum restringatur? Respondeo, restrictionem hanc facit incrẽdulitas hominum, non Agni defectus. Quia etsi Agnus tollit peccata totius mundi, iuxta sui sufficientiam, vt vetus habet scholarum distinctio, at iuxta efficientiam tamen, non omnium tolluntur peccata, nisi eorum modo, qui in Christum credunt. Nam aliter, non diffunditur hæc peccatorum redemptio, nisi sub hac conditione, vt in Christum credatur. Nunc autem quoniam, vt ait Paulus, non omnium est fides: plurimique sunt, qui fidem nullam in Christum gerunt: permulti insuper, qui hypocritica fronte simulant fidem: eo fit, vt numerus redemptorum, non specie ad singulos homines, sed genere quodam, vt habet August. ad certos quosdam Deo soli cognitos redigatur, non defectu aliquo redemptoris, sed hominum vitio, qui redemptionis gratiam non admittunt.

Fides sola cõditio obtinendæ redemptionis. Beneficiũ redemptionis vniuersale. Effectus eius non item.

5 Pretiũ redemptionis nostræ. In precio redemptionis 2. cõsideranda. Legitimum precium. Precium iustũ & idoneum.

Quintò, cùm omnis salutis nostræ, iustitiæ, vitæq; dignitas, vt dictum est, sola constat redemptione, nec possit redemptionis vlla pactio fieri, sine certo intercedente pretio, quodnam igitur hoc precium existat, videndum est. In quo dùo consideranda sunt, primùm, vt legitimum sit: deindè vt sit ἱκανον .i. sufficiens. Vt autem vnus homo, offensa Dei iustitia, omnes homines pessundedit, atq; vt prima creatura rebellans suo creatori, omnes nos coniecit in interitum: ita legitima ratio postulabat, vt quod per hominem contractum est, per hominem rursus resarciretur, si fieri potuisset. Cæterum quoniam sine idoneo iustóque precio, confici id non potuit, nec quisquam inter omnes Adæ posteros inueniretur, qui accensam diuinæ iustitiæ flammam hanc restinguere valuisset, missus est κατὰ τὸ καταχυχώμενον ἔλεος τῆς χρίσεως, ad nos à Deo, Dei filius, qui carnem pro nobis humanam indueret, atque in carne debitum hoc, suo ære exoluereret, cui nos soluendo non essemus. Erat autem debitum, quod Deo debebamus, supra vires & facultates nostras per quam ingens.

Iac. 2. Debiti solutio. Christus Deus ex Deo, Homo ex homine.

Obstricti siquidem diuinæ iustitiæ debebamus illi, & corpora, simul & animas nostras, in perpetuam Satanæ seruitutem. Ad hoc igitur persoluendum debitum, precio opus erat, non humano, sed planè diuino: imò & diuino simul & humano. Vndè missus à clementissimo patre, ad nos venit Dei filius, & filius virginis, Deus ex Deo, homo simul ex homine, qui vtrámque naturam, diuinam pariter & humanam, in vnam coniungens personam, solus idoneus fuit, qui

qui plenum, ac legitimum redemptionis noſtræ precium redderet. Cùm enim redemptio hæc, nec prece, nec gratia impetrari aliter, quàm morte ipſa potuit, quæ iuſtitiæ ſatisfaceret, ideò Dei filius homo factus eſt. Nam niſi homo fuiſſet, mori non potuiſſet: Rurſúsque niſi Deus fuiſſet, mors non profuiſſet.

Quemadmodum igitur contractus hìc noſtri Redemptoris, cum ſuo patre, perfici non potuit ſine precio idoneo, & legitimo: ita quodnam hoc pretium fuerit, quo modo idoneum, & legitimum ſit, intelligis. Mors enim erat Chriſti filij Dei: Nam ſine ſanguinis effuſione, non fit remiſsio peccatorum. Ideò apud Eſaiam paciſcitur ita Pater cum filio: Si iuſtus hic ſeruus meus animam ſuam poſuerit pro peccato, videbit ſemen longæuum. Rurſúſque, poſuit Deus ſuper eum iniquitates noſtras: & peccata noſtra ipſe portauit. Item, Liuore eius omnes ſanati ſumus. Ex quo vides, pie Lector, quanti conſtitit ſalutis noſtræ vindicatio. Quæ aliter, ſine ſanguinis precio, reſtitui nulla ratione potuit: vt ne quis putet tam leuem rem eſſe, tam terribilem Dei iram, peccatis in ſe concitare. Habetis igitur de redemptione eiúſque precio ſatis, & idoneo, & etiam legitimo.

Eſai. 53.

Ibid.

6 Fructus ac beneficia ex ſanguine Chriſti.

Reſtat nunc ſexto loco, vt videamus, qui effectus huius precij fuerit, & qui fructus inde ſit conſecutus. Pretium autem diximus mortem fuiſſe, & ſanguinem filij Dei, ſine quo nihil apud Deum obtineri potuit. Nunc igitur, perſoluto precio, effuſoque agni immaculati ſanguine, quid ex eo deindè conſecutum ſit, pari diligentia perpendamus. Id verò quale ſit, ex definitione ſupra poſita facilè elucebit. In omni enim contractu, ſi iuſtum & æquum interueniat precium, ex conſenſione vtriuſque partis, fit inde tranſlatio poſſeſſionis, ex vno, ad alterum: In qua tranſlatione, duo nobis animaduertenda ſunt. 1. quænam res ſit, cuius facta tranſlatio dicitur: Deinde cuiuſmodi tranſlatio rei ea ſit, quæ ſit, ab vno ad alterum.

Ex definitione contractus. Duo obſeruanda. 1 2

Primùm, quod ad rem ipſam attinet, cuius dominium transfertur ab vno ad alterum, ſtatus eſt perditorum hominum, ac vniuerſa denique natura humani generis, quæ prius obnoxia diuinæ iuſtitiæ, ſententiam æternæ mortis inflictam excutere nullo modo potuit, donec veniret ſemen illud benedictum, agnus immaculatus, qui dependens pro peccatis noſtris, vnico ſacrificio, rem totam confecit, iuſtitiæ ſatisfecit, ius omne in ſe tranſtulit, ſic vt pater neminem iudicet amplius, ſed omne iudicium dederit filio, qui iudex conſtitutus eſt viuorum & mortuorum: Eóque data illi poteſtas eſt vniuerſæ carnis, vt omnia in omnibus ſit Chriſtus. Non quòd minùs iam poſsit pater, quàm ante: ſed quia Pater incolumi ſua iuſtitia, peccatores per ſe ſeruare non potuit, immediatè: ideò mediatorem ad nos dimiſit, mediam videlicet perſonam inter Deum, & hominem, qui vtriuſque participans naturam, & Deus, & homo vtrumque alteri conciliaret, per quem, Pater omnem ſuam, in genus humanum potentiam, in cœlo atque in terra, exerceret.

Data Chriſto omnis poteſtas. Act. 10. Ioan. 17. Coloſ. 3.

De quo Dominus ipſe teſtans in Euangelio præmonſtrat futurum: Cùm exaltatus, inquit, fuerit filius hominis, omnia traham ad meipſum: de morte nimirum ſua ſentiens, quæ etſi humana quidem foret, at precium tamen certè diuinum erat. Quin neque minus etiam diuina illa exiſtunt, quæ ex precio hoc diuino, ad nos effluxerunt, fluúntque quotidiè, pax & gaudium in ſpiritu ſancto, peccatorum remiſsio, perempta inimicitia, deletum chirographum aduerſus nos ſcriptum, libertas non carnis, ſed ſpiritus, qua, à lege, transferimur in gratiam, Victoria Satanæ, & mortis, regeneratio noui hominis, qua ex filijs Diaboli, hæredes & filij Dei conſtituimur, ſalus & vita æterna, fiducia mentis inconcuſſa, & confidentia certiſsimis Dei promiſsis innixa.

Fructus ex morte & paſſione Domini.

Hæc

Hæc tam excelsa & diuina beneficia, quoniam non minus ad Christi gloriam, quàm ad nostram salutem spectant, discamus proindè ea diligenter agnoscere, & retinere: idque tantò diligentiùs, quò plures doctrina hæc habet in mundo aduersarios, Iudæos, Turcas: sed nullos infestiores, quàm illos ex cohorte Antichristi, papistas, Thomistas, Scotistas, Sophistas, Iesuistas, qui sub prætextu nominis Christiani, Christi doctrinam, fœdum in modum, obruunt, gloriam obscurant, pacem ac libertatem omnem conscientijs nostris eripiunt: perinde quasi per exigui esset precij sanguis Christi, relegant nos, ad Missas suas, ad sacrificia expiatoria, ad preces horarias, ad peregrinationes, & inuocationes Diuorum, ad confessiones, & pœnitentias satisfactorias, ad indulgentias nos mittunt, ad vota monastica, & ordinis grauamina, ad merita condignitatis, & congruitatis, similésque pestes confugiunt. Quæ si probè excutiantur, quid quæso ferunt aliud, nisi, vt sublata redemptionis doctrina, vniuersa salus nostra, pax, & fiducia, non fide in Christo Iesu, non in precio sanguinis, aut iure redemptionis, sed in operibus, studijs, & obsequijs nostris sita intelligatur. Quo quid vel ad eneruandam Christi gloriam, vel ad nostram euertendam salutem, pernicioſius ab Antichristo induci potuit? Sed de his superius abundè satis. Pergit dehinc, in deprædicanda Sanctorum puritate, & innocentia.

Et in ore eorum non est inuentus dolus. Sine macula enim sunt ante thronum Dei.

DE SANCTORVM PVRITATE ET innocentia.

VIdetur his verbis vir diuinus seruos Christi electos, ab omni scelere, & peccati labe, innoxios atque illibatos statuere. Quod tamen non ita absolutè accipiendum κατὰ τὸ ῥητὸν, perindè ac si pij, in hoc seculo, vitam ita tansigant, vt nulla eis inhæreat iustæ reprehensionis macula. Soli Christo Dei filio hæc debetur prærogatiua, vt solus sanctus, vt solus agnus sit, expers omnis maculæ, cuius in ore nullus inuentus sit dolus: qui solus id queat dicere. Quis ex vobis arguet me de peccato? Quanquam neque id negandum interim, quoad vitæ integritatem interesse non parum, inter hos, qui sequuntur agnum, & reliquos terræ filios, quos possidet mundi princeps. Verùm vt integerrima fuerit Sanctorum vita, nulla vnquam tanta fuit cuiusquam, in hoc vitę cursu, rectitudo, de quo, quod verè dictum est à Iacobo, non poterit æquè, atq; de cęteris item omnibus rectè affirmari. πολλὰ μὲν πταίομεν ἅπαντες. Esai. 53. Ioan. 11.

Age, & quid illud est igitur, quod ait hîc Propheta: dolum non esse inuentum in ore eorum: sine macula enim stare ante thronum Dei? Audiamus hac de re Augustinum non inscitè in hæc Prophetæ verba disserentem: In ore eorum non est inuentum mendacium: Non dixit, non fuit, sed non est inuentum. Qualem enim inuenit Dominus, quum hinc vocat, talem iudicat. Nam aut per baptismum, aut per pœnitentiam possumus, in interiori homine, & virgines effici, & sine mendacio. Iac. 5. Augusti. in Apoc. hom. 11.

Quin nec multum ab Augustino distant, quæ ex Tychonio citat Beda: Hanc visionem, inquit, Tychonius non de virginibus specialiter, sed de tota generaliter interpretatur ecclesia, quam despondit Apostolus vni viro, virginem castam exhibere Christo, ita concludens: Non dixit, non fuit in ore eorum medacium, sed non est inuentum. Sicut Apostolus dicit. Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis. Et iniquitas iniusti non nocebit ei, qua die conuersus fuerit ab iniquitate sua. Et poterit esse virgo, & dolus in ore eius, non inueniri. Virgines enim castos dicit, & pudicos &c. Hæc Tychonius. Quòd si igitur virginitatem rectè distin- Conclusio Tychonij.

Virginitas nõ corpore, sed mente magis consistit.

guere, cum Augustino, & Tychonio velimus, ea non corpore solùm consistit, sed mente multò magis & spiritu.

Vnde nihil est, cur Rhemenses nostri, similésque id genus Glossarij, de externo suo cælibatu, sese efferant tam magnificè, suúmque statum, cæteris vitæ ordinibus nimium præferant. Quanquam non diffitendum, quin habeat suam laudem externa corporis castimonia, si firmata dono Dei, nullis fœdæ, concupiscentiæ illecebris commaculetur, & ad finem vsque perduret. Sin aliter, nihil ficto hoc cælibatu damnosius, nihil affectata eius professione insanius. Quin insuper vt eadem maximè illæsa perduret, haud multum profuerit, nisi accedat interna pariter mentis puritas, quæ immunis ab omni spirituali fornicatione, nullis implicatur prauorum dogmatum, aut errorum corruptelis, nec vnquam à Deo suo, veróque eius cultu fornicatur, sed fidem vbiq; synceram, sine omni superstitione, aut idololatria, illibatam inuiolatámque retineat: Eáque summæ virginitatis laus, maximáq; apud Deum castitas est, in quocunq; reperitur statu, siue in cælibatu, siue in vita coniugali.

Virginitatis summa laus.

Quemadmodum Apostolus de circumcisione, & præputio disserens, neutrum horum, apud Deum quicquam esse prædicat, itidem & hic, pari contentione affirmari potest, quod ad Christianismi rationem attinet, nec coniugium nec virginitas, aut istiusmodi aliquid, quicquam facit, sed fides, quæ per charitatem est efficax, noua scilicet creatura. Oculi enim Domini, vt habet Hieremias, respiciunt fidem.

Hiere. 5.

Iam verò vt illud addam, quod ponit Augustinus, quid si ita eueniat, vt coniugalis vitæ retinentes laudabilem, vt inquit ille, modum, in ferenda cruce Christi, contra persecutorem possent, ad viscerum vsque laniatum & sanguinis effusionem, contrà verò, illi à pueritia continentes, séque castrantes propter regnum cœlorum, nondum tamen valeant, vel pro iustitia, vel pro ipsa pudicitia, sustinere: quid hic mihi dicent Romanenses, vtrum horum, an illorum statum magis, in sequendo agnum, per duras persecutionum asperitates, præferendam putent.

Aug. de virginitate cap. 47.

Martyres plures ex statu matrimoniali, quàm ex cælibatu.

Age, ad calculum res reuocetur, si placet, supputemúsque vtrum plures interciderunt Christi martyres, Romæ, in Hispania, in Gallia, Germania, Anglia, ex ordine inconiugatorum, an ex familijs coniugatorum, scire peruelim. Quod si ita sit, qua fide igitur illud comprobabunt, quod pro certissimo axiomate, in annotatione marginali statuunt Rhemenses? Qui sequuntur, inquiunt, agnum, virgines sunt.

SANCTI MARTYRES QVA RATIONE primitiæ Deo dicuntur.

Atque hæc hactenus de vita & virginitate sanctorum, quos emptos de terra, & segregatos ex hominibus, propheta commemorat. Vnde primitiæ, seu primogenita Deo dicuntur, & agno. Cur autem primitijs comparentur sancti, si causa postuletur, vt huic respondeamus: tria nobis succurrunt in primitijs potissimùm consideranda. 1. Paucitas, 2. Præstantia, 3. Finis. Atque de paucitate dicetur posterius.

In primitijs tria consideranda.

Præstantia primitiarum.

Præstantia primitiarum in eo sita est, quòd segregatæ extra omnem humanum vsum, in sublimiorem naturam, & conditionem transeunt, vt Deo iam addicantur, eiúsque vsui seruiant, vt nihil restet hominibus, quod in illis agant amplius. Sic enim de primitijs legimus, in Exodo, Leuit. Numer. Deuteronomi. in lege veteri sancitum à Domino, ijs verbis, Decimas tuas, & primitias tuas non tarda-

tardabis offerre: & primogenitum filiorum tuorum dabis mihi, de bobus quoque,& ouibus similiter facies &c. Rursúsque Leuiti 22. cùm messueritis segetem, feretis manipulum spicarum, primitias messis vestræ,ad sacerdotem, qui eleuabit manipulum coram Domino, vt acceptabile sit pro vobis, &c. Móxque ibidem porrò eodem die, quo manipulus consecratur, cædetur agnus immaculatus aniculus in holocaustum domini. Leuit 22. Leuit.22. Ibidem.

Age, & cur agnus simul cum primitijs cædi iubetur? nisi vt hinc admoneamur primitias istas non per se adeo, aut sua causa acceptas esse,sed propter agnum scilicet, qui cum primitijs simul in holocostum cædi mandatur. Quæso autem, agnus hic immaculatus, quid aliud, quàm Christus est? Quid cæde agni significatur, nisi sanguis Christi, in quo abluti,sanctificati, & redempti sunt, quotquot per fidem illi inseruntur? Age, conferamus modo cum istis cœtus sanctorum, siue electorum, qui ex terrena hominum colluuie segregati, redemptíque ex hominibus, Deo consecrantur, idque non sua causa aliqua, aut merito, sed sanguine solùm & redemptione agni immaculati, sine quo, nulla fit iustificatio, neque acceptio primitiarum, siue personarum, apud Deum. Quin nec minus idem cernere licebit,non in primitijs solùm, sed & in primogenitis hominum. Omne autem, inquit, primogenitum hominis, de filijs tuis, precio redimetur &c. Atque hæc de prestantia & segregatione hactenus. Sine sanguine agni immaculati nihil acceptum Deo. Exod.13.

Finem iam spectemus primitiarum, & primogenitorum. Quoniam autem sacerdotes & leuitæ non habebant partem,& hæreditatem cum Israel, ita prospectum illis esse voluit Dominus, vt ex sacrificijs & oblationibus populi, victitarent, nihilque aliud acciperent de possessione fratrum suorum, sed ex altari tantum viuerent. Deuter. cap. 18. Quod cùm ita sit, tanto magis eos niti decet, qui spirituales primitiæ Deo & Agno existunt, vt memores suæ vocationis, professioni respondeant, quoniamq; segregati de terra,& de hominibus redempti,in superiorem gloriæ gradum euocantur, finem supernæ suæ vocationis ritè expendant, vt ea quærant, quæ superna sunt, non quæ super terram, vt Deo, non mundo viuant, Dei gloriæ studeant, illius cultui seruiant, voluntati obtemperent, denique vt Paulinum secuti consilium, corpora sua exhibeant hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, obsequium ipsorum rationale, caueantque diligenter ὡςἰ μὴ συμμιλασχίζεσθαι τῷ ἀιῶνι τούτῳ vnde redemit eos diuina prouidentia. Primitiarum finis. Deut.18. Coloss.cap.3. Rom.cap.12.

Cæterùm, de paucitate,suboritur nonnulla fortasse difficultas. Nam si prima fructuum initia, quæ Deo deferebantur, vnũ manipulum, aut alterum non excedebant, hinc ilico colliget humana cogitatio, aut non rectè congruere manipulares istas primitias, cum multitudine sanctorum; aut perexiguum certè numerum esse illorum oportere. Etenim quæ proportio vnius manipuli, cùm tanta eorum frequentia, quos de hominibus redemit Christus? Et vbi igitur tot hominum milia, ex singulis tribubus consignata? Vbi infinita illa aliorum multitudo, quam enumerare nemo poterat? Denique vbi totus Israel, quem ad Christum conuertendum prædicit Paulus, si ad primitias tantùm & manipulares, diuina pertineat electio? De numero electorum, an pauci sunt, qui seruantur. Supra cap.7. Rom.11.

Hunc nodum vt discutiamus, primùm admonendus est studiosus Lector. In primititijs, duæ sunt res inprimis spectandæ. Quarum altera res ipsa oblata est: altera persona est offerentis. Primùm in re oblata, videndum, quid sit, quid, quantúmque in se contineat: continet autem dimensum vnius manipuli: Quæ res vt parua videatur, & perexigui momenti, si per se consideretur; ita si pro multitudine offerentium, primitiales isti manipuli reputentur, quatenus ab vniuerso populo,cunctísque filijs Israel, & aduenis, ex suo cuiúsque terræ prouentu offeruntur,in immensam,ac infinitam prope summam excrescant primitiæ istæ necesse est. In primitijs duo spectãda.

Haud secus res habet in primitijs sanctorum, qui si cum turba perditorum conferantur, pauci ex multis videri queant. Sin singuli inter se, in vnum coniungantur, aut ex multitudine offerentium æstimentur, quum nemo verè sit Christianus, qui non primitias ex se, aliquas Deo, & agno sacrificent, quin in cœtum ingentem numerus iste sanctorum coaleſcat, haud dubium est.

De primitiarũ interpretatione, alia coniectura.

Pergamus porrò. Quanquam quod ad primitias istas attinet, si liberet indulgere coniecturis, posset hîc fortassis alia adhiberi interpretatio, qua intelligatur hoc loco, non tota fidelium omnium, cum Christo regnantium, vniuersitas, vt plærique putant, sed primores Martyres illi, qui in primis ecclesiæ persecutionibus, mortem pro Christo subierunt. Huius interpretationis, duplex afferri potest coniectura. Primùm ex ipsa numeri diuersitate: Quandoquidem certò id constat, præter hæc centum quadraginta quatuor milia fidelium consignatorum alium prætereà superesse ordinem hominum, non consignatorum, tantò cæteris maiorem, quantò minùs numerari potuerint. Sic enim de his testificans propheta cap. 7. Quos, inquit, numerare nemo potuit. Ex quo multò ampliorem horum fuisse multitudinem minimè dubitandum est. Qui quoniam, in hoc capite, non recensentur, pariter cũ reliquis illis centum quadraginta quatuor milibus, haud improbabilis fit coniectura, primitias, in hoc capite, consignatas, ad vniuersum cœtum cunctorum fidelium minimè pertinere. Secunda coniectura ab ipso narrationis ordine ducitur, nempè si rectè deliberata temporum ratione, quid in singulis his quatuor, aut quinque visionibus, in hoc capite, expositis, quo tempore gestum fuerit, quid in his primùm, quid secundum, quid tertium, quid denique postremum sit, videamus, caueamúsque diligenter, ne tempora istarum visionum ita confundamus, ac si propheta in quadripartita hac diuisione, nullam seruasset certam dispositionis seriem. Quænam autem dispositio hæc sit visionum, facilius apparebit, si res ipsas cum temporibus conferamus.

Supra cap. 7.

Prima visio. 2. visio primi Angeli. 3. visio secundi Angeli. 4. visio tertij Angeli.

Primo loco antecedit agni visio. *Et vidi*, inquit, *& ecce agnus stans super montem Sion, & cum eo 144 00. &c. Post hæc alius sequitur Angelus, per medium cœli euangelizans, &c.* Deinde & alius ruinam nuncians Babylonijs. Post hos succedit & tertius *Et tertius*, inquit, *Angelus secutus est illos dicens voce magna: Si quis adorauerit bestiam, & imaginem eius, &c.* Proximo tandem ordine quarta subsequitur visio: *Et vidi*, inquit, *& ecce nubem candidam, & sedentem in ea similem filio hominis, habentem falcem acutam, &c.*

Tempora visionum considerata.

Quæ quum ita sint, loco & ordine dispositа, haud difficile hinc liquere potest, quænam tempora singulis hisce visionibus sint tribuenda. Primùm, quòd ad Agnum attinet super montem Syon, cum suis triumphantem, certum est, spirituale hoc sanctorum solatium, non posse propriè ad tempus illud primarum persecutionum accommodari: Tum verò multò minùs, ad nouissimum illud supremæ consummationis tempus. Nam alioqui quî præcedere potuit triumphalis ille applausus in monte Syon, ante tot missos angelos, ante ruinam Babylonis, & imaginem bestiæ, ante extremum mundi exitum, si post hæc omnia visio illa consequebatur? Quare restat denique, vt mentio hæc primitiarum in hac visione expressa, non aliter referri possit, quàm ad beatum illud tempus, quando superante Euangelio, & ruente gentilismo, ecclesia, post longas afflictiones, reddita est tandem, Christi auspicijs, faustissimæ tranquillitati, quæ per mille ferè annos, post Constantinum, Satana deuincto, perfruebatur. Atque hæc hactenus de primitijs emptis ex hominibus in visione prima: Pergamus porrò ad proximam visionem.

Læta pax reddita ecclesiæ post Constant.

Et vidi alterum Angelum volantem per medium cœli, habentem Euangelium æternum, vt euangelizaret sedentibus super terram, & super omnem gentem, & tribum, & linguam, & populum, dicendo magna voce: Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora iudicij eius: & adorate eum qui fecit cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt, & fontes aquarum, &c.

Post

Post libertatem & pacem ecclesiæ restitutam, postque festiuum illud melos beatorum spirituum, in monte Syon, quæ postea sunt gesta in ecclesia, ordine prosequitur Propheta. *Et vidi alterum Angelum volantem per medium cœli &c.*

Etsi nullo defuerunt tempore, nec defuturi sunt, qui Euangelium Dei æternum passim, per omnes mundi plagas disseminent, iuxta propheticam ἀπόφασιν: In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum: tamen quod ad hunc Angelum attinet, volantem per medium cœli, cum Euangelio Christi æterno, nihil necesse video, cur propheticam hanc visionem, ad publicum illud generalis prædicationis ministerium accommodemus, sed vt certum potius, & peculiarem temporis articulum aliquem in posteriori hac mundi ætate designet. Quod vel ex ipsis Angeli verbis haud ambiguum esse poterit. Qui cum ad fidem Christi, ad timorem Dei, eiúsque adorationem, cunctos vbique mortales inuitasset, mox prædicationis suæ causam exponit: Quia, inquit, venit hora iudicij illius. Vnde nemini dubitandum est, sacros Euangelij præcones, quos repræsentat hîc Angelus, non quosuis, nec cuiusuis temporis, hoc loco intelligi, sed eos potissimùm, qui nouissimis his diebus, ante iudicij diem, missi à Deo sunt ad prædicandum.

Psal. 18.

Ad certos temporum articulos restringendus est ordo visionum.

Id quod, hac nostra ætate comprobatum cernimus. Quis enim non legit, nouit, audiuit, iampridem excitatos à Deo, fidos verbi nuncios, & Euangelistas, numero frequentes, studio acres, donorum excellentia præstantes, qui contra improba humanarum inuentionum mendacia dimicantes, ab errorum quisquilijs, paleis, & stipulis, mundum ad saniorem Euangelij cognitionem reuocarent, qui posthabitis huius mundi curis, mentes hominum ad timorem Dei, eiúsque cultum accenderent. Idque tanto acrius facerent, quantò propius immineret eorum ceruicibus ineluctabilis iudicij seueriſsimi hora, quam nec effugere quisquam, nec sustinere poterit, quisquis spreto timore Dei, relictóque eius cultu, aliena idola, & Deos fictitios, aut peregrinas religiones, sibi ad cultum statuerit. Atque hæc quidem prædicatio, quum nullis non temporibus, summè peropportuna fuerit, tum nunquam necessaria magis, quam supremis hisce proximis diuino iudicio diebus: Vbi nullus ferè Dei timor in moribus, vix vlla in templis syncera illius adoratio cernitur.

Prædicatores nouissimis his mundi diebus à Deo excitati.

DESCRIPTIO IDOLOLATRIAE, IN *templis Papisticis.*

APud Turcas, pro Deo adoratur Mahumetus, lex illius pro Dei lege obtruditur. Quid de papismo, propè dixerim paganismo nostro dixerim? vbi omnia idolis, pictis, plasticis imaginibus, simulachris fœdata, nihil in Sacramentis integrum nihil in cultu syncerum relinquatur? Quot sanctos habet Calendarium Romanum, tot habent Romani Deos, & Deas, quos non aliter colunt ac venerantur, atque Deum ipsum. Quòd nisi ita sit, respondeant igitur, quid aptius Deo præstare queant, quam mortuis ipsi creaturis exhibent? Quorsum quæso attinet, in templis, tot signa, tot imagines diuorum, tanta religione collocare, ac defendere, quibus populus passim adaperit caput, procumbit in terram, adrepit genibus, cereos & suffitus accendit, deosculatur à contactu manus, affricat strophiola, vota, preces, lachrymas fundit. Quid nunc de illis loquar, qui perinde fabulantur cum imaginibus, quasi sensum habeant, nec eodem affecti modo, in omnes Christi & diuorum imagines, sed ab alijs sperantes, quod ab alijs non auderent petere: sic denique ab illis petentes omnia, quasi aut mortuus esset Christus, aut nihil esset eo opus.

Turcismus, Papismus, siue Paganismus.

Idolo latria in templis papisticis.

Adde huc potentiam denique Romani Antichriſti, qui ſedens in templo Dei, ſeſéque efferens tanquam Deum, nihil impenſius moliri videtur, quàm vt neglecto Dei cultu, omnes habitatores terræ, ad adorandam beſtiæ imaginem abducat: quin & mortem inſuper infligens adorare nolentibus. Vnde non incredibile videtur, viſionem hanc, nouiſsima hæc ſæculi tempora potiſsimùm reſpicere, miſſúmque diuinitus Angelicum hunc Euangeliſtam, incumbente nunc Dei iudicio, qui ab adoratione beſtiæ, cultúque imaginum, homines reuocet ad veram adorationem illius, qui fecit cœlum & terram, quíque iudicaturus ſit viuos & mortuos. Quapropter, cùm nullus ſit ſanctorum omnium, nec beatiſsima ipſa virgo, nec vlla beſtiæ, aut hominis imago, aut quiſquam alius, qui fecit cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt, conſtat proinde nihil eſſe in cœlo, & in terra adorandum, præter ſolum Deum. Hoc argumento.

Maior. Solus is adorandus eſt, qui fecit cœlum & terram.
Minor. Solus Deus creauit cœlum & terram:
Concluſio. Ergo ſolus Deus adorandus eſt.

Latria Duli. Atque ne id quidem denegabit papiſtarum clerus. Sed ingeritur diſtinctio latriæ &, duliæ, non tam ſubtilis, quàm futilis, quarum alterum Deo, alterum ſanctis deberi clamitant. Sit hoc ita, quod aiunt, debitam Deo eſſe latriam. At non id agitur hoc loco, quid fieri debeat, ſed quid ſolet fieri

Iam vt hoc maximè largiamur, cultum latriæ propriè ad Deum pertinere, minimè id hîc tamen conſequitur, cultum duliæ deberi ſanctis, præſertim quæ diuina ſit, & ſpiritualis, cùm Dominus ipſe expreſſa cautione pariter de vtróque cultu admoneat: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies, Nec minùs ex Diuo Paulo conſtare poſsit, ijs verbis: Quo modo, inquit, conuerſi eſtis à ſimulachris vt ſeruiatis Deo viuo & vero &c. 1. Theſſ. 1. Ex quo duplici tenentur iſti errore: quòd ſanctos ſuos, non ſolùm duliæ, & hyperduliæ, contra euangelicam cautionem, ſed latriæ etiam adoratione, contra ius & fas, proſequuntur. Nam alioqui, quorſum attinent iſtorum templa, delubra, phana, ſacella, monaſteria, altaria, ſuperaltaria, ſacrificia, vota, feſta, ieiunia, vigiliæ, miſſæ peculiares, preces horariæ, matutinæ, veſpertinæ, nocturnæ, litaniæ maiores, minores, ſtationes, peregrinationes, inuocationes aſsiduæ: præter alia id genus innumera, quæ propriè non ad duliam creaturis debitam, ſed ad latriam multò magis, tum maximè ad idolatriam pertinent?

Adde huc fraternitates, conuentuum ordines, parochianorum ſodalitates, monachorum greges, religionum regulas, monialium turmas, catholicorum legiones, quas multò plures poſt ſe trahit Romanus Pontifex, quàm Chriſtus ipſe. De templis iam ante diximus, quæ in toto regno Pontificio, multò plura diuorum cultui, quàm Deo nuncupata, reperiuntur. Leges olim ferebat Deus ſuo populo, tabulis conſignatas, præter quas, priſtina eccleſia nullas vnquam admittendas cenſuit. Cum ijs leges, & decreta Romanæ eccleſiæ nunc conferamus, quæ vt numero, diuina longè exuperant præcepta: ita non paulò tum ſanctiùs his obſeruantur, tum multò etiam in eos ſtrictiùs vindicatur, qui iura papalia violant, quàm qui diuina mandata tranſgrediuntur. Quid quod, nec deſunt præterea, qui pro honore Romani pontificis ſanguinem non dubitent profundere magis, quàm pro gloria filij Dei.

Lex Dei.

Leges pontificiæ.

Nam alioqui, quid Campiano, quid cæteris eiuſdem cum eo decuriæ, Ieſuitis in mentem incidit, cur ſe patrijs legibus tam præfractè opponerent, vitámque morti tam inconſultè exponerent? At quam tandem ob cauſam obſecro? Quid, an ob teſtimonium Ieſu? an ob fidem, & gloriam illius? Minimè gentium. An vt opes, vt diuitias diuinæ gloriæ mundo patefacerent, vt ſalutifera e-

Ieſuitæ nó pro Chriſto, ſed pro Antichriſto, exponunt ſe Martyrio.

ra euangelij luce, mentes ignaras perfunderent? Non arbitror vt rectam viuendi disciplinam in ecclesia redintegrarent? Ne id quidem. Quid, an à tenebris ad lucem, à peccatis, ab idololatria, ad timorem & adorationem creatoris, ab Antichristo, ad Christum, gentes, tribus, ac linguas, angeli huius exemplo, reuocarent, vel vt patefacta vicinitate diuini iudicij, collapsos mundi errores reformarent? Nihil minus.

Nunc verò quid agunt, quid captant, quo tendunt omnes istorum substructiones, si scire vis, verbo accipe. Non vt gloriam filij Dei, sed Pontificis sui magnificentiam prouehant, vt in alienis imperijs, quæ nihil ad ipsum pertinent, grassari pro libidine, ei liceat, vt pro Antichristo, contra Christum decertent, vt bestiæ imaginem restituant, vt Babyloniæ ruinas extruant. Egregia profectò causa, O præclarum scilicet Martyrum O digni martyres, quos non solùm stanneis typis figuli isti Romanenses oculis commendent contemplantium: sed quos Antichristus etiam literis aureis sanctorum suorum inscribat Catalogo. Præposterus zelus Iesuitarum.

At quantò consultiùs isti, si martyrium adeò affectarent, flagrantem zelum suum, in eo potius ostenderent, vt Pontifici, Cardinalibus, vt Romanis istis Satrapis, Mitratisque Catholicis, ambitiosam hanc dominandi libidinem, luxum, ac strepitum vitæ, animis eorum eximerent, reducerentque ad Euangelicam simplicitatem. Non mors, sed causa facit Martyres.

Quanquam nec eò pertinent, de pseudomartyribus istis, à me adducta, quasi mortuis nunc cadaueribus acriùs insultare libeat. Imò nouit Dominus animi mei testis, quàm toto pectore miseram eorum sortem deploro, erroriseque commiseror seductionem. Atque vtinam quouis precio, vitam eorum redimere potuissem, vt carceribus retinerentur, si saluis patriæ legibus licuisset. Fieri enim potuit, vt tempus remedium malis huiusmodi, alioqui immedicabilibus afferre potuisset, sæpéque afferre solet. Sed relictis his Antichristi martyribus suo iudici, in cæpto instituto prog rediamur.

Et secutus est alius Angelus dicens: Cecidit, cecidit Babylon ciuitas illa magna, quia à vino iræ fornicationis suæ potauit omnes gentes.

DE RVINA ROMANÆ RELIGIONIS sub nomine Babylonis.

DE superiori Angelo, eiúsque ministerio, dictum est. Quo demum expleto, succedit proximo ordine Angelus alius, post priorem, lætum ferens nuncium, De ruina Babylonis, cecidit, cecidit, inquiens, Babylon ciuitas illa magna. In quo duo occurrunt potissimùm obseruanda: Primum quidnam voce hac Babylonis significetur, & cur ciuitas magna appellatur. Secundum, de ruina ciuitatis, cuiusmodi ea fuerit, & quo tempore inciderit casus hic Babylonis, quæ iam cecidisse dicitur. 1 2

Ac primùm, quod ad nominis Etymologiam attinet, dubitatum à nonnullis video, vtrum probabilius, sub typo huius Babyloniæ, mundus generaliter, an peculiaris aliqua ciuitas in mundo intelligatur. Nomine Babylonis quid significatur.

At huic obiectioni facilis patet solutio, non posse nomenclaturam Babylonis, hoc loco aliter quàm in vnam duntaxat ciuitatem congruere, idque varijs de causis. Primùm ex ipsius epitheti adiectione, quo ciuitas magna appellatur, quæ nunquam sic diceretur, nisi primariam, & insignem vrbem aliquam præ cæteris Solutio quæstionis.

vni-

vniuersis, subinuisset propheta: deinde quòd ex veteri Babylonia nomen ei imponitur, singulari non caret mysterio. Vt enim Babylon in Chaldæa, amplissima totius orientis ciuitas, parens & productrix omnium abominationum, gentem Iudaicam fœuissimè afflixit, in captiuitatem abduxit, ipsamque vrbem Ierosolymam, incendio deleuit atque euertit, tandem & ipsa, ab hostibus expugnatur, & subuertitur. Consimili modo & vrbs Roma potentissima, quartæ monarchiæ ciuitas, veneficijs impiæ doctrinæ, & idololatriæ, passim omnia inquinans, post diuturnas persecutionum procellas, & populationes piorum, post ethnicas religiones, falsæque doctrinæ abominationes, excinditur tandem & ipsa, de qua vastitate prophetat, hoc loco, Ioannes. Rursusque capite præcedente, vbi gemina inducitur bestia, nemo dubitat, imaginem huius bestiæ, non ad vniuersitatem totius orbis, sed ad vrbis peculiarem statum referendam esse.

Babylon expressa imago vrbis Romæ.

Supra cap. 13.

Ad hæc vbi capite 11. Aegyptus, & Sodoma nominatim exprimuntur, vbi crucifixus est Dominus noster, quis non videt, ex loci allegorica similitudine, non orbem, sed vrbem, quæ Babylonia hic appellatur designari? Iam quid septem montes, huius ciuitatis, quid septem cornua, Reges decem, totidemque diademata, duo capita, alterum resectum, idemque mox repullulans, quid publica adoratio, & admiratio vniuersæ terræ post bestiam, quid hæc omnia, inquam, tacita designatione adumbrent, cui obscurum esse potest? Accedunt & aliæ nec leues, nec paucæ circumstantiæ, quibus, necessariò euincitur, neque singularem aliquam personam, nec vniuersum totius orbis complexum, sed certum aliquem Imperij statum, hoc loco significari. Nam alioquiquum Babylon ciuitas illa magna cecidisse hic fertur, quis non videt, de mundo, aut de singulari aliqua persona, nullo modo prædicari id posse. Alioqui corruente mundo vniuerso, in quo omnes continentur creaturæ, quis locus iam relinqueretur regibus, mercatoribus, & nautis, ruinam Babylonicæ meretricis deplorantibus?

Cap. 11.

Tertullianus. Hieron. ad Algasiam, & in præfatione in librum Dydymi de Spiritu Sancto. Oecumenius. Augustinus.

Vt illud interim silentio minimè prætermittam, quod de Babylone scribit Tertullianus. Hieronymus, ad Algasiam, & in præfatione in librum Dydymi de spiritu S. Oecumenius, & August. totáque ferè doctorum antiquitas, qui Babylonem, hoc loco, Romam interpretantur. Quo magis demiror, cur Rhemensis æditio in ipso contextu, de Babylone scribens, nomen ciuitatis omiserit, cum omnes Græci codices, sic legunt: Βαβυλων ἡ πόλις μεγάλη. Sed de ijs deinceps cap. 17. & 18. plenius, succurrente Christi gratia, videbitur.

Hoc itaque quum ita sit, vt Babylon, non pro tota hominum societate, vt putat populus Catholicus, sed pro certa aliqua ciuitate, accipienda videatur: restat proindè, quænam ciuitas ista, Roma ne sit, an alia, perueſtigemus. In eo enim omnis sita est controuersiæ difficultas, inter nos, & pontificij ordinis aduersarios. Qui sano dueti iudicio, quid verum, quid falsum sit, in rebus vident, liberéque confiteri volunt, quod verum intelligunt, vrbem hanc Romam esse manifestis iudicijs confirmant. Contra, qui Romanis student partibus, Romam esse planè inficiantur, nec posse in hanc vrbem vllo modo cadere quæ de Babylone prædicantur, acriter contendunt. Cæterùm quoniam istorum rationes, satis iam ante, capite superiori, diluimus, simúlque de potentia vrbis, sat dictum sit, non est, quòd otiosa rerum repetitione lectoris tempora diutius remoremur. Itaque quòd secundo restat loco, de casu Babyloniæ, iam videamus. In quo, verba primùm prophetæ diligenter attendamus, qui de ruina Babylonis non futura, sed quasi præterita testificans, non casuram quidem ipsam, sed iam cecidisse, idque repetita iterum atque iterum voce, ingeminat: *Cecidit, cecidit Babylon, ciuitas illa magna, &c.* Quo nuncio, vt nihil optabilius, accidere potuit piorum auribus. quibus infestissima semper fuit hæc meretrix: ita è diuerso, amicis eius, & assentatoribus, qui gloriam perennem sibi pollicebantur, quantam attulit perturbationem inopinata eius euersio, satis indicat ingens eorum luctus, & mœror, qui in capite decimo octauo inferius

Controuersia de applicatione Babylonis.

ferius subsequitur.

Atenim submusitabit hîc aliquis, quo modo dicetur Babylon cecidisse, si Roma sit, quum Roma adhuc stare incolumis, & illabefacta videatur? Huic lemmati vt occurramus, bifariam ruina hæc nobis distinguenda est, vel vt materialis sit, vel spiritualis. Quòd si materialis ruina, iuxta externum intelligatur sensum, ita respondeo, nondum cecidisse Romanam hanc sedem, imò floret, vigétque, iuxta externam quidem speciem, rerum & personarum, inconcussa, & illabefacta. Sed de materiali hac ruina posteà videbitur. Obiectio. Responsio. Ruina Babylonis bifariam intelligitur.

Venio ad alteram distinctionis partem, nempè ad spiritualem siue internam eius ciuitatis ruinam. De qua ita existimo, rectè satis dici posse, non solùm ruituram, suo tempore, sedem hanc, sed in ea nunc tempora nos incidisse, vt quod verè prædictum sit à propheta, idem cum illo dicere nunc liceat: *Cecidit, cecidit Babylon, ciuitas illa magna, &c.*

Quis enim tam talpa est, qui quo redacta nunc sit res Romana, non videat? quantis constricta angustijs, quibus obsita ludibrijs, & chachinnis, bonis omnibus exosa, & execrabilis. Nec immeritò, digna scilicet, quæ non solùm rideatur, sed & conspuatur ab omnibus. Id quod passim ferè nunc euenisse cernimus. Spiritualis casus Babylonis.

Quis enim pagus, aut oppidum, quæ ciuitas, aut regnum, in toto orbe Christiano, exstitit, pauculis duntaxat exceptis Inquisitoribus, vbi non optimo cuique sordet, ac fætet, glorioſa huius sedis impietas? Vbi non risui, ac contemptui apud pueros, etiam, & puellas, Romani nominis turpitudo exponitur? Cecidit autoritas Romanæ sedis in conscientijs omnium ferè bonorum.

Quamuis stent parietes, mœniáque maneant, quamuis tectorum ædificia, arces, palatia, ceteráque externa monumenta, veterem suam speciem retineant, minimè id quidem refert. Neque enim Ioannes de casu Babylonis prophetans, de parietibus, aut de externa vrbis structura, sed de spirituali tantùm religionis simulatæ, seductione, de fucata autoritatis vsurpatione, quæ non in rupturis parietum, sed in conscientijs hominum futura sit, intelligit. Neque enim ita cogitandum, quasi vi bellica, aut armis militaribus, aut humanis præsidijs, debellanda sit hæc Babylon. Non terrena, sed spiritualis hæc victoria est, qua Christus solus eam expugnaturus est, non armis, non copijs militaribus, sed spiritu oris sui, per spiritualem videlicet prædicationem euangelij sui. Ea enim tota nostra panoplia est, qua ecclesiam suam armat Deus, quæ non contra corpora, & personas hominum depugnat, sed pro fide Christi, contra mendacia, & errorum impostura. Ruina Romanæ religionis.

Vt igitur lucta nobis non est, cum carne & sanguine: ita arma militiæ nostræ carnalia non sunt, quæ gerimus, sed spiritualia, sed Dei afflatu valida, ad demoliendum, quicquid Deo aduersatur, ad subuertenda callida consilia, & omnem celsitudinem, quæ extollitur aduersus cognitionem Dei, & captiuam ducimus omnem cogitationem, ad obediendum Christo, vindictam in promptu habentes, aduersus omnem inobedientiam, &c. Tanta vis verbi est, tanta fidei potestas, & Euangelij efficacia. Sic prædicantibus Apostolis, ceciderunt gentium idola. Sic Petrus, vnica concione, tria Iudæorum milia Christo lucrifecit. Sic Cornelius Centurio, Sic Carcerarius custos, cum tota familia, Eunuchus ex Aethiopia, audito solùm Christi verbo, cum fide baptismum, & spiritum sanctum receperunt. Sic Paulus, per solam fidei prædicationem, Gentes è tenebris ad lucem, è Potestate Diaboli, ad Deum viuum conuertit, per fidem solam quę est in Christo Iesu. Sic eodem testante Paulo Galatæ ad solam Euangelij auscultationem, spiritu sancto donati sunt. Arma ecclesiæ spiritualia, nõ carnalia. 2. Thess. 2. Act. 2. Act. 10. Act. 16. Act. cap. 26. Gal. cap. 3.

Nec aliter restituta nunc euangelica prædicatione, cecidit ciuitas illa magna

Ad prædicationem euangelii Corruit Romanæ sedis potentia

Babylon, non armis externis, aut humanis viribus oppressa, sed spiritu oris Christi, potentia nimirum diuinæ prædicationis labefacta, vt opus hoc, non hominum sit, sed solius Christi.

Quod rerum euentus, ipsaque manifestè comprobat experientia. Primùm excitati à Deo Ioannes Husius, & Hieronymus, duo prophetæ, & Martyres, quantum huic bestiæ vulnus inflixerunt? Quid dehinc ex eo tempore consequutum sit, legantur historiæ, quæ superiùs capite vndecimo præcesserunt. Atque hinc prima quidem illa, & magna cœpit inclinatio huius Babylonis. Nec ita multò post, prodijt in lucem, singulari Dei munere, ars impressoria, quæ quantam subministrauit materiam, diruendo regno Antichristi, Pontifex, cum suis catholicis, locupletissimè testari potest, si quod ipse expertus sit, dissimulare non velit.

1. Inclinatio Romanæ sedis per Hussium.
2. Per artem typographicam

Exoritur post hæc, suo tandem tempore Martinus Lutherus, anno post Ioannem Husium centesimo, post Impressoriam artem, penè sexagesimo: simúlque cum eo, & post eum, præcones alij, singulari Dei prouidentia, contra Babyloniam excitati. Qui licèt numero perpauci, viribus pertenues, natura imbecilles, nec vllo humano septi præsidio, nihilo minus vicerunt tandem: Non ipsi, sed vicit in ipsis Christus. Qua ratione obsecro? Non militari manu, sed spiritu oris sui, non hostili impetu, sed pace potius Euangelica, non bellica prædatione, sed prædicatione solùm fidei. Siquidem hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra, nec mundum modò, sed principem etiam mundi deijcit.

3. per M. Luther um

Spiritus oris Christi.

Tanta huius fidei vis est, quæ est in Christo Iesu, vt nulla res alia, portas perrumpat Acherontis, atque caput perfringat serpentis. Quæ quàm diu fluit in Ecclesia, regnabat princeps tenebrarum, viguitque sub eo Antichristus. Verùm post diuturnas tenebras, simulátque ita Christo visum est, lucem fidei per Lutherum, aliósque ecclesiæ suæ præcones reddere, euanuit mox potestas tenebrarum. Quemadmodum apud Azotios olim, adducta semel arca Dei, Dagon amplius consistere nequibat, qui humi semel, atque iterum sternebatur. Sicútque clangentibus septem sacerdotalibus tubis, mœnia Iericho ceciderunt, idque absque manu. Rursúsque redeunte Elia, post longum secessum, ad altare Dei, vis omnis adempta est idolo Baal, eiúsq; pseudoprophetis. Haud aliter post longam Apostasiam, reducta tandem salutifera fidei prædicatione per Lutherum, similésque Euangelij administros, corruit potestas Satanæ. Ruente Satana, non potuit Babylon non simul cadere, cum omnis eius potestas, non aliò quàm Satanæ innixa, suffulcitur.

Fidei vis & potentia.

1. Reg. 5. Cadit Dagon ad præsentiã Arcæ.
Cadit Iericho clangentibus tubis Iosuę.
Cadit Baal ad præsentiam Eliæ. 3. Reg. 8.
Ad prædicationem Christi cedit Satan, cadit Babylon.

Comprecandus est itaque Clementissimus Seruator, pro inexhausta sua misericordia, vt opus, quod cæpit in nobis, idem non minori perficiat felicitate, fidémque hanc suam, quotidiè magis ac magis dilatet in ecclesia sua, vt obtrito regno hoc Babylonico, prorsúsque tandem exterminato, cum autore suo Satana, ipse cum sanctis suis regnet, ac triumphet in æternum. Id quòd non procul hinc à foribus abfuturum, minimè dubitamus, ex procœmijs, & ruinis istis, quæ hactenus præcesserunt.

Precatio.

Atque vtinam idem Dominus pro pietate sua, finem his turbis, breui imponere dignetur, plurésque ecclesiæ suæ pastores, ac ministros Luthero non absimiles exuscitet, qui pari feruentes spiritu, ac zelo incitati, fidem Christi Iesv passim disseminent in animis fidelium, gratuitámque in Christo salutem, per gratiam Dei, vulgi oculis patefaciant. Neque enim alia doctrinæ ratio est, quæ vel populum saluum præstat, à peccatis eorum, vel vim Satanę cum sua Babylonia exterat, præter Christum, eiúsque fidem, qua sola nititur salutis nostræ anchora.

Nam

Nam præterea, quicquid in homine, siue natura, siue industria, siue institutione comparatur, facilè contemnit tartareus ille serpens. Qui deploratam corporis, animique nostri conditionem perspicit, qui omnia peccata nostra intelligit, numerat, & accusat, qui nihil in vita nostra sanum, nihil in operibus, aut meritis, non aliquo nævo deformitatis vitiatum, qui studia, labores, precésque ipsas, sine Christo, cassas ac mancas videt, qui totam denique naturam nostram, iam inde ab initio, morti adiudicatam persentit: vt nihil in homine iam reliquum sit, quod metuat Diabolus. præter fidem, quæ sola nos ad Christum mittit, quæ cœlum aperit, peccata condonat, Deo nos reconciliat, ad salutem nos vocat æternam, quæ gratuitas Dei promissiones, in Christo filio, tota fiducia præhendit atque amplectitur. Hæcque fides sola, iuxta Paulum, potentia est roboris nostri, imò Dei armatura est, qua sola induti stamus, aduersus assultus Diaboli, pugnamus, & vincimus, non iam homines, sed Satanam ipsum. Neque enim lucta nobis est aduersus sanguinem, & carnem, sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus mundi dominos, rectores tenebrarum seculi huius, aduersus spirituales astutias in cœlestibus.

Fides Christi sola stamus, pugnamus, vincimus. Ephe. cap. 6.

Ex his Pauli verbis, duo occurrunt potissimùm obseruanda. Primùm contra quem pugnare oporteat. Deinde quo modo vincendus sit hostis. Cum enim omnis Christianorum vita, præsertim qui verè fideles sunt, in perpetua quadam lucta versatur: non erit illud satis, in medijs, aut secundis causis consistere, sed vlterius ad principem ipsum, summúmque architectum totius mali progrediendum est. Nam etsi Romanus hic Antichristus, cæterique cum eo Romanenses, horrendas in ecclesia turbas iamdiu consciuerunt, in publicam bonorum ferè omnium perniciem, meritóque proindè execrandi sunt, quòd deserta sua professione, contra Christum, suum Antichristo accommodant ministerium: tamen quod ad personas ipsas hominum attinet, quatenus homines sunt, non est, quod in istos solùm omnis nostra recidat indignatio (pro quibus vt homines sunt, oramus potius, vt resipiscant) sed fontem ipsum ac seminarium, vnde omnis scaturit malorum origo, perquiramus, atque impetimus.

In lucta Christiana duo spectanda.

Non est nobis lucta aduersus sanguinem & carnem: sed aduersus diabolum maximè.

Is autem nec homo est, nec Romanus solùm, sed multò magis dæmon ipse, serpens antiquus, acerbissimus Dei, generisque humani hostis. Qui inueterata flagrans malitia aduersus Christum, in hoc summo incumbit studio, vt illum modis omnibus è terris excutiat. Idque adeò iam olim ab initio, summa ope molitus est, per externos, & Ethnicos Imperatores. Verùm vbi minus hoc illi successit ex sententia, alia via rem adgreditur. Excitat post hæc, alios astutissimus veterator, qui sumpta Christi persona, Christum ipsum oppugnent, sub fucato religionis titulo, veram Christi religionem pessundent. Sic enim dæmones, vt rectè Scepperus, quo liberius hominibus imponant, tecta malitia, nescio quam veritatis imaginem præ se ferre solent. Neque enim malum assumitur, nisi boni ratione, speciéque, & vt ait Poeta,

Duplex exercitus Satanæ.
1 Imperatores Ethnici.
2 Pontifices vtrique spirituales.
Christus sub Christi nomine oppugnatus.
Ex Cornelio Sceppero contra Astiol. lib. 3.

Non fallit vitium quemquam nisi sumat honesti
Effigiem, vultumq; gerat virtutis & vmbram.

Atque hinc quidem defectio illa, & Apostasia, per operationem Satanæ, cum omni deceptione iniustitiæ, & efficacia illusionis, quam in ecclesia venturam præuidit Apostolus, nósque iam venisse cernimus. Sed benè habet, sitque Deo gratia, qui tam læta hactenus auspicia nobis contulit, aduersus pestiferum hoc Satanæ regnum, & Antichristi: nec diffidimus ampliora posthac sequutura, si modò pij Euangelicæ doctrinæ legati & præcones, Lutheri exemplo, non desint officio suo, qui per salutiferam Euangelij prædicationem, fidem

Officium piorum Christi præconum.

dem Christi filij Dei, longè latéque in ecclesia dissèminent. Neque enim alia viâ est Satanam expugnandi, nisi per eum, qui solus in hoc missus dicitur à patre, vt dissoluat opera Diaboli.

Quomodo diuincendus sit Satan. 1. Ioan. 3.

Verùm vt vt hæc habent, nos ad Babylonem, hoc est, ad sedem Antichristi, quoniam de ea propriè Ioannes hoc loco pertractat, cursum reuocemus, quam, nunciante Angelo, cecidisse hîc audimus, nec audimus solùm, sed oculis etiam propè cernimus. Vtcunque maneat carnalis, & externa adhuc cathedra, quam occupat Romanus præsul, in conscientijs tamen hominum, quod ad spiritualem huius sedis potentiam, decus, splendorem, attinet, quis modò non videt, hæc omia tanquam fabulas, in fumos, leuésque nebulas euanuisse? Quis diuinæ lucis vel scintilla vnà imbutus, non flocci fecerit omnes illius indulgentias, bullas, ampullas, cæremoniarum nugas, decreta, decretalia, constitutiones, sine modo, ac numero infinitas, quis vel pili vnius æstimet sedis huius excommunicationes, fulmina, ac anathemata, quibus antehac sub autoritate Petri & Pauli, orbem tantoperè perterruit. Quis, inquam, hæc omnia, non vt puerorum crepitacula, aut fulgur, quod aiunt, ex vitro contemptui habet ac ludibrio? Habitus est diu Babylonius pontifex, pro Christi vicario: Iam res ipsa indicat, sub vicario hoc, quid huc vsque latuerit δῆλον ὅτι, ὅτος ἐν ἡλεογτῇ, vt ne quid dicam grauius.

Spiritualis ruina Babylonis.

Merx Romana putet.

Babylonius Pontifex.

Idem Petri claues hucusque iactitauit tam ambitiosè: Quis commisit? Sic Pauli gladium arripit: quid eo facturus obsecro? nisi quod Iulius, reor, eius nominis secundus, qui proiectis Petri clauibus in Tyberium, paulino gladio se armauit, iturus contra hostes. Eiusdem impudentiæ est, quod catholico schemate phalerata meretrix hæc, sancta, catholica mater, & caput vniuersalis ecclesiæ, haberi satagit. Haud multum dissimili exemplo, quo fornicaria illa Hiezabel, prophetam se mentiebatur, Apocal. cap. 2. quum seduceret seruos Christi, docens eos scortari, & edere, quæ idolis, & simulachris immolarentur. Sic Sardensis ecclesia nomen habebat, quòd viueret, & tamen mortua erat. Laodicensis ecclesia sibi diues videbatur, pulchréque vestita, quum esset deformis, cæca, & miserabilis.

Hiezabel meretrix. Apoc. cap. 2. Sardensis ecclesia cap. 2. Laodicensis ecclesia.

Sic Iudæi, Hierosolymis olim cathedram tenebant Mosis. Sic & Hierusalem illa carnalis, sese vnicam Dei columbam, & vineam existimauit, quum nihil ea esset, pro maxima parte, à Deo alienius. Augustinus proinde non malè: Hæretici, inquit, & schismatici, congregationes suas ecclesias vocare consueuerunt. Et Lactantius: Singuli quique, ait, cætus hæreticorum, se potissimum Christianos, & suam ecclesiam catholicam esse putant. In quod hominum genus, non incommodè quadrat illud Ciceronis: Multis, ait, simulationum inuolucris tegitur, & quasi velis quibusdam, obtenditur vniuscuiusque natura, frons, oculi: vultus persæpè mentitur, oratio sæpissimè &c.

Mat. 23. August. de fide & symb. ca. 10. Lact. de vera sapi. li. 4. ca. 30.

Cic. ad Quint. fratr. lib. epist. 1.

Quæ Ciceronis verba, haud video, in quod hominum genus, congruant accommodatiùs, quàm in personatos istos Pseudocatholicæ Synagogæ histriones, quos non pudet, idem de sua Roma, sibi alijsque persuadere (vt Aphricani olim Donatistæ de sua gloriebantur ecclesia) nullam vnquam Christi ecclesiam fuisse affirmantes, quæ aut Romana non fuerit, aut quæ Romanæ non obediuerit. Eámque porrò ecclesiæ suæ excellentiam à Christo ipso autore, profectam esse, vt cùm ceteræ quæcunque ecclesiæ queant, soleántque in aliquo errare, falli & impingere, in hanc solam nulla hactenus cadere visa sit erroris labes, nulla fidei defectio, nulla Apostasia. Adeóque apud multos multis iam annis percrebuit hæc persuasio.

Sed Christo domino sit gratia. Incipit mundus, habere iam oculos, vident homines quid distant æra lupinis, Nec ferunt Romanis ludibrijs ora sibi obliniri amplius.

amplius. Si putet posse se non errare glorioſus hic vicarius, alium quærat mundum oportet, quem Babylonicis hisce ſuis ludibrijs dementet. Satis iam ſatis Romanam ſeruiuit ſeruitutem populus Chriſtianus. Inuerſa nunc rerum ſcena, inuectáque meliori cognitionis luce, cæperunt tandem ſapere gentes, & nationes, relicta prorſus pontificiæ ſedis obedientia. Ex quo videat non imprudens lector, quid illud ſit, quod de ruina magnæ ciuitatis, clamitat hic Dei nuncius, ſentiens nimirum, non de perſonis hominum, vt videtur, ſed de ſpirituali potius doctrina, autoritate, obedientia, de errorum laqueis, atque adulterinæ religionis ſeductione. Iuxta quem ſenſum, non abſurdè dicere cum Angelo & nobis licebit:

Caſus Babylonis non de perſonis hominum, ſed de doctrinę ruina intelligendus.

Cecidit, cecidit Babylon ciuitas illa magna quæ à vino fornicationis ſuæ potauit omnes gentes.

Quanquam vt liberè hic fatear, quod ſentio, libentius equidem accedo alterì interpretationi, quæ de toto Antichriſti regno, funditùs euertendo, idque breui, ni fallor, prophetare videtur. Cur autem ita exiſtimem, partim ex ijs, quæ proximè ſubſequuntur, partim quæ leguntur deinceps capite 17. & 18. commoueor. Sequitur enim in hæc verba:

Præſagium de toto Antichriſti regno fũditus euertendo.

Et tertius Angelus ſecutus eſt illos, dicens voce magna: Si quis adorauerit beſtiam, & imaginem eius, & acceperit characterem in fronte ſua, aut in manu ſua, & hic bibet de vino iræ Dei, quod mixtum eſt mero, in calice iræ ipſius. Et cruciabitur igne & ſulphure in conſpectu Angelorum, & ante conſpectum agni. Et fumus tormenti eorum aſcendit in ſecula ſeculorum. Nec habent requiem die ac nocte, qui adorant beſtiam, & imaginem eius: & ſi quis acceperit characterem nominis eius, &c.

Poſt hæc opportunè tertius inſequitur Angelus, cum alio nuncio, non de ciuitate iam Babylonica, ſeu Roma ſolùm concionaturus, ſed de ijs etiam, qui licèt Romam nunquam oculis viderunt, quia tamen vino fornicationis eius inebriati, adulterinæ eius doctrinæ veneficijs inficiuntur, communem pariter cum ipſa luent interitum. Vnde haud obſcurè liquere poteſt, quanta futura ſit clades beſtiæ, non ſolùm in obſcuranda doctrina, & autoritate illius minuenda, ſed in horrenda etiam totius regni exciſione, quando nec hi diuinam effugient vindictam, qui cum beſtia vllam contraxerint ſocietatem. Quo magis cauendum eſt pijs & doctis quibúſque, ne quo modo participes ſe illi adiungant.

Tertius Angelus.

Societas cum beſtia horribilis & exitioſa.

Si quis, inquit, adorauerit &c.

Auguſt. in Apoc. hom. 11.

Quid ſit adorare beſtiam, explicat Auguſtinus:

Adorare eſt conſentire & ſubijci, &c. Si quis legibus illius conſentiat, in perſequēdis Chriſti ſeruis: Si quis Romano ſeſe imperio adiunxerit: Si quis audierit conſilia, decreta, impia edicta principum, contra fidem, non aliter luet pœnas, atque Antichriſtus ipſe. Si quis, quacunque corporis parte, ſiue in fronte, ſiue in manu, ſuſcepto foris charactere, obedientiam illius quoquo modo profiteri videbitur: quiſquis articulos fidei contra ſcripturam ſacram ſuſceperit: quiſquis operum aut ordinum regulas à Papa præſcriptas admiſerit, quas Deus non inſtituit, fornicatur cum beſtia, atque in dextra accipit characterem. Ad hæc quicunque ita ſe comparant (quorum non pauci fortè reperiuntur) vt licet voluntate & iudicio alieni ſunt à Romano hoc idolo, at aperta tamen fronte aduerſari eius inſtitutis metu perſecutionis non audent. At apud Chriſtum neque hoc etiam diſsimulandi genus tutam ſatis ſecuritatem præſtat.

Fornicatio cum beſtia.

Character beſtiæ.

Quamobrem quum tam periculoſa res ſit, coniuncta cum Romano Antichriſto ſocietas, monendi ſunt iterum atque iterum omnes pij fideles, tum verò inprimis populus Catholicorum, qui mordicus adeò, partes iſtas tuentur Romanæ obedientiæ, recta ratione circumſpiciant, quid agant, pro Chriſtòne ſtant, an contra Chriſtum pro Antichriſto: quænam fides hæc, quænam eccleſia ſit, quam propugnant tam acriter: ſi Chriſti: Reſpondeant igitur argumentis, quibus iam ante ex numero nominis, alijſque euidentijs, Romanam ſedem ipſiſsimam eſſe ſedem Antichriſti

Adhortatio ad Romanocatholicos.

euicimus: Quod quum ita ſit, vt negari nulla poſsit ratione, quid reſtat pijs iam faciendum, niſi vt diſcant primùm, quænam hæc beſtia ſit, vbi ſedet, vbi regnat, cui ſic interminatur diuina vltio. Quod vbi explorârint, videant proindè diligenter, in quanto verſantur periculo, ac relipiſcant maturè, ſi ſapiãt, caueantq; omnino ab eius cõſuetudine, ne in horrendos iſtos cruciatus veniãt, æternáq; tormenta ſibi accerſãt, quæ diuina commonefactio per Angelum ominatur ijs, qui non repudiata Romana obedientia, ſpretóq; beſtiæ charactere, ab omni eius commercio prorſus reſilierint.

DE CHARACTERE BESTIAE EX *decretis pontificijs.*

De charactere beſtiæ.

QVoniã de charactere beſtiæ, ijſq; qui inſigniũtur hoc charagmate, toties inculcatur mentio in Apocalypſi, minimè alienũ ab inſtituto videbitur, quæ in decretis pontificijs, aut ſcholaſticorũ diſtinctionibus hac de re reperiãtur paucis lectorem admonere. De quo ita partiemur orationẽ, vt primùm in genere dicamus de natura, & forma imprimẽdi characteris. Deindè, quid Ioan. hoc in libro de charact. dicat, & ſentiat: deniq; quid pontifex in impreſsione ſui characteris faciat, quidq; pręcipiat, exequamur. Cum autẽ eccleſia Chriſti, quę vna eſt, multis ex mẽbris coaleſcit, variáq; fideliũ multitudine conſtet, ijdẽ vt inter ſe coniuncti, à cęteris diſtinguãtur cœtibus neceſſaria ratio eſt. Quid autẽ illud ſit, quo fideles ab infidelibus diſcernuntur, id rectè character dici poteſt. Eſt n. character propriæ religionis nota, qua vna religionis profeſsio, ab alia, veráq; dei eccleſia ab alienis Synagogis dignoſcitur. Cũ autẽ tot ſunt in orbe religionũ formæ, ita fit, vt vnusquiſq; ferè religionis ſtatus ſuũ habeat peculiarem, ab alijs diuerſum characterẽ. Sic Iudęi habẽt ſuam circumciſionẽ, Turci ſuum Alcoraniſmũ, papales ſuum Romaniſmũ, monachorum ordines ſuas regulas raſuras, vota, colores, cincturas, geſtus, habitus, quibus ab alijs diſcrepant. Characteris autẽ duplex ratio eſt, partim externa quæ corpore ſuſcipitur, partim interna quæ intus animæ imprimitur. Vtraq; verò non niſi à ſolo deo profecta. Ac primùm externus character ille, qui à deo ducitur, forma baptiſmi eſt, diſcriminis gratia, vt videtur, a Chriſto inſtituta, vt eo ceu impreſſa ſignatura cætus cognoſceretur fideliũ, atq; ab infidelibus characterẽ non habentibus dimoueretur. Eſt autẽ characteris huius, ſeu baptiſmi initiatio multis modis neceſſaria in eccleſia. Primùm quia à Chriſto inſtituta: deindè quia annexã habet gratiæ promiſsionẽ, ſi nihil intercedit vitio abutentis, in quo, vt loquũtur ſcholæ, ponatur obex. Tertiò, quia externũ aquæ lauacrũ, internæ ablutionis non inefficacem gerit ſignificationẽ. Poſtremò, quia ſuſcipientibus, notã, ſeu ſignum ſuæ profeſsionis imprimit, vt pro membris eccleſiæ ſuſcipiantur: atq; ab ijs qui foris ſunt diſcludantur, ad vitãdam confuſionem in eccleſia. Vndè baptiſmus apud Bonauenturã, dicitur character, ijs verbis vbi ait; Similiter ablutio (inquit) poteſt dici character, eò quòd eſt ſignum ſignificatiuum: hæc ille. De hoc charactere pręcipit ita dominus in Euãgelio. Ite & prędicate euangelium omni creaturę, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & ſpir. ſancti. Quiſquis crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Ex his igitur cõſtat, externã hanc characteris impreſsionem, quæ cum promiſsione gratiæ corpore viſibiliter ſuſcipitur ad ſignificandũ, & à cęteris diſtinguendũ; iuxta definitionẽ Florent concil. non poſſe aliter quàm ad baptiſmi propriè ſacramentũ accommodari, ſicut ex Bonauent. modò declaratum eſt. Nec minus idem ex Dionyſio, Auguſt. Damaſceno, & Longobard. alijſq; antiquioris notæ doctoribus colligitur, quorũ ſententiæ de charactere adductæ, ſi rectè inſpiciantur, multò probabilius exponendę ſunt, de ipſo baptiſmi ſacramento, aut de forma ſacramentali, vt ait Gabriel, quã de aliquo realiter animæ impreſſo, ſicut de charactere dicunt. Vnde in hæc verba idem Gabriel cõcludens: patet ergò, inquit, quòd neq; autoritates ſacræ ſcripturæ, neq; ſanctorum patrum cogunt ponere characterẽ, ad hunc intellectum in quo accipitur à recentioribus doctoribus.

Characteris duplex ratio.

Character externus.

Bonauent. diſt. 6. lib. 4.

Math. vlt.

Concil. Flor.

Character eſt ſpirituale quoddam ſignum à cęteris diſtinctiuum.

Atq; de exteriori charactere hęc hactenus quem in baptiſmo diuinitus inſtitutum ac corporibus impreſſum diximus. Supereſt deinceps vt de altera nunc illa characteris parte agamus, quam internam & inuiſibilem diximus. Ea autem fide conſtat &

Character internus.

arcana

arcana diuini ſpiritus inſpiratione, quæ non corpore ſuſcipitur neq; ad humanam adeò cognitionẽ pertinet, ſed diuinam, ſignum habens diſtinctiuũ, quo diſcernuntur cætus electorum à reprobis. Quemadmodũ itaq; per externam baptiſmi formã viſibilis Chriſti eccleſia à reliqua profanorũ colluuie ſecernitur, ita in eadẽ viſibili, quoniã multi admixti ſunt mali cum bonis; opus eſt alio charactere interiore, quẽ imprimit Deus ijs, quos peculiariter ſibi notos obſignat ad vitã. De qua obſignatione loquitur Apocal. cap. 7. vbi mittitur Angelus, habens ſigillum dei viui, quo ex ſingulis tribubus Iſraelis obſignãtur, quos nouit dominus eſſe ſuos. Nouit enim Deus, vt docet D. Paulus, qui ſui ſunt, ſolúsque nouit, quippe qui ſolus characterem imprimit animis ſuorum, quos ad vitam elegit, per fidem cum charactere baptiſini coniunctã, quæ per ſpiritum S. impreſſa in animis electorum, promiſsionem habet æternæ ſalutis. De qua Dom. in Euang. Qui crediderit & baptizatus fuerit ſaluus erit. Rurſũſq; alibi: Nemo venit ad me, niſi pater, qui miſit me, traxerit illum. Trahit autẽ ille per arcanam verbi ſui apprehenſionem, operante ſpiritu S. Vnde ait Eſaias: Hoc fœdus meum cum eis, dicit dominus, ſpiritus meus, qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui, & de ore ſeminis, ſeminis tui, dicit dominus, à modo, & vſq; in ſempiternam. Hæcq; ipſa fides pariter cum baptiſmo coniuncta, verum & vnicum eccleſiæ characterem efficit, abundè in ſe cõtinens omnes illas conditiones, quæ à ſcholaſticis ſophiſtis, ſex numero recenſentur, puta, ſignificare, configurare, diſtinguere, diſponere, rememorare, obligare.

Fides & baptiſmus certiſſimus eccleſiæ character, Eſai. cap. 59.

Vnus tantummodò eccleſię character, partim externa, partim interna impreſſione conſiſtens.

Expoſitis hunc in modum quæ de diuino charactere ſcriptura commemorat, accingamur deinceps ad ea, quæ de falſis, & commentitijs characteribus humana garrit ſuperſtitio. Quoniámq; tam multa referuntur in Apocalypſi de charactere beſtię, vt pauca hic igitur de Romanis characteribus ſubijciamus locus neceſſariò poſtulat. De charactere autẽ, ſic noſtri docent theologi. Sicut hominibus, inquiũt, certi ſtatus, datur quandóq; certus ornatus in corpore vel veſte, vt cognoſcantur, cuius ſunt ordinis, aut ſectę: ita etiam per ſacramenta, quibus homo ponitur in certo ſtatu, dicunt imprimi immediatè à deo quoddam ſpirituale ſignum in anima ſuſcipientis ſacramentum, quo cognoſcatur ſuſcipiens eſſe in tali ſtatu. Atq; hęc hactenus, vtcũq; fortaſsis toleranda, niſi quædã adſpergerent, quę cum verò minus cohęrẽt. Quẽadmodũ .n. ex exteriore ornatu, & amictu, inſignia quędã foris apparẽt, quibus, ceu teſſeris & ſymbolis, ſuus cuiúſq; ordinis ſtatus cognoſcitur & diſtinguitur: idẽ & in religione fieri minimè negandũ eſt. Sed quid hic faciãt tres illi ſolẽnes characteres indelebiles, immediatè animę impreſsi à deo per tria ſacramẽta, baptiſini, cõfirmationis, & ordinis, per quos characteres indelebiles, reddũtur ſacramẽta ipſa, vt aiũt, initerabilia. Fabulæ. Age, & quorſũ tandẽ adhibentur characteres iſti indelebiles, quos vocãt? Nẽpè vt talis ſtatus cuiúſq; profeſsionis, cognoſcatur, atq; ab alijs dirimatur. Quaſi verò ad eam rẽ ſatis non ſit baptiſmus externus, fidésq; interna, per virtutẽ ſpiritus S. animæ immediatè à Deo impreſſa. Quod ſi .n. autore Bonauent. capitur character, pro quolibet diſtinguente ab alio, aut ſi verum ſit, quod ſcribit Anton. part. 1. per characterẽ, inquit, intelligitur determinatus modus viuendi ſecundũ legẽ alicuius, aut aliquorũ, quo à cęteris nationibus diſtinguũtur, quid ni ſolus baptiſmus, ſoláq; fides, pro charactere ſufficiat, qua veri chriſtiani, ab infidelibus diſtinguantur, vt nihil ſit opus alijs characteribus. Etenim cum chriſtiana religio nihil ſit aliud, quàm externa ſimul, & interna profeſsio Chriſti filij dei, quæ vna ſatis ſit ad ſalutem, atq; à cæteris nationibus diſtinguatur, quid quæſo amplius requirendũ, pręter baptiſini ſymbolũ ad cęteras excludendas profeſsiones? Aut quis audebit in eccleſiam Chriſti alias infulſire profeſsionum religiones, præter hanc vnam confeſsionem Chriſti ſeruatoris, quam in baptiſmo profitemur? De qua Paulus diſertè prędicat: quia ſi confitearis in ore tuo Dominum Ieſum, & in corde tuo credideris, quod Deus illum ſuſcitauit à mortuis, ſaluus eris. Corde enim creditur ad iuſtitiam, ore confeſsio fit ad ſalutem, &c.

Antoninus parte prima.

Rom. cap. 10.

Et quid tũ dicendũ Rom. pręſuli, qui non contentus determinato illo viuẽdi modo (vt verbis loquar Antonini) quo obligamur ad legẽ Chriſti: aliũ nobis viuẽdi modũ,

& characterem bestiæ intrudit, quo omnes aut obligentur, aut occidantur oportet. Vnde verissimè nunc comprobatum vides, in Romano hoc Antichristo, quod prophetat Ioannes in Apocalypsi, vbi de secunda bestia scribens:

Apoc.cap.13. *Et faciet*, inquit, *omnes pusillos, & magnos, & diuites, & pauperes, & liberos, & seruos habere characterem in dextra manu sua, aut in frontibus suis, & ne quis possit emere, aut vendere, nisi qui habeat characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis eius, &c.*

Age, & quænam hæc bestia, quis character hic, atque imago sit bestiæ, videamus. Est autem bestia, sedes sine dubio Romana. Imago autem bestiæ, & character nominis eius, professio est, qua omnes ad obedientiam Romanæ sedis, sub pœna capitis obligantur. Vt nemini iam satis sit Christi fidem simpliciter profiteri, nisi & solenni attestatione sese subijciat Romanæ autoritati, fidem ecclesiæ illius profiteatur, decretis & consilijs obtemperet. Denique adeò inualuit character huius bestiæ, vt nullus sit in orbe status, nullus ordo, siue publicus, siue ecclesiasticus, qui alia ratione consistere queat, nisi iurata prius sedis huius obedientia. Nec postulo meis verbis haberi fidem, ni res ipsa palam euincat. Euoluat qui volet monumenta iuris pontificij, maximéque opus illud Augustissimæ autoritatis, quod pontificale nominant, comperiet nihil hîc geri in vniuersali ecclesia, nec Imperatores nec Imperatrices inaugurari, nec reges aut reginas inungi, nec episcopos, aut ordines vllos ministrorum in ecclesia Christi constitui, sine iurata prius erga Romanam sedem fide & obedientia. Atque de Othone Imperatore superiùs dictum est.

Vide supra ca. 13. pag. 257.

Tibi Domino Ioanni Papæ, Ego rex Otho promitto per patrem, filium, & spiritum sanctum, & per lignum hoc viuificæ crucis, & per has reliquias sanctorum, quòd si, permittente domino, Romam venero, Sanctam Romanam ecclesiam, & te rectorem eius exaltabo secundum meum posse, &c.

Similiter & de Ludouico: Ego Ludouicus Imperator Romanus Augustus, statuo & concedo per hoc pactum confirmationis nostræ, tibi, beato Petro principi Apostolorum, & per te, vicario tuo, D Paschali summo Pontifici, & successoribus eius in perpetuum, sicut à prædecessoribus vestris vsque nunc in vestra potestate, & ditione tenuistis, & disposuistis, Romanam ciuitatem, cum ducatu suo, & suburbanis, atq; villulis omnibus, & territorijs eius montanis, & maritimis, littoribus, & portubus, seu cunctis ciuitatibus, castellis, oppidis ac villis in Tusciæ portubus, &c.

Sic & alij post hos, Imperatores, & Imperatrices, Reges, & Reginæ, ordinésq; omnes ecclesiæ, ante susceptos gradus, subiectionem suam, Bestiæ id est Romanę sedi obstringere cogebantur. Quod quo illustriùs emineat, ne quid ex nostro hîc fingere videamur, decreta ipsa bestiæ, in suo pontificali statuentis, velut in tabula ad oculum spectanda subijciamus.

FORMA IVRAMENTI, ET PROFESSIONIS, qua Imperatores & Imperatrices in suscipiendo gradu, publicè Romanæ sedi sese obligare cogebantur.

Verba ex pontificali de coronatione Romani Imperatoris, pag 74. EGo N. Rex Romanorum, adiuuante Domino, futurus Imperator, promitto, spondeo, & polliceor, atq; iuro Deo, & beato Petro me de cætero protectorem atque defensorem fore summi Pontificis, & sanctæ Romanæ ecclesiæ, in omnibus necessitatibus, & vtilitatibus eius, custodiendo, & conseruando possessiones, honores, & iura, ac ius, quantum diuino fultus adiutorio potuero, secundum scire, & posse

& posse meum, recta & pura fide, sicut me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei euãgelia, &c. Post hæc, Pontifex Imperatori gladium in manu dextra tradit, quem ille paulò post armigero committit. Deinde datur illi corona in capite, Pomum in dextra manu, sceptrum in sinistra, &c. In dextra manu charact bestiæ accipitur.

FORMA PROFESSIONIS IN CORONATIONE Regis, & Reginæ.

EGo N. Deo annuente futurus Rex, profiteor, & promitto, coram Deo, & angelis eius, deinceps legem, iustitiam, & pacem ecclesiæ Dei, populoq; inter subiecto, pro posse & nosce, facere, atque seruare, saluo condigno misericordiæ Dei respectu: sicut in consilio fidelium meorum melius potero inuenire. Pontificibus quoque ecclesiarum Dei, condignum & canonicum honorem exhibere, atque ea, quæ ab Imperatoribus, & regibus, ecclesijs collata & reddita sunt, inuiolabiliter obseruare. Abbatibus, comitibus, & vasallis meis congruum honorem, secundum consilium meorum præstare: Sic me deus adiuuet, & hæc sãcta dei euangelia. Moxque Metropolitanus pollice in oleum catechumenorum intincto, brachium dextrum Regis, inter iuncturam manus, & iuncturam cubiti, ac inter scapulas inungit, &c. Similiter & Reginæ brachium dextrum, inter iuncturam manus & iuncturam cubiti, inter scapulas inungit Metropolitanus, &c. Ex lib. pontificali de coronatione Regis. pag. 92. Charact. bestiæ in brachio dextro accipitur.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS & ordinis, & eorum charactere.

DE Sacramento confirmationis, quod præter institutum Christi, nulla scripturæ authoritate, intrusum est in censum Sacramentorum, non est quod multa hîc dicam. De modo & forma in susceptione huius Sacramenti, quid dicat liber pontificalis, paucis accipite. Cùm igitur nulla extat, vt dixi, vel in sacris literis, vel probatis autoribus sententia, cur post baptismum recipienda sit confirmatio pro sacramento, tum quòd ad administrationem eius attinet, aduertendum est, quòd infantes baptizare, & baptizatos tãgere in pectore cuiuis presbitero liceat, chrismate autem in fronte signare non liceat, nisi soli duntaxat Episcopo. Quo fit, vt hoc papale sacramentum maiore prosequendum veneratione, maiúsque augmentum virtutum præstare, quàm sacrum Christi baptisma videatur. Ex magist. sententiarum.

Peragitur autem confirmatio hoc ritu. Episcopus siquidem sedens cum mitra, vel stans, nominatis singulis eorum qui confirmandi sunt, intincta summitate pollicis dextrę manus chrismate sancto eos perungit, crucem faciens in frontibus eorum, atq; hæc dicens. Signo te signa crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine patris, & filij, & spir. S. Confirmato autem in hunc modum, debet ligari frons, & sic manere, quousq; chrisma deficcetur, & non oportet, quod ligatura septem diebus portetur, sed decet, vt septem diebus abstineat, à lotione capitis, &c. Denique ne miles quidem nouus, ac neq; regularis creabitur, nisi dextra manu gladium recipiat. Charact. in fronte. Ex lib. pontifical. fol. 1. & 2. Ex lib. pontif. De benedictione noui militis, & creatione regularis. fol. 104. 105.

DE SACRAMENTO ORDINIS EIUSQ; Charactere.

INsequitur post hæc sacramentum ordinis: sunt autem in Pontificia Hierarchia ordines complures: partim minores, partim maiores.

Minores sunt
- Ostiarij.
- Lectores.
- Exorcistæ.
- Acoluthi.

Maiores { Subdiaconi. Diaconi. Presbyteri. Episcopi.

Superioris status { Archiepiscopi, Metropolitani. Patriarchæ. Cardinales, Papa.

Ex libro pontif. de ordinandis Hostiarijs. fol. 7.

OStiarij manu dextra claues tangunt, quo actu, vt ipsi loquuntur, imprimitur illis character ordinis.

Character in dextra manu. De ordinatione lectorum, fol. 7.

Lectores dum librum dextra manu tangunt, Characterem eius ordinis recipiunt.

De ordinatione Exorcistarum fol. 8.

Character in dextra manu. De ordinandis Acoluthis, fol 9

Exorcistis dextra manu librum tangentibus, imprimitur illis ordinis Character.

Acoluthi etiam manu dextra candelabrum, extincta candela tangentes, sacramentali characterе imbuuntur.

Pontifex cum forficibus incidit vnicuique extremitates capillorum, in quatuor locis, videlicet in fronte, in occipitio, & ad vtranque aurem.

DE MAIORIBVS ORDINIBVS.

De ordinandis subdiaco. fo. 10 Character in manu dextra.

SVbdiaconi in manu dextra candelabrum ante Pontificem tenentes, ordinantur, librum etiam epistolarum manu dextra tenent.

De ordinandis diaconis fo. 15

Diaconi, ordinandi accedunt cum candelabro in dextra manu: vbi verò dextra manu Euangeliorum librum tetigerunt, imprimitur character ordinis.

FORMA ELIGENDI PRAESBYTEROS seu sacerdotes.

Character in dextra manu. Forma ordinãdi presbyteros & sacerdotes.

Ex lib. pontif. fol. 20.

INelectione præsbyteri paratur oleum Catechumenorum: calix cum vino & aqua: patina cum hostia imposita: medulla panis guttus cum linteo, ad abstergendas manus: Post hæc tam Pontifex, quàm sacerdotes tenent manus dextras super præsbyteros ordinandos cum hac precatione, vt quemadmodum Deus summos Pontifices regendis populis præfecisset, ita ad eorum societatis & operis adiumentum sequentis ordinis viros, & secundæ dignitatis eligat: vtque in eremo septuaginta prudentes ad subleuandum Mosis officium: vtque Eleazarum & Ithamar filios Aaron ad supplendum patris ministerium: Porrò vt Apostolis, doctores, addidit ad propagandum Euangelium: ita idem Deus ordinem hunc sacerdotum, & presbyteros cooperatores sui ordinis promouere, & benedicere dignetur. His ita peractis, induuntur mox præsbyteri veste sacerdotali, cum casula, & stola, ab humero sinistro in dextrum, ad modum crucis reflexa, móxque producto oleo inunguntur manus & palmæ totaliter præsbyterorum: simúlq; imponitur ijs in manus calix cum vino & aqua, & patena cum hostia, cum hac benedictione. ACCIPITE POTESTATEM OFFERENDI SACRIFICIVM DEO, MISSASQVE CELEBRANDI, TAM PRO VIVIS, QVAM PRO DEFVNCTIS IN NOMINE DOMINI.

FORMA

FORMA ELIGENDI EPISCOpum, seu Episcopos.

Ex lib. pontif. fol. 25. De cõsecratione electi in Episc.

QVi eligendus est in episcopum, sine autoritate, aut prouisione Romanæ sedis consecrari nullo modo debet, eò quod prouisiones omnium ecclesiarum pertinent ad Apostolicam sedem. Sic enim Libri ipsius verba hæc palam indicant. Quoniam ecclesiarum cathedralium siue Metropolitanarum ac Patriarchalium Prouisiones, seu electionum ad illas confirmationes, ad sedem Apostolicam hodiè pleno iure pertinent, & ab eadem, ecclesijs Pastore viduatis vel de nouo prouidetur, vel electiones ab illis, quibus ex priuilegio licet canonicè celebrare, confirmantur, &c.

Papa plenum ius sibi vendicat in omnibus cathedralibus ecclesijs Episcopos eligendi. fol. 25.

De ornamentis verò ceremonialibus, quæ adhiberi solent in Episcopali electione, quænam ea sunt, si quis scire aueat, ex libro ordinario sic accipiat.

Ornamenta in electione episcopali adhibenda.

Mensa primùm statuitur iustæ magnitudinis, cui deinde imponuntur duo candelabra. Vasa ad abluendas manus cum suis mantilibus. Vrceolus cum aqua benedicta. Thuribulum, Calix: Medulla panis, pro abstergendis manibus: Sanctam Chrisma, Sandalia, Amictus, Alba, Cingulum, Crux pectoralis, stola, tunicella, Dalmatica, Chirothecæ, planeta, Mitra auriphrygiata: Annulus pontificalis: baculus pastoralis & manipulus, &c.

Priusquam ad collationem ordinis Episcopalis, sicut & cæterorum ordinum, procedatur, postulatur ab electo, num habeat mandatum Apostolicum, siue supplicationem, cuius vigore Pontifici conceditur facultas ordinandi. Qui si mandatum, aut commissionem habeat Apostolicam: proceditur ilico ad consecrationem, secundum ritum, quem sanctum Romana seruat ecclesia.

Sine commissione Apostolica Episcopus nõ cõsecratur.

Ac primùm interrogatus de articulis quibusdam, respondere iubetur, qui eligendus est in Episcopum: nempè, an velit traditiones Orthodoxorum patrum, ac decretales, sanctæ & Apostolicæ sedis constitutiones veneranter suscipere. Item, an velit beato Petro Apostolo, cui à Deo data est potestas ligandi atque soluendi, eiúsque Vicarijs, Romanis Pontificibus fidem, subiectionem, atque obedientiam, secundum canonicam autoritatem exhibere.

Professio & subiectio erga Rom. sedem.

In lib. pontif. fol. 27.

Accedit insuper examinatio de fide, singulisque articulis fidei, vt in symbolo Apostolico, atque concilio Niceno continentur. Facta itaque confessione, ad capellam ducitur consecrandus, vbi acoluthi induunt eum sandalijs, cum prece & oratione. Tunc accipit crucem pectoralem: & stola aptatur ei, quæ ab humeris dependeat.

Fol. 28.

Deinde Tunicella, Dalmatica, & casula induitur, quibus indutus accedit ad suum altare. Vbi missa decantatur. Post lectionem Epistolæ, consecrator sedens cum mitra, officium Episcopi ei nunciat: Oportet inquit, Episcopum iudicare, interpretari, consecrare, ordinare, offerre & baptizare, & confirmare.

Officium Episcopi ex pontif. fol. 28.

Pergitur dehinc ad litaniam, in qua variæ peraguntur interea ceremoniæ. Expedita tandem litania consecrator mitratus, cum assistentibus Episcopis, librum Euangeliorum apertum super ceruicem electi imponit: mox in manu dat.

Dein consecrator & assistentes episcopi ambabus manibus caput consecrandi tangunt dicentes vna voce: Accipe spiritum sanctum. Sequitur inde solennis cantilena cum hymnologia.

Interea Pontifex ante medium altaris intincto pollice suo dextro in sanctum Chrisma, totam coronam capitis illius qui eligendus est perungit, for-

Vnctio capitis & frontis. formánsque ſignum crucis per totam coronam, cum ijs verbis: Vngatur, inquit, & conſecretur caput tuum cœleſti benedictione, in ordine pontificali. Poſt hæc idem Pontifex, ambas illi manus ſimul iunctas inungit cum Chriſmate, accipitur indè baculus paſtoralis ab Acolytho, quem vbi benedixerit, & aqua aſperſerit benedicta, electo in manus tradit. Similiter & annulum benedicit, quem cum aquæ aſperſione in digitum annularem dextræ manus epiſcopo immittit. Simúlque librum Euangeliorum cum ſolenni profeſsione clauſum commendat ſuo epiſcopo. His demùm expletis, accingit ſe Pontifex conſecrator, ad ſummam miſſam peragendam, vbi in offertorio, offeruntur illi ab electo duo ingentes panes, duo lychni benè magni, duo vaſa vini optimi.

Vnctio manuum.

Baculus paſtoralis accipitur.

Epiſcopus donatur annulo.

Liber Euangeliorum epiſcopo cõmẽdatur.

Finita miſſa, poſt multas ceremonias, Pontifex mitram tandem accipit, benedicit, aqua benedictionis aſpergit, ac capiti tandem cum conſecratione imponit Epiſcopo. Impoſita mitra, conſecrantur & Chirothecæ, quos iam conſecratus induat Epiſcopus. Qui tandem ad populum ſe vertens, eleuánsq; manum dextram, tertio eum ſignat ac benedicit, in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti.

Mitræ benedictio, & impoſitio.

Chirothecarũ benedictio.

INTER ORDINEM SACERDOTALEM, & Epiſcopalem, quæ ſit differentia.

Ex lib. pontif. fol 25.

POſtulat hic locus, quoniam de ordine Sacerdotali & Epiſcopali iam diximus, quid inter hos ordines interſit, vt lector paucis admoneatur. Diſtat autem hoc tantum, vt lingua loquar pontificali, inter pontifices, & huius temporis ſacerdotes.

Differentia inter Epiſcopos & ſacerdotes.

Quod ſolis pontificibus data eſt clericorum ordinatio: baſilicarum dedicatio, ſacri chriſmatis conſecratio, & chriſmatio: manus impoſitio, & ſolennis ſuper populum benedictio.

In alijs verò eccleſiæ functionibus, nempè chatechizandi, baptizandi, miſſam celebrandi, in eccleſia ad populum verba faciendi, communis eſt vtriuſque diſpenſatio.

DE ARCHIEPISCOPIS, ET PATRIARchis, eorumq; ordine.

De Archiepiſcopis & patriarchis.

DE Epiſcopis, eorúmque conſecratione, audiſtis. Conſimili ratione, ſi quis in Archiepiſcopum, aut patriarcham, vel primatem electus conſecratur, forma eadem in omnibus obſeruatur, niſi quòd per huiuſmodi conſecrationem, nullus eorum aſſumit ſibi nomen Archiepiſcopi, vel Patriarchæ, aut Primatis ante receptionem pallij, ſed manet tantummodò electus, etiam poſt conſecrationem. Electus verò in Epiſcopum, cùm primùm conſecratus eſt, epiſcopus vocatur, non electus. Itidem & Archiepiſcopis & Patriarchis ante receptionem pallij, nomen electi tribuitur. Archiepiſcopi, Patriarchæ functione, aut nomine frui non licet.

Ex lib. pontif. fol. 38.

DE PALLIO ARCHIEPISCOPALI.

De Pallio.

PAllium ad Patriarcham, ſiue Archiepiſcopum mittendum, aliter quàm à ſede Romana obtineri non poteſt. Idque non ſine immmenſo ambitu, inſtanter, inſtantiùs & inſtantiſsimè expetitum, hoc eſt, ſine ingenti ſumptu (vt ego interpretor) comparatum. Tempore communionis, pallium reponitur ſupra medium alta-

altaris extensum. Deinde, peracta re diuina, capitur iuramentum fidelitatis nomine sedis Apostolicę, ab ipso electo patriarcha, vel Archiepiscopo. Prędstito deinde iuramento, episcopi accipiunt pallium de altari simul, & solus eorum senior imponit super humeros electi patriarchæ, cum hac contestatione. Ex lib. pontif. fol. 42.

VERBA CONTESTATIONIS IN TRIbuendo pallio.

AD honorem omnipotentis Dei, & beatæ Mariæ semper virginis, ac beatorum Apostolorum Petri & Pauli, Domini nostri N. papæ, & sanctæ Romanę ecclesiæ, nec non ecclesiæ N. tibi commissæ, tradimus tibi pallium de corpore beati Petri sumptum: in quo est plenitudo pontificalis officij, cum patriarchalis, vel Archiepiscopalis nominis appellatione: vt vtaris eo, infra ecclesiam tuam, certis diebus qui exprimantur in priuilegijs ab Apostolica sede concessis, in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Verba contestationis in receptione pallij. De Archiepis. & patriarchis.

De consecratione Abbatis, Abbatissæ, virginum, & monachorum eorúmq; charactere. Item de Basilicarum, & campanarum consecratione, olei cerei ignis, salis, aquæ, altaris, thuribuli, chrismatis, similiúmq; ineptiarum benedictione, nihil attinet eiusmodi nugis pias lectoris aures molestare.

De sacris ecclesiæ ordinibus, eorúmq; charactere quoniam satis iam dictum est, diuertamus modò ad scholas & Academias, & concilia. Vbi nemini licebit gradum vllum susćipere Magisterij, aut doctorum in Academijs, aut in concilijs sententiam dicere, nisi prædstito prius fidelitatis, obedientiæ, & reuerentiæ iuramento erga sedem Apostolicam, iuxta exemplar autenticum, bona fide de verbo ad verbum, ex præscriptione Papæ Pij 4. descriptum.

FORMA IVRAMETI, QVO OMNES MAGIstri, & Doctores, in Academijs Papisticis, ad fidem & traditiones Romanæ religionis astringuntur, ex Autentico exemplari Papæ Pij quarti.

EGo N. Apostolicas, & ecclesiasticas traditiones, reliquásque eiusdem ecclesię obseruationes firmissimè admitto, & complector. Item sacram scripturam, iuxta eum sensum, quem tenuit & tenet sancta mater ecclesia, cuius est, de vero sensu scripturarum iudicare, admitto, nec eam vnquam, nisi iuxta vnanimem consensum patrum, accipiam, aut interpretabor. Forma doctrinæ Romanæ, ad quam adiurantur professores Academici. Sacra scriptura ad sensum Romanę ecclesiæ, exponenda.

Profiteor septem esse verè & propriè sacramenta nouæ legis à Christo domino instituta: Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, pœnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, Matrimonium. Recipio approbatos omnes ecclesię catholicæ ritus. Admitto omnia & singula, quæ de peccato originali, & iustificatione in S. Tridentina Synodo definita. Profiteor in Missa offerri Deo, verum, proprium, ac propiciatorium sacrificium pro viuis & defunctis. Septem Sacramenta. Ritus Romanæ ecclesiæ. Sacrificium Missæ.

In Eucharistię sacramento esse verè, realiter, & substantialiter, corpus & sanguinem Iesu Christi: quæ conuersio totius substantiæ panis & vini, in corpus, et sanguinem ab Ecclesia Catholica appellatur transubstantiatio. Fateor sub altera tantùm specie, totum Christum, verúmque Sacramentum sumi. Constanter teneo, purgatorium esse, animásque ibi detentas fidelium suffragijs iuuari. Sanctos cum Christo regnantes, inuocandos esse, eorúmque reliquias esse venerandas. Imagines Christi, & beatæ semper virginis, aliorúmque sanctorum habendas esse, debita- Transubstantiatio. Altera pars sacramenti. Purgatorium. Inuocatio. Reliquię. uorum imagines.

Indulgentiæ. Rom. ecclesia mater omniũ ecclesiarum.

debitáq; veneratione prosequẽdas. Indulgentiarum potestatem, à Christo relictam esse, vsumq; earum maximè salutarem esse.

Papa successor Petri, vicarius Christi.

Sanctam Catholicam & Apostolicam Romanam ecclesiam, omnium ecclesiarum matrem & magistram agnosco: Romanoq; pontif. beati Petri Apostolorũ principis successori, & Iesu Christi vicario, veram obedientiam spondeo ac iuro. Cætera itẽ omnia à sacris Canonibus, & Oecumenicis concilijs præcipuè à sacrosancta Tridentina synodo definita & declarata indubitanter recipio: simúlq; contraria omnia & hæreses ab ecclesia reiectas, reijcio, & anathematizo.

Hanc veram, Catholicam fidem, extra quam nemo saluus esse potest, quam in præsentia sponte profiteor, eãdem integram & immaculatam, vsq; ad extremum vitæ spiritum, constantissimè, Deo adiuuante, retineri, & doceri, quantum in me erit, me curaturum. Ego idem N. spondeo voueo, ac iuro: Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia. Nulli ergo omninò hominum liceat, hanc paginam nostræ ordinationis, inhibitionis, derogationis, voluntatis, statuti, decreti, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beati Petri, & Pauli, Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum. Anno incarnationis Dominicæ 1564. Idibus Nouemb. pontificatus nostri anno 5.

Sed iam satis dictum est, de Romanis Characteribus, pluribúsque forsan quam ocium ferabat legentium. Sed vt facerem, iusta non defuit ratio. Videbam quid de Charactere bestiæ, Apocalypsis hîc dicat: quanti periculi res sit: quàm grauiter diuina in eos excandescit iracundia, qui Charactere hoc se commacularunt. Video insuper quàm multi ruentes in suam vltrò perniciem, nullo iudicio, cæca temeritate sese addicunt bestiæ, ementes ac vendentes sub eius charactere, sub vmbra eius lautè delitiantes. Quo magis admonendos, pro officio pios in Christo fratres existimaui.

Primùm, vt dispiciant diligenter, quænam hæc sit bestia, de qua loquitur Apocalypsis.

Secundò, quid sit characterem eius, manu, aut in fronte suscipere.

Tertiò, qualis exitus eorum, qui charactere eiusdem imbuuntur, futurus sit.

Papa liberam Christi ecclesiam ad sedem solùm Romanã restringit.

Primùm, si pro confesso ponendum id sit, quod negari non potest, sub imagine bestiæ, eiusq; charactere, Romanam sedem designari, videant isti, in quanto versantur periculo, quorum omnis religio in Romana sede collocatur. Sin aliter sibi sic persuadeant, in Charactere bestiæ, nihil esse quòd Romam quoquo modo attingat, scire igitur ab istis velim, quum nulla sit ecclesia alia, quæ characterẽ imprimat, præter Romanam, quid igitur volunt tot isti Romani characteres, quid ijdem declarãt aliud, nisi euentum huius prophetiæ, quæ præcesit in charactere bestiæ? Præterea, quum suos hos characteres vrgent tantopere Romani præsules, quid quæso his rebus efficiunt, nisi vt euersa Christi institutione, nouã isti & exoticam religionem nescio quam, in orbe statuant? vt Christus nomen solùm retineat, rem totam Romanus possideat? totáq; adeò ecclesiæ gubernationem, quam Christus æquo iure omnibus populis liberam esse voluit, nulla habita locorum aut personarũ discriminatione. isti in sedem solùm Romanam restringãt? vt iam nihil sit, quicquid Christus in sua agat ecclesia, nisi accedat Romanus character, quo non pro Christiano solùm, sed pro Romano etiam agnoscaris. Quantumuis seruus Christi sis, non est satis, nisi etiam matris ecclesiæ Romanæ filius comproberis.

Mat. 18.

Christus ita ecclesiam suam instituit, vt vbicunque vigeat syncera fidei Apostolicæ doctrina, rectáque Sacramentorum administratio, siue Romæ, siue Fugubij, siue apud Getas, siue apud Persas, nihil sit, quod vel ad salutem consequendam, vel ad perfectam Ecclesiæ rationem, quisquam desideret amplius: Idem promittit CHRISTVS, vbi duo, vel tres congregantur in nomine

nomine meo, ibi sum in medio eorum. Rursúsque, & ero vobiscum, inquit, vsque ad consummationem seculi. Quid amplius, quæso, postulandum, ad veram constituendam ecclesiam, quàm vt Christus in medio suorum electorum habitet? Attamen pontifici Romano minimè id satis est, imò nihil est, nisi ipse adsit simul cum suo charactere, quo veræ ecclesiæ filios suos, manu, aut fronte obsignet. Mat. 28.

Vtcunque Christus vbiq; præsens, arcana spiritus sui potentia, ecclesiam suam ornat illustrat, fouet ac tuetur ministros idoneos excitat, doctores instruit non satis id causæ est, cur quisquam in ecclesia vsquam ministret aut doceat, nisi iurata prius Romanæ sedis obedientia, legitimo eius Charactere insigniatur?

Quæ quum ita sunt conferat nunc ista quæ diximus, pius lector, cum his quæ propheta superiùs de Charactere bestiæ, & quæ hoc loco pronunciat de tormentis eorum, qui uestiti hoc symbolo bestiæ reperiuntur.

De quibus clamat tertius Angelus magna voce, in hunc modum. *Si quis adorauerit bestiam & imaginem eius, & acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua, & hic bibet de vino iræ dei, quòd mixtum est mero, in calice iræ ipsius. Et cruciabitur igne, & sulphure, in conspectu angelorum sanctorum, & ante conspectum agni. Et fumus tormenti eorum ascendit in secula seculorum. Nec habent requiem die ac nocte, qui adorant, imaginem eius, & si quis acceperit charactrem eius, &c.* Sed missis his characteribus, ad ea, quæ sequuntur in contextu οὧν τῷ χριῷ, progrediamur.

De ruina itaque bestiæ, & tormentis eorum horrendis, qui societatem bestiæ, & charecterem nominis eius consectantur abunde iam dictum arbitror, Restat modo de ijs dicendum, qui relicto cultu bestiæ, eiusque abiecto charactere, propter synceram christianæ doctrinæ confessionem, ab Antichristo & Symmistis, τοῖς θλοθρίσταις in vitæ discrimen pertrahuntur. Sic enim pergit vox de cœlo clamitans.

Hic patientia sanctorum est: Hic qui custodiunt mandata, & fidem Iesu. Et audiui vocem de cœlo dicentem, scribe: Beati mortui, qui in Domino moriuntur, à modo vtique dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis: sed opera eorum sequuntur illos.

Sors hæc sanctorum est, semperque fuit, vt quicunque studeant in Christo piè viuere, persecutionem subeant, aut aliquo malorum genere molestentur. Quos diuinus tamen spiritus in laboribus ipsorum, non deserit, sed consolatur, inuitatque ad patientiam. Momentanea enim leuitas afflictionis, æternum pondus gloriæ parit, Atque hîc est, inquit, patientia sanctorum, Ideóque scripto mandari iubet, vt discamus, quàm non exigui momenti res hîc agatur: digna, quæ sempiterna insculpta memoria, nunquam ex animis elabatur, sed perpetuò in oculis obuersetur. *Beati*, inquit, *mortui qui in Domino moriuntur*. Vtcunque mundo infelices videantur, qui ferendis pro Christo supplicijs vitam exponunt, at Deo tamen beati dicuntur, quia post exactos labores, præmia eos amplissima sequuntur æternæ beatitudinis. Requiescunt enim, inquit, à laboribus suis. Si requiescunt, vbi igitur papalis purgatorij carnificina, torquendis póst hãc vitam defunctis à Romanensibus excogitata? à Rhemensibus defensa? De statu defunctorum post hanc vitam, quid sentiendum sit, nec philosophos ipsos ethnicos latuit, qui animas, post mortem superstites manere adeo non dubitarunt, vt solutas nexu corporum, in eas oras reponerent, quas qui beati sunt, incolunt. Quod Cicero in 1. Tusculana, pluribus astruit argumentis. 2. Tim. 3. 2. Cor. 4. Contra purgatorium.

Cæterum de philosophicis argumentis, haud multum laboramus. Quid scriptura è cœlo nos doceat, attendamus. *Beati*, inquit, *mortui, qui in domino moriuntur*. Rursúsque in eodem hoc ipso capite, vbi centum quadraginta quatuor millia visa sunt in monte Syon, Cytharis, & Psalmis, cum agno tripudiantia: præterea cap. 6, vbi post hanc vitam visæ sunt, sub altari, animæ interfectorum, propter verbum dei, Apoc. cap. 6.

dei, quid hæc nobis prædicant, aliud quàm beatam conditionem, & quietem eorum, qui poſt exactos vitæ huius conflictus, non ardoribus diris expurgandi mancipantur, ſed cum Chriſto ſuauiter requieſcunt à laboribus ſuis. finem ſiquidē accipiunt, quæcunque in vita hac aſpera ac moleſta ſunt: ceſſant curæ, calamitates, ærumnæ. Deſinunt affectuum tumultus, metus mæror, lucta cum carne, & vitijs, cum mundo & Satana, ceſſant ægritudines animi, & corporis. fraudes, iniuriæ inimicorum, damna, pericula, tentationum vexationes, nullus obſtrepit dolor, nulla perſecutio, nihil metuendum amplius, pace ac tranquilitate plena vndique omnia. Adde & illud, in quo magna ſita eſt pars fælicitatis, quòd etſi rerum ſuarum nihil ſecum portant, at non ita tamen nudi hinc exeunt, quin pulchrè veſtiti, magnoque operum ſuorum comitatu ſtipati, copijſque ditati conſpiciantur, opera enim eorum ſequuntur eos.

Beata ſanctorum conditio poſt hanc vitā.

Contra impijs accidit & reprobis. Qui quando excuſi omnibus ſuis fortunis, bonis & voluptatibus huius ſeculi, in futurum, nihil ſecum ferunt, quod prodeſſe poſsit. Quanquam & ipſos ſua etiam opera non deſtituent, ſed quæ ad interitum eos demergunt, ad ſalutem nihil conferunt. Quid ergo, inquies an iuſti ex operibus ſe ſequentibus viuent? Quo modo igitur ex fide ſola?

Huic vt reſpondeam, diſtinguendū eſt, primùm inter perſonas operantium: deinde inter ipſa opera. Neq; opera per ſe commendant deo morientes, ſed qui in domino moriuntur cōmendant deo ſua opera Moriuntur autem in domino quicunq; in fide & confeſsione Chriſti ſyncere moriuntur. Deinde inter opera ipſa, duplex ſi militer tenenda ratio eſt. Sunt enim opera alia legis: alia, vt ita dicam, fidei Opera autem legis, illa dico, quæ metu ſolùm legis extra Chriſtum homines ad comparandam ſalutem operantur. Fidei verò officia illa ſunt, quæ non legis metus, ſed purus Chriſti amor & vis fidei, per charitatem operans, ſponte in animis piorum accendit, atque extimulat. Placentq; hæc quidem opera, non quia adeò per ſe bona ſunt, ſed fidei cauſa, vndè tanquam ex radice fructus, ſuppullulant. Fides enim Chriſti, perſonam operantis, prius commendat Deo, qua demùm accepta & approbata, placent deindè opera perſonæ, quantumuis exigua & minuta non propter ſuā dignitatem, ſed propter perſonam duntaxat operantis, quam exornat, atque iuſtificat Chriſti fides. Semper enim teneamus axioma illud Apoſtolicum, vitam quam nūc viuimus in carne, per fidem viuimus filij Dei, qui dilexit nos, & tradidit ſeipſum pro nobis. Perluſtremus quæ reliqua ſunt huius capitis.

Obiectio de operibus contra iuſtitiam fidei, Reſponſio ad obiectionem. Perſonæ fidelium iuſtificāt opera: non opera perſonas iuſtificant. Opera legis. Opera fidei.

Gal. 2.

Et vidi, & ecce nubem candidam, & ſuper nubem ſedentem, ſimilem filio hominis, habentem in capite ſuo, coronam auream, & in manu ſua falcem acutam, &c.

DE IVDILIO EIVSQVE PRÆparatione.

BEnè habet. Sit Deo gratia. Poſt euoluta tot tantáque laborum, ac miſeriarum tædia poſt tot emenſa temporum curricula, tot tyrannorum furias, ſeculi turbulentas tragœdias, regum & populorum æſtus irrequietos, adeſt tandem ſupremi iudicij, ſi non dies ipſa, at diei tamen præparatio accincta, deſcriptióque ſatis luculenta. Ex qua facilè intelligere licebit, quid de mundo, de Antichriſto, eiúſque regno futurum ſit, quid de ventura piorum felicitate ſperandum, quid denique de vindice omnipotentis Dei iuſtitia ſentiendum ſit. Qui etſi incredibili patientia hactenus cōmitere viſus ſit in perferendis mundi flagitijs, at non ita tamen perpetua ſentietur hæc impunitas; quin Deus vltionum Dominus in iudicium tandem reuocabit, peracta ſceleratorum flagitia, tarditatem etiam iudicij, grauitate ſupplicij repenſurus. Quod quum ita ſit, certiſsimo huius vaticinij teſtimonio confirmatum, quid reſtat niſi vt quiſquis

Pſal. 93.

conſultum

consultum suæ saluti cupiat, quanta possit solicitudine se paret ad diem illum, ne imparatus, aut dormiens reperiatur. Id quo melius fiat, duo potissimum adhibenda sunt remedia, contemptus primum huius mundi: Alterum est peccati odiū.

Duo remedia contemptus mundi. a Odium peccati.

Ac primum quod ad mundi contemptum attinet, imprimis atque ante omnia, redeat vnusquisque in memoriam voti illius, ac professionis, quam in sua quisque regeneratione, pepigit cum deo suo. Etenim baptismus hic noster & christianismus, quid aliud est, quàm professa quædam mundi, rerumque secularium abnegatio? Mundum autem abnegare, quid aliud est, quàm peccatum odisse, iuxta salubre illud D. Pauli consilium: abhorrentes, inquit, ab omni malo, adhærentes rebus honestis. Iam verò, quid aliud vita ferè videtur christianorum, si non omnium, at si maximam certè partem spectes, quàm mundi consectatio? Declarant hoc, affectus, studia, consilia, vota, labores, curæ, cupiditates, καὶ βιοτικαὶ μερίμναι, quibus adeo nunc destinentur filij huius seculi, acsi nullam dehinc vitam, cœlum nullū, nullum supereſſe iudicium credant.

Contemptus mundi. Odium peccati.

Vnde non improbabili apparet iudicio, in eos nunc dies nos deuenisse, de quibus prophetico oraculo, tot retro seculis, commonefecit nos D. Petrus, venturos scilicet extremis temporibus, qui pestifera seductionis persuasione, incautos in errorem pertrahent, quasi nunquam rediturus sit ad iudicium dominus: ita dictitantes: Vbi est promissa resurrectio? vbi iudicium? Vbi præmia illa pijs hominum laboribus, impijs supplicia proposita? Vbi aduentus eius, in dies singulos, frustra tam diu expectatus? An non idem adhuc cœlum voluitur? an non idem manet naturæ cursus? an non continuis, ab orbe condito, in hunc vsque diem, morientium & nascentium, vicibus propagantur omnia? Verum vt ijs, cum D. Petro respondeam, non est quod dilationis tarditas credentium fidem remoretur. Præsertim quum deus ipse sit, qui promisit. Cui nihil longum nec breue est, quantumuis nobis longum videatur. Vsque adeo, vt quod nobis mille anni videntur, illi instar vnius sit dieculæ.

Fides vix in terra inuenitur.

Sic Abrahamo pollicitus est sobolem, ex Sara vxore. Interim in longum distulit tempus, quod promisit. At Abraham nihilo minus fide nihil fluctuans, spe infractus, deo minimè diffidebat, verum contra spem, sub spe credidit, idque assecutus est tandē, quod promittebatur. Sic ante diluuium, quàm multi interceſſerūt anni ab orbe condito, si temporis longitudo securitatem rebus adferre potuisset, cœli sicut conditi erant perseuerabant, simúlque terra stationem suam, astra ordinem, firma stabilitate tenuerant, communi denique moriendi, ac nascendi vicissitudine, alij post alios succedebant, nec vlla mutatione cursus naturæ, finiendus videbatur. At quid fit tandem? offensus deus hominum impietate, creaturis rectè conditis nefariè abutentiū, tum, quū nihil expectarent minus, tutaq; omnia sibi policerētur, immisso cataclysmo, perdidit illius temporis mundū, seruatis octo duntaxat, quos arcana illius consignauit electio. Pari similiter ratione, idem nunc mundi huius filijs, expectandum est vniuersale dei iudicium, quo cœlum & terra purgabitur, mundique fundamenta ipsa, in summo illo iudicij die, consident, cum per ignem perdentur impij, quemadmodum per aquam; tum perierunt.

Fides Abrahæ

Diluuium post annos 600. ab orbe conditō.

Quare, vt cū D. Petro concludā breuiter, qui cum mundo perire nolunt, cauendū ijs est, ne fidant hic suis sensibus, sed videndū, quid in scripturis, diuini prophetæ & Apostoli domini, ac seruatores, ex mandato dei, annunciant. Sic autem prænunciant illi, futurum nouum cœlum, nouam terram, fœdus nouum, nouum testamentum, nouum populum, nouumque nomen populi. Quid, & tu inanissima erroris persuasione, veteribus adhuc insistis, falsa pro veris, incerta pro certis, vmbras pro rebus ipsis, carbones pro thesauro, terrena pro æthereis, pro æternis caduca, momentanea amplecteris? Denique pro sole oriente ex alto, solem adorabis adhuc occidentem?

Audiamus igitur, quid diuinæ de his literæ enunciant: quid per Esaiam alioſ-

que Esai. cap. 45

que prophetas,& Apoſtolos,prophetat dominus. Ecce,inquit,ego creo noua, nunc
Eſai. cap.66. orientur,&c. Et rurſus cap.66. Sicut cœli noui,& terra noua,quæ ego facio, ſic ſtant
Eſai. cap.62.65 coram me,&c. Et iterum alibi: Ecce enim ego creo cœlos nouos & terram nouam,
& non memorabuntur priora, neque aſcendent ſuper cor. Et apud Ierem. Ecce di-
Iere.cap.31. es venient, dicit dominus,& feriam domui Iſrael, & domui Iudæ, fœdus nouum,
non ſecundum pactum, quod pepigi cum patribus veſtris,&c. Similiter apud E-
Ezech. cap.36. zechielem: Et dabo vobis cor nouum,& ſpiritum nouum ponam in medio veſtri,
&c. Adiungamus his porrò Apoſtoli Pauli verba: vetera, inquit, præterierunt, ec-
2.Cor.5. ce noua facta ſunt omnia, &c. Qui omnia dicit, nihil excipit, nihil excludit. Si
præterierunt igitur omnia, cuius amentiæ id fuerit,in caducis folijs,rerúmque prę-
teritarum protritis vmbris, ſic inſanire, perinde ac ſi quicquam eſſet, in hac rerum
humanarum conditione,quod aut ſolidum ſit,aut diuturnum.

At quęres,quo modo præterijſſe iſta dicuntur, quæ videntur adhuc,ſuo loco ac
dignitate conſiſtere? Quid ipſe vides, aut non vides, nihil refert,ſed quid videt do-
minus. Si tibi iſta nondum præterierunt, apud Deum præterijſſe certiſsimum eſt,
quicquid ita ſtat, vt deſtinato illius conſilio,præterire neceſſariò oporteat. Vnde
1.Cor.7. rectè admonet idem Apoſtolus alibi. Quid ita? quia præterit, inquit, figura
mundi huius. Vis videre, quo modo præterit ſcena, ſeu fabula mundi huius? Circũ-
fer oculos pauliſper per regna, & nationes, per ſummos orbis monarchas, pote-
ſtates, & dominatores terræ. Vbi nunc Ilium, & ingens gloria Teucrorum? Vbi
arx Memphitica? Vbi Chaldaicæ monarchiæ vaſta poteſtas? vbi Darius, Cyrus,
Medus, Perſa? Vbi nunc inuicta Macedonum acies? Vbi terrarum domitrix Ro-
ma, Romaníque Imperatores, qui tantum non pro dijs hîc colebantur? Vbi de-
nique reliqui mortales ſinguli ac vniuerſi,quotquot à præterito illo cataclyſmo,
huc vſque vixerunt, quantumlibet huius vitæ bonis florentes, opibus,delitijs, vo-
luptatibus, copijs,nobilitate,gloria,felicitate circumfluentes, an non ad vnum om-
nes peracta ſua fabula præterierunt?

Quin & eadem naſcendi,ac moriendi lege, an non continentur vniuerſi? Vt non
Eſai.cap.40. temere vox clamans in deſerto audiatur: omnis caro fœnum & gloria eius,ſicut flos
fœni. Vt enim flos agri quamlibet ſpectabili amœnitate, ad tempus,oculis arridet,
at mox marceſcet: haud aliter habet vniuerſæ naturæ humanę, quantumlibet ad tẽ-
pus florens conditio: Quis quæſo eorum omnium,qui vixerunt hactenus,ſuperſtes
hodiè reperitur, vna duntaxat excepta perſona, Domino inquam noſtro Ieſu Chri-
ſto, vnigenito Dei filio, qui mortuus eſt ſemel iuſtus pro iniuſtis,at viuit tamen,vi-
uétque in æternum, nec vnquam morietur, ſimúlque cum illo,atque in illo viuent,
quicunq; ſunt illius. Sunt autem illius, qui reiectis ijs, quæ ſunt ſeculi,non carne vi-
uunt, ſed ſpiritu,non mundo, ſed Chriſto ſeruientes. Contra, qui ita ſe, vitámque
comparant, vt mundus eos, non Chriſtus poſsideat, quamlibet in mundo viuentes,
mortui ſunt. Id quod rectiſsimè perſentiens dominus in euangelio: Sine, inquit,
Luc.9. mortuos ſepelire mortuos ſuos, tu me ſequere & annuncia regnum Dei,&c. Ex quo
duo vides: primùm nihil hîc diſcriminis apud dominum haberi, inter viuos huius
ſeculi,& defunctos, deinde nec fieri poſſe,vt quiſquam Chriſtum rectè ſequatur,ad
annunciandum regnum Dei, niſi qui prius mundum deſerat. Vtriq; enim adhære-
re,duobúsque ſeruire dominis,præſertim inter ſe adeò pugnantibus,non licet.

Quid enim repugnantiùs,quàm mundus hic inferior,& ſuperioris regni ſtatus?
Luc.16. Quod in mundo excelſum,Deo ſordet, quod illic glorioſum hic contemptui habe-
tur. Quos Deus charos habet,opprimit, occidit Satan, huius mundi princeps. Sic ſa-
Ioan.18. piẽtia huius mundi,quid aliud,quàm ſtultitia eſt apud deum. Vnde negat Chriſtus
regnum ſuũ de hoc mũdo eſſe. Apparuit hoc in chriſto ipſo,idẽ apparet quotidiè in
electis dei ſanctis. Quos quia de mũdo elegit Chriſtus,ideò mũdus eos odio tã capi-
tali perſequitur,vincẽte huc vſq; Satana,cũ ſuo cõmiſſario Antichriſto. Ita.n. viſum
eſt ſupremo illi ſcenę huius chorago,vt vincat aliquandiu iniquitas. Sed benè habet,

feſtinat

festinat hæc fabula ad catastrophem, nec procul iam à foribus abesse videtur fatalis illa iudicij dies, quam memorat hoc loco propheta, in quo nunc versamur.

Et vidi, inquit, *& ecce nubem candidam, & super nubem sedentem similem filio hominis, habentem in capite suo coronam auream, & in manu sua falcem acutam. &c.*

Age & quænam nubes hæc est candida, quis filius hic hominis? quid corona vult in capite aurea? quid falx in manu acuta? denique quid tota hæc portendit visionis panoplia?

In qua tria proponuntur præcipuæ admirationis mysteria 1. Regis aduenturi certitudo. 2. Regni sublimitas. 3. Iudicij seueritas. Quum nubem vides, aduentum intelligis seruatoris. Vt enim nubes subduxit eum abeuntem ab oculis discipulorum: ita nec minus certum est, eodem modo, quo hinc abierit, rediturum esse, testantibus id Angelis, (quum sublatus in nubem, cœlos conscendit) futurum vt eadem via denuo in nubibus esset reuersurus. Cum certitudine huius aduentus, secundo loco additur corona aurea, ad exprimendum modum aduentus. Vt enim duplex est christi in hunc mundum aduentus: ita longe dissimilis hic secundus est, ab aduentu superiori. In priore apparuit humilis, in forma serui: In posteriore, apparebit sublimis in forma Regis Regum, cum absoluta potestate Imperandi, & iudicandi.

1 Iudicij certitudo.

2 Iudicis sublimitas.

3 Iudicij seruitas.

Duplex aduẽtus Christi, lõgéq; dissimilis.

In priori subiectus probris, iniurijs obnoxius, in posteriori redibit cum gloria. In priori imbecillis, in posteriori reuertetur cum virtute cœlesti: olim reproborum iudicio iniquissimè condemnatus, tantumque non consputus, demum sedens ipse pro tribunali, iudicium in reprobos omnes feret. In priori, coronam in capite ferens spineam, hic auream, illic clauis ferreis in vtraque manu confixus, hic falcem in manu gerens acutam. In corona aurea Regiæ nobilitatis maiestas: In falce horrendi iudicij facies elucet. Non quòd coronam ille auream in capite vsitato regum nostrorum more, aut falcem pro sceptro in manu feret. Neque enim eget ille externis hisce humanæ ostentationis insignibus: Verum sub figurata rerum externarum similitudine, ad res alias denotandas, hæc tanquam symbola adhibentur.

Corona spinea.

Corona aurea.

In manu claui ferrei.

In manu falx acuta.

Sicut enim in humano corpore multa sunt membra, variæque membrorum functiones, quibus omnibus regendis, vnius capitis præponitur excellentia: vtque in bene constituta republica, quæ ex populosa ciuium, & subditorum multitudine conflatur, glorioſa res est, regalis tituli maiestas: cuius persona nihil sublimius, nihil authoritate splendidius, cuius vnius arbitrio geruntur omnia: imperio omnes parent: cui parata in manu est regendi, statuendi, iudicandi, dispensandi se suosque ab hostili iniuria defendendi potestas: Ad eandem similitudinem ita deo visum est, ad vnigenitum suum, rerum omnium humanarum & diuinarum principatum reuocare, vt in nomine eius omne cadat genu cœlestium, terrestrium, & inferorum: vt solus ipse rex sit regum, & dominus dominantium, constitutus à deo super Syon montem sanctum eius, cui subijciantur regna mundi vniuersa. Qui super solium Dauid sedens, gubernet illud in iustitia vsque in sempiternum: vt lapis ipse sit, apud Danielem, de monte, sine manibus decidens, ac statuam cum suis monarchijs perfringens, solus ipse sit, in quo cæteris subactis regnis cum regibus, & monarchis seculi, omnis inhabitet plenitudo potestatis, in secula seculorum, iuxta propheticam illam ex cœlo vocem: Facta sunt, inquit omnia regna mundi huius domini nostri, & Christi eius, & regnabit in secula seculorum.

Phil. 2.

Esai. 9.

Daniel. 2.

Tertio loco, de falce nunc in manu eius messoria videamus, in qua terribilis illa iudicij dies & extremus, vt ita dicam, mundi actus ostenditur. Vnde duæ simul concurrunt res in Christi aduentu adnotandæ: primum vt Rex. Secundum deinde vt iudex veniat, vtroque nomine, & regni potentia, & iustitiæ seueritate admirandus, iuxta diuinum psalmi vaticinium. Iudicabit

Apoc. 11.

1. Christus Rex

2. Christus iudex.

nationes, implebit ruinas, conquaſſabit in terra capita multorum. Rurſusq; inquit, iudicium tuum Regi da, & iuſtitiam tuam filio regis.

Vbi vtrunque audis, & regis titulo inſignitum, ſimul & iudicem eundem declarari, cui à Deo committitur iudicium regalis iuſtitiæ, vnde ait: Et iuſtitiam tuam filio regis. Ac de rege quidem Chriſto, quoniam ea de re, plura à nobis ſuperiùs expoſita ſunt, rogandus eſt amicus lector, qui fuſius ſuper hac materia audire cupiat, ad ea, quæ prius capite quinto præceſſerunt, paululum diuertere ne pigeat.

Interim ad falcem in manu regis nunc conſiderandam, redeamus. In qua figuratur ſupremum, & generale, in fine mundi, iudicium. Quod vt nemo poſſit mortalium omnium effugere: ita rurſus intelligamus oportet, iudicium hoc Dei, vt nouiſsimum eſt, ita non ſolum eſſe. Neq; enim vnum, ſed plura ſunt Dei iudicia, quæ omnia non vnius loci, nec temporis exiſtunt. Habet ſiquidem Deus, vel finale forum ſuum iudiciale, quod nondum apparet, at in altero ſeculo expectatur, ita nec deſunt illi, in præſenti ſeculo iudicia ſua, & multa, & varia. Partim occulta, partim manifeſta, in quibus diuina iuſtitia, paſsim mirabiliter vim ſuam explicat. Id quod non Pſalmus modò teſtatur, ſed communis etiam vitæ quotidiana comprobat experientia. Sic enim ille, in vniuerſa terra, inquit, iudicia eius, &c. De quo nec male cecinit poeta.

Iudicium Dei non vnum, ſed plura.

Non vrbs, non regio, non ætas vlla ſeueri
Iudicij exemplis, non domus vlla caret.

Nunquam ceſſat, nuſquam non permeat iudicij huius ſeueritas, nunc hos, nunc illos corripiens. Et ſi quos intactos, ad tempus relinquit, ad generalem diem illum vniuerſalis iudicij reſeruat, quod nullo modo effugient.

Quanquam præter hæc, quæ diximus, habet Deus & alia iudicia, ſibi peculiariter nota, nobis inſcrutabilia, quorum rationes à nobis perueſtigari nequeunt. Veluti vbi dicitur Deus.

Occulta Dei iudicia & inſcrutabilia.

1. Concludere omnes ſub incredulitate. Rom. 11.
2. Eligere ſibi aliquos vt vaſa gratiæ, alios reprobare.
3. Diligere Iacob. Eſau odio proſequi. Reiecto Saulo, Dauidem amplecti.
4. Indurare quos velit: Contra quorum vult, miſereri.
5. Punire filium propter peccatum parentis. 2. Sam. 12.
6. Cedere multos propter vnius peccatum. Gen. 20.
7. Poſteros plectere propter maiorum ſuorum peccata. Mat. 23.
8. Plectere eos, qui opus iuſtum ſeriò moliuntur. Iud. 20.
9. Non punire omnes, qui idem peccatum perpetrarunt. Num. 13.
10. Pios caſtigare, & impiorum ſeruituti ſubijcere in hoc ſeculo.

DE VARIIS DEI IVDICIIS THEOlogorum ratio.

Iudicium particulare. Vniuerſale iudicium.

IN ſumma duplex eſſe conſtat apud Theologos iudicij diuini genus, quod ita diſtingunt: in particulare iudicium, & vniuerſale: Alterum quod ad præſentem vitam, & temporarias pœnas, alterum quod ad futuras, & æternas pertinet.

Iudiciũ particulare triplex. 1 Plurium.

Particulare verò triplex faciunt. Primùm in quo, non omnes in genere, at plures ex omnibus, diuina manu feriuntur, vt ſæpè accidere videmus, quando integri populi, vrbes, regiones, iuſto Dei iudicio, vel bellis, vel fame, vel peſte, vel aliquo afflictionum genere flagellantur, cuiuſmodi excidio

fuerunt

fuerunt Sodomorum, Gomorrhæorum, Egyptiorum, Israelitarum in deserto, Cananeorum, Amorreorum, Mobiatarum, Idumeorum, Assyriorum, Babyloniorum, Græcorum, Troianorum, Persarum, Romanorum, Carthaginensium, Iudæorum sub Romanis deuastatio, &c.

2 Iudicium pauciorum.

Secundum quando vel pauci ex multis, vt domus, Familiæ, exercitus &c. vel quando singuli quidam seorsum, ac priuatim, aut vnus quispiam, aut solus, ob peccatum corripitur: cuiusmodi exemplis plena vbique vita cernitur mortalium. Quin insuper priuata hæc etiam iudicij forma non vnius est generis, sed duplici constat ratione: Quarum altera est castigationis temporariæ: quæ plærunque a domo dei, teste Petro, incipere solet: Altera condemnationis, quæ impiorum propria est. Atque hæc de particulari iudicio hactenus.

3 Iudicium singulorum.

Iudicium correptionis.

Pet. 4.

Iudicium condemnationis.

De vniuersali Inunc iudicio, quod supereſt videamus. Cuius triplex similiter apud theologos, constat differentia. Prima est generalis illa, in principio mundi, propter originale primorum parentum peccatum, inflicta vniuerso generi, sententia. Secunda est generalis diluuij inundatio, qua propter generalem vitæ communis corruptionem, totius humani generis, omniumque animantium natura vniuersa, exceptis ijs, quæ cum Noah, in arca ferebantur, in aquis extincta disperijt. Tertium dehinc sequitur, quod finale dicimus, iudicium, eo quòd in fine mundi, venturum expectatur. De quo propriè hic agit propheta. Vbi iudicis primum persona, in nube candida, producitur, coronam in capite auream, pro spinea, in manu, pro clauis ferreis falcem gestans acutã, vt supra commemoratum est. Atque hæc hactenus, de varia apud Theologos iudiciorum distinctione, deinceps quæ sequuntur videamus.

Vniuersale iudicium triplex.

Vniuersalis condemnatio ob peccatum originale per Christum subłata.

Generalis diluuij inũdatio.

Finale & generale iudicium.

Et alius Angelus exiuit in templo, clamans voce magna ad sedentem super nubem: Mitte falcem tuam, & mete, quia venit hora tibi, vt metas, quoniam aruit messis terræ. Et misit qui sedebat super nubem falcem suam super terram, & demessa est terra.

Et alius Angelus exiuit de templo, quod est in cœlo, habens & ipse falcem acutam.

Et alius Angelus exiuit de altari, qui habebat potestatem supra ignem, dicens: Mitte falcem tuam & vindemia botros terræ, quoniam maturæ sunt vuæ eius.

DE TRIBVS ANGELIS A DEO MISSIS, EX TEMPLO ATQVE EX ALTARI, AD TEMPUS EXEQUENDI IUDICIJ SIGNIFICANDUM.

PErgit propheta, in iudicij discriptione. In qua, quum multa spectanda incidunt, de loco, de tempore, de persona iudicis, de angelicis legationibus, de genere. & grauitate executionis, nos quæ præcipua videntur rerum capita, quanta licebit breuitate, ope domini, prestringemus. Ac primùm, de persona iudicis nemini in compertum est, quin Christus is sit, iudex solus viuorum, & mortuorum constitutus, qui sub metaphorica messoris similitudine, hic depingitur. Ideóque cum falce acuta venit, quam non illico tamen in terras mittit, sed tempus, ad eam rem, à patre definitum expectans: paratus interim ad faustissimum munus hoc obeundum, non sine voluntate tamen sui patris. Mittuntur proinde ad eum Angeli tres, à deo ex templo, atq; ex altare, cum sua quisque legatione & functionis munere. Quorum primus, regem admoneat de tempore, quo debeat falcem in segetes demetendas, sine vlteriori mora, iam iam maturas immittere.

Persona iudicis.

Secundus Angelus.

Sub hæc, prodijt & ſecundus Angelus, de templo cœleſti, armatus & ipſe falce acuta, ad botros vindemiæ exſcindendos expectans & ipſe exequutionis tempus, quando demandatam ſibi functionem adgredi oporteat. Mittitur ei & tertius ſimiliter Angelus, ex intimo altari, qui poteſtatem ignis habeat, ex diuino nuncio, mandans Angelo falcario, adeſſe iam tempus vindemiæ exequendæ.

Tertius Angelus.

Mitteret proinde falcem & botros terræ, cum racemis vuarum, runcinandos curet, Atque hæc de tota iudicij forma, iuxta externam hiſtoriæ literam, ſatis perſpicua.

Obiectiũcula.

Sed ſuboritur interim ex ipſis circumſtantijs, nonnulla obſcuritatis difficultas, quæ doctos huius libri interpretes, nonnihil ſolicitos habuiſſe videatur. Námque quum ex confeſſo id liquet, ſine omni controuerſia, Chriſtum eſſe, cui ſoli demandata ſit, omnis & cœli & terræ poteſtas, omniſque iudicandi autoritas: mirabitur forſan aliquis, quid ſit, quòd has iudicandi partes, non niſi ad legationem Angeli adgrediatur, perinde quaſi in ipſo ſitum non ſit, quid velit, aut non velit, in his rebus gerendis, ſtatuere. Deinde, quid ſit, quòd ſecundus angelus, è templo cœleſti egreſſus, falcem & ipſe ſimiliter acutam adferat. Item quòd & tertius Angelus ex altari progreditur, penes quem poteſtas ſit ignis, quaſi Chriſto non plena ſit in manu poteſtas & ignis, & elementorum: Quod ſi verùm ſit, quid opus alia falce, præter hanc, quàm Chriſtus geſtat in manu? Aut quid alio opus iudice quaſi ſolis parum ſufficiat Chriſtus?

Secundus Angelus extemplo egreſſus. Tertius ex altari progreſſus.

Reſponſio ad obiectionem.

His quid cæteri reſpondeat interpretes, longum foret ſingulorum ſententias percenſere. Qui proximè ad rem accedere videntur, in hunc ferè modum colligunt. *Apparet nubes candida, &c.*

Nubes candida quid importet.

Nubes nos diſceſſus Chriſti, ex hoc ſeculo admonet. In actis enim nubes illum ſuſcepiſſe dicitur. Audiuntillic diſcipuli redditurum, dominum vt abierat. Huius reditus, atque iudicij admonet locus. Marc. 13. Luc. 21. Daniel 7. admonet porrò & nubes iſta. Super nubem hanc ſedet filius hominis, Chriſtus. Habet coronam, rex regum, & dominus dominantium. Ad cuius tribunal, omnes principes ſiſti oporteat, & rationem reddere ſuæ adminiſtratæ prouinciæ. Iudicem hunc nemo fallet. Habet in dextra falcem. Vt falx illi acuta tribuitur, ita ſuperius capite primo tribuitur ei gladius acutus. Idem vtrinque ſignificatur. Nec valdè ab his aduerſum eſt ventilabrum, quod Paptiſta in manu eius collocat. Luc. 3. Quod ventilabrum eſt in area: quod gladius acutus eſt in manu victoris; quod falx meſſoris in agro triticeo, cui ſegetes reſiſtere nequeunt, idem in terrena hac natura hominum ſunt comitia hæc Chriſti. Falx enim in manu eius acuta diſtrictum, & exquiſitum iudicium ſignificat, in quo ſinguli rationem reddent eorum, quæ in vita geſſerint, eo die, quo reuelabitur ex cœlo dominus Ieſus, cum angelis ſuis in flammeo incendio, vt verbis loquar Apoſtoli, inflicturus vltionem Antichriſto, & inimicis Euangelij ſui: qui interitum luent æternum, à facie domini, & à maieſtate fortitudinis ſuæ.

Marc. 13. Luc. 21. Dan. 7.

Falx acuta. Gladius acutus. Apoc. 1. Ventilabrum. Luc. 3.

Húcque pertinẽt figuratæ illæ parrabolæ, de falce, quam dixi, de meſſe, de meſſoribus, de maturitate frugum, de vindemia, & botris terræ, de Angelis, ex templo, ex altari, cum falce, & poteſtate ignis emiſsis, de lacu iræ, &c. Quæ omnia mira ſimilitudine cum rebus ipſis conueniunt.

Mundus ager Dei magnus. Segetes agri homines, partim boni, partim mali. Mat. 13. Meſſores ſegerum. Mat. 13.

Nam quid aliud mundus hic eſt, niſi magnus quidem ager domini, in quo creſcunt ſegetes. Sunt autem segetes agri, homines in mundo, partim boni, partim mali, ſicut cum tritico ſurgunt etiam zizania. Quæ vt creſcendi ita & cadendi tempus habent, & meſſem ſuam. Eſt autem meſsis, vt dixi, conſummatio ſeculi. Mat. 13. Meſſores ſunt Angeli. Sicut igitur colligitur zizania, & in ignem mittitur: ſic erit in fine ſeculi. Mittet filius hominis Angelos ſuos, & colligent ex regno, omnia ſcandala, & patrantes iniquitatem, eoſque abijcient in caminum ignis. Ibi erit fletus, & ſtridor dentium. Tunc iuſti fulgebunt ſicut ſol in conſpectu patris ſui.

Quod

Quod autem ad legationem Angeli attinet, non est quòd ita existimemus, Deum patrem, per legatos, agere cum suo filio, qui ad dextram patris, iunctissimè illi in solio assidet. Sed vt intelligamus, nihil in hoc iudicio fieri à filio iuxta humanam suam naturam, nisi ex arcano ductu, & instinctu sui patris, ideóque veluti per Angelum internuncium, id fieri dicitur, quod sub occulta spiritus sui reuelatione, filio, quando tempus sit incipiendi, ostenditur.

Angeli adhibiti in hoc iudicio, non vt iudices, sed vt ministri.

Nec aliud arbitror de sequentibus Angelis sentiendum, qui in hoc adhibentur, non tanquam iudices hominum, sed tanquam administri tantùm exequutionis. Quoniámque executionem hanc, per ignem fieri oporteat, ideò mentio fit Angeli, qui potestatem habeat ignis, non quòd ignis materialis in cœlo existat, sed ad indicandum, quo elementi genere, torquendi sunt impij, qui in ignem mittentur nunquam finiendum.

Angelus habens potestatem ignis.

Ex altari porrò exit Angelus. Sub altari enim sancti Christi martyres conquiescunt, vt eo intelligatur, minimè deum obliuisci seruorum suorum, quin ad vindictã procedet aliquando diuina illius iustitia, ad perdendos eos, qui perdunt terram, illósq; æternis bonis remunerandos, qui in sacra Christi confessione occubuerunt.

Angelus ex altari emissus.

DE DVPLICI FALCE, DE MESSE & Vindemia.

AT quæret forsan hîc aliquis, vel mirabitur potius, quòd quum Christus solus, & summus iudex, in nube candida cum falce acuta conspicitur, quam mittere in terram iubetur, in quo persona iudicis significatur: quid velit igitur falx altera, in manu alterius Angeli, quàm & is in terram mittere, pari ratione iubetur? Quòd si falx illa superior, in manu Christi, districtum, & exquisitum iudicium nobis designet, vt supra expositum est, quid, an nos duplex igitur iudicium, aut duos iudices statuemus?

Obiectio de duplici falce.

Respondent plęriq; doctorum interpretum, Angelum hunc cum secunda falce, quam mittere iubetur in vindemiam, non ita accipiendum, pro persona ipsa iudicis, sed pro administro duntaxat iudicij exequendi: quemadmodum & cæteri omnes Angeli, nihil aliud quàm administratorij spiritus dicuntur, in obeundis negotijs huiusmodi spiritualibus, quibus adhibentur. Sunt quibus hæc potius arridet interpretatio, quasi vnus Christus per duos Angelos, & vna exterminatio per duas falces figuretur. Primus quippe Angelus super nubem candidam sedisse, & coronam auream habuisse visus est. Secundus neq; coronam auream habuisse, neq; super nubem candidam sedisse dicitur. Et primus messem terræ: Secundus verò botros vineę terrę prędisse fertur. Sed primus quo loco messem terræ posuerit non dicitur. Secundus botros vineæ terræ in lacum irę dei magnum misisse dictus est. Videtur itaque per messem terræ electos: per botros autem, ex quibus vinũ conficitur, quod mentes hominum alienat, reprobos esse designatos. Ista est messis de qua dominus dicit in Euangelio: in tempore messis, dicam messoribus: Colligite primùm zizania, & ligata ea in fasciculos ad comburendum: Triticum verò recondite in horreis meis. Qui.n, illic per triticum, ipsi hoc loco per messem designantur. Et qui illic per zizania ipsi in hoc loco per botros terræ figurantur: Et quia Christus aliter apparebit iustis, aliter iniustis, non inconuenienter per duos Angelos figuratur. Iusti namq; in ea claritate eum videbunt, quo modo ab Angelis in cœlesti beatitudine cernitur. Impij in alia specie eum videbunt. Similiter & vna exterminatio per duas falces designatur. Quia aliter exterminabuntur iusti, aliter iniusti. Iustorum exterminatio redemptio potiùs dicenda est. Contrâ impiorum exterminatio, & hîc grauis, & post mortem grauior. Iusti de spe retributionis æternæ mortem lætam excipient. Impij de damnatione perpetua timidi, tristissima morte plectentur, &c.

Respõsio.

Duo angeli, duplex messis, duæ falces apud quosdam quid significent.

Hæc

Sententia autoris de duplici Angelo, & duplici falce.

Hæc iſti, alij verò aliter, de duobus Angelis, & duabus falcibus. Mihi, ſi æqua bonorum venia liceat, dicam, ſi non eadem autoritate, pro iudicio tamen qualicũque, quod iſtorum interpretationi addendum ſentio. Sic enim arbitror, faciliorem huius iniecti ſcrupuli ſolutionem fore, ſi ſcripturam ſcripturæ conferamus, ſi diuum Ioannem, cum Propheta Ioele componamus: ſi verba vtriuſque cum altero trutinemus. Vbi enim apud Ioannem, Chriſtus, & Angelus, vterque ſimul cum falce acuta producitur, quam vterque pariter mittere in terram iubetur, non aliò ſpectare in eo videtur Ioannes, niſi vt alludens ad prophetiam Ioelis, verbis illius reſpondeat. Sic enim Ioel cap.3. contra furioſos eccleſiæ perſecutores exaſperatus, ſpiritu diuino effulminat, in hæc verba: *Conſurgant*, inquit, *& aſcendant gentes in vallem Ioſaphat, quia ibi ſedebo, vt iudicem omnes gentes in circuitu.* Et mox iniecta, non de falce, ſed de falcibus, mentione, mittere eos iubet, non de vno loquens, ſed de pluribus: *Mittite*, inquit, *falces, quoniam maturuit meſſis, venite, & deſcendite, quia plenum eſt torcular, exuberant torcularia, quia multiplicata eſt malitia eorum.* Hæc Ioel.

Ioel cap.3.

Itidem nec incredibile videtur, quin & Ioannes, ad eundem prophetiæ contextum, ſermonem attemperans, falcem non vnam, ſed plures introducit, itémque Angelos plures, qui non falcem ſed falces ſuas mittere in meſſem iubentur, quoniam exaruit meſsis terræ.

συμφωνία inter Ioelem & Ioannem.

Alter ſcrupulus.

Atenim emergit interim & alter ſcrupulus. Sequitur nempe poſt hæc, quæ hactenus de meſſe dicta ſunt, ſimilitudo altera de vindemia vuarum. Quid hic dicemus. Nam ſi meſsis ſegetum, vniuerſale ſit iudicium, quo continetur hominum generalis vniuerſitas, cur poſt demeſſas igitur has ſegetes, noua quædam inducitur parabola vuarum, & vindemiæ? Sic enim clamat Angelus, poſt demeſſas ſegetes.

Mitte falcem tuam acutam & vindemia botros terræ, quoniam matura ſunt vuæ eius, &c.

DE MESSE, ET VINDEMIA.

Reſponſio ex Richardo de S. Victore.

DE his Richardus de S. Victore, commentatur in hunc modum: Per meſſem, inquit, terræ, & per botros vineæ, eoſdem malos intelligimus: ſed tamen per vineam, illos, qui à Diabolo, ad modum vineæ, ad fructificationem mali, maiore ſtudio excoluntur. Qui & ipſi, cum meſsione meſsis terræ, vindemiabuntur: quia cum alijs minoribus reprobis, damnabuntur.

Sententia alterius de eodẽ.

Nec multum ab ijs recedunt, quæ ex noſtratibus quidam, de gemina hac parabola ſcribens, ſuam ita promit ſententiam, vt putet priori ſimilitudine de meſſe, generalem cunctorum pariter, tam piorum, quàm impiorum, in hoc iudicio comparentium collectionem: poſteriori verò, reproborum tantum condemnationem deſcribi: Quod quidem fieri poſſe, non repugno. At illud miror, quòd cum in meſſe triticea, non ſolùm ſint zizania, ſed & triticum in horreis reponendum, quid obſtat, quo minus & inter botros vuarum ſimiliter, non ſolùm labruſcæ, ſed nonnulli item creſcant vuarum pampini, ſuo cultori non infrugiferi. Alioqui quomodo Chriſtus ſe vitem dicit, Apoſtolos palmites, ſi nihil eſſet in botris vuarum fertile, ac frugiferum?

Reſponſio ad tacitam obiectionem.

At quæritur, quid opus igitur duplici deſcriptione, quum prior illa de ſegete demeſſa ſufficeret? Ad hoc reſponderi poſsit ſimpliciter, ſine acutiori ſubtilitate, adhibitam eſſe hanc copiæ varietatem, ad maiorem rei euidentiam, qua ſubintelligatur, nullum mortalium eſſe genus, in terris viuentium, nullam vitæ conditionem, aut honoris gradum, ſiue perſonarum diſcrimen, à foro hoc iudiciali exemptum: quin vniuerſi, ex cunctis terræ finibus, conquiſiti ſiſtentur apud ſummum tribunal,

tribunal, siue viui, siue mortui, siue boni aut mali, dignam factis sententiam subituri.

Quoniámque in peccatrice hac natura, adeò inualuit impietas, vt vix quicquam ex rebus iam integrum consistat, sed omnia in zizania tribulos, & labruscas syluestres, degenerasse videantur, ideò falces hæ quas dixi, acutæ prodierunt, cunctas pariter segetes, botrósque vuarum promiscuè, citra exceptionem, quasi ad interitum vastaturæ. Quod tamen non ita accipiendum est. Neque enim dubium, quin habeat Christus, in hoc iudicio, agnos suos cum hœdis, triticum cum zizanijs, palmites etiam, in vite fructificantes. Sed propter multitudinem diuersæ partis, quæ numero longè superat, hæc dicuntur. Eóque subiungens mox propheta.

Mitte, inquit, *falcem tuam acutam & vindemia botros terræ, quoniam maturæ sunt vuæ eius. Et misit Angelus falcem suam acutam in terram, & vindemiauit vineam terræ. Et misit in lacum iræ Dei magnum. Et calcatus est lacus extra ciuitatem, & exiuit sanguis, de lacu, vsque ad frænos equorum, per stadia mille sexcenta.*

DE MVLTITVDINE IMPIORVM, qui in hoc iudicio condemnantur, & de grauitate supplicij, quo torquentur.

COnstat duabus potissimùm partibus hæc pericope. Quarum in altera agitur de numerosa multitudine, sine numero ferè eorum, qui in hac τῆ δικαιοκρισίᾳ cadunt ac pereunt. Qui in quantam excrescant immensitatem, vel hinc æstimare licebit, quòd sanguis eorum, extra ciuitatem proiectus, longè lateq; è lacu exundat vsq; ad lupata, & frænos equorum, per stadia mille sexcenta. Stadia hæc mille sexcenta, quot conficiunt miliaria seu leucas, quæ à quibusdam numerantur, ad ducenta miliaria Italica, non est, quòd curiosius ea in re torqueamur. Illud certum, nō exiguam sanguinis eluuionem designari. Quæ quam horrenda futura sit, ex omni mortalium genere, vel hinc colligitur, non solùm ex stadiorum spacijs, sed ex ipsa etiam sanguinis profusi profunditate, quæ ad frænos vsque equorum excreuisse dicitur.

Stadia mille sex centa. Ex Pet. Apō.

Nec mirum id quidem, si vel multitudinem hac damnatorum, mundique impietatē consideremus, qui totus in maligno positus est, vel si vim ipsam diuinæ iræ, & vindictam aduersus peccatum intueamur. Quæ propterea, non immeritò flammæ consumenti, à Propheta Isaia comparatur. Quis poterit vestrum, inquit, habitare cùm igne deuorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? Quemadmodum materiale hoc ignis elementum, iniecta quæque in caminum exurit, absumit: in fauillas, in cineres redigit: haud aliter diuinæ iustitiæ seueritas, æstuans contra iniustitiam hominum, adeò peccatum ferre non potest, vt nunquam cessatura sit, quoad peccatores, prorsus in nihilum pessundet, auferátque à facie terræ.

Esai. 33. Deus ignis deuorans.

Dices, quis igitur saluus in hoc iudicio consistet? Quis enim in fragili hac carnis natura, cursum ita vitæ tenuit, vt non praua victus cupiditate, extra viam abetrarit aliquando? Sit ita, neque enim negandum, iuxta Iacobum, quin in multis impingimus omnes, omnésque destituimur gloria Dei. Cæterum adhibendum hîc tamen discrimen est eorum, qui peccant, & in quibus peccatur. Aliter enim peccant boni, aliter impij. Bonos hîc dico non eos, qui nihil vnquam in vita cōmeruerunt, sed quos fides Christi iustos apud Deum reddit, liberátque à nexu peccatorum. Iam verò licet & ipsi, pariter cum cæteris peccatoribus, ante tribunal sistendi sunt, tamen quia veniam admissorum iam ante sunt consequuti, ideo in iu-

Iaco. 3.

Peccant boni, peccant & impij.

Augustin. Iudicium condemnationis. Iudicium separationis.

dicium venient non condemnationis, sed separationis, vt supra ex Augustino monstratum est.

Neque enim vlla ratione consentaneum est, vt, quæ admissa semel condonata sunt legitima autoritate, eadem postea in ius plectenda reuocentur. Quare, qui in iudicium veniunt, iustificati per fidem Christi, nihil habent, in hoc iudicio, quòd formident, sed spe potius beatitudinis sese erigant, ex verbis Psalmi: Beati quorum

Psal. 31. remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum &c. Rursus, ex eo quod per Prophetam Dominus:

Iere. cap. 31. Et peccatorum eorum, inquit, non recordabor amplius. Similiter & Christus ipse in Euangelio, de abijcienda formidine eius diei, suos prænuncians, attollere capita ad signa venturi iudicij iubet, quia

Luc. 21. tum, inquit, appropinquat redemptio vestra.

Quamobrem quum in perdita hac natura, nihil sit, sine Christo, præsidij reliquum, tum aduersus cæteros quotidiè incurrentes vitæ casus, tum inprimis aduersus terribilem iudicij huius atrocitatem, quid prudentius, aut maturius nobis faciendum, quàm vt salutis nostræ anchoram, tuto in loco constituamus. Quomodo id

Ioan. 1. faciendum, rectissimè nos euangelica docebit institutio. Quotquot, inquit, receperunt eum, dedit eis potestatem, filios Dei fieri, credentibus in nomen

Ioan. cap. 6. eius. Et rursus omnis, qui videt filium, & credit in eum, habet vitam æternam. Moxque eodem capite: Qui credit in me, habet vitam æternam. Et

Ioan. 6. alibi: Qui sermonem meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in iudicium (vtique condemnationis) non venit, sed transiuit à morte in vitam. Sic patri beneficentissimo visum est, vt quisquis in filium suum credat, non pereat, sed vitam habeat æternam. Vides quid fides efficit

Ioan. 5. Christiana: quanti valet apud deum, mens in Christo filio defixa. Contra quàm

2. Cor. 1. nulla sit salus homini, extra filium hunc, in quo sunt omnes dei promissiones, est, & amen.

Quo magis omnis in hoc incumbat cura nostra, huc omnis mentis acies intendatur, posthabitis cæterarum rerum omnium parergis, vt Christum assidua meditatione, magis magisque perdiscamus, vt hanc margaritam vnicè quæramus, vt obuijs vlnis filium hunc dei dilectum recipiamus, crescentes in fide, & noticia illius: Siquidem fide sola hac stamus, viuimus, vincimus. Ita fiet, vt fide Christi firmati,

Fide Stamus, Viuimus, Vincimus. nullas malorum incursiones metuamus: noticia hac instructi, ad perfectam sapientiam nihil desideremus.

Sic Paulus in sacra hac Christi schola edoctus, nihil se scire gloriatur, nisi

1. Cor. 2. Christum Iesum & hunc crucifixum. Iam quàm multos reperias, qui nihil de Christo aliud teneant, quàm externum duntaxat illius nomen, nihil præter externam eius mortem, & resurrectionem, cæteraque quæ externæ sunt historiæ sapiunt, quanquam et hæc ipsa necessariò ad fidem requiruntur. Cæterum quæ vis sit mortis huius, quæ resurrectionis potentia, regni eius quanta gloria, quæ Christi officia, quæ illius, erga nos, merita, quantaque beneficia, quam amabilis naturæ eius bonitas, quàm parata in iuuando pietas, quàm ineffabilis erga miseros misericordia, quæ patris erga nos in illo voluntas, quæ promissiones illius in filio, denique quam gratuita nostra in illo salus existat, quàm non multi intelligunt?

Fides historica non satis est. Fides quæ vera sit, quibus in rebus consistit. Christi nomē tenent multi, potentiam verò crucis eius, & resurrectionis perpauci.

Nec mirum, quippe qui alijs occupati studijs, curisque auocati, Christum nec curant admodum, nec quærunt anxiè, sed opibus cumulandis, commodisque huius vitæ perfruendis inhiant, dies noctesque inuigilant, tanquam hesperius draco aureis malis, delitias, honores spectant, gloriam, sublimes dignitates, magnificos titulos ambiūt, quæ ventris sunt, quæ carnis, quæ mundi sectantur vnicè: Alius vxorem duxit, venire non potest, alius villā, alius iuga, nescio quæ, boū emit; venire non vacat. Plerique rebus præsentibus tanquam circæis poculis demētati, de futuris ne

cogitant.

cogitant quidem, nec sacra legunt, nec Deum timent, Christum nunquam rectè didicerunt, nec scire cupiunt, multi etiam fastidio habent. Judæi abhorrent, Turci reijciunt, Papa cum suis catacatholicis, Antichristus cum suis copijs, Inquisitores cum suis monachis, Christum, sub Christi pallio, persequuntur. Breuiter eo nunc res redijt, vt nomen Christi in ore multorum, non aliter quàm saluia in labris natet, mens ipsa alijs ita rebus intenditur, ac si Christo parum egeant, aut non magni æstiment.

Sed age, quoniam frigescit adeò vbique Christi charitas, fides, & cultus, apud filios huius seculi, Christum ipsum, ex Euangelio homines arguentem de peccato: vel si magis placet, conscientiam quisque suam, acriore reprehensione corruptissimos horum temporum mores castigantem his verbis audiamus, ac si ita tecum agat conscientia: Quid ais? quid agis, gens misera? quo ruis, plebs perdita? Quis dæmon diris prestigijs, ita mentis tuæ sensus obstupefecit, in omnem vitæ sceleratæ licentiam impellens, vt quid ijs rebus futurum sit tandem, nec cures, nec cogites? Quod si ita te formasset summus ille rerum autor & artifex, more cæterarum pecudum, vt nihil, nisi quod ante pedes modo iaceret, posses cernere: nihil hac de re mouerem. Nunc quum ea te ratione præditum, vitam tot tantisque muniuit præsidijs, consilio, memoria, voluntate, prudentia, rerum fugiendarum, & expetendarum scientia locupletissimè instruxit, mentis lumine ornauit, addidit & conscientiæ stimulos, legem insuper perfectam vitę magistram, imis inscripsit visceribus quę in recto te cursu contineret: quid de bonis hic dicam, quæ in altero seculo reposita, largissimè suis promittit Deus? His inquam, tot tantisq; à Deo fultus adiumentis, quid habes ergo quòd belluinæ huic tuæ prætexas immanitati? Qui oblitus adeò tuæ conditionis, tanquam equus & mulus, quibus intellectus non est, in ea solùm, quæ præsentia sunt, & caduca, incumbis tantopere: quæ verá & æterna sunt, contemnis tam fortiter. Quare vt de ijs rebus cogites diligentiùs, quædam abs te scisciari velim.

Ac primùm de statu rerum præsentium, fac quæso respondeas, finémue habiturum putas, an secus? Certè vtcunque perdurat ille, vita tamen tua diu persistere in hac rerum natura, non potest. Quid deindè, & post decursam hanc vitam, in iudicium te vocandum putas, an non? Quod quum neque negare, nec effugere quoquo modo poteris, pergo percontari. Quòd si enim iudicium hoc tale futurum sit, in quo sedente Christo iudice, astantibus Angelis, attestante tua ipsius conscientia, nihil cælari queat eorum, quæ per vitam gesseris, cogerisque anteactorum omnium, siue bona, siue praua sint, rationem reddere. quid hic dices, aut facias miror? Si nihil non rectè, & inculpatè feceris, rectè habet, ibis in vitam æternam. Sin aliter, quid restat aliud, nisi vt mittares in lacum iræ, cum dæmonibus sine fine excruciandus, iuxta diuinam prophetæ sententiam. Et misit, inquit, Angelus, qui vineam terræ vindemiauit in lacum iræ Dei magnum. Et calcatus est lacus extra ciuitatem, & exiuit sanguis de lacu vsque ad frænos equorum, &c.

Vita prę sens caduca, fragilis.

Iudicium post hanc vitam ineuitabile.

At melius, inquies, spero, mitiorem futurum in nos iudicem. Qua fronte istud, quem ipse sic in vita contempseris, reieceris, támque indignè sis aspernatus. At freti propitia ipsius misericordia, qua solet peccatoribus ignoscere, quid ni speremus meliora? Tempus olim erat misericordiæ, nunc tempus venit iudicij, in quo non est misericordiæ locus. Cæterum vrgebunt isti exemplum aliorum, qui quum peccatorés æquè fuerint & ipsi, nullo modo constaret eorum salus, si misericordia à iudicio remoueatur.

Si electi per misericordiam seruantur à peccatis, cur non æquè & cæteri peccatores?

De electis responsio est, eo quòd misericordiam, & veniam in vita iam ante adepti sunt, priusquam venirent in iudicium, idcircò in iudicium, certè condemnationis non veniunt.

De electis responsio.

Atenim, quid hoc, inquiunt, iustitiæ est, pro noxis tēporarijs, perennes luere cruciatus? Prętereà in fragili hac cōmunis naturæ imbecillitate, quæ tam procliues nos

Peccata transitoria. Pœna perennis nisi accedat redẽptio.

omnes reddit ad peccandum, quàm non æquum est, transitoria ob peccata, quæ in totum vitare non possumus, pœnas, cum damnatis spiritibus, irrogare nunquam finiendas?

At isti rursus admoneantur oportet, qui has mouent querelas, de grauitate iræ diuinæ, contra peccata, sero se, ac nequicquam facere. Priùs de ijs rebus, & maturius, cogitandum erat, quæ ad Dei judicia attinent. Nunc de iustitia disceptandi tempus non esse, sed respondendi. Aut enim pium te argu, it conscientia, aut impium. Si pius es, manent te æterna gaudia: Si reus, violasti igitur æternam Dei iustitiam, quod aliter, quàm æterna damnationis vltione, pensari non potest.

Offensa Dei iustitia, æterna vltione pensatur.

Iam inde ab initio, peccante olim Adamo, non ipsi modo, sed vniuersæ posteritati, æterna incubuit inflictæ mortis vindicta, quę nisi benedictum semen interuenisset, nunquam finiretur: idque non sine iusto Dei iudicio. Iudicia siquidem Domini, vt habet Psalmus, vera sunt iustificata in semetipsis, omnia eius mandata veritas. Porrò quòd de fragili naturæ conditione caussificantur isti, esset in eo quidem aliquid, nisi malo huic curando, tot remedia diuina opposuisset prouidentia. Primùm legem ipse suam, non in tabulis solùm expressam, sed intus in imis naturæ sensibus iustillauit (vt dictum est) quę te in omnem recti officij disciplinam permoueret, cur non auscultasti? Rationem deindè, vitę rectè regendæ magistram addidit. Dedit præter hæc, accusantem memoriam mordentem conscientiam. Quæ, vt inquit Poeta,

Remedia contra infirmam peccandi fragilitatem.

Lex. Accusatrix concientia.

Surdo te verbere cędit,
Occultum quatiens animo tortore flagellum.

Spacium ad pœnitendum

Cur non obtemperasti? Quid, quòd spacium insuper, dies, menses, & annos tibi concesit, ad pœnitendum, ad cogitandum: quibus tu ad alias res, ad iocos, ad lusus, ad voluptates non ad mentem reformandam, sed ad carnis explenda desideria, turpiter & sceleratè abusus es. Atque hactenus magna hæc quidem esse negari non potest, dignáque pœnis æternis, quæ non tam fragilitati imputari debent, quàm apertę contumacię.

Attamen pręter hæc omnia, accedit aliud, longè adhuc grauiùs, quod infinitis parasangis, cętera omnia quantumuis detestanda hominum flagitia antegreditur, planéq; huiusmodi, vt credibile sit, nullam aliam caussam existere, ad delendam vniuersam damnatorum hominum à facie terræ memoriam. Id quidnam sit, si nescis dicã. Apparuit gratia, & bonitas seruatoris nostri Dei, erga homines salutifera, ad salutem benignissimè nos inuitans, non laboribus nostris comparandam, neque ex operibus quęrendam, sed gratuitò ipsius munere donatam, per Christum Iesum seruatorem nostrum, vt iustificati gratia ipsius, hęredes efficeremur, iuxta spem vitæ æternæ, idq; per fidem illius solam. Quæso, quid gratia hac Dei immensius? quid dono liberalius? quid salute immortali optabilius? Cur respuisti? Charitate tanta nos dilexit Deus, vt cum essemus peccatores, Christus Dei filius pro nobis mortuus sit, remedium afferens peccatis nostris, cur tam obuiam Dei benignitatem, cur oblatam vltrò salutem, tam indignè auersatus es?

Tit. cap. 3.

Gratia dei erga nos gratuita.

Cur vnigenitum Dei filium salutis autorem non recepisti, non honorasti, vt par erat? cur beneficium hoc felicitatis tuæ, tanto labore ipsius, ac morte comparatum, non lubentius agnouisti, ducens penè pro nihilò? Qui te capitali decumbentem morbo, vel it, aut possit sanitati restituere, quàm solicitè medicum tibi accersis, quàm cupidè amplecteris? quibus honoras præmijs? Et qui ad immortalem gloriæ felicitatem vltrò te inuitat, tot laborantem peccatis, tam indignè fastidis? Quid ni dignus est, quin suo vitio periclitetur, qui sciens, ac volens, id auersatur, per quod restitui potest?

Ioan. cap. 3. Lux. Tenebrę.

Qua de re, quid dominus ipse, in euangelio dicat, breui cõcludens sententia, auscultа. Hoc est, inquit, iudiciũ, quia lux venit in mundũ, & dilexerunt homines tenebras, magis

magis quàm lucem. Paucioribus verbis, rem grauissimã, expressiùs explicare non potuit: Quid autem verba hæc velint, vt pleniùs intelligamus. Tenebræ, quid aliud sunt, quàm error & peccata hominum? Peccata mortem gignunt æternam. Error oculos occæcat animorum, iudicium eripit, sensibus offundit caliginem. Filius dei, lux est mundi: lux veritas est, dispellens erroris caliginem. Est enim ille lux vera, quæ illuminat omnem hominem, venientem in mundum, venit ergo Christus Dominus in mundum, à patre missus. Et quur missus? Vt damna naturæ resarciret. Videns siquidem Dominus miseram, & perditam infirmitatis nostræ conditionẽ, innata fragilitate, ad vitia procliuem, sic dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum vltrò impartiret, qui fragilitati succurreret, mortem in salutem verteret, in cœlo iram pacificaret, iustitiæ satisfaceret, in terra peccata condonaret, obstrictas laxaret conscientias, in inferno vim Satanæ reprimeret, exterens Serpentis caput, principes, & rectores tenebrarum seculi huius debellans, regnum æternæ vitæ comparans. Amabo, quid ille nobis immensiùs donare, aut si votis agendum cum deo nostro foret, quid ampliùs ab illo exoptare liceat?

Tenebras magis diligunt homines quàm lucem. Tenebræ. Error. Peccata. Ioan. 1. Lux. Veritas. Salus. Beneficia Christi.

Ex ijs diuinam hactenùs clementissimi patris erga nos pietatem vides, humanam nunc erga illum impietatem vicissim specta. Tot siquidem prouocati beneficijs, tot ditati muneribus, sedentes in tenebris, & in vmbra mortis, tanta cœlitus emissa luce circũfusi, quid facimus? Quis enim clausis velut oculis ad solẽ hunc iustitiæ, nõ pluris ferè tenebras facit quàm lucẽ. Declarant hoc studia nostra, cogitationes & cupiditates. Quid in mundo tã reiectũ est, ac friuolũ, quod vt adipiscãtur homines, non multo appetunt enixius, quàm quæ verè bona sunt & æterna, lubẽtiúsq; quæ mundi sunt amplectuntur, quàm Christũ ipsum, imo ita mundo prorsus addicti, vt Christũ planè reijciant: Hic dignitates venatur, alius profligata pudicitia, totus cupiditatibus inardescit, libidini inseruit, delitias sectatur, ambitione efferatur, tũidus superbia inflatur. Alij Phariseorum exemplo, gloriam cõsectantur popularem, applausus vulgi in foro expetunt, protocliſias καὶ πρωτοκαθεδρίας, in conuentu ambiunt, celebrari in mundo affectant. Multi ad politicam perdiscendam disciplinam, ad iuris prudentiam, ad vsum & praxim rerum forensium, aut ad quæstum ex medicina faciendum, animos totos adijciunt. Alij alijs curis affixi, vt docti, vt diserti euadant, quanta se solicitudine defatigant.

Homines mũdo magis, quàm Christo affixi.

Quæ tamen nemo ita accipiat, à me dicta, quasi literas, artes, studia doctrinarum, dicendi atque philosophandi peritiam, similésque laudatissimarum scientiarum facultates, tanquam inutiles, sua dipellam dignitate, aut loco dimoneam, aut pro tenebris, fastidiendas existimem. Imo luculenta dei dona, eximia non solùm naturæ ornamenta, honestaque ingeniorum oblectamenta sed in ijs ponenda etiam fateor, quæ ad omnes vitæ partes adiumenta non pœnitenda præstant. Sic neque opes, copias, facultates, domos, agros, prædia, possessiones, diuitias, mercaturæ operam, itidem neque honores dignitates, τὰ τάγματα βουλευτικὰ, καὶ ἀξιωματικὰ, damno, quasi qui diuites, aut potentes sunt in hac vita, qui artium doctrina pollent, qui honestis incumbunt disciplinis, qui scriba sit, sapiens, aut disputator huius seculi, aut quicunque demum commoda huius vitæ, magno labore parta possident, protinus incapaces sint supernæ felicitatis.

Calumniæ depulsio.

Abrahamum multiplici possessionum affluentia cumulatum legimus. De reliquis patriarchis Isaaco, Iacobo, Iosepho, Iobo quid dicam? Dauid, Salomon, Ezechias, Iosias, Iosaphat, quia regali excelluerunt dignitate, nihilo minus charos deo dixeris. Quin & inter Imperatores summosque orbis monarchas, nonnullos fuisse deo non ingratos constat. Neque enim frustra à Paulo positum existimetur: Omnes potestas à deo proficiscitur. Prætereo hic multa, & Doctorum, & diuitum, & Nobilium laudatissima exempla, in quibus haud immerito locum habeat quod in sacris prouerbijs celebratur: Benedictio Domini ipsa diuitem facit. Quod igitur

Abraham. Isaacus. Iacobus. Iosephus Patriarchæ diuites. Iobus. Dauid. Salomon. Ezechias. Iosaphat. Reges splendidi & pij. Imperatores Monarchæ Rom. 13.

tur ad res quidem ipſas attinet, vt dona ſunt dei, ita ſi rectè collocentur, ſique in talem incidant, qui commodè vti norit, nihil habent periculi.

Non res ipſæ, ſed rerum abuſus damnatur.

Quo modo autem rectè vtendum his ſit, ex D. Paulo rectiſsimè diſcamus. Sic enim ad Corinthios ſcribens monet, vt qui verſantur in hoc mũdo curiſque inuoluuntur mundanis, ſic vtantur, quaſi non vtantur, qui vxores habent, ſint, tanquam nõ habentes, qui plorant, tanquã non plorẽt, gaudentes tanq; qui non gaudeant: qui mercaturam exercent, emunt, ac poſsident, quaſi nihil poſsideant, &c. Quæ tamen verba Apoſtoli minimè huc tendunt, quaſi bona hæc temporaria, ſiue fortunæ, ſiue corporis, ſiue animi exiſtant, nobis abijcienda cenſeat, vt Crates aurũ abiecisſe ſuũ dicitur: neque vt monachorũ ritu, deſertis cõmunis vitæ curis, & negotijs, intra priuatos parietes incluſi, immunes à laboribus, vitam agamus ocioſam, ſed vt manentes, in ſua quiſque vocatione, ita in mundanis iſtis curis & negotijs neceſſarijs exerceamur, vt ſemper interim teneamus, fluxa, caduca, ac euanida eſſe, quæcunque hic poſsidentur. In rebus igitur ipſis, ſiue affluunt, aut non affluunt, nulla adeò culpa ineſt. In vſu aut abuſu rerum laus conſiſtit, aut vituperium.

1. Cor cap. 7.

Quomodo vtendum hoc mundo iuxta D. Paulum

Res maneant, abuſus tollantur.

Qui in ijs parandis ſedulam nauant operam, quæ ad victum vitamque tuendam ſunt neceſſaria, ſiue quæ ad dignitatem etiam, cum laude ſuſtinendam, conducunt, non illaudanda eorum diligentia eſt. Cæterum qua ratione iſta acquiris, qua moderatione retines, qua mente perfrueris ijs, quæ poſsides, videndum eſt. Si tanquam nihil poſsideas, aut ſi res nihili æſtimes, ſed vt nugas attellanas, ducas, quæ nihilo te reddant meliorem: rectè facis. Sin aliter, tota erras via, magnoque verſaris in periculo.

Quod quo illuſtrius cogitationi pateat, fingamus, verbi gratia, huiuſmodi te quempiam eſſe, in quem ſingulari ſucceſſu cadant, quæcunque in hac vita, vel contingere, vel exoptari queant ab hominibus, felicitates, poſſeſsiones, dignitates, gaudia, ornamenta, victoriæ, triumphi, vt nihil deſit rerum omnium, quæ vel ad cultum ingenij, vel ad animi decus, ad fortunæ ſplendorem, vel ad corporis voluptates attinent: Bonarum literarum artiumque ſis licet callentiſsimus, linguis omnibus inſtructus ad amuſsim, ingenij acumine perpolitus, memoria præſtans, dicendi ea donatus facultate, vt ſũmos Oratores, Cicerones, Demoſtenes, Fabios exæques iuris legumque omnium inſignitus prudentia, rerum multiplici lectione, & cognitione nemini ſecundus, in laude ſapientiæ cum rege omnium ſapientiſsimo Salomone certans, qui de vanitate rerum mundanarum ſcribens, ſapientiſsimè in hæc verba exclamat: vanitas vanitatum & omnia vanitas. Vidi cuncta, quæ fiunt ſub ſole, & ecce vniuerſa vanitas.

Vanitates huius mundi.

Eccleſ. cap 1.

Adde huc, ſi placet corporis robur, & pulchritudinẽ, pluſquam Abſolonicam, diuitias pluſquam luculllianas, poſſeſsionum plenos cumulos. Præterea tibi donemus & omne aurum,

Quod Tagus, & rutila voluit pactolus arena.

Breuiter vt omnia tibi tribuamus quæcunque ſunt ſeculi commoda, felicitatem Polycratis, Gygis annulum, theſauros Cræſi, aut Cyri, victorias Alexandri, triumphos Pompeij, Iulij pompam, gloriam mundi, quantam Chriſto oſtenderat Satanas in monte, horrea ſtulti illius Nabal in Euangelio, quæ amonæ recipiendæ parum ſuffecerant, aulicas denique delitias, quibus epulabatur ſumptuoſus epulo ille, in parabola euangelica.

Age, inquam, vt hæc omnia in vnum redigamus cumulum, quid habet tandem vniuerſa hæc rerũ ſcena, quod votis tuis vndique ſatisfaciat, quod naturam integrè delectet, quod perplexas pectoris anxietates diſpellat, quod ab incurſu malorum, tutum, ac ſecurum præſtet quod non modo te cæteris meliorem, ſed vel bonum etiam virum efficiat? Vt vt de ſummo ſuo bono garriunt philoſophorũ ſcholæ, virtutiſque perfectione, quæ in contemplatiua operatione conſiſtit, cum omnes omnia

Summum bonum apud philoſophos.

dixe-

dixerint, nunquam in ijs reperient, suum hoc, quod summè bonum prædicant. Quid enim boni hic esse possit, in tanta naturæ peruersitate, carnis imbecillitate, vitiorum corruptela, aut quæ felicitatis perfectio, vbi omnia plena sunt ærumnis, miserijs, damnis, iniurijs, lachrymis, querelis, fraude, perfidia, superbia, hypocrisi, auaritia, vbi nihil firmum, constans, aut diuturnum? Verum ceu rotæ cuiusdam in morem, volubili vertigine, deuoluuntur summa imis, sursum deorsum, omnia. De quo non inscitè Nazianzenus ὁρᾷς ὁια τὰ ἡμέτερα, καὶ ὅπως κύκλος τις τῶν ἀνθρωπίνων περιτρέχει πραγμάτων, νῦν μεν τῶν, νῦν δε τῶν ἀνθούντων, καὶ ἅπαν βούλεται, ὡς ἄυραις ἔιναι μᾶλλον πιστεύειν, καὶ γραμμασι τοῖς καθ' ὕδατος, ἢ ἀνθρώπων ἐυκμερίᾳ &c. Quis vniuersa malorum agmina, periculorum discrimina, cunctas morborum species, fando percenseat, quibus vita concutitur mortalium? Hinc pestis grassatur, hinc bellum furit, crescunt aduersarij, insidiantur latrones, itinera obsidentur, vt nihil vndique tutum sit, nihil, quòd in crastinum quisquam sibi polliceatur. vt non temerè scriptum à poeta videatur.

1. Vides, nostra vt habent, quo modo circulus quispiam rerum humanarum circumcurrit, nunc his, nunc illis florentibus, ac deflorentibus, vt auris aut scriptis in aqua literis fidas facilius licebit, quàm hominum felicitati. &c.

Viuitur ex rapto, non hospes ab hospite tutus
Non socer a genero, fratrum quoque gratia rara est,
Imminet exitio vir coniugis illa mariti.
Filius ante diem patrios inquirit in annos. &c.
Victa iacet pietas, terras astræa reliquit
Cumque his diffugere pudor, verumque fidésque,
Insidiæque & vis, & amor sceleratus habendi. &c.

Ouid Metamorp. lib. 1

Vt interim de internis animi molestijs, de metu malorum impendentium, de occultis perturbationibus, quæ mentem intus irrequietam pulsant, de stimulis conscientiæ nihil dicam. Non tam pellagus procellis æstuat, quam curis, & angustijs mens misera distringitur. De quo rectissimè declamitat Satyricus ille.

O curas hominum. O quantum est in rebus inane?

Persius Satyr. 1.

Sed quid poetas moror? Sacra scripturæ vox ipsa, ex Psalmis loquatur: vniuersa, inquit, vanitas, omnis homo viuens. Age circumfer oculos, confer te, quocunque lubet, ad quascunque velis orbis partes, quo tandem te recipies, vbi non metus, miseria, anxietas, vanitas comites iudiuulsi, velis nolis, te comitentur, vnde extricare te nulla valebunt Pharmaca?

Psal. 38.

Nec mirum. Quid enim hic felix vsquam aut expetendum, quid non perditum potius, ac vndique deploratum, in tã misero hoc rerum hominumque statu reperies, sub imperio videlicet tyranni, vt omnium potentissimi, ita omnibus modis nefandissimi, qui sub iugo ita districtum te tenet, vt potentiam ipsius, nec effugere, nec resistere vlla humana ratione valeas. Nam quid aliud, te quæso, mundus hic est, nisi imperium, & atrium quoddam Diaboli, qui princeps mundi dicitur, rectèque dicitur?

Sub imperio Satanæ omnes captiui tenentur, præter hos solum, qui Christi sunt.

Mundus hic magnus atrium diaboli.

Quemadmodum princeps in regno suo, dominatur in suos subditos, cuncta continens in pace, cuius potestati, cæteri quique, velint, nolint, subiugantur: ita vniuersa hæc natura mortalium, filijque omnes huius seculi, quid aliud sunt, quàm captiua quasi præda diaboli, cui ad tempus permissa est tyrannis à deo, in aerem hunc inferiorem, vbi nunc regnat, agens in filijs diffidentiæ, quos varijs seductos artibus, ad se trahit, fallacijs circumducit, erroribus implicat, nunc minis territat, nunc blanditijs demulcet, falsis bonis & gaudijs illectat, opibus ditat, honoribus accumulat, in fraudem, omnèque nefas impellit, falsa pro veris suggerit, mendatijs deludit, sic denique delusos possidet, dementatque, vanissima opinionis persuasione, vt summam felicitatis suæ ferè collocent, in rebus visibilibus, fluxisque præsentis vitæ commodis. Tanta vis Satanæ est, in offuscandis hominum iudicijs. Atque,

Mira efficacia Satanæ in deludendis hominum sensibus.

que, quod omnium teterrimum est, quum sensus hominum, miris suis veneficijs dementarit, ita tamen pestiferas suas methodias occultat, callidissimus hic fallendi, & mentiendi artifex, vt putent homines tum, quum maximè falluntur, in nullo se versari errore, nec vllum in se locum habere dæmonem, sed bonis diuinitus sibi concessis legitimè perfrui: vim nullam habere diabolum, nisi in ijs solùm, qui in corpore, aut animo, graui aliquo malo corripiuntur. Quum longè aliter, communis experientiæ publica testatur comprobatio, nullos veræ felicitati propiores, nullos deo chariores esse, quàm quos maximè in hac vita affligi sinit, nec vnquam Satanam minus esse noxium, quàm quum nocet maximè.

Nulli deo chariores, quàm in mundo afliguntur maximè.

Habet siquidem diuina pietas, hoc sibi proprium, vt nullis faueat impensiùs, quàm quos detestatur maximè hic mundus. Declarat hoc quotidiana omnium ferè piorum exempla, tum maximè ipsius Christi seruatoris nostri historia: qui post multas tribulationes, intrauit in gloriam suam. Idem pariter omnium ferè fidelium communis testatur conditio, vt ad veram felicitatem, nulla contendatur via feliciùs, quàm ferendis miserijs, nullóque veræ felicitati propiores, aut deo chariores existere, quàm quos in seculo videas infeliciſsimos. Contráque nullos plærúmque infeliciores, quàm quos maximè ditat ὁ δαιμων Præclarè Aristoteles: Aristotoles. πολλοῖς ὁ δαιμων, ου καθ' ὑπεροχην φέρων μεγαλα δίδωσιν, ευτυχηματα, ἀλλ' ὀλιγα τὰς συμφορὰς λάβωσι ἐπιφανεστέρας.

Id est.

Multis non ex beneuolentia deus ingentes præstat prosperitates, sed vt nobiliores suæ fiant calamitates.

Tenendum hîc igitur discrimen est. Vt enim habet Christus regnum suum, æternosque suos thesauros, bonaque in cœlis reposita, quæ promittit suis, post defunctas huius temporis asperitates, ita nec deest Satanæ suum imperium, bonáque sua. Quæ si vera essent, si infucata, ac non omnibus modis vana, nõnihil haberent, quòd homines suæ prætexant stultitiæ. Nunc conferamus hæc inter se bona, vt quid vtrinque intersit, videamus. Ac primùm, quæ per Christum conferuntur nobis bona, eius sunt naturæ, vt omni humano captu superiora, fide comprehendi possint, nulla alioqui vi cogitationis, nec sensibus hominum perueſtiganda, quippe quæ non humana, sed diuina sunt, ac sempiterna, omnibus sanè modis admiranda. Quid enim admirabilius, quid in vita excellentius, quid homini magis expetendum, quàm peccatorum redemptio ac remissio? quàm reddita conscientiæ tranquilitas, quàm deuicta Satanæ potestas, adempta mortis cura omnis & trepidatio, eiusque loco, succedens ad vitam immortalem resurrectio, intollerabilis dei ira, in miserecordiam versa in die iudicij iudicis absoluens sententia?

Bona quæ per Christum nobis conferuntur.

Quid cum gloria illa cœlesti, cum pace sempiterna, luce immortali & ineffabili, comparandum, de qua prædicat Esaias: Et lætitia sempiterna super caput illorum, gaudium & læticiam obtinebunt, fugiet dolor, & gemitus. Quanquam neque hæc ita propria sunt futuræ vitæ, quin & in præsenti, gustus etiam ipsorum nonnunquam percipiatur.

Esai. 35.

1. Omnes copia preciosa & iucunda. Prou. 24.

E regione spectemus vicissim quæ largitur hic mundus. Contigit tibi fortasse, quod in prouerbijs fertur cal hon iaker ue nahim Nactus es hæriditates, possessiones: Affluit tibi πιμπρᾶσθαι ὁ πλοῦτος, Attali Gazæ, congesta est vis auri argentique Aulicis honoribus, & delitijs diffluis: denique nihil deest rerum quæ hîc expetuntur, prædia, pecunia, equi famuli, vestes, gloria, τα ἱματια λαμπρᾶ, splendida, & preciosa supellex, amicorum & cognatorũ copia, adest & parasytorum turba, qui te vndique circumffluunt. Age, & quid tũ postea? At nihilo minus, cum bonis his omnibus, miser sub iure & imperio Satanæ vinctus detineris, qui te captiuum, velis nolis,

Misera & mortalis hominum conditio, quantumuis in hac vita florent.

tenet

tenet, ſeruumque ſibi poſsidet: Morti ſimiliter mortalis tua ſubijcitur conditio, quæ vno momento, omnibus his te bonis ſpoliat, vitam adimit, ſenſus omnes obſtruit, nihil tibi relinquens, quod tecum tollas, præter tenue, idémque ſordidum inuolucrum. Cætera iamdudum alios habent dominos. Quin ne ſic quidem malorum finis.

Mors ſiquidem mittit, ad iudicium. In quo ſingulorum, quæ geſſeris, reddenda tibi ratio eſt, anteactorum. Quæſo quid hîc dices? quid pro te adferes? Miſericordiam ſummi numinis implorabis? At lex illius reum te vndique arguet, atq; te ad lacum iræ magnum adiudicabit. Ad Chriſtum confugies mediatorem? Qua fronte iſtud? quem tu tam indignis modis in vita aſpernatus es. Deus filium ſuum miſit in terra, cur eum non recepiſti? Venit lux in mundum, quæ viam panderet tibi ad cœli gloriam, cur tenebras dilexiſti magis, quàm lucem? Quid immenſiùs ſumma illa bonitate, quam exhibuit humano generi paterna pietas, in ſuo filio, in quo largitus eſt nobis omnia? Et quid indigna hac hominum impietate monſtroſiùs? qua mundus, tam obuiam atque effuſam Dei benignitatem, pro nihilo ducens, adeò non amplectitur dilectum hunc Dei filium, vt plærique eum in membris ſuis perſequantur, pauci norunt, pauciores quærunt, paucíſsimi inueniunt. Nec mirum ſi minus inueniant, quum alijs occupati curis, alijs diſtenti voluptatibus, huius exquirendæ Margaritæ, nullo teneantur deſiderio.

Atque hinc cœleſte iudicium illud, de quo Dominus, vt dixi, in Euangelio: hoc eſt, inquit, iudicium quod lux venit in mundum, & dilexerunt homines tenebras, magis, quàm lucem. Atque hactenus, quid Dominus dicat de iudicio, verba ſatis ipſa indicant: Ad Ioannem modò reuertamur, qui in deſcriptione iudicij, quid deinceps prophetat, aduertamus ſedulò. Ioan. cap. 5. Iudicium dei qua cauſa immittitur.

Et miſit Angelus falcem ſuam acutam in terram, & vindemiauit vineam terræ, & miſit in lacum iræ magnum, & calcatus eſt lacus extra ciuitatem.

HORRENDI DIVINI IVDICII DEſcriptio.

QVàm horrenda iudicij dies cunctis mortalibus immineat, ex oraculari hac deſcriptione, haud ambiguum eſt. Idque non ex his ſolùm Prophetæ verbis. Plena ſunt vbique ſacrarum literarum monumenta exemplis eiuſmodi, quibus conſummatio ſeculi, partim apertè oſtenditur: partim ſub figuratis externarum rerum typis, repreſentatur, vt Math. 13. Meſsis, inquit, conſummatio ſeculi eſt. Meſſores Angeli ſunt. Sicut igitur colliguntur zizania, & igni exuruntur, ſic erit in conſummatione ſeculi. Mittet filius hominis angelos ſuos, & colligent è regno illius, omnia offendicula, & eos, qui patrant iniquitatem, mittet in caminum ignis. Ibi erit ploratus, et ſtridor dentium. Tunc iuſti fulgebunt, vt ſol, in regno patris ſui &c. Horrendi iudicii deſcriptio. Mat. 13.

Nec minus aperta ſunt verba, Petri, et Pauli. Sic enim ille: Adueniet dies domini, ſicut fur, in quo cœli magno impetu tranſibunt; elementa verò æſtuantia ſoluentur, terráque et quæ in ea ſunt opera, exurentur. Eodem modo, et Paulus: Dies ille Domini, vt fur in nocte, ita venturus eſt: cùm enim dixerint, pax, pax, & tuta omnia: tunc repentinus eis imminet interitus, ſicut partus mulieri prægnanti, nec effugient, &c. Idemque alibi. 2. Pet. 3. 1. Theſſ. cap. 5. 2. Theſſ. cap. 1.

Cùm reuelabitur, inquit, Dominus Ieſus, cum incendio flammæ, qui infliget vltionem, ijs, qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt Euangelio Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui pœnam luent, interitum æternum à facie Domini,

& à gloria fortitudinis illius, cum venerit, vt glorificetur, in sanctis suis, & admirandus fiat, in omnibus credentibus, &c.

Num. cap. 11. Eodem pertinent & in veteri testamento, præteritæ illæ figuræ, de irato deo, & accenso igne Domini, qui deuorauit extremam partem castrorum, donec cogeretur Moses, ad orandum dominum, sic absorptus est ignis, &c. Et alibi, eodem libro, vbi ignis egressus à domino interfecisse dicitur, non exiguam partem eorum, qui rebellarunt Mosi: vnde Aaron oblato thymiamate, stans inter mortuos, deprecatus est dominum, & cessauit plaga, &c. In Genesi similiter, quid significat aliud ignis & sulphur pluens super Sodomam, & ciuitates regionis illius, Lotho duntaxat cum familia conseruato?

Ibidem.

Gen. cap. 19.

Adiungamus huc, quæ non multum dissimili descriptione, Ioel propheta de acerrimo hoc dei iudicio vaticinatur, in hunc modum: Consurgant, & ascendant gentes, in vallem Iosaphat, quia ibi sedebo, vt iudicem omnes gentes in circuitu. Mittite falces, quoniam maturuit messis, venite & descendite, quia plenum est torcular, exuberant torcularia, quia multiplicata est malitia eorum. Populi, populi in vale concisionis, quia iuxta est dies in valle concisionis, &c.

Ioel. cap. 3.

Falces.
Messis.
Torcularia.
Vallis concisionis.

Ab hac Ioelis prophetia non multum abludit hæc Ioannis vaticinatio: Mittite falces, ait Ioel, de pluribus nimirum sentiens messoribus falcigeris. Itidem & Ioannes, postquam Christum primum produxit, cum sua falce, mox & alterum subiungit Angelum, vtrunque cum sua falce ex quo plures & messores & falces intelligis, quibus dicitur, iuxta verba Ioelis: Mittite falces vestras. Quin nec dissimilis sequitur, in alijs etiam allusio. Quod enim Ioel, vallem vocat concisionis, hic lacum appellat magnum. Cur magnum? Quia exiguus & angustus locus, tantæ mactationi, non satis esset. Quod hic lacus ire dicitur, apud Esaiam, torrens furoris appellatur. Non quòd ira aut furor, humano more, in deum cadat: sed tenendum est recti, & praui discrimen. Quemadmodum nec reliqui affectus, vt homini accidunt, eodem modo & deo conueniunt.

Falces plures apud Ioelem, & Ioannem. Vide supra pag.
Congruentia inter Ioelem & Ioannem.
Esai. cap. 30.
Affectus quatenus in deum cadunt.

Sunt autem tres potissimum affectuum perturbationes, quæ homines in omnia facinora præcipites agunt. Ira, cupiditas, libido. Ira vltionem desiderat, cupiditas opes, libido voluptates. Sed his affectibus deus certos limites statuit, quos si transcenderint, maioréque esse cæperint, necesse est, naturam suam deprauent, & in morbos ac vitia vertantur. Qui autem sint isti limites, facile ostenditur. Cupiditas ad ea comparanda, nobis data est, quæ sunt ad vitam necessaria: libido ad sobolem propagandam.

Tres affectuum perturbationes.
1. Ira.
2. Cupiditas.
3. Libido.
Cupiditas in quem vsum data.

Iræ affectus, ad coercenda peccata eorum, qui sunt in potestate nostra, id est, vt arctiore disciplina, minor ætas ad probitatem, iustitiamque formetur. Quæ nisi metu cohibeatur, licentia parit audaciam, quæ ad omne flagitium, & facinus euadet. Est igitur ira, si rectè per se consideretur, non omninò vitiosa, sed & iusta etiam, sæpe & innocens, ea ratione, qua rectè definitur à theologis, motus animi esse, ad coercenda peccata, insurgentis. Quòd si lex iusta est, quæ nocentibus tribuit, quod merentur, & iudex integer, & bonus dicitur, cum malefacta vindicat: sic & ira, quæ ad correctionem vitiorum adhibetur, nec homini adimi debet, nec Deo potest, quia & vtilis sit humanis rebus, & necessaria. Quamobrem Deus quum malis obest, nocens non est. Ipse autem nocens, qui aut innocenti nocet, aut nocenti parcit, vt pluribus noceat. Vt igitur humanæ iustitiæ est, maleficos, nostræ subiectos potestati coercere: ita & Deus, peccata vniuersorum vindicare potest, quod vt faciat, irascatur necesse est. Mundus enim quid aliud est, quàm domus Dei? homines quid aliud, quàm eius serui? quorum malefactis, vt cum iustitia rectè irascitur, ita nec minus pro pietate, afflictis potest, solétque succurrere, vt rectè disputat Lactantius. Pergamus porrò.

Iræ affectus quorsũ seruit.
Ira quid sit.
Ira quatenus in Deũ cadat.
Lactantius li. de ira dei cap. 16. 17.

Et

Et calcatus est lacus extra ciuitatem & exiuit sanguis de lacu, vsq; ad frænos equorum per stadia mille sexcenta, &c.

De lacu iræ magno, & botris in eum coniectis, superiùs monstratum est: nunc quid lacus hic faciat, subiungit deinceps propheta. Et calcatus est lacus, inquit, extra ciuitatem. Mira profecto descriptionis ratio: quum lacus propriè calcari non solent, nec botris vineæ contundendis conueniant, sed ad hunc vsum maximè adhibentur torcularia, quæ propriè calcantur ab hominibus, in premendis, & torquendis vuarum Pampinis. Quanquam & lacus torcularibus etiam supponuntur, ad accipiendum mustum. Vnde impropriè, lacus, prælum, & torcular, pro eodem, apud autores accipiuntur. Quod igitur Ioannes lacum hîc dicit, Ioel torcular appellat, seu vallem concisionis, in quo torquendi sunt impij. Quis igitur sit lacus iste, qualisq; sit, vides: restat porrò, quid de lacu hoc fiat, vt intelligas. Lacus iræ magnus. Lacus. Torcular. Vallis concisionis.

Et calcatus est lacus, inquit, *extra ciuitatem.*

Age, & cur non in ciuitate, cur extra ciuitatem potius? Vt discrimen cernatur, inter cœlicolarum gaudia, & inferorum mancipia. Ciuitas enim regnum Christi, eiúsque incolas, vbi omnia pacata, & tranquilla existunt: Lacus regnum damnatorum spirituum denotat, vbi nihil, nisi fletus, & stridor dentium auditur. Prætereà sicut Christus Dominus ipse, extra ciuitatem Hierusalem, abductus est ad patibulum: sicútque in alijs regnis, vulgò fieri solet, vt extra portas ciuitatum supplicia peragantur, itidem & lacus iste, & torcularia, calcandis botris, non in regno Christi, sed longè inferiùs, apud ipsos inferos, & tenebras exteriores constituuntur. Lacus extra ciuitatem calcatus.

At mirum interim videbitur fortasse in descriptione iudicij, quid hîc faciat, lacus, quid torcularia, quid conculcatio torcularium, quæ non nisi viui dulcissimo liquori exprimendo ad vsus hominum necessarios, propriè accommodantur. Vt respondeam, à litera reuocanda mens est, nec verborum spectanda proprietas, sed similitudinis significatio inspicienda: quæ rebus tam appositè congruit, vt aptiori similitudine, immensa rei grauitas exprimi non potuerit. Obiectiuncula. Responsio.

Quemadmodum enim ex aggestis vineæ botris, atque in torculari compressis, ingens effluit vini copia, in lacum, aut vasa subiecta: de qua exclamans Ioel, descendere eos iubet quia plenum est, inquit, torcular, exuberant torcularia: haud aliter hoc loco Ioannes, de innumerabili eorum panolethria dicturus, qui in hoc iudicio delendi erant, non poterat aptiore descriptione, eorum exprimere multitudinem, quàm inducta, calcantium in torculari similitudine, vndè tanta exundabit, non vini sed sanguinis copia, quæ ad frænos vsq; equorum excrescet, per stadia mille sexcenta. Multitudo in lacu pereuntium.

Atque hæc hactenus de Prophetica iudicij aduentantis descriptione, cum ex Apocalypsi, tum ex superiorum Prophetarum oraculis petita. Quæ si singula ritè appendantur, satis per se mortales quosque mouere possunt, vt maturè sibi in loco, & tempore caueant. Idque tanto maturius, quantò grauiora, in strictissimo hoc iudicio, tormentorum pericula mundo imminere vident.

Quamobrem ne incautos illa nos dies opprimat, omnibus modis aduigilemus oportet. Quòd si ea conditione geniti essemus, in hanc lucem, vt vel vitæ innocentia, à morte nos tutos, vel à iudicio liberos, atque indemnes absoluere, vel si nullus foret iudex, cui reddenda esset factorum ratio, minus esset, cur metueremus.

Nunc tot impliciti malis, tot vndique circumuallati periculis, tot coarctati angustijs miseri mortales, quid agimus? quo ruimus? quo nos vertemus denique?

Hinc

Aerumnosa hominũ vita.

Hinc morbi, curæ, damna, dolores, irrequietæ perturbationes, vitam non tam ærumnosam, quàm breuem infestant. Si rectè viuis, pulsant te tentationes Satanæ, & ignita tela Diaboli: Sin improbè nusquam tutus es, ab vltrici Dei manu.

Mors.

Iudicium.

Post hæc, inopina obrepit mors, quæ, vno momento, idque quàm breui nescis, omnibus te bonis exuit, spoliat, abripit, in nihilum redigit, hîc gemitus, hîc amicorum lachrymæ, hîc conscientiæ stimuli. Hinc te expectat iudicium, ad rationem irrefragabilis accersit iudex, hinc lacus ille iræ magnus, horrendum minatur exitium. Quid & tu hîc interim, tot vndiq; oppletus miserijs, suauiter tibi applaudis, ludis, rides, iocaris, triumphas, securus stertis in vtramque aurem, voluptatibus indulges, scelera sceleribus cumulas, bonos persequeris, innocentes opprimis, pergisque in cœpto vitæ cursu, fræna laxans ad omnem turpitudinis licentiam.

Securitas, & licentia peccandi vnde pullulat.

Atque hæ quidem pestes, adeóque malorum omnium seges, quibus tota scatet vita mortalium, haud alia de stirpe, scaturire videtur, quàm vel quòd permulti præsentibus intenti studijs, de futuris non cogitant, vel quòd plærique non credunt esse vera, quæ in arcanis sacrarum literarum, futura annunciantur. Nam alioqui, si sera cogitatione in mentem ista incurrerent, ita vt par erat: fieri non posset, quin licentiam hanc peccandi, facilè excuteret periculi metus. Vnde rectè monet Hagiographus ille, qui memorare nouissimorum, nos iubet: ita futurum, vt non peccemus in æternum. Nec multum ab hoc consilio abhorret Academica Socratis sententia, qui philosophiam definiens mortis appellat meditationem. Id nimirum, quod res est, subinuens: ad veram sapientiam non parùm conducere ea videre, quæ non modò, ante oculos sunt, sed in longitudinem prospicere, quo possimus, præsentes animi motus, assidua mortis contemplatione compescere. In Academica hac schola rectè satis eruditus fuisse Cicero ipse videtur: in eandem scribens sententiam: Commorandi nobis natura, diuersorium, inquit, non habitandi locum dedit.

Eccle. 7.

Nouissimorũ recordatio.

Mortis meditatio.

Cic. lib. de Senect.

Quo magis nos pudeat Christianos, quorum quum omnis vita, diuini iudicij perpetua esse debebat meditatio, ita tamen viuimus, ac si nunquam essemus morituri, ac si nihil post mortem esset metuendum, ita præsentia consectamur, ac si nulla essent futuræ vitæ bona, in cœlis reposita. At quæ hæc præpostera vitæ ratio est? Vt externas opes conseruemus, quanta præcauemus diligentia, ne nocturnus nos perfossor, incautos adoriatur: ut æternas tueamur, non vigilabimus? Vigilate, inquit Dominus, quia nescitis, qua hora dominus vester venturus est. Quis est paterfamilias tam supinè oscitans, qui si sciat nocturnum grassatorem, in ædes irrupturum, stertens totam noctem, pateretur domum suam perfodi? Porrò vbi idem monet dominus, vt opes, & thesauros, non in terra, sed in cœlo recondamus. Rursus vbi inducta similitudine virginum, quarum aliæ, cum tædis ardentibus, sponsum paratæ exceperunt: aliæ imparatæ, ac oleo destitutæ ad subitum occursum sponsi, excludebantur: quid aliud his parabolis voluit, nisi vt à sordidis huius mundi curis, ad vera & æterna bona, nostram expergefaceret somnolentiam?

Mar. 13.

Math. 24.

Luc. 12.

Mat. 6.

Luc. 12.

Mat. 25.

Quamobrem ad exemplum prudentium virginum, seruiq; fidelis, & patrisfamilias prouidi, expergiscamur, veternum hoc antiquæ oscitantiæ excutiamus, in tempore paremus nobis in vasculis oleum, in sacculis bonorum operum comeatum, quia nescimus diem, & horam aduentus, obrepit enim improuisus. Proinde semper curandum, ne opprimat imparatos. Siquidem vbi semel ille aduenerit, serum fuerit, resarcire superiorem somnolentiam, ianuæ semel clausæ, posteà non aperientur. Itaque quoniam nobis hoc tempus ignotum est, nullo modo cessandum, in hac vita, putemus. Sed ita viuendum, quasi dies ille, hodiè esset. Quis nouit, quid serus vesper, tantò minus, quid crastinus dies aduehet. Quamobrem neglectis humilioribus, & sordidis mundi huius ludicris, toto studio, ad ea properemus, quę

Adhortatio ad pios Christi cultores.

quæ verè beatos efficient, totaque mentis acies ad ea feratur, quæ conducunt ad perfectæ felicitatis cumulum. Fluxa sunt, falsa sunt quæcunque promittit, aut largiri possit hic mundus. Tenebræ sunt, non cymeriæ, sed tartariæ, quæcunque extra Christum sunt.

Surge, inquit, ille qui dormis & illucesset tibi Christus. Quod enim in domo lucerna est, quod in corpore oculus, quod animus in corpore, quod in cœlo sol, id in mundo cœlitus à patre donatus Christus est. De quo apud Prophetam legimus: Dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. Tanta itaque accepta luce, qui sedemus hactenus in tenebris, & in vmbra mortis, abijciamus tandem opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Vt filij lucis ambulemus, tanquam in die compositè, non luxui indulgentes, in commessationibus, aut temulentis compotationibus, non in spurcis lasciuiæ cubilibus, non per contentionem, aut liuorem, inuicem inter nos concertantes, more eorum, qui nocturnam agunt vitam, sed ita vitam instituamus, vt professioni nostræ, veræ pietatis studium respondeat, ita vt appareat, nos in luce vigilare, non in tenebris stertere.

Ephes. 5.

Esai. 49.

Rom. 13.

Arma lucis.

Temulentæ cõpotationes, Contentionũ pugnæ vitãdę.

Si ditescere adeo expetimus, ijs opibus, ijs thesauris incumbamus congerendis, qui nullis humanis casibus sunt obnoxij, qui nec vlla nos ad custodiendum vexabunt solitudine. Si vitam volumus, discamus mori huic mundo, vt illic viuamus, vbi nunquam sumus morituri. Si voluptatum tanta nos capit auiditas, nulla certè voluptas, nulla delectatio, conferenda est, cum læta illa conscientiæ tranquillitate, quam intus largitur Christus: Et inuenietis, inquit, requiem animabus vestris.

Veræ opes.

Vera vita.

Vera Voluptas Math. 11.

Via nobis ille est, veritas, & vita. Hunc viæ ducem, veritatis magistrum, vitæ autorem quisquis sibi adhibet, à recto felicitatis cursu excidere non potest. Nemo sibi frustra blandiatur, nec ad male blandas syrenarum voces, aures accommodet. Non faciunt beatum, vt præclarè scribit Lactantius, vitiosæ ac mortiferæ voluptates, non opulentia, libidinum incitatrix, non inanis ambitio, non caduci honores, non cæcæ cupiditates, reliquæque perturbationes animi, quæ natura sua caliginem inducunt, sicque rationem occæcant, vt sæpe id felix esse iudicet, quod est calamitosum, id putet esse expetendum, quod contemnendum, ac neglectui habendum est. Proinde vniuersos oportet, vt verbis adhorter Lactantianis, qui sapientes, qui homines merito dici volunt, fragilia contemnere, terrena calcare, humilia despicere, vt possint cum Deo, beatissima necessitudine copulari.

Viæ dux. Veritatis magister. Vitæ autor Christus.

Lactant. lib. de Ira. cap. 23.

Auferatur impietas, discordiæ, dissentionésque turbulentæ, ac præstiferæ sopiantur, quibus humanæ societates & publici fœderis diuina coniunctio rumpitur, dirimitur, disipatur: Quantũ licet, boni ac benefici esse meditemur, si quid nobis opum, si quid suppetit copiarum, non voluptati vnius, sed multorũ saluti impartiatur. Voluptas enim tam mortalis est, quàm corpus, cui exhibet ministerium. Iustitia & beneficentia tam immortales, quàm mens & animus, qui bonis operibus similitudinem Dei assequitur. Proinde (vt idem alibi) fragilia contemnenda sunt, vt solida consequamur, spernenda terrena vt cœlestibus oneremur, temporalia fugienda, vt ad æterna veniamus. Erudiat se quisque ad iustitiam, firmet ad continentiam, præparet ad agonem, instruat ad virtutem, vt si forte aduersarius indixerit bellum, nulla vi, nullo terrore, nullis cruciatibus, mens à recto & bono diuellatur, non se substernat insensibilibus figmentis, sed cognoscat Deum verum, & quem misit Iesum Christum, abijciat voluptates, teneat innocentiam, prosit quàm plurimis.

Lactant. de opificio. cap. 12, in Epit.

Nemo diuitijs, nemo fascibus, nemo etiam regia potestate confidat, immortalem ista non faciunt, imo obsunt magis immortalitati, ni prouida adhibeatur cautio. Tempus breue est, nec potest procul abesse finis ille temporum,

rum, cum venturus sit iudex, in sede maiestatis suæ. Qui separabit bonos à malis, oues ab hædis, hos ad dextram, alios ad sinistram statuens. Ita vniuerso mortalium genere in duos ordines distributo, tandem iudex iustus, vtrisque rationem proferet sui iudicij: vt qui verè boni sunt à malis, diuino iudicij æquilibrio, discernantur. Quod alioqui humanis coniecturis, in hac vita, nec fieri solet, nec rectè iudicari potest. Tanta est his in rebus humanæ rationis cæcitas, sæpe vt præposterè pro bonis iudicet, qui apud Deum inter reprobos reijciuntur. Contráque pro improbis damnat, quos, pro lectissimis seruis, diuina suscipit electio, præmijsque coronat.

Cæca humana ratio in iudicando.

Romana hæc ecclesia, à quàm multis pro verè catholica Christi ecclesia colitur? quæ re quidem ipsa, nihil sit aliud, quàm synagoga Antichristi. Rursúsque eadem ipsa, quam multos pro hæreticis condemnat, quum nulli tetriores sint hæretici, quàm catacatholici isti hostes Euangelij, nulli verius orthodoxi, quàm quos ipsi infestissimè persequuntur. Quid quod, iuxta iactatum in scholis prouerbium inter sanctos nonnunquam adorantur, qui in inferno existunt inter damnatos spiritus. Apud prudentes huius seculi, nullos pro stultis, & abiectis explosos sæpius videmus, quàm qui maximè sunt filij lucis. Christus ipse, & Apostoli, apud superbos pharisæos, & principes sacerdotum, quàm nullo loco aut numero habebantur. Denique tam crassum mundi iudicium est, vt in occidendis his, qui Christum sanctissimè colunt, officium se Deo præstare gratissimum stultissimè ipsi sibi persuadeant? vnde hoc, nisi ex præposteró humani iudicij errore, quo nihil ferè mortales rectè, in rebus maximè diuinis iudicant. Atque hinc tanta flagrat impiorum, contra pios sæuitia: iudiciorum tanta dissensio, tanta animorum cæcitas, tanta in pijs persequendis exardescit crudelitas.

Romana Ecclesia præpostero iudicio pro vera habetur ecclesia.

Crassum mundi iudicium. Ioan. 16.

Cæcutit humana ratio in diuinis rebus.

Atqui caueant interim isti, qui in seruos dei innoxios, tam præcipiti feruntur iudicio. Etsi ita deo visum est, res temperare mortalium, vt bonos, quos diligit, sæpius cassiget in hoc seculo, assiduisque laboribus ad vsum virtutis exerceat: contra autem malos, & iniustos, potentes & beatos hic fieri, velutque ministros, quodam modo, suæ indignationis, aduersus sanctos videri patiatur. non est tamen, cur imanissimi persecutores, hoc nomine sibi placeant, vt cum Lactantio dicam, quasi impunè laturi sint. Punientur enim, iudicio dei, qui accepta potestate, supra humanum modum, fuerint abusi, & insultauerunt deo superbius, eiúsq; nomen æternum, vestigijs suis subiecerint, impiè nefariéque calcandum. Propterea vindicaturum se eos celeriter sciant, & exterminaturum bestias malas de terra.

Lact. lib. de Iustitia, cap. 24.

Quapropter non sperent sacrilegæ animæ, sanctos dei, quibus ipsi sic indignantur, à Deo contemptos, & inultos fore, quos sic obterunt. Veniet, veniet rabiosis & voracibus lupis, merces sua, qui iustas, & simplices animas, nullis facinoribus admissis, excruciauerunt. Nos tantummodo laboremus, vt piè monet Lactantius, vt ab hominibus nihil aliud in nobis, nisi sola iustitia puniatur.

Demus operam summis viribus vt, cum Christo Domino clementissimo, tot tantisque nominibus ostricti teneamur, in quo omnis & gloria sui patris, & nostræ vniuersæ felicitatis summa sita est, sic vicissim toto pectore diligamus eum, quemadmodum & ipse dilexit nos, sic toto studio, ipsius vestigijs inhæreamus, vt nihil sit in vita hac tam charum, ac ne vita quidem ipsa, aut si quid vita charius, quod nos à cultu, à dilectione ac recordatione ipsius quoquo modo diuellat, vt si mors etiam subeunda sit, Euangelij causa, vitam ipsam perdere, si opus sit, non recusemus. Quam quisquis ob euangelium perdit, magno lucro suo perdit, imo seruat, perditurus alioqui, nisi perdat. Quorsum enim attinet opes, dignitates magni facere, corpus etiam ipsum seruare, mox alioqui perituruin, si vitæ æternæ iacturam faciat, quam qui non habet, frustra habet cætera: Quemadmodum rectè admonet dominus in euangelio. Habitura siquidem

De cura mundi huius abijciendæ.

Math. 16.

sunt

sunt breui finem: post verò ignominiam temporariam, sequetur æterna gloria, cum primùm in solio maiestatis suæ, cum acuta sua falce, apparuerit sese stipantibus eum satellitibus Angelis, summus ille vitæ dux, & gloriæ dominus. Cui sit gloria in omnes æui æternitates. Amen.

CAPVT. XV.

1 *ET vidi aliud signum in cœlo magnum & mirabile: Angelos septem habentes plagas septem nouissimas, quoniam in illis consummata est ira dei.*

2 *Et vidi tanquam mare vitreum mixtum igne, et eos qui victoriam reportarunt de bestia & imagine eius, & de charactere eius, & de numero nominis eius, stantes super mare vitreum, habentes citharas dei.*

3 *Et cantant canticum Mosi serui Dei, & canticum agni, dicentes. Magna & mirabilia sunt opera tua Domine Deus omnipotens: iusta & vera sunt via tua, rex Sanctorum.*

4 *Quis non timebit domine, & magnificabit nomen tuum? Quia solus pius es, quoniam omnes gentes venient, & adorabunt in conspectu tuo, quoniam iudicia tua manifestata sunt.*

5 *Et post hæc vidi, & ecce apertum est templum tabernaculi testimonij in cœlo.*

6 *Et exierunt septem Angeli habentes septem plagas, de templo, vestiti lino mundo & candido, & præcincti circa pectora zonis aureis.*

7 *Et vnum ex quatuor animalibus dedit septem phialas aureas, plenas iracundiæ Dei viuentis in secula seculorum.*

8 *Et impletum est templum fumo a maiestate dei, & de virtute eius, & nemo poterat introire in templum, donec consummarentur septem plagæ septem Angelorum.*

Ex rebus superius gestis, & expositis de Antichristo, de potentia Antichristi, de imagine bestiæ, de fucis, & mendacijs, de erroribus doctrinæ, de charactere, de numero & nomine hominis, de insana illius rabie, in occidendis pijs, adorare nolentibus imaginem bestiæ, deniq; de mundi fine, & extremo cœlestis iudicij die, sat vides, ni fallor, lector Christiane, quæ admonere te, adeóq; vniuersos mortales, hisce de rebus oporteat. Primùm quoúsq; euaserit superba altitudo pontificiæ potentiæ, quas turbas Alastor hîc dedit hactenus in Ecclesia domini, quas cædes ædidit, quot milia prostrauit Christianorum martyrum, idque non aliam ob causam (si causa martyrem facit) quàm quòd characterem bestiæ profiteri, eiúsque adorare imaginem noluerunt. Quin nec desinit adhuc, sæuissimis modis, tumultuari, rabida bellua, nihil non agens, quo inclinantem imaginem bestiæ suffulciat, atque sub ipsius characterem, nempè sub professionem Romanæ obedientiæ, populos, linguas, insulas, ac nationes omnes subigat.

Milia Christianorum Martyrum nõ pauca occisa per Antichristum.

Id quum iustis rationibus nequit efficere, per vim & tyrannidẽ, rem adgreditur obuia quæque prosternens, mactans, damnans, occidens, si quis contra characterem addorandæ bestiæ mutire sit ausus. Testatur hoc tanta moles effusa Christiani sanguinis, per cruentas inquisitiones, per arma principum, cum Antichristo conspirantium, in Hispania, Gallia, Italia, Flandria, Scotia. De Anglia hac nostra, quid dicam? Quæ non ita pridem, sub Maria Regina, inaudito crudelitatis exemplo, tota adeò maduit Christianissimorum martyrum sanguine. Nec dubiũ, quin & hodie, vel consimilem, vel maiorem etiam, sentiret carnificinam, nisi clementissima domini manus, Elisabetam Auspicatissimæ memoriæ principem, propulsandis Antichristi furoribus opposuisset. Age, & quid tandem Antichristianis istis tortoribus, quid bestiæ, quid singulis, eiusdem clientelæ comilitonibus, sit expectandum, ipsi olim, in fine rerum, nisi resipiscant, vt supra descriptum est, experientur.

Cædes piorum martyrum sub Maria Regina.

Elisabetha Regina, Antichristo a Deo opposita.

Interim è diuersa parte, quæ, quantáque victoriæ trophæa, quæ felicitas, quanta præmia sanctos Christi martyres maneant, in regno vitæ, qui victoriam de bestia & imagine eius, & de charactere, & de numero nominis eius retulerunt: supereſt modo, ex ijs, quæ beatus exponit Ioannes, vt intelligamus.

Victores Antichristi, Victores de bestia et charactere.

2 *Et vidi tanquam mare vitreum mixtum igni, et eos qui victoriam reportarunt de bestia et imagine eius, de charactere et numero nominis eius, stantes supra mare vitreum, habentes citharas dei*

3 *Qui etiam canebant canticum agni, dicentes: Magna, et mirabilia sunt opera tua deus omnipotens: Iustæ et veræ sunt viæ tuæ rex sanctorum.*

4 *Quis non timebit domine, et magnificabit nomen tuum? Quia solus pius es: quoniam omnes gentes venient, & adorabunt, in conspectu tuo: quoniam iudicia tua manifestata sunt. &c.*

DE BEATA SANCTORVM MARtyrum conditione, qui incolumes ab his plagis quibus impij feruntur, læti cum Christo triumphant, atque in tuto collocantur.

IN duobus his, proximè sequentibus capitulis, 15. 16. enarraturus est propheta, septem nouissimas plagas, ex septem Angelorum phialis effundendas, in genus mortalium, maximè in reprobos, et Antichristi satellites, in quibus iram suam consummabit Dominus. At priùs inducta sanctorum martyrum mentione, lætissimas eorum cantiones, tripudia, triumphos, epinicia, doxologias, in medium statuit: idque non sine graui ratione. Prodest enim non parùm, admirandas diuinæ prouidentiæ vices, & alternationes in dispensandis rerum humanarum fatis, diligenter considerare. Etsi enim pij dei cultores, sæuis malorum procellis nonnunquam in hoc mundo exagitantur, indignissimè impiorum oppressi tyrannide: at liberat eos tandem diuina manus, transfertque in tutum securitatis portum, interim dum in sæuos hostes pari desæuiens seueritate, plenas iracundiæ suæ phialas, vicissim in caput eorum effundat, ita vt seruos suos nulla malorum pars, in tuto collocatos attingat. Quod nec inutile est, a quibusque obseruari diligenter: vt qui boni sunt, meliorum consolatione se subleuent, muniantq; ad constantiam: Contrà qui impij sunt, vt metu malorũ maturè coerceantur.

Pij in hoc seculo ab impijs affligũtur, postea cum deo requiescunt. Impij in hoc seculo phialas diuinæ iracundiæ non effugiunt, ac tandem (ni resipiscant) cum diabolo cruciantur.

In quo spectes, pro tua prudentia, quisquis es, cordate lector, vehementer velim, quid vtrinque agatur, in cœlo, atque inferno, in præsenti hoc seculo, atque in futuro. Neque enim ita putes, tam cæco fortunæ impetu, cuncta hîc rapi, vt nullo iustitiæ ordine, res dirigantur. Confer igitur, amabo, præsentia cum futuris. Primum quid agat Antichristus, cum suis Antichristianis, vide: quàm viuunt moliter, quàm glorioſè se dilatant, vt opibus diffluunt, honoribus turgent, deliciantur, ludunt, regnant, triũphant, percrægantur; Interea dũ pij, sub imperia impiorum subacti, malis, ac contumelijs cooperti, in lachrymis, in vinculis, in squallore, & stercore, cum Husio, & Hieronymo, miseram agunt vitam, imo nec viuere quidem, complures permittuntur, sed ad fasciculos, ad carnifices torquendi, abripiuntur. Dura profectò piorum sors, in hac quidem vita. Sed quid fit tandem?

Status Antichristianorum in hac vita. Piorum Martyrum in hac vita status.

Quanta rerum sequitur vicissitudo, spectes velim. Antichristus ille incendarius, cum catholica sua turba, qui prius omni rerum copia circumfluentes, beatissimè sibi florere videbantur, depressi nunc in abyssum barathri, in externas tenebras, foras proijciuntur. Contra, innocentes Christi martyres, è tenebris educti, ac in æternam euecti gloriam, fulgent florentque: Illi ringuntur, isti rident. Illi in igne, & sulphure, sempiternas luunt pœnas, quorum fumus tormentorum ascendit, in secula seculorum: Isti ex flammis & fauillis recollecti, nunquã finiendis

Exitus Antichristianorum spectandus. Exitus beatorum Martyrum.

solacijs

solacijs reficiuntur, præmijs honorantur, palmis coronantur. In inferno vlulant illi, eiulant cum dæmonibus. In cœlo tripudiant isti, gaudent cum Angelis, lætitiáque sempiterna super caput eorum. Quid alteri? Sulphureis adeò flammis torquentur, vt vel vnam aquæ guttulam restinguendo linguæ incendio ardentissimè, sed frustra expetant. Isti post tot mala, quibus anteà per vitam defuncti sunt, æternam adepti gloriam, bonis omnibus lætissimè refocillantur. Plorant nunc illi, plaudunt isti: strident illi dentibus, cantillant isti citharis dei. Exemplum cantici, ex Mose seruo dei petitur: in quo, & totius huius iudicij expressa præcesserit repræsentatio. Siquidem Israelitæ intolerabili Aegyptiæ seruitutis iugo pressi, atque á deo tandem liberati, duce Mose, medio mari rubro transuecti sunt, præcedente Angelo, & scindente aquam, vt populus per siccum graderetur, iuxta illud poetæ.

Esai. 35.
Luc. 16.

Canticum Mosis.

Curuata in montis faciem circumstetit vnda.

Qua re audita, conatus rex Aegyptiorum, profugos insequi, coeunte in statum suum pelago, cum vniuersis copijs, in profundum deletus est. Hebræi incolumes, egressi in solitudinem, stupendo rei miraculo attoniti, incredibili lætitia, liberatori benignissimo, suæque liberationi applaudunt, atque adgratulantur. Quorum dux Moses, cum populo simul vniuerso, perculsus tanta miraculi magnitudine, temperare non potest, quin festiuo carmine, cantans domino glorioſè, magnifica eius opera, diuinæque virtutis excellentiam, summa cum harmonia, concelebrat, quantum possit.

Quæ res tam egregia, tamque mirabilis, vt virtutem dei ad præsens (teste Lactantio) hominibus ostendebat: ita eadem præsignificatio fuit, & figura maioris rei, eius nimirum, quæ in presenti hoc iudicio geritur: vbi diabolus cum Antichristo, omnibúsque ipsorum Angelis, præceps in sempiternos ignis sulphurei cruciatus, deijcitur. Populus dei, ex cunctis terræ finibus, collectus, ex diuturnæ captiuitatis tyrannide emancipatur. Vndè, consimili Mosaicæ modulationis concentu, cætus sanctorum, suauiter psallit domino, magnifica eius opera, iustásque vias, laudibus, quàm maximè potest, prosequitur. Canticum autem illud, & Mosis serui dei, & canticum agni dicitur. Mosis, in quo vnius gentis liberatio è seruitute Aegyptiorum præcessit in præfiguratione, vt ait Lactantius, rei melioris. Agni canticum dicitur, in quo publica totius orbis redemptio, per filium dei peragitur. In vtróque verò tria potissimum proponuntur vniuersis consideranda. 1. Quam mirabilis deus existit, & glorioſus in operibus suis. 2. quàm iustus in omnibus vijs eius. 3, quàm timendus sit, in vniuersis creaturis, hoc est, quàm teribile sit numen maiestatis illius quoquo modo violare ac offendere. Sic enim verba ipsa cantici præ se ferunt.

Lact. de diuinis præmiis lib 7. cap. 15.

Cãticum Mosi.
Canticum Agni.
Lactantius ibidem.

1 Mirabilis deus in operibus.
2 Iustus in omnibus vijs suis.
3 Terribilis in iudicijs.

3 *Magna & mirabilia sunt opera tua domine deus omnipotens. Iusta & vera sunt via tua, rex sanctorum.*

4 *Quis non timebit domine, & magnificabit nomen tuum? Quia solus pius es, quoniam omnes gentes venient & adorabunt in conspectu tuo, quoniam iudicia tua manifestata sunt, &c.*

Verba sat clara sunt cantionis, quibus deus mirabilis, vt dixi, in operibus, iustus in vijs, timendus ab omnibus ostenditur. Hæc vt rectè discamus, vehementèr ad rem pertinet. Siste itaque paululum, pie lector, vt deum in suis operibus attentius contemplemur. Quid, an videre vis ergo, quàm mirabilis, quam pius, & iustus, quàm terribilis dominus hic deus existit? Sileat humana vox, obstupescat ratio. Opera nos ipsa doceant, vtque à prima rerũ origine, rem repetamus.

Cum primùm promissa est nobis salus, per semen mulieris, quàm pius hic in iuuando dominus, præter omne meritum? Postea, in tanto seculorum fluxu, quã fidus interim in promissis quã verus in vijs suis? quã nihil eorũ intercidit, quę tot retro seculis, promittebantur? Euenit post hæc, cataclysmus, & interitus humani generis

Promissa salus per semen.
Fidelis deus & verax in promissis.

Cataclysmus. Propter semẽ seruatus mundus.

ris, propter scelera, quæ perpetrarunt. Attamen ad conseruandum semen promissionis, seruatus est Noah, cum sua familia, ne frustra promitteret dominus, quod non erat præstaturus.

Mirabile semen benedictionis Abrahæ promissum.

Succedentibus dehinc temporibus, promissum est Abrahæ ex Sara vxore semen, quod æternum staret, in quo benedicendæ essent omnes gentium nationes. Consenuit ille, exaruit illa: vterque nonagenarium ætatis annum excesserat. In tam longa sterilitate, poterat vacillare humana fides. Non fefellit tamen dominus fidem initam. Natus est ex anu, Isaac. Nati post hunc & alij Patriarchæ.

Sara nonagenaria, fit mater, mirabiliter.

Succreuit, non multo post tempore, indies, magis ac magis, fertilis hæc hebræorum propagatio. Quæ tandem in Aegyptum traducta, ad annos quadringentos, illic consederat. Conspirat tandem in eorum interitum Rex, cum suis, nec dubium, quin perfecisset quod molitus, nisi mirabili dei manu educti Israelitæ, ex fornace ferrea Aegypti, euocarentur. Quanquam ne sic quidem conquieuit regis furor, qui ad mare rubrum, populum persequutus est. Ad mare demum ventum est, Misera gens, quid ageret? A latere montibus vndique concluſi cingebantur: A tergo imminebat hostis: A fronte obstabat pelagus. Quid restabat denique, nisi vltima desperatio? At non defuit hic adiutrix dei manus, stupenda dei potentia. Data est in rubro mari via, quæ populum saluum transmitteret, hostiles copias omnes demersas obrueret. Cantant illi, perguntque in vasta solitudine, vbi haud multo post, abfuit parum, quin fame & siti perirent. Quid fit? Manna de cœlo depluit: Rupes in riuos exundat: Periclitabantur ex serpentum morsu, erectus serpens in stipitem, sanitati eos restituit. Quin nec minus mirabilis dominus in eijciendis Chananæis, in quorum sedes populum suum intromitteret.

Mira hebræorum propagatio.

Rex Pharao cũ suis in excidium Israelis conspirat.

Liberatio populi Israelici

Mira dei potentia in iuuandis Israelitis.

Manna de cœlo res miranda.

Aqua ex rupe mirabiliter.

Serpentum morsus mirè curantur.

Iecti Chananæi mirabiliter.

Mirabilis Ioſephi hiſtoria minimè videtur prætereunda: In cuius necem conſpirant fratres, in ciſternam detruditur, conſilio Iudæ in Aegyptum diuenditur, vbi de ſtupro poſtulatus iniquiſsimè, in vincula conijcitur. Agebant in eodem carcere, duo cum eo facinoroſi, quorum alter pœnas dedit, alter immunis emerſit. Ioſephus ex vinculis tandem euocatus à rege, in ſummos honores euehitur, adeo vt ſecundum regem, præcipuam teneret arcem, in rebus imperij adminiſtrandis. Comeatu copiáque rei frumentariæ ſubditos ſubleuabat, parẽtem, fratreſque penuria laborantes in Aegyptum traduxit, ad verba, & præſentiam regis prouexit, prædia agróſque ijſdem obtinuit.

Mirabilis Ioſephi hiſtoria.

In Ioſepho filium dei Ieſum contemplare, qui ſuſcepta ſerui forma, haud aliter & ipſe, exceptus eſt à ſuis, atque Ioſephus à fratribus, venditus, vexatus, deditur alienigenis, ad ſubeundam mortem crucis. Herodes rex iraſcitur, Pilatus præſes conſentit, conſpirant Annas, & Cayphas, ſcribæ, phariſæi, Principes ſacerdotum, & ſeniores populi inſaniunt. Plebs exclamat, nihil habens in ore, niſi vt in patibulum ſuffigatur, atque tollatur è medio. Quid dicam, quod vix ſine lachrymis dici poſsit? Mundus vniuerſus, contra vnum fremit. Et an quiſquam iam Chriſti ſeruus eſt, qui mundum hoſtem Chriſti magnifaciat? Pergamus, poſt flagra, ſputa, contumelias, adactus eſt innocens in crucem, redemitus ſpinis, confixus manu ac pede, mortuus denique, ac ſepultus.

In Ioſepho Chriſtus ſpectandus.

Chriſtus a Iudæis ſuis indigniſsime oppreſſus.

Chriſti indigniſsima vexatio, & paſsio.

Atque hactenus, quid de Chriſto ſit actum, vides: Quid fit deinde, ſpecta. Abijt dies vna, & altera: Reſurgit ille rediuiuus è monumento: Mors in vitam, ignominia illi in gloriam commutatur. Quæſo, an non magna hæc, & mirabilia ſunt opera domini? Atenim accipe adhuc maiora. Magnum quidem illud & perquam mirabile, quòd Chriſtum filium, poſt tot anguſtias, è mortis faucibus ſaluum eripuit, viuum, ac integrum diſcipulis reſtituit, in cœlos ſublimen euexit, ad dexteram maieſtatis ſuæ triumphantem collocans. At maius interim illud (ſiquid tamen maius eſſe poterit) quod morte vnius, tot miſeros peccatores iuſtificat, vnius reſurrectione tot viuificat in mundo mortuos, vnius liuore, & ver-

Ignominia Chriſti in gloriam: mors in vitam verſa.

Mirabilis deus in Chriſto filio.

Magis mirabilis deus erga peccatores per filium ſuũ.

beribus

beribus, tot sanat vulneratos. Siquidem liuore eius sanati omnes sumus, Portauitque ipse iniquitates omnium nostrum. Esai.cap.53.

Tum verò illud omnium maximum, summèque admirandum, quòd cum tot tantaque præstitit nobis præstatque quotidie beneficia omnipotens Deus noster, per semen promissionis suæ, tum in eo potissimum relucet, diuinæ bonitatis ineffabilis magnitudo, quam nemo vnquam pro dignitate satis admirari queat, qui vel modum ipsum seruandi, vel personas eorum perpendat, quos per filium suum salute donat æterna. Persona Christi, per quam seruamur. Modus seruandi. Personæ eorũ qui seruantur.

MIRABILE IVDICIVM DEI, IN seruandis ijs, quos mundus, vt maxime omnium indignissimos, miseros, & abiectos spernit, & execratur.

QVod ad modum attinet, quæ vnquam potuit aut possit adhuc concipere humana ratio, terribilem illam Dei iustitiam, quæ strictissimo iure omnia moderatur, non alia via, quàm fide sola, in vnam personam coniecta, æterno fauore suo dignari, quos ad vitam subleuat. De modo seruandi, per solam Christi fidem.

Tum multo magis demirandum est, si eos spectes, quos ad salutis hæreditatem, ipsius promouet clementia. Quinam autem sint isti, qualesque sint, si quæras, admonebit te non incommodè sacra Prophetarum & Euangeliorum lectio. Audiamus quid apud Esaiam, dicit dominus, excelsus, & sublimis, æternitatem inhabitans: cum contrito, inquit, & humili spiritu, ego habito, vt viuificem spiritum humilium, & viuificem cor contritorum &c. Videant, atque legant hæc, qui sublimes, qui excelsos gerunt spiritus &c. Breuiter si scire vis, qui qualesque sint, quibus potissimum seruandis missus sit seruator Dominus, facili compendio, idem te docebit Esaias: de Christo loquens, qui vnctus diuino spiritu, huc se missum dicit, vt prædicet (non præfractis) sed mansuetis, vt medeatur contritis corde, vt promulget captiuis libertatem, & vinctis apertionem, vt annunciet annum Deo placabilem, & diem vltionis Dei nostri: denique vt consoletur omnes lugentes, reddatque his, qui lugent in Syon decorem pro cinere, oleum lætitiæ pro luctu, amictum laudis pro spiritu mœroris &c. Quin nec his dissimiles sunt, quos alibi idem Propheta hoc schemate producit, velut ambulantes in tenebris, & habitantes in vmbra mortis, grauique oneris iugo oppressos, & virga afflictionis attritos, &c. Præterea Cap. 25. vbi pollicetur dominus diem futurum, quo faciem vinculi colligati super omnes populos obrumpet, mortemque in æternum præcipitabit, ac lachrymam ab omni facie absterturus sit. Quid hinc intelligas? eiusmodi futuros eos, quos dominus ad se recipiet, quorum omnis vita in hoc seculo, lachrymis, suspirijs, miserijs replebitur. Nam alioqui quo pacto facies eorum a lachrymis abstergenda dicitur, qui vitam in risu, non in dolore degunt, qui non lachrymis sed delitijs diffluunt. Fides sola in personam Christi coniecta. Qui qualesq; sunt quos potissimum seruat Christus. Esai.Cap.57 Esai.Cap.61 Mansueti. Contriti corde Captiui. Vincti. Lugentes in Ecclesia. Esai.Cap.9 Esai.cap.25

Huc pertinet, quod Dominus ipse in Euangelio, beatos prædicat qui lugent, qui pauperes sunt spiritu, qui persecutione atteruntur, qui mala sua hic ferunt, quos mundus hic exosos habeat, quos indignos reijcit: apertè testans, eo venire se, non vt iustos, sed vt peccatores vocaret ad pœnitentiam. Ideóque tales ad se omnes inuitat, qui vel peccatis laborant, vel iniurijs onerantur, aut calamitate premuntur, requiem eis promittens. Siquidem qui sani sunt, non egent medico, sed qui ægre habent. Mat.5. Luc.16. Luc.21. Mat.11.

Eodem tendit quod & beata virgo in sacra sua hymnologia futurum testi- Luc.1.

ficatur, vt depositis de sede potentibus, exaltentur humiles. Esurientes, inquit, impleuit bonis, diuites dimisit inaneis. Nec fefellit euentus. Etenim, nato Christo seruatore, quid fit? Qui prius sublimes, formidabiles, hos detraxit à rerum fastigio. Qui sibi videbantur prædiuites, ac bonis florere operibus, eóque gratiam Euangelicam non esuriebant, hos à se reiecit. Contráque horum loco, qui mundo erant humiles, hos diuina benignitas euexit in altũ. Qui agnita iniustitia sua sitiebant iustitiam Dei, hos Deus expleuit bonis suis. Contra, qui religionis arcem tenere videbantur, Pharisaica iustitiæ persuasione inflati, ac si nihil ipsis ad summam virtutum omnium perfectionem deesset, deprehensi sunt planè ieiuni, nihilque minus esse, quàm quod foris iactitabant. Non multum his dissimiles Philosophis, de quibus queritur Tullius apud Lactantium.

Cicero. Vide Lactantium lib. 3. De Iusticia cap. 15.

Quotus, inquit, quisque Philosophorum inuenitur, qui sit ita moratus, ita animo & vita constitutus, vt ratio postulat, qui disciplinam suam non ostentationem scientiæ sed legem vitæ putet? qui obtemperet ipse sibi & decretis suis pareat? videre autem liceat alios tanta leuitate & iactatione, vt his fuerit non didicisse melius, alios pecuniæ cupidos, alios gloriæ, multos libidinum seruos, vt cum eorum vita & vitijs mirabiliter pugnet oratio &c.

Mendax philosophorum & phariſæorum hypocrisis.

Ex quo vides nihil in rebus humanis sanctum, nihil sanum esse, ne apud hos quidem, qui sub pallio sanctimoniæ se maximè dilatant. Eáque causa, Deus cum nihil apud homines videret, quod ei placere posset, aut iustitiæ ipsius satisfacere, filium huc misit in terras, qui per fidem solam in se credentes seruet, verámque conferat iustitiam, quæ non dignitate aut commendatione operum, sed fide ac cognitione filij Dei vere solideque perficiatur. Sic itaque Deo visum est, vt licet maior vitæ nostræ pars noxis scateat, plurimumque absit à iusta illa legis obseruatione, quæ ad iustitiam exigitur, fides tamen, non operanti, sed credenti in eum qui iustificat impium, imputatur ad iustitiam. Stat enim immotum hoc diuinæ voluntatis decretum, vt omnis, qui credat in filium non pereat, sed habeat vitam æternam: de quo fusiùs à nobis non vno in loco pertractatum est.

Ioan 6 Vide supra pag. 313. &c.

Iam verò quum extra hoc vnum fundamentum, nulla supersit salutis consequendæ ratio: tamen quàm exigua hominum pars existit, qui disciplinæ huic fidem adhibent, aut gratuitam hanc Dei gratiam gratis animis recipiunt? Quid in causa? In promptu ratio est. Quia quum fides notitiáque Domini nostri Iesu Christi percipi recte non possit, nisi ab ijs, quos singulari spiritus sui gratia pater traxerit: tum nullos trahit ille lubentiùs, quàm pauperes, humiles, & afflictos. Illúdque est quod in Euangelio testatum voluit Dominus ex Esaia Propheta, de pauperibus & humilibus, qui amplectebantur salutis æternæ nuncium, quod feroces & arrogantes fastidiebant. Eóque fit vt nullos fere à Christo auersos magis, aut à vera cognitionis rectitudine abesse longius videas, quàm glorioſos istos Phariſæos, & potentes huius seculi: contráque nullos Christo coniunctiores, quàm qui à figura & schemate mundi sunt seiunctissimi. Siquidem sic Deo visum est, mirabili ratione res temperare mortalium, vt reiectis ijs, qui maximè in seculo hoc florent, benignitas illius miseris & ærumnosis in hac vita hominibus largissimè affulgeat. Nempe tam salutaris res est afflictio, de quo haud temerè M. Lutherus ita scriptum reliquit. Christianus, inquit, sine afflictionibus, nihil valet.

Ioan. 6

M. Luth. in psal. graduum.

Sic D. Paulus ad Corinth. scribens, videre eos vocationem suam iubet, quorum non multi sapientes videbantur, secundum carnem, non multi potentes, aut illustri stemmate prognati: verum quæ stulta essent secundum mundum delegit Deus, vt pudefaceret sapientes, & quæ erant imbecillia in mundo, delegit Deus, vt pudefaceret ea, quæ erant robusta, & quæ ignobilia contemptáque in mundo, & quæ non erant denique, delegit Deus, vt ea quæ sunt, obliterarent &c.

1. Cor. 1.

Luc. 14.

&c. Satis ex ijs modo constare suspicor, quàm mirabilis sit Deus in sanctis suis, quos ad regnum filij sui, peculiari fauore è mundo selectos conuocat.

At inter hæc omnia, haud aliud est, meo iudicio, vnde certius hoc ipsum inclaresçat, quàm ex parabola illa Euangelica, Luc. 14. vbi aduocaturus Dominus regni sui conuiuas, seruum suum cum hac legatione, emittat foras: Exi, inquit, celeritèr in plateas & vicos ciuitatis, & quoscúnque habueris obuios, pauperes, debiles, & cæcos, & claudos, adducito ad conuiuium meum. Quòd vbi factum esset, & adhuc vacaret locus, iterum mittitur nuncius, extra ciuitatem, in medias vias, & sepes, iussus quoscúnque posset, colligere mendicos, hospites, vel ignotissimos, vel abiectissimos, qui si intrare detrectarent, vel inuitos intruderet, compellerétque nolentes ingredi, vt domos impleri posset. Luc. 14.

Mira profectò parabola, quæ duabus potissimum cernitur partibus. Quarum in altera, proponitur conditio eorum, qui seruantur: In altera, eorum, qui reijciuntur. Illi pauperes, & debiles: Hi diuites & robusti: Illi cæci, claudi, miseri, abiecti: Hi pulchre, vt sibi videntur, oculati, splendidi, nobiles, glorioси: Illi vel nolentes, vel non audentes, præter spem, & voluntatem, compelluntur intrare: Hi cum maximè vellent, posteà ingredi non permittuntur. Parabolæ duæ partes. Pauperes cæci, &c. Diuites, viri celebres, &c.

Pauperes illi, debiles, & claudi, qui introducuntur, quid aliud sunt, quàm peccatores indigni, omnis iustitiæ vacui, atque (vt habet Hugo de S. victore) qui filijs seculi, habentur viles, & iudicantur inutiles. Sed per prædicationem vocati, per gratiam iustificati, cognoscuntur apud Deum esse glorioси, & sublimes, &c. Quòd autem compelluntur intrare, quid hoc declarat aliud, quàm singularem Dei gratiam in seruandis peccatoribus? Qui quum ex infima plebis fæce, omnium indignissimi salute, videbantur, non solùm in regnum Christi, præter omne meritum recipiuntur, sed coguntur etiam, immeriti, atque inuiti, vt possideant. Hugo de S. Vict. Allegor. lib. 10. Mirabilis Dei gratia in seruandis peccatoribus.

Quid hoc, plus quàm stupendi miraculi est: Quare, vt verba cantionis iterum repetamus: Cum verè magna & mirabilia sunt opera Domini Dei omnipotentis, omnésque viæ eius veræ, & iustæ, qui solus pius existit: tum inter cætera hæc omnia opera, adeò admiranda, nullum præstantiùs, aut admirabiliùs vnquàm fuit, aut esse poterit, quàm hoc ipsum in perditis atque indignis peccatoribus, adeò præter omnem spem, præter omne meritum, in gratiam suam, atque in regnum filij sui, recipiendis: qui quum prius nouissimi essent, nunc primi fiunt.

Et vbi nunc igitur operum ista bonorum merita? vbi iustitiæ isti iactatores? vbi merita congrui, & condigni? vbi opera supererogationis, & satisfactionis? Si merita capitis sufficiant, quorsum attinet igitur merita illa, propria, & vniuersalis Ecclesiæ, quæ numerat Bonauentura, lib. 4. Si secundum gratiam, non secundum legem iustitiæ agitur, cum cæcis, & claudis, si reiectis Iudæis, cum pharisaica iustitiæ suæ opinione, videant proinde Monachi, chorúsque catholicorum, & rasorum ordines, quid agant, qui non per fidem, sed per opera: non per gratiam, sed per legem: non per Christum solùm, sed per Franciscum, & Dominicum, per nouas sectas, & fictitios cultus, per vota & grauamen ordinis, per austeritatem professionis, contendunt sese in regnum ingerere. Breuiter, qui fruituri sunt cælesti hoc epulo, si compelluntur intrare, neque expectantes, nec commerentes: quid his dicendum, qui freti suis benefactis, Deum quodammodo compellunt, vt intromittantur. Merita propria. Merita capitis. Merita vniuersalis Ecclesiæ. Bonau. lib 4. Pharisaica iustitia. Monachi. Rasorum ordines Franciscanorum Dominicanorum, nouæ sectæ. Vota. Grauamen ordinis.

Atque hæc hactenùs, ex occasione cantionis, qua victores bestiæ canticum Mosis psallentes domino, magna & mirabilia eius opera, festiua modulatione, deprædicant. Postulat nunc loci & temporis ratio, vt ad intermissam, modò Angelorum septem descriptionem, redeamus, per quos, nouissimarum plagarum septem phialæ effunduntur. De quibus pergit in hunc modum Ioannes.

Et

Et posthac vidi, & ecce apertum est templum tabernaculi testimonij, in cœlo, & exierunt septem angeli, habentes septem plagas, de templo, vestiti lino mundo, & candido, & præcincti circa pectora zonis aureis. Et vnum ex quatuor animalibus dedit septem Angelis, septem phialas aureas, plenas iracundiæ Dei viuentis in secula seculorum.

Initio capitis, cœpta est primum mentio, de septem Angelis, qui plagas ferant nouissimas. Mox degressus paululum propheta, sermonem vertit, ad victores bestiæ, Ecclesiam videlicet electorum, commonstrans immunem esse, ab his plagis, quæ reprobis coercendis infligendæ destinantur. Vnde reuersus denuo ad cœptam materiã, pergit Ioannes, institutam narrationem de Angelis pertexere. Primùm vndé exierunt, quo modo vestiti, quot, qualésque phialas, in orbem perfundendas acceperunt. Septem enim dicuntur, eædémque nouissimæ, plenæ iracundiæ Dei. Præterea à quo acceptæ sunt istæ phialæ, ostenditur.

Redit propheta ad narrationem de phialis.

Exierunt autem Angeli septem, non ex terra, sed è templo tabernaculi testimonij, quod apertum est in cœlo. Quod templum dicitur tabernaculi, nullum est discrimen. Idem enim templũ est, quod & tabernaculum. Etsi templũ in cœlo nullũ materiale videatur, hinc tamen in cœlo esse dicitur, quod vidit Moses in cœlo, typum Tabernaculi, ad cuius imitationem, cœlitus est iussus, formare visibile tabernaculum testimonij. Ita enim dominus locum certum prescripserat populo suo, quem peterent in rebus dubijs, vbi quærerent oracula, & responsa Dei, vice testimonij. Ad hoc igitur templum, alludit hic Propheta, vt hinc cogitemus quando sumuntur de impijs supplicia, id non temerè, aut cœco fortunæ impetu accidere: sed sententiam Dei iustam, è cœlo, tanquàm oracullum, ex templo profectum esse, cui nemini fas sit contradicere.

Angeli septem exeuntes è templo.
Templum Tabernaculi. Testimonij.
Inter Templũ & Tabernaculum nullum discrimen.
Templum cur in cœlo dicitur.

Ex hoc itaque templo prodeunt Angeli, cum vnnulis suis & phialis, induti lino mundo, & candido, præcincti circa pectora, zonis aureis, &c.

De externo hoc habitu Angelorum, quid lino hoc puro, & candido subinuitur, non est, quòd in eo curiosa nimis subtilitate, distineamur. Illud sat fuerit, quòd simplicissimè ad rem pertinet, admonuisse. Angelici spiritus, qui natura incorporei sunt, quoties humanis oculis sese conspiciendos exhibent, speciem aliquam humanam induant, eámque aliquo indumento tectam, ne nudi videantur, necesse est. Quæ autem vestis aptius eis conueniat, quàm linea, & candida, nulla est. Deinde sæpe fit, vt vestis in hoc seculo, ad præsentem rerum conditionem, accommodetur. Candidæ enim vestis vsus est in victorijs, & gaudijs: Atræ, in funere & luctu: Rubræ in conflictu. Sic in resurrectione, & ascensione Domini, apparent Angeli, candido amicti vestitu, & fulgentes, ad significandam Christi gloriam. Zona præterea circa pectora cinguntur aurea: quo significatur, parata eorum alacritas, & strenuitas, in exequendis Dei mandatis.

Angeli induti lino candido, & zonis aureis

Vestitus Angelorum.

Vestis candida. Atra, Rubra.

Et vnum ex quatuor animalibus dedit septem Angelis, &c.

DE QVATVOR ANIMALIBUS, & septem phialis, De vno animalium, à quo acceptæ sunt phialæ.

DE quatuor animalibus, non est quòd multa hîc expectet humanitas tua (pie lector) cùm satis de ea re superius cap. 4. pag. 33. videri possit, pro nostræ mediocritatis tenuitate, pertractatum, vbi varias ea de re opiniones doctorum interpretum, tum veterum, tum recentiorum, retulimus. Inter quas omnes multiplici varietate inter se dissonas sententias, præcipuè mihi arridet, vt prædictum

Vide supra pag. 33.

dictum est, D. Fulconis probatissimi in sacram Apocalypsin scriptoris censura. Qui ex loco Ezechielis, quatuor hæc animalia Cherubin fuisse, seu spiritus Angelicos intelligat, quorum ministerio Deus vtitur in mundi & creaturarum administratione. Ita enim scribit, vt sub animalium figura, ostendatur creaturarum omnium motum & agitationem, à diuino nutu pendere, qui omnia per Angelicas virtutes operatur. Nec multum ab hac expositione recedit Henricus Bullingerus, qui ex Ezechiel. cap. 10. colligit Cherubin nominari animalia, ideóque locum illum intelligendum, de curru Dei tracto per animalia, quo ipse ex vrbe Hierosolymorum euectus est. Pergens deinde idem Bullingerus, similitudinem hanc 4. animalium reuocat ad creaturarum omnium vniuersitatem, ijs verbis: Dicemus autem, per animantia illa, omnem Dei creaturam intelligi, dispersam per quatuor mundi plagas, hoc est, toto orbe comprehensam. Eiusdem sententiæ videtur, & Theod. Bibliander, de animalibus scribens, in hæc verba: Indicantur, inquit, per hæc animalia, omnes creaturæ, per quas operatur Dominus, & mox: Representantur per hæc, omnes creaturæ visibiles, rationales, & irrationales. Natura quoque ministrorum Dei depingitur, &c. De quo nec inuenustè D. Chytræus disserit, cap. 4. Cui quatuor animalia, vel ad omnia membra Ecclesiæ, in quatuor mundi plagis degentia, & præcipuè ad pastores & ministros, qui sunt oculi & inspectores reliqui cœtus Ecclesiæ, referenda videntur: vel ad quatuor personas, quæ vitam hominum gubernant, videlicet, ad Pastores Ecclesiæ, Magistratus politicos, Patresfamilias in domibus, & præceptores in scholis.

Sententia D. Fulconis, de 4. animalibus.

Hen. Bulling. in Apoc. cap. 4.

4 Animalia iuxta Bullingerum.

Theod. Biblia. De quatuor animalibus.

D. Chytreus. Vide cap. 4.

Quatuor personæ humanã vitam gubernantes.

Pastores, Magistratus, Patresfamilias, Preceptores.

Atque hæc quidem omnia vera esse, suo quidem loco, atque in suo genere, nemo est qui dubitat. Cui enim non compertum est, nullam esse creaturam, siue Angelica sit, siue humana, siue rationalis, aut irrationalis, quin parata sit ad obsequium Dei, ad pœnas de impijs exigendas, vbicúnque voluerit is, cui vniuersæ seruiunt creaturæ, idque non solum, in nouissimis hisce inferendis plagis, sed superiorum etiam temporum quibuscúnque. Sic ignis olim cælitus ruens, in Sodomam, & vicinas vrbes, phialam subministrant diuinæ iracundiæ. Sic aqua adoperuit Pharaonem, & exercitum eius. Sic terra dehiscens, deglutiuit cœtum Chore, Dathan, Abyron, &c. Sic exercitus gentium à Deo euocatus, accinctum se exhibet, in vindicandis his, quos vlcisci volebat Dominus. Eodem modo punit Deus hostes, per instrumenta sua, cui omnes creaturæ facilè operam suam, ad mandatum ipsius, accommodant.

Gene. 19.
Exod. 14.
Numer. cap. 16

Quæ omnia, vt verè, grauiter, ac disertè ab his disputata esse non diffiteor: ita an prorsus satisfaciant præsenti instituto, subdubitari non immerito potest. Verba sic habent prophetiæ:

Et vnum ex quatuor animalibus, dedit septem Angelis septem phialas aureas, plenas iracundiæ Dei viuentis in secula seculorum.

Age, & animalia hæc quænam esse dicemus? Nempe inquiunt, quæ vniuersitatem omnium creaturarum per quatuor mundi plagas, dispersam repræsentant. Alij aliter interpretantur, vt dixi, nempè sub similitudine hac animalium, Cherubin, seu Cherubicos spiritus significari, quorum ministerio vtitur Deus in vindicandis hostibus. Audio, neque equidem valde repugno. Attamen si pace istorum liceat, vellem hic paucula, non repugnandi, sed discendi studio, interrogare.

Primum si vniuersus ordo animantium hic, vt aiunt, intelligitur, quorsum ex omni multitudine quatuor duntaxat animalia, nec plura, nec pauciora hoc loco à Ioanne nominantur? cur sic diuersa specie producuntur, leonis, vituli, hominis, aquilæ? Ad demonstrandum, inquiunt, reliqua animantium genera. Quo modo id obsecro? quid, an vt leo leones tantum, vitulus vitulos, vt homo homines, aquila omnes aquilas designent? an vt singulæ species, singula genera cunctorum animantium, similitudine sua referant, atque repræsentent? At quo modo hæc cohæret ratio? Nam si ita sit, vt singulæ species quatuor horum animalium, puta leonis spe-

Hen. Bulling. Rationes quorundam de 4. animalibus discutiuntur.

cies, non

cies, non leoninam ſolum ſpeciem, ſed promiſcuè vniuerſam creaturarum multitudinem infinitam præfiguret, quid opus igitur reliquis animalibus, quæ hîc recenſentur in Apocalypſi?

Sin aliter res habet, vt quatuor hæc animalia, non omnia creaturarum genera, ſed ſuas quæque ſpecies præfigurent, quo modo igitur verum id eſt, quod aiunt, per animantia illa quatuor, omnem Dei creaturam intelligi? præterea, quum omnis præfiguratio vnius rei, ex altera, propter finem fit, atque ex cauſa aliqua ſuboritur, ſcire velim, quidnam cauſæ ſit, quur per quatuor animalia, omnes creaturæ demonſtrentur? Nempe, inquiunt, quia per eas operatur Deus, in vindicandis hoſtibus ijs, quibus iraſcitur. Quòd ſi verum ſit, falſum igitur illud, quod refert, laudatiſsimæ memoriæ, D. Chitræus, qui quatuor hæc animalia, vel ad omnia Eccleſiæ membra, per quatuor mundi plagas, tum præcipuè ad paſtores Eccleſiæ accommodat: vel ad quatuor perſonas, quæ vitam hominum gubernant, miniſtros nimirum Eccleſiæ, magiſtratus politicos, patreſſamilias in domibus, & præceptores in ſcholis.

D. Chitræus. Quatuor perſonæ, à quibus vita humana regitur.

Quin nec minus & illud falſum erit, quod ex Ezechielis loco, colligunt alij, quatuor hæc animalia prophetæ oſtenſa Cherubin fuiſſe, ſeu ſpiritus angelicos, ſub quorum animalium figura, oſtenditur creaturarum omnium motum, & agitationem à diuino nutu pendere, qui omnia per Angelicas virtutes operatur. Certè, ſi per Angelicas virtutes, omnia Deus operatur, falluntur igitur, qui per terrenas creaturas, Deum omnia operari, ideóque per quatuor animalia, terrarum omnia animantia ſignificari contendunt. Cæterum ſiue per cherubicas virtutes, ſiue per terrenas creaturas, operatur Deus (poterit enim vtrúnque eſſe verum) haud magni retulerit, quod ad huius loci expoſitionem attinet. Agitur enim hoc loco, de effundendis diuinæ iracundiæ p hialis, quod neque fit per cherubin, neque per quatuor animalia, ſed per ſeptem Angelos huic functioni deſtinatos.

Alia quorundã interpretatio qui quatuor hæc animalia ad Cherubin referunt, eo quod per angelicas virtutes Deus omnia operatur. Si Deus omnia operatur per Angelicas virtutes, falſum igitur quod per terrenas omnia operatur.

DE VNO EX QVATUOR ANIMALIBUS.

AT dices, ſumuntur tamen phialæ ab animalibus. Si de omnibus dicis, falſum eſt. Tantum enim ab vno phialæ porriguntur ſeptem Angelis diſpergendę, Ita enim verba habent contextus:

Et vnum ex quatuor animalibus dedit ſeptem Angelis ſeptem phialas aureas, plenas iracundiæ.

Quod ſi ex vno, non igitur ex quatuor animalibus ſumpſerunt has phialas: Age, & quur non potius ex ſenioribus 24. acceptæ ſunt hæ phialæ? quur non ab Archangelis, aut ex Cherubicis ordinibus? quur ab animalibus ſubminiſtrari dicuntur hæ phialæ? Denique, quur non ex toto numero animalium, quur ex vno tantum animali deferebantur hydriæ iſtæ Angelis ſeptem, plenæ iracundiæ Dei? Aut quodnam vnum hoc animal fuiſſe dicemus? quur Ioannes nominatim non exprimit? quur de hac re ſcriptores noſtri tacent? Ex quo intelligas, aliud forſan latere myſterium ſub his verbis, quàm multis hactenus viſum eſt. Quid enim ſi ſub quadruplici ordine ac ſpecie horum animalium, quatuor monarchiæ, iuxta Danielis deſcriptionem figurentur? quid ſi ſub vno ex quatuor animalibus, nouiſsimæ Monarchiæ tempus deſignetur, ſub quo flagella hæc nouiſsimæ dei iracundiæ angelis committuntur incutienda.

Quatuor animalia, quatuor monarchias repræſentant iuxta Danielẽ. Vnum animal à quo acceptæ ſunt phialæ, vltimam monarchiam Romanam deſignat, ſub quà ortæ ſunt omnes hę perturbationes.

Quod quàm non improbabile ſit, facile comperiet, quiſquis cum hiſtoria temporum rerúmque geſtarum monumentis, propheticam hanc narrationem conferat. Cum enim ſub præteritis tribus monarchijs, multæ graueſque inflictæ

ſunt

sunt hominibus à deo calamitates, veluti in diluuio, in conflagratione Sodomæ, in submersione Pharaonis in subuersione Dathan, & Abyron, in decem plagis Egypti, in excidio Iericho, & Chananæorum, interitu Babylonis, in deuastatione Iudaica: quæ omnia sub tribus prioribus monarchijs contigisse certum est: tum verò, quod ad septem has postremas phialas pertinet, quoniam non effundebantur, nisi tempore nouissimæ monarchiæ, eo fit, vt sub vno tantum, ex quatuor animalibus (hoc est tempore nouissimæ monarchiæ) datæ intelligantur. Iam autem quænam hæ septem plagæ nouissimæ fuerint, in quos, quo tempore inciderint, haud obscurum fuerit, si quis rem rectè conferat cum historia. De quo cap. sequente, plenius, fusiusque à nobis, Christo ducente, suo loco atque ordine, explicabitur.

In tribus monarchijs præteritis fuerunt aliæ phialæ diuinæ iracundiæ præter has 7. Phialas.

At restat interim nescio quid scrupuli, de oculis, & alis, quæ apud Ioannem cap. 4. animalibus hisce tribuuntur:

Et habebant, inquit, *singula animalia alas senas in circuitu, & intus plena erant oculis. &c.*

Scio hanc hypotyposin, non incommodè referri posse, ad exprimendam diuinæ maiestatis excellentiam, cuius occultatissima prouidentia, vt omnia perlustrat, ita sublimis potentia acerrimo, velut volatu, latebras explorat vniuersas, cuius intuitum, nihil abditissimarum rerum latere poterit, vt supra à nobis perscriptum est. Quæ omnia, vt verissimè de Deo affirmari posse fateamur, ita rursus neque aliæ desunt coniecturæ, quamobrem existimemus, quatuor hæc terrena animalia, cum senis suis alis, & oculis haud satis esse, ad explicandam diuinæ omnipotentiæ magnitudinem, quæ nulla ratione comprehendi, aut humana similitudine effigiari potest: sed aliâ habere interpretationē, magis simplicē, ac loco præsenti accōmodā.

Oculi & Alæ 4. animalium quid proprie significant.

Primum, vt terrena signa, terrenis significandis proprietatibus adhibeantur, congruentissimum videtur.

Ad hæc, quid habent hæ creaturæ, quid vitulus, quid homo, quid aquila, in quo infinitam dei excellentiam vlla proportione repræsentent, non video.

Deinde eadem hæc animātia, quum substrata succumbunt throno dei, velut animalia oneri ferendo subiecta, quemadmodum sublimes throni summorum regum, & Salomonis, varijs animalium picturis, & leonibus substratis ornari solent: ideo ad suam magis testandā subiectionem sub imperio dei, quàm ad illius designandam omnipotentiam, videri possunt accommodata.

Præterea quando apud Danielem, sub imagine quatuor animalium, quatuor monarchiæ expressè deliniantur, quid conuenientius, quàm sub descriptione horum animantium, non dei, sed monarchiarum potius conditiones denotari?

Iam quod ad alas, & oculos attinet, quid hæc portent mysterij, haud obscurum his erit, qui oculis non prorsus destituuntur. Quid enim aptius regibus terræ, tū maximè summis monarchis, qui longe latéque per omnes fere orbis plagas, nationesque sibi subiectas dominantur, affingi potest, quàm alarum velocitas, oculorum multitudo, καὶ τὰ ὦτα παμμεγέθη: quemadmodum Midæ regi prælongas asini aures fabula olim tribuebat prouerbialis. Atque vt cum Ouidio dicam.

Ouidi. Oculi. Aures. Alæ monarcharum.

Quis nescit, longas regibus esse manus.

Vt igitur principes prælongas habere manus, & aures, veteri dicuntur prouerbio, ita nec minus, & oculis ad intuendum, alisque ad volatum acerrimis, eosdem esse præditos negari minime potest, eò quòd Monarchæ huiusmodi, corycæos & subauscultatores suos, quaquauersum, per omnes terræ fines immittere solent, per quos, quæcunque per omnem regionem, vel fiant, vel dicantur, celerrimè cognoscant, quibus illi legatis & cursoribus, vice velut oculorum, atque alarum vti assuescunt. Ex quo, si nihil accederet aliud vel hinc euinci possit, quàm non inconcinnè quatuor hæc animalia competant, in quatuor monarchias: tum verò vt vnum illud animal nouissimæ monarchiæ Romanæ, videlicet aquilæ figuram gerat, sub qua monarchia, omnes istæ plagæ cecidisse comperiuntur. Quæ si minus arridere

videbitur interpretatio, non pugnabo de hac re acriter, illud cum D. Paulo dicturus ἕκαστος τῷ ἰδίῳ νοῒ πληροφορείσθω. Redeamus ad contextum reliquæ visionis.

Rom.14.

8 *Et impletum est templum fumo a maiestate dei, & de virtute eius, & nemo poterat introire in templum, donec consummarentur septem plagæ septem Angelorum.* Vt hanc capitis appendicem rectè intelligamus, cum alijs scripturæ locis conferamus oportet. In quibus non infrequenter consimilis quædam Sciographia apud prophetas vsurpari solet. In Exodo, cap. 13. columna nubis nunquam defuisse dicitur per diem, neque columna ignis per noctem populo. Et cap, 19. totus mons Synai fumabat, eò quòd descendisset Dominus &c. Et cap. 40. Nubes domini iucubabat per diem populo, &c. lib. Numer. cap. 9. Igitur die, qua erectum est tabernaculum, operuit illud nubes, &c. Item 1. Regum cap. 8. cum exissent sacerdotes de sanctuario, nebula impleuit domum Domini, & non poterant stare, & ministare propter nebulam. Impleuerat enim gloria domini domum domini, &c. De fumo autem luculentius apud Esaiam: vbi domus Domini fumo repleta dicitur. Ad quem Esaiæ locum alluisse videtur Ioannes, vbi templum fumo impletum esse dicitur, à maiestate dei &c.

Exod.cap.13.
Cap.19.
Cap.40.
Numer. cap.9.
1.Reg.cap.
Esai cap.6.
Fumus templum implens quid significet.

Quid autem fumo templi huius portenditur, triplex colligi potest significatio. 1. vel vt præsentiam dei, 2. vel vt iram eius. 3. vel vt incognita nobis dei iudicia designet. In hanc quippe interpretationem, plerosque nostrorũ consentire video. Mihi non procul ab istorum vestigijs recedenti, simulque circumstantias pensitãti huius visionis, non absurdè videtur, tria hæc simul sub fumo templi comprehendi posse: vt & præsentia dei obscura, & ira eius manifesta, item occulta eius iudicia intelligantur. Neque enim dubium est, quin templum hoc cœleste, pro domicilio diuinæ maiestatis necessario accipiendum sit: vbi clarissima gloriæ ipsius præsentia inhabitat, Angelis ac beatis spiritibus semper conspicua: at nobis tamẽ miseris peccatoribus, has terras incolentibus, tum maxime ijs, qui Antichristo se addicunt, haud ita amabilem præsentiæ suæ lucem aperit, at terrificam potius irati iudicis speciem ostendit, quoad finem accipiant vasa hæc destinatæ iracundiæ. Atque illud est, quod impletum templum fumo à maiestate dei, & de virtute eius dicitur, iuxta humanam hanc vitæ præsentis conditionem. In qua nulla hic constat plena perfectaque felicitas, aut solida diuini fauoris contemplatio, sed omnia velut densa caligine ac fumo obnubilata. Quemadmodum enim fumus, oculos aspera quadam molestia infestans, aciem perstringit intuentium, luciſque iucundam serenitatem adimit aspectibus, tenebris, densaque caligine omnia inuoluens: haud aliter accidit præsenti seculo, vt quam diu incumbant hominibus nouissimæ hæ phialæ, nihil hic tutum ab ærumnis, & periculis, nulla perpetua pax, nulla diuturna tranquilitas mortalibus appareat.

1 Præsẽtia dei in hoc seculo obscura.
2 Ira manifesta.
3 Iudicia occulta.

Etsi autem fatales hæ phialæ impijs potissimum vindicandis comparatæ videantur: tamen nec sanctissimi etiam pietatis cultores, prorsus immunes sunt, in hac vita, à suis ferulis. Sicutque Salomonis tempore, nebula implente domum domini, sacerdotes non poterant stare, & ministrare, propter nebulam: itidem & in ecclesia persæpe accidit, vt pijssimi quique, procellis persecutionum feriantur, suoque depellantur ministerio, vt diuino cultui publicè insistere non liceat, quemadmodum Husio & Hieronymo, cæterisque eius notæ martyribus, vsu venisse ac quotidie euenire, cernimus. De quo non temerè à D. Paulo, futurum prænunciatur, vt quisquis in Christo, piè viuere studeat, persequutionem patiatur.

Phialæ diuinæ iræ in quos potissimum recidunt.

2.Tim.3.

Quanquam verò eædem istæ perturbationes impiorum, & piorum, non vno eodemque modo, neque eadem ex causa obueniunt. Impij cœlitus emissis diuinæ iracundiæ phialis flagellantur: Pij non ab ipsis phialis læduntur, sed ab impijs, aduersus dei voluntatem, licet non sine permissu voluntatis ipsius, diuexantur. Sic deo visum est, quoniam aliter homines in officio contineri nequeunt, posito propitij patris officio, iusti veluti iudicis, personam induere, durisque plagis, & flagris

sic

sic cum illis agere, vt nihil in turbulento hoc mundi pelago tranquillum, nihil in templo serenum appareat: seueræ dei castigationes publicè priuatimque, per omnia grassentur, nihilque ferè inultũ relinquant. Etsi nonnunquam intermissiones quibusdam fortassis conceduntur, non diu tamen durant hæ feriæ, aut si cui contingat, phialas hasce iracundiæ, in hoc seculo effugere, videat ne grauiori posthac iudicio reseruetur.

Vniuersa mortalium conditio obnoxia diuinis plagis in hac vita.

Atque hunc quidem in modum misera habet humanæ vitæ conditio, vt nulla sit regio, aut status, in quem non aliqua cadat harum phialarum aliquando iracundia, aut terrifica diuini iudicij seueritas, siue pius sit, siue impius. Si pius, non sinit eum impiorum rabies conquiescere: Si impius, nunquam illi quies est, à phialis iracundiæ. Vnde Psalmus mysticus de pijs primum testificans: Multæ, inquit, tribulationes iustorum sunt, de omnibus autem liberabit eos dominus. Et iterum, Transiuimus per aquã, & ignem, & eduxisti nos in refrigerium. De impijs verò aliter, Contritio, & calamitas in vijs eorum, viam pacis non cognouerunt, nec est timor dei ante oculos eorum &c.

Irata dei iudicia habent hic nonnunquam suas intermissiones. Psal. 33. Psal. 65. Psal. 13.

Ex quo concluditur, nihil in hac peccatrici natura vndique integrum, nihil in rebus humanis perfectè beatum, nihil in templo, in quo Deus habitare solet, non fumosa caligine obnubilatum esse, diuinam præsentiam nusquam hic ita habitare cum hominibus, vt non multò sæpius indignatio eius, erga peccatores, quàm miserecordia sentiatur. Quanquam hoc nihil obstat, quo minus beatorum spiritus interim, qui corporibus hinc in cœlum emigrarunt, perfecta tranquilitatis luce, sine omni molestia potiantur: tamen in mortali hac generatione, vbi effundendæ sunt phialæ iracundiæ, ita omnia occupant seuera dei iudicia, vt suauissimæ illius præsentiæ, vix exigua hic aura affulgeat, quin templum, vbi inhabitat dei præsentia, fumo ita cooperiatur, vt nemini introire liceat. Age, & quamdiù durauit hæc templi obnubilatio? ipsemet narrabit propheta.

Nulla perfecta pax in hoc seculo.

Donec consumentur, inquit, *septem phialæ septem Angelorum.*

Tempus nimirum statuens præsentis seculi, quo demum expleto, nullus dehinc obstabit fumus in altera vita, quin ad perennem dei præsentiam, additus corporeus patebit sanctis, in sempiterna gloria, sine fine cum Christo regnaturis.

CAPVT. XVI.

1 *ET audiui vocem magnam in templo, dicentem septem angelis: Ite & effundite septem phialas iræ dei in terras.*

2 *Et abijt primus Angelus, & effudit primam phialam suam in terram, & factum est vulnus sæuum pessimum in homines, qui habebant characterem bestiæ, & in eos qui adorauerunt bestiam, & imaginem eius.* 1 Angelus.

3 *Et secundus Angelus effudit phialam suam in mare, et factus est sanguis, tanquã mortui, & omnis anima viuens, mortua est in mari.* 2 Angelus.

4 *Et tertius Angelus effudit phialam suam super flumina, et super fontes aquarum, et factus est sanguis.* 3 Angelus.

5 *Et audiui Angelum aquarum, dicentem: Iustus es domine, qui es, & qui eras, sanctus, qui hoc iudicasti.*

6 *Quia sanguinem sanctorum, & prophetarum effuderunt, & sanguinem eis dedisti bibere, digni enim sunt.*

7 *Et audiui alterũ dicentem, etiam domine deus omnipotens, vera & iusta iudicia tua.*

8 *Et quartus Angelus effudit phialam suam in solem, & datum est illi, æstu affligere homines, & igni.* 4 Angelus.

9 *Et æstuauerunt homines æstu magno, & blasphemauerunt nomen Dei, habentis potestatem super has plagas, neque egerunt pœnitentiam, vt darent illi gloriam.*

10 *Et quintus Angelus effudit phialam suam super sedem bestiæ, & factum est* 5 Angelus.

regnum eius tenebrosum, & commanducauerunt linguas suas, pra dolore.

11 *Et blasphemauerunt deum cœli pra doloribus, & vulneribus suis, & non egerunt pœnitentiam ex operibus suis.*

12 *Et sextus Angelus effudit phialam suam in* flumen *illud magnum Euphratem, &*
6. Angelus. *siccauit aquam eius, vt præpararetur via regibus, ab ortu solis.*

13 *Et vidi de ore draconis, & de ore bestiæ, & de ore Pseudoprophetæ, exire spiritus tres immundos in modum ranarum.*

14 *Sunt enim spiritus Dæmoniorum facientes signa, & procedunt ad reges totius terræ, congregare illos in prælium, ad diem magnum omnipotentis dei.*

15 *Ecce venio sicut fur. Beatus qui vigilat & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet & videant turpitudinem eius.*

16 *Et congregabit illos in locum, qui vocatur Hebraicè Armageddon.*
Armageddon.

7. Angelus. 17 *Et septimus Angelus effudit phialam suam in aerem, & exiuit vox magna de templo à throno, dicens: factum est.*

Factum est. 18 *Et facta sunt fulgura, & voces, & tonitrua, & terræmotus magnus, qualis nunquam fuit, ex quo homines fuerunt super terram, talis terræmotus sic magnus.*

19 *Et facta est Ciuitas magna, in tres partes, & Ciuitates gentium ceciderunt, & Babylon magna venit in memoriam, ante deum, dare illi calicem vini indignationis iræ eius.*

20 *Et omnis insula fugit, & montes non sunt inuenti.*

21 *Et grando magna, sicut talentum, descendit de cœlo in homines, & blasphemauerunt deum homines, propter plagam grandinis, quoniam magna facta est vehementer.*

DE SEPTEM ANGELIS ET septem Phialis.

DE Angelis septem, nuncijs & ministris diuinæ iracundiæ, de septem phialis, & quatuor animalibus, de fumo item templi, partim iam ante auditum est. E quo templo egressi Angeli, phialas septem (vt dictum est) datas sibi in manus, ab vno acceperunt animalium, ad effundendum. Quas non illico tamen acceptas, cæco impetu effuderunt, sed in procinctu stant, nutum expectantes diuinum, quando rem aggredi oporteat. Nec longum erat, quin vox protinus non tenuis, sed magna, non ex terra, non ex aere, sed ex templo ipso emissa est, qua ire iubentur, & phialas suas in terram proijcere. Consimili & nos exemplo admoneamur, si quid adgrediendum sit, quod maioris sit momenti, ne nostros affectus in consilium adhibeamus, præcipiti vel lenitate adducti, vel prudentiæ nostræ nixi fiducia, sed temperata moderatione libremus actiones nostras, vt semper consulamus os domini, ad ipsius normam: obedientiam nostram conformantes, non quòd diuinam vocem semper nobis expectandam aut enthusiasmos, nescio quos, vndecunque insilientes, in rebus moliendis, sequendos censeam, sed vt omne vitæ nostræ obsequium, ad dei voluntatem, quoàd licet, tanquam ab ipsius ductu vnicè pendentes, dirigamus. Ita fiet, vt nunquam nos destituat præsens diuini fauoris gratia, occulto suggerens admonitu, quid in re quaque agendum sit, idemque pari successu promouens quod suggesserit.

In adgrediendis negotijs expectanda dei voluntas semperque consulendum os Domini.

Accepta itaque diuina voce, mox accingunt se Angeli ad exequenda ministeria, in effundendis phialis, ita tamen, vt non omnes simul vasa suscepta, in terras mitterent, sed ordine quodam alij post alios, suam quisque phialam, vt temporis ferebat ratio, euacuaret.

Et abijt primus Angelus, & effudit phialam suam in terram, & factum est vulnus sæuum & pessimum in homines, qui habebant characterem bestiæ, &c.

Omitto hic aliorũ interpretũ in hũc locũ expositiones, quæ nihil ad rem facere vi-

dentur

dētur. Nam vt vera esse fateamur, quæ cōmemorant illi, de lue, & scabie Neapolitana, de morbo, ac poscis Gallicis, vel Hispanicis, quas vocant, de sudore Anglico, de peste Romana, Italica, Hispanica, Gallica, quæ non ita pridem posteriori hac mundi declinatione acciderunt: nihil tamen hæc omnia mentem Prophetæ attingunt, nec propria huius loci videntur. Etsi non diffiteor has ipsas morborum infestationes, quas dicunt, non sine diuina manu inustas esse, recentiore hac ætate seculi nostri: non tamen proinde consequitur, cuncta dei flagella, quocunque modo inflicta, ad septem has phialas propriè pertinere. Habent phialæ istæ suos ordines, quarum alia prima sit, alia secunda, itemque de alijs. Habent etiam Angeli suas effundendi vices, distinctaque temporum interualla, vnde in explicandis prophetijs, eiusmodi adhibenda est interpretatio, quæ locis proprijs, & temporibus conueniat. Cauendumque diligenter, quæ certo quodam ordine ac distinctione temporum digeruntur, ne tumultuaria perturbatione, primis media, medijs nouissima confundamus. Nunc plerique ita versantur in numerandis hijs plagis, nulla seruata ordinis aut temporis distinctione, acsi singuli Angeli simul, eodemque momento, singulas suas phialas in terram proïjcerent. Quod secus habet. Nam alioqui quomodo primus dicitur Angelus, nisi quia priori loco, phiala illius præcesserat, vlcus sæuum ac pessimū infligens? Quē deinde cæteri Angeli suo quisq; loco, ac tempore subsequebantur, vsque dum ad septimum Angelum perueniatur, qui vltimo loco, cum sua emissus phiala, finem temporibus, Antichristo, & Babylonicæ meretrici supremum attulit interitum.

Malum Neapolitanum: Morbus Gallicus. Anno. 1494. orta est scabies Gallica. Sudor Anglic.

Ordines phialarum, distinctaque earum tempora.

DVO TEMPORA BESTIAE.

QVæ omnia quo insignius eluceſcant, Romanam monarchiam diuidamus oportebit in duo tempora, prioris bestiæ, & posterioris. Tempus prioris bestiæ illud fuit, quo Ethnici Imperatores, à diabolo exitati, post masculinū mulieris partum, hoc est, post exortam euangelici regni lucem, in primitiua ecclesia atrocissimam tyrannidem, ad extinguendam Christi fidem, inaudita crudelitate exercuerunt. Durauit hæc tyrannis, si a Christo nato numeramus, supra trecentos annos. Quo temporis spatio, vt plurimum exhaustum est Christiani sanguinis, sine modo ferè, ac fine: ita credibile non est, toto hoc tempore tantarum persecutionum, diuinam omnino dormitasse vindictam, vt in vindicando suorum sanguine, nullum prorsus iracundiæ suæ signum ostenderet. Imo omnes contra testantur publico consensu historiæ, testatur experientia & euentus ipse, id quod res est: nunquam ædita fuisse plura, aut clariora diuinæ vindictæ exempla, quam hoc ipso tempore, grassantibus in Romana Monarchia Antichristianis istis Imperatoribus, Præsidibus, & gentili populo, in pios Christi fideles. Quo tempore, quum multæ aliæ diuinitus percrebuerunt seueriſsimi iudicij castigationes, tum inter eius flagella, non infimum erat vlcus hoc, quod primo hic loco recenset D. Ioannes.

Duo tempora Romanæ monarchiæ. Primitiuæ ecclesiæ persecutiones, per tyrannos Imperatores autore Diabolo excitatæ. Diuina vltio in persecutores.

Et factum est, inquit, *vlcus sæuum & pessimum in homines &c.*

DE VLCERE SAEVO, ET PESTE vniuersali.

VLcus hoc sæuum quid portendit, rectius, ni fallor, intelligetur, si cum peste illa conferamus, quæ sub initio Galli, & Volusiani, paulo ante decen

cennalem Diocletiani perſecutionem, per decem, aut quindecim continuos annos, inualuit. De quo etſi iam ante, in ſeptem tubis explicandis, multa ex Euſebio, aliiſque hiſtoriarum monumentis, adducta à nobis ſunt: tamen quoniam præſens hic locus, eiuſdem rei memoriam refricat, non obfuerit, nonnullas velut ἐκ τῶν περιόντων, recolligere, adiectis inſuper, quæ ad pleniorem hiſtoriæ euidentiam conducere, videantur.

Vide ſupra, pag. 75. 76. 78. & deinceps.

Inter ferales igitur tempeſtates illas perſecutionum, quibus tantum exhauſtum eſt Chriſtiani ſanguinis, à Nerone, Domitiano, Decio, Valeriano, cæteriſque Antichriſtianæ militiæ ducibus, cum ſæpe alias, vt dixi, excanduit diuinæ iracundiæ ſeueritas, in acerbiſsimos Chriſtiani nominis hoſtes, tum haud vlla vnquam ferè viſa eſt horribilior, effuſæ iracundiæ phiala, quâ immanis illa vaſtitas, & lues peſtifera, in prouincijs populi Romani, præcipuè in Egypto, orta ſub Gallo, anno D. 125. quæ vt Lætus ſcribit, per integrum decennium, aut quindecim totos annos graſſata eſt. Meminit eiuſdem Dionyſius, in Epiſtola, ad Hieracem Egypti Epiſcopum, cuius verba ſuperius deſcripta, vt iterum hoc loco repetam, in hunc habēt modū, vt ab Euſebio, libro ſeptimo, capite vigeſimo primo, & ſecundo, referuntur.

Peſtilentia dira ſub initio, Galli Imper. Ex Pompo. Læto. Dionyſius ad Hieracem. Euſebius Hiſt. lib. 7. cap. 21. &c.

Quando, inquit, aer iſte, prauis vndique euaporationibus turbatus, ſerenus reddetur? Tales enim ex terra fumigationes, è mari venti, è fluminibus auræ, è portubus exhalationes ſpirant, vt velut ros quidam tabidus è cadaueribus putridis, cunctis ſubiacentibus elementis inferatur. Et adhuc admirantur & inquirunt, vnde ſint peſtes illæ continuæ, & graues morbi, vnde corruptiones vbique obtinentes, vnde varia, & multa mortalium exitia: qua de cauſa, maxima hæc vrbs, tantam non habeat amplius ciuium multitudinem, ſi à paruulis, ad decrepitos ſenes, vſque numerentur, quot antea canos ſenes nutriuit. A quadragenarijs, ad ſeptuagenarios vſque, tam fuerunt antea multi, vt iam numerus eorū non impleatur, qui antea publicæ fuerunt alimoniæ, à quarto decimo ætatis anno, ad octuageſimum vſque, adſcripti atque accenſiti. Deinde qui aſpectu fuerunt iuuenili, facti ſunt inſtar grandeuorum. Et cum ita ſine intermiſsione, genus humanum, in terra hac diminui conſumique videant, non tamen contremiſcunt, quantumuis omnimoda ipſorum extinctio creſcat: Hactenus Euſebius.

Peſtis funeſta.

Rurſúſque alio quodam in ſcripto, ad fratres, de eadem calamitate, cauſiſque, ſic ſcribit: Nunc ſanè omnia lamentationibus replentur, lugent omnes, & vlulatus vrbem perſonant, propter multitudinem mortuorum, & quotidiè morientium. Sicut enim de primogenitis Egyptiorum ſcriptum eſt: Ita iam quoque clamor factus eſt magnus. Domus enim non eſt, in qua non ſit mortuus &c. Idemque porrò pergens: Atque hæc, inquit, lues, etſi ex Chriſtianis etiam nonnullos afflauerit, at rariùs tamen, multoque maiori cum patientia, & mutua inter ipſos cura. Apud Ethnicos verò omnia contraria euenerunt. Etenim vix dum initia morbi habentes auerſati ſunt, fugeruntque ab amiciſsimis, & ſemimortuos in plateas eiecerunt, & mortuos inſepultos, canibus dilacerandos expoſuerunt, vt mortis eo modo contagionem effugerent, quam tamen quamlibet machinati, haud facile potuerant euitare: hæc ille.

Peſtis mortiferæ deſcriptio.

Accedunt & alij complures eiuſdem hiſtoriæ, fide non indigni teſtes, Eutropius, Vopiſcus, Victor, Bergomenſis, Antoninus, Vincentius, Sulpitius, Capitolinus, Trebellius. Refert Antoninus, de hac peſte, quæ ſub Gallo, inquit, & Voluſiano initium ducens, ita Romam fatigauit, vt quinque milia vna die pari morbo perirent.

Eutropius. Vopiſcus. Victor. Bergomenſis. Antoninus. Vincentius in ſpeculo hiſtoriali. Sulpitius. Capitolinus. Trebellius. Antonin. part 1. cap. 8. Pomp. Lætus.

Inter Romanos ſcriptores Pompeius Lætus hæc habet: Pernicioſa, ait, peſtis vndique viguit. Tabis initium fuit ab Ethiopia, fortè ex nimio ſolis ardore. Peſtilitas primo, conſumptis meridianis, per orientem diuagata eſt. Inde cæteras orbis partes inuaſit, vbique maximam partem incolentium exhauſit, pleráque loca inhabitata reliquit. Ea labes vix intra decem annos finem inuenit. Proueniſſe ex

infelicibus

infelicibus Galli auſpicijs viſa eſt, vt qui proditione imperium arripuit, Chriſtiani etiam dogmatis hoſtis.

Peſtis ſub initium Imperatoris Galli.

Preclarè Cyprianus, diuinam hanc, aliáſque iracundiæ phialas perſentiens, in Apologia: Nunquam impiorum ſcelere, inquit, in nomen Chriſti exurgi, vt non ſtatim diuinitus vindicta comitetur. Idque iuſto planè numinis iudicio: quo fit, vt non priuata ſolum ſupplicia, verum etiam publicas, & latè quidem graſſantes calamitates, ſemper ferè ſecum trahant ſuperiorum ſcelera. Quod & gentium omnium & ætatum teſtantur hiſtoriæ.

Cyprianus in apolog. contra Demetrianum

Idemque rurſus ad eundem ſcribens Demetrianus: Certi, inquit, ſumus & fidentes, quòd multum non remaneat, quodcunque perpetimur, quantoque maior fuerit perſecutionis iniuria, tanto & illuſtrior fiet, & grauior pro perſecutione vindicta, vt memorias non teneamus antiquas, documentum recentis rei ſatis eſt, quòd ſic nuper ſequuta ſit tanta noſtra defenſio, ruinis regum, iacturis opum, diſpendio militum, diminutione caſtrorum. Quanquam verba hæc Cypriani, peſtem hanc nihil attingere videntur, cum ante Galli tempora, ſub Decio, ſubijt ille Martyrium, at nihilo minus, ex eo tamen liquere poteſt, iuſta non minùs, quàm ſeuera diuinæ animaduerſionis vindicta, in eos, qui ſe hoſtes euangelio Chriſti, non ſolum durante hac peſte, ſed quocunque etiam tempore, oppoſuerunt. Id quod ex veterum hiſtoriarum annalibus, ſi rectè inſpiciantur, teſtatum comperiemus.

Idem Cypria. ad Demetrianum.

Vindicta dei contra perſecutores.

Fertur inſuper in hiſtorijs & de alijs aliquot, eiuſdem generis morbis recordatio, velut ſub Antonino Pio, et poſt martyrium Polycarpi. At illa peſtifera lues Romam ferè ſolam afflixit, neque cum vniuerſali hac plaga conferenda eſt. Atque hæc de prima phiala, pergamus ad ſecundam.

3 *Et ſecundus Angelus effudit phialam ſuam in mare, et factũ eſt ſanguis, tanquã mortui, & omnis anima viuens, mortua eſt in mari.*

Secundus Angelus.

4 *Et tertius effudit phialam ſuam ſuper flumina, et ſuper fontes aquarum, et factus eſt ſanguis.*

Tertius Angelus.

DE SECVNDA ET TERTIA *Phiala.*

OBſeruanda eſt in diſpenſandis Dei ſupplicijs diuerſitas. Prima Phiala cadit in terram, ſecunda in mare, tertia in flumina. Non omnes in terram, non omnes in mare, nec omnes in flumina profunduntur. Age & quid ſibi vult hæc notata elementorum diſtinctio, terræ, maris, & fluuiorum? quum certum ſit, vniuerſa hæc flagella Dei, non ad alias creaturas, niſi ad homines ſolùm, qui terras, qui mare, qui flumina occupant, propriè accommodari. Quorſum igitur attinet maris, fluuiorum, & animarum in mari viuentium mentio? Quorſum mare, & flumina, in ſanguinem verſa dicuntur? Si externam ſpectes literam, nihil horum, ea ſpecie, qua proponuntur, quiſquam accidiſſe vidit, aut viſurus eſt. Quis vnquam vidit omnem animam in oceano, in fluuijs natantem, morte ſubito extinctam, vt ex omni piſcium genere, nullum reſtaret reliquum?

In diſpenſandis dei ſupplicijs diuerſa ratio.

1. Phiala in terram.

2. Phiala, in mare.

3. Phiala, in flumina.

Mare & flumina in ſanguinem conuerſa quid ſignificent.

Aliud igitur ſub hoc cortice latere myſteriũ exiſtimemus. Quod cuiuſmodi ſit videndum eſt, aut ſi rem aſſequi minus licebit, Delij natatoris in morem, ingrediendum hoc mare eſt, perueſtiganda ſunt hæc flumina, quid velint. Scio non deeſſe interpretum alia, vtinam perinde vera, atque varia iudicia. Multi ludunt allegorijs potius, quàm hiſtorias temporum introſpiciunt, quibus neque ipſe fidem detraho. Sit per me ſuum cuique pulchrum. Mihi, vt ne multis morer, ſimpliciſsimum videtur, vt ſub triplici hac primarum phialarum diuerſitate, triplex pœna ſignificetur, qua execrandi perſecutores primitiuæ eccleſiæ, à deo

concussi sunt, non vno tamen modo, nec vno tempore, nec omnes simul homines.

Prima phiala cadit in terram, hinc saeua sequitur pestis: Secunda cadit in mare: Tertia in flumina, quæ conuersa sunt in sanguinem, ita vt omnis viuens anima, mortua sit in mari, &c. Atque de peste iam ante dictum est. Quod autem ad mare & flumina attinet in sanguinem conuersa, ita arbitror, minime accipienda hæc esse, κατὰ τὸ ῥητὸν, iuxta carnalem literæ sensum, sicut factum olim in prima Aegyptia plaga accepimus, quando extendente Aarone virgam suam, super fluuios, & riuos, ac paludes, & lacus aquarum, omnes mox vertebantur in sanguinem, factusque cruor in omni terra Aegypti, & pisces qui erant in flumine, mortui sunt, computruitque fluuius, nec poterant Aegyptij bibere aquam fluminis, foderunt autem omnes Aegyptij, per circuitum fluminis, aquam vt biberent, non enim poterant bibere aquam fluminis, &c.

Exod. cap. 7. Flumina apud Aegyptios in sanguinem conuersa.

Quanquam non abnuerim, quin alludere potuit Ioannes, ad locũ illum exodi, licèt non sub eodem sensu, nec eodem modo. Illic omnes fluuij, & lacus aquarum in sanguinem mutabantur, piscésque omnes computruerunt. Quod illic sub typo gestum est, hic re quidem ipsa, comprobatum cernimus, non in riuos, aut paludes aquarum, non in pisces, qui in vndis perierunt, sed in homines ipsos & cruentos martyrum carnifices, qui vt nullum crudelitatis genus omiserunt, in excruciandis sanctorum corporibus, ita pari talione & ipsi suo effuso sanguine per suas vicissim ὁλοθρεύσεις occubuerunt, vt recte de illis dici poterit.

Sanguinis effusi pœnas in sanguine soluunt.

Οἷα τ' ἀνὴρ ῥέζει, τοῖον τέλος αὐτὸν ἐχεῖ,
διὰ ὧν τις ἁμαρτάνει, διὰ ταύτας καὶ παθεύσεται.

Sicutque Tomyris olim, Cyri caput præsectum, atque in vtrem sanguinis mersum, prouerbiali ludens figura, sanguinem bibere iussit, quem sitiebat. Non aliter clamat hic Angelus aquarum: Quia sanguinem sanctorum, inquit, effuderunt, sanguinem eis dedisti bibere. Digni enim sunt.

Angelus aquarum.

At aboritur hic interim, nescio quid scrupulosæ ambiguitatis, quod negotium forsan facescere poterit. Nam si omnis anima viuens mortua sit in mari, sub qua figura, non pisces, sed homines, sine dubio significantur, & si mare pro mundo ponitur, quod necesse est, in quo conuersantur homines: quid, an omnes igitur homines in magno huius mundi pelago, vna simùl internetione deletos esse, cadente in mare hac phiala, dicemus, an non? Quod si de omnibus hominibus accipiendum sit, quid igitur reliquis postea phialis restabit quod agant, extincto semèl vniuerso mortalium genere? Sin aliter, mare in sanguinem versum, non pro omni anima viuente in mundo, nec pro vniuerso terrarum orbe, sed pro parte solum accipiendum sit: restat hoc igitur perquirendum, quinam homines isti, & quæ pars illa terræ sit, in quam competat hæc prophetia.

Obiectio interiecta. Pisces in mari mortui.

Huic vt respondeam scrupulo, nil opus est mea interpretatione, cum Ioannes ipse satis rem aperiat, homines ipsos apertè indicans, qui sint, in quos propriè cadunt hæ phialæ. *Nempe*, inquit, *qui habebant characterem bestiæ, & in eos, qui adorauerunt bestiam & imaginem eius &c.* moxque inferiùs in sexto versu, vbi acclamantem audimus Angelum: *Quia sanguinem*, inquit, *sanctorum & prophetarum effuderunt, sanguinem eis dedisti bibere, digni enim sunt.*

Obiectionis dilutio.

Ex quo vides, quis sensus prophetæ sit, qui dicat mare, & flumina, versa esse in sanguinem: omnemque animam viuentem mortuam esse in mari. Quod in pisces propriè quadrare non potest, sed in homines, eosque non omnes, sed sub hyperbolica amplificatione, qua omnis anima mortua in mari dicitur, tales duntaxat comprehendi, qui bestiam scilicet adorant, & sanguinem sanctorum, & prophetarum effuderunt in hoc seculo.

At interim, quidnam illud habet mysterij, quòd non mare solum in sanguinem

nem

nem tabificum versum sit, sed & fluminum etiam mentio mox sequitur, quæ per tertiam phialam in sanguinem similiter conuersa dicuntur. Etsi id quidem dubium non sit, quin sub elementari similitudine maris, & fluminum, regna mundi populo dei infesta intelligantur: attamen quòd sub diuersis phialis, distincto ordine, hæc inducuntur, res non indigna forsan videbitur quæstione, quid velit diuersa harum rerum apud prophetam expressio. Qua in re, quid mea fert ratio, paucis expediam. Flumina in sanguinem mutata.

DE MARE, ET FLVMINIBVS eorumque in sanguinem mutatione.

AC primum, quod ad mare hoc magnum & immensum attinet, quod caput sit, ac receptaculum cæterorum omnium fluminum, fontium, ac riuulorum, minimè absurdum mihi videtur, si cum Romana Monarchia conferatur, quæ sola summaque sit arx, caput orbis, dominaque gentium, vnde primum erupit vniuersa hæc persequendi rabies, quæ postea in omnes orbis partes peruagata, ad tempus vsque Constantini conflagrauit. Mare Monarchiam Romanam, flumina prouincias significat.

Flumina verò in inferiores ordines præfectorum, per Romanas prouincias dispersos, non incommodè accommodare licebit.

Quod vt euidentius appareat, cædes primum, ac sanguinem Christianorum, sub prophanis Imperatoribus exhaustum, spectemus. Deindè ipsorum similiter Imperatorum tragicos exitus, & sanguinem, pari vltione, sub terribili dei iudicio, profusum intueamur. Sic enim in tyrannos istos, qui sanguine sanctorum inebriati sunt, desæuijt vltrix dei iracundia, vt ex omni eorum numero, vix tres aut quatuor, mihi numeres, qui citissime hinc abrepti, vitam in sanguine proprio non effuderunt. Consulantur temporum historiæ, quid de Romanis monarchis, quid de statu imperij, de fatis, & vita Imperatorum prædicant, scripta legantur, exempla notentur. Cædes & sanguis Martyrum.

Cædes, & sanguis Imperat.

CRVENTI EXITVS IMPE ratorum.

CAius Caligula Imperator, Tiberio proximus, vir nefarius, stuprator sororum incæstuosus, cruentis cædibus clarus, crudelis in Senatores hostis, non Iudæos solum, sed Christianos etiam miserè afflixit. Cuius dictum fertur, moribus non dissimile: Oderint, dum metuant. Rexit Imperium annos tres, menses decem, interfectus à tribuno militum, non indignum factis exitum sortitus est. Caius Caligula Imperator interfectus. Ex Iosepho. Eusebio. Egesippo.

Claudius post eum præfuit imperio, annos 13. menses 9. Etsi nullam ipse publicis edictis persecutionem mouebat contra Christianos: tamen quo minùs per alios, sub suo imperio diuexarentur, non impediuit. Necatus veneno à coniuge Agrippina interijt. Claudius Imp. veneno sublatus.

Post Claudium veneno sublatum, imperium proximè capesit Domitius Nero, Archityrannus, nefandæ memoriæ mastyga, a quo primum exordiri, in recensendo hoc catalogo oportuisset, qui primus omniũ persecutionis publicæ gladium distrinxit in Christianos: caput & colophon omnium tragædiarum. Regnauit annos 13, menses 8. Interfecit matrem, duas coniuges, Octauiam, & Popeam, multósque præstantes viros, atque in hijs præceptorem Senecam. Primo quinquennio, Nero Imp. occisus. Prima persecutio.

satis moderatè se gessit: postea incæstibus, cædibus, adeò in fœdissimũ portentũ degenerauit, vt nullum vnquam monstrum vixerit monstrosius. Primus inter Cæsares fuit hic Nero, qui publicis edictis, per prouincias, Christianos mandauit excruciari, arrepta hinc primum occasione. Cum enim vrbem incendisset, vt formam spectaret Troiani incendij, mox vt se euolueret omni suspitione, finxit Christianos eius cladis fuisse autores, quo sic in maiorem eos inuidiam pertraheret. Vnde atrox grassata est pluribus in locis persecutio, per omnes ferè Christianas ecclesias. In quibus martyrium, inter cæteros, subierunt Petrus, & Paulus, si non vno eodemque anno, & modo, at vno anni die. Cæterum furentem adeò hanc belluam, non diù inultam præterijt diuina iustitia. Ita enim voluntate dei, à Senatu, & præcipuis ducibus decretum est, accersito ex Hispanijs, Sergio Galba, vt Tyrannus tolleretur. Cognito aduentu Sergij Galbæ, Nero postquam resciuit se hostem à Senatu iudicatum, & ad furcas condemnatum, necem sibi ipsi molitus, cum nec amicum, nec inimicum inueniret, qui id faceret, ipse sibi carnificem præstitit, Anno Domini 71.

Neronis horrenda flagitia.

Nero ipse sibi carnifex.

Galba Imperator interfectus.

Post eum mutiplex laniena sequuta est. Sergium Galbam interfecit Otto. Deinde Otto prælio superatus à Vitellio, qui rexerat Germaniam, seipsum occidit. Vitellius adueniente Vespasiano, fugiens è latebris extractus à militibus, interfectus est, cadauer à canibus laceratum. Durauit ciuilis hæc mactatio, anno vno pauloque amplius.

Otto Imp. interfectus.

Vitellius Imp. interfectus.

Vespasianus Imperator.

Vespasianus susceptus in gubernacula reipub. imperauit annis decem. Occupatus ille in bello Iudaico nihil acerbius mouit in Christianos.

Titus Imperator veneno sublatus.

Vespasiano patri successit Titus filius. Imperium eius omnino incruentum fuit, quod per biennium tenuit, & menses 2. Propter iustitiam & benificentiam, dictus est, Amor & delitiæ humani generis. Fertur à quibusdam veneno extinctus, quod frater Domitianus ei dari curauit.

Domitianus Imp. interfectus.

Domitianus secundus à Nerone persecutor, non sine sanguine, & ipse occubuit: in cubiculo enim à cubicularijs suis, conscia etiam vxore Domitia, multis vulneribus confossus est, quindecimo imperij sui anno, idque non sine magno Senatus applausu, à quo cadauer eius contumelioſè efferri, ac proijci iussum est.

Secunda persecutio.

Nerua Imperauit annum vnum.

Domitiano interfecto, successit Nerua: imperium tenuit annum vnum, menses 4. pius & incruentus princeps, longiore dignus vita.

Traianus Imp.

Neruæ successor Traianus, tantam exercuit in ecclesias Christi crudelitatem, vt tertia ei persecutio, post Neronem, & Domitianum tribuatur. Paulo post initium Imperij, cœpit mouere persecutionem, verum septimo, multo acrius. Quin & Senatus ipse Romanus, Traiano bellum in oriente gerente, decretum contra Christianos ædiderat. Vnde vero non dissimile videtur, persecutionem hanc tertiam, Senatui Romano, potius imputandam esse, quàm Traiano, qui tribus maximis bellis, his temporibus distinebatur. Primum contra Decebalum, de quo vide Dionem. In secundo bello, Orientem adijt, copias ducens contra Armenios, Parthos, Assirios. Tertio nec minus graviter eum occupabant seditiones, & tumultus, in Aegypto, & Cyrene, & Cypro: vbi ex Iudeis trucidata feruntur, quadringenta milia hominũ. Traianus interim circa annum Imperi, 14. literas accipit à Plinio secundo, qui tum Bithyniam rexerat, quibus perlectis, remisit ille nonnihil edictorum atrocitatem, rescribens Plinio præfecto, in hunc modum: Christianos inquirendos non esse, oblatos verò puniri oportere. Taxat Tertullianus confusam hanc rescripti Imperatorij absurditatem: Dequa re plenius in Apologet. ipsius perlegas licebit. Rexit imperium Traianus annos 19. De miserabili, & tristi morte Traiani, sic scribit Dion: Resolutione membrorum, & stupore corporis sensumque primum correptum esse adeo, vt venenum se hausisse supicatus sit: posteà verò aqua intercute repletum, apud Seliuntem Ciciliæ vrbem, extinctum.

Quadringenta milia cæsa, sub Traiano.

Plinij epistola ad Imperatorem.

Imperatoris responsio ad Plin.

Tertul. in Apolog. Euseb. lib. 3. Orosius & alij.

Ex Tertull in Apolog.

Mors Traiani.

Ex Dione.

De

De Aelio Hadriano, quem in ſucceſsorem adoptauerat Traianus, quid aſperius molitus ſit, contra Chriſtianos, in vetuſtioribus Chronicis, non multum reperio. In lib. 2. Centur. cap. 3. Hæc habentur. Secundo Hadriani anno, Aurelius comes Alexandrum Romanum Epiſcopum, cum Hermete prçfecto vrbis, eius vxore liberis, & tota familia, numero 1250. in carcerem coniecit, & tandem in furno ardenti cremauit. Redarguens hanc iniquam tyrannidem Theodulus, Alexãdri diaconus idem ſupplicium ſubijt. Eadem crudelitate, & alios item Comes tractauit. Narrant & Zenonem patritium Romanum cum 10202. pro Chriſto interfectum, hæc ille. Cæterum ex quo autore hæc citantur, nulla ſit mentio. Illud conſtat in parte prima Antonini tit. 6. & in ſpeculo Vincentij ſimilia quædam commemorari, de Aurelio Comite, de Alexandro Epiſcopo, de Hermete præfecto vrbis, quem decollatum refert Antoninus, de Quirino & Theodulo iniecto in furnum ardentem cum Alexandro, ſed multo de ijs aliter, quàm in libro Centuriæ, quem diximus. Certè de vxore Hermetis, liberis, totaque eius familia, numero M. C C. L. in carcerem coniecta, deinde in furno ardenti cremata, verbum nullum apud Antoninum reperio. Scribit Otto Friſingenſis de furno Alexandri nihil, tantum ait, eum è vita deceſsiſſe.

Hadrianus Imperator.
Aurelius Comes perſecutor.
Martyres 1250
Alexander Ep. Rom. Theodulus Martyres.
Zeno patritius Romanus cũ 10202. pro Chriſto martyribus.
Hermes cum vxore & liberis, & familia.

De Euſtachio illud fertur, quòd cum Imperator contra barbaros, eum miſiſſet, tandem parta victoria, domum redeunti, Hadrianus lætus occurrit, moxque pro victoria Apollini ſacrificat, quod cum Euſtachius detrectaret, ipſe cum vxore & duobus filijs, martyriũ perfert, anno Hadriani quinto. Demũ nono eius anno, decem milia martyrum, in Armeniæ monte Ararat, pro fide Chriſti crucifiguntur, autore Henrico Erdfurdenſi, ſed multæ circumſtantiæ, cum fide eius hiſtoriæ, pugnare videntur. Non multo poſt, circa annum Hadriani decimum, alij ſextum ponunt, agebat Hadrianus Athenis, ibique Eluſinam inuiſens, ſacriſque initiatus, poteſtatem impunè cunctis permiſit, in Chriſtianos graſſandi, quicunque vellent. Verũ à Quadrato Apoſtolorum diſcipulo, & Ariſtide Athenienſi, qui libros pro religione Chriſtiana Apologeticos exhibuerunt, anno imperatoris 9. flexus Imperatoris animus mitior dehinc factus eſt. Iiſdemque ferè temporibus Serennius Grauianus legatus, vir apprime nobilis literas ad Imp. mittit, iniquiſsimum eſſe dicens, clamoribus vulgi, hominum ſanguinem concedi, & ſine vllo crimine, nominis tantum, & ſectæ reos fieri. Quibus permotus Hadrianus, Minutio Fundano proconſuli Aſiæ ſcripſit: ſine obiectu criminum, aut probatione, Chriſtianos non condemnandos. &c. Eò factum, vt quædam Halcyonia ſuæ eccleſiæ, maiora quàm Traiani tempore, conceſſerit diuina pietas.

Euſtachius cum vxore, & duobus filijs Martyr.
Ex Henrico Erdfordenſio.
Quadratus Apoſtolorum diſcipulus.
Ariſtides Athenienſis Apologiam pro Chriſtianis exhibet.
Serennius Grauianus, legatus pro Chriſtianis ſcribit.
Hadriani ſcriptum pro Chriſtianis.

De Iudæis iterum tumultuantibus ſub Hadriano, prætereundum non eſt: qui annos aliquot, in Iudæa tenuerunt quindecim caſtella, 980. vicos. Dux eorum, Meſsiæ titulũ ſibi arrogãs, appellatur Benchochab. 1. filius Stellæ, iuxta illud Chriſti ſi alius venerit in nomine ſuo, hunc accipietis. Redijt ergo in Syriam Hadrianus, Oppidum Bethoron obſedit annos 3. menſes 6. Tandem oppidum vi captum eſt, dux ſeditionis Benchochab interfectus, quem Iudæi poſtea Bencozba. 1 filium mendatij nominauerunt. Numerus interfectorum ſcribitur fuiſſe, quinquies centena milia hominum. Qui peſtilentia ac fame perierũt, numerari non poterant. Regnauit Hadrianus annos 20. menſes 11. Hieruſalem ædificatam de ſuo nomine Aeliam vocauit, Chriſtianis, & gentibus habitandam dedit.

Fucatus Iudæorum Meſſias, dux ſeditionis.
Benchochab, 1. filius Stellæ.
Bencozba, 1. filius mendatij dicitur.
Cædes Iudæorum ſub Hadriano, 51000. præter eos qui peſte et fame perierunt, qui numerari non poterant.
Regnauit Hadrianus anno 20. menſes 11.

Extincto Hadriano, ſubrogatur in imperium Antoninus Pius. Regnauit annos 23. ſub hoc imperatore Eccleſia ſtatum accepit talem, qualem anteceſſor reliquit: nempe vt Chriſtiani, etſi non edicto aliquo iugularentur, tamen paſsim erant inuiſi & premebantur à filijs huius ſeculi, qui conſulẽtes ſuis cupiditatibus, in illorum ſpolia, quacunque occaſione,

Antoninus Pius Imperat. annos 23. menſes 3.

occasione, irruebant. Philippus, in suis Chronicis, de eo scribens, hæc habet: Solus omnium principum, sine ciuili sanguine fuit, nemini bellum intulit. Sæpe repetiuit dictum Scipionis, malle se vnum ciuem seruare, quàm mille hostes occidere. Initio imperij ipsius, vt quidam ferunt, hinc indè pij interfecti sunt, ex malitia ethnicorum, qui mala omnia, quæ patiebantur, bella, prodigia, terræmotus, Christianis imputabant. Vnde in Hispanijs, & Gallijs, non pauci interempti dicuntur. Itaque etsi tempore huius Antonini, remissior aliquanto videri queat persecutio, non destitit tamen suis homicidijs calcaneum Domini mordere Diabolus. At non ita diù, hæc durauit afflictio, quin clementissimus deus temporum horum asperitatem, tandem mitigaret, cuius singulari beneficio, excitatus est Iustinus philosophus Christianus, vir doctissimus. Is ad Antoninum Imperat. ad filios eius, ac senatum Romanum, Apologias pro Christianis, feruenti zelo plenas scribit, apertè asseuerans: Christianos insontes plecti, ipsosque iudices, non examinatis causis, affectu temerario, flagellóque furiarum percitos, occidere indemnatos, absque vllo respectu iustitiæ, cum eam, quæ vera, & sola sit, religionem Christiani profiteantur. Accedunt & aliorum Asiaticorum scripta.

Melanch. in Chronic. lib. 3. Iucruentum Antonini Pij Imperium.

Iustini Martyris Apologia pro Christianis.

Ex his itaque tantũ, Deo cooperante, obtinetur, vt Imperator literas in Asiam, de coercenda persecutione mitteret, quarum summa, in hanc tendit sententiam: Si quis persistit, huiusmodi hominibus, absque vllo crimine, mouere negotia, ille quidem, qui delatus pro hoc nomine fuerit, absoluatur, etiamsi perhibetur id esse, quod ei obijcitur, Christianus. Is autem qui crimen obtendit, reus pœnæ ipsius, quam obiecit, existat. Ibidem Antoninus Hadriani imperatoris edictum citans, pro quibus, inquit, hominibus (Christianis) & alij prouinciarum præsides, iam ante diuo patri meo scripserũt. Quibus ille rescripsit, ne quid interturbarent hoc genus hominum, nisi qui conuicti essent tentasse quidpiam contra Rempub. &c. Euseb.

Sedata persecutionis tempestas per literas Imperatoris

Scripeum Imperatoris Antonini pro Christianis.

Ex Euseb. lib. 4.

Antonini Pij scripta ad omnes ciuitates pro Christianis.

Testatur Melito, referente eodem Eusebio, Autoninũ Pium generaliter, ad omnes ciuitates, pro Christianis scripsisse, in primis ad Larissæos, & Thessalonicenses, & Athenienses, &c. Antoninus vt placidam vitam gesit erga Christianos, ita solus ferè inter imperatores, placida morte occubuit, Anno imperij 23.

Placidus Antonini Pij exitus.

M. Antoninus Verus, philosophus Imperat. annis. 16.

L. Aurelius Verus collega Antonini philo.

Antonino Pio, succesit Marc. Antoninus Verus, cognomento philosophus, qui rempub. per annos 19. administrauit. Initio imperij, collegam fecit L. Aurelium Verum. Ac primum tunc regnare duo Augusti pari potestate cæperunt. Sub hoc Antonino, orta est quarta persecutio, ac demum post annos aliquot irepressa. Flagrauit hæc grauiter in Asia, in Græcia, multo grauius in Gallia, in Vienna, Lugduno &c. In Asia Polycarpus Smyrnensis Episcopus vitam igne depositi, cum eo duodecim alij in Philadelphia, in quibus erat Metrodorus, Pergamopoli in Asia martyres passi sunt. Carpus, Papyllus, & Agathonica mulier, qui post plurimas & illustres confessiones, fortiter occubuerunt.

Quarta persecutio sub M. Antonino philosopho.

Polycarpus Smyrnensis Martyr. Ex Euseb. lib. 4.

In Philadelphia 12. Martyres.

Metrodorus Martyr.

In Smyrna Martyres Carpus, Papylus, Agathonica mulier.

Cum autem nullus locus immunis esset ab æstu harum persecutionum: tum nusquam vehementius inualuit fatale hoc incendium, nusquam plures occubuerunt, clari, constantes, docti martyres, nusquam plures, aut grauiores tormentorum formæ excrutiandis piorum corporibus excogitatæ, quàm in Gallijs. Qua de re, luculenta extat epistola Viennensium, & Lugdunensiũ, è Gallijs scripta cum nominibus non omnium sed præcipuè eorum, qui passi sunt. Primus censetur Vetius Epagathus, qui & nobilis erat, dictus Christianorum aduocatus: Sanctus item viennensis ecclesiæ diaconus: Maturus, Attalus, Pergamenus, qui ignitæ cathedræ imponitur. Beatus Pothinus, Blandina, quæ horrendum in modum, varijs tormen-

Epistola describens sæuas persecutiones in Gallijs.

Vetius Aepagathus.
Sanctus.
Maturus.
Attalus Pergamenus.
Photinus.
Blandina.
Alexander cum multis alijs.
Martyres in Gallia.
Exemplar Epistolæ apud Euseb.

mentorum pressuris excrutianda subijcitur. Alexander natione Phrix, cum reliquo choro diuorum Martyrum. Exemplar Epistolæ ex Gallijs transmissæ, si quis requirat, ex historia Eusebij petat, lib. 5. cap. 1. Exemplar Epistolæ apud Eusebium lib. 5 cap. 1.

Interea dū hæc aguntur, peropportunè se ostēdit, quæ nunquā suis deesse solet, auxiliatrix è cœlo dei prouidentia. Vtcūque enim flagrat Satan odio Christiani nominis, sæuitque humana crudelitas, in innocuū Christi gregem; Nunquā tamen ita feruet Barbaræ paganitatis rabies, quin in medijs malorum procellis, summisque piorum agonibus, tum cum res prorsus desperata, omnem humanam spem, curamque exisse videtur, miro ac singulari solatio, suos subleuat, è miserijs eripit, πονηρας σὺν ἔκβασιν, καὶ τὸ δύνασθαι ὑπενεγκεῖν. Quod vt alijs subinde temporibus, ita in hac tam atroci persecutione sanctissimè ostenditur. 1. Cor. 10.

Primum duo nobilissima lumina Asiæ, à deo excitata, Melito Sardensis, & Apolinarius Hieropolitanus Episcopus, pro religione Christiana, libros Apologeticos Imperatori exhibuerunt. De Apolinarij scripto, nihil supereſt. Melitonis reliquiæ nonnullæ etiamnum extant, apud Eusēb. lib. 4. non indignæ, quæ legantur. Præterea missus est ad eundem Imperatorem legatus Christianorum, Athenagoras, philosophus Christianus. Verum, hæc omnia parum adhuc proficere apud Imperatorem videbātur, odio ignotæ religionis accensum, donec deus alia quadam occasione, Imperatorem in alium mentis habitum transformaret. Euenit circa nonum aut decimum imperij eius annum, bellum Marcomanicum: Vicini Marcomannis fuerunt Quadi, Silesij, & partes quædam inter Vratislauiam, & Cracouiam. Apologiæ ad Imperatorem pro Christiana fide. Melito Sardensis Episcopus. Apollinarius Hieropolitanus. Ex Eusēb. lib 4. Athenagoras philosophus, legatus ad Imperatorem pro Christianis. Singulare dei miraculum in reprimenda persecutione tempore M. Antonini philosophi. Bellum Mrcomanicum.

Historia ita habet: Cū M. Antonini exercitus, diebus quinque, aquæ penuria laborasset & milites in angustijs montium Germaniæ, à Quadis circūcluſi, siti propè conficerentur: Imperatorem anxium, & consternatū adijt prefectus prætorij: significans nihil esse, quod Christiani precibus impetrare non possent à deo, & esse in legione duodecima cohortem militum, qui omnes Christum colerent. Ea re cognita, Antoninus petijt ab ijs, vt deo suo supplicarent, quod cum illi, positis in terra genibus, & ad Christum profusis precibus fecissent, subito pluuia largissima diuinitùs missa est, qua, Romani aquam ore & scutis excipientes, recreati sunt. Contra Quadi, alijque Germaniæ populi, aduersis fulminum ictibus percussi, in fugam se dare cogebantur. Preces Christianorum. Pluuia impetrata à deo per Christianos.

Quo miraculo obstupefactus Imperator, Christianos magnis affecit honoribus, & in perpetuam rei memoriam, legionem illam, in qua militabant, nominauit κεραυνόβολον, id est, fulminatricem. Quid quod, extant etiam literæ eiusdem Imperatoris, quibus rem omnem Senatui Romano exponit, & Christianorum precibus diuinum istud beneficium acceptum referendum esse testatur. Credibile est, inquit, Christianos, licèt eos impios existimemus, deum pro munimento habere in pectore. Simul enim atque humi sese abiecerunt, & preces effuderunt, ad ignotum mihi deum, statim è cœlo pluuia delapsa est, in nos quidem frigidissima: in nostros verò hostes, grando & fulmina: eorumque orationibus ac precibus, statim deus præsto fuit, qui neque vinci, neque expugnari potest. Quamobrem, concedamus talibus, vt sint Christiani, nequa tela eius generis, contra nos petant, & impetrent, & autorem me interpono, ne cuiquam religio Christiana vertatur crimini. Quod si quis Christianum detulerit, hoc solo nomine, quòd Christianus sit, volo vt delatus, Christianum se impunè fateatur, si nihil præter religionē ei obijciatur, delator verò eius viuus comburatur. Confessum autem compertum, nolo ad mutandam religionem induci, &c. Legio fulminatrix. Literæ imperatoris ad Senatum pro Christianis.

Exemplar literarum, etsi sine autoris nomine, vnde decerptum sit, in Centur. lib. 3. ad plenum describatur: at præcipua tamen momenta eiusdem epistolæ, extant apud Tertullianum, in Apologetico pag. 588. & ad Scapulam pag. 165. Item, apud Capitolinum Tertullianus in Apologetico & ad Scapulam. Capitolinus.

Dion, Orosius. Eusebius lib. 5. cap. 5.

Capitolinum, Dionem, Orosium, Euseb. lib. 5. cap. 5.

Hac igitur occasione, spacium aliquod respirandi Christianis diuinitus contigit: Interim in reditu à bello Marcomanico, frater & collega Marci Imperatoris, L. Verus, in via moritur. Vnde solus imperauit M. Antoninus, cum pace ecclesiæ Christianæ, per annos 8. postquam regnasset annos 19. vt alij 17.

Mors. L. Veri Imper.

M. Antoninus philosophus obijt anno Imperij 18.

Reliquit is filium, Antoninum Commodum, sed patri longè dissimilem, cuius multa fæda flagitia commemorantur. Scribit Dion, Martiam Commodi pellicem Christianorum studiosam fuisse, & quòd esset apud Commodum magnæ autoritatis, multa in eos beneficia contulisse. Interea sub Commodo, vtcunque incommodus fuisse dicitur, creuit tamen ecclesia, multique floruerunt eo tempore, Romæ, Alexandriæ, & alibi, propheticæ & Apostolicæ doctrinæ interpretes, Theophilus Antioch. Pantenus, Alexand. Apolonius vrbis Senator, qui ab accusatore protractus ad iudicem, rogatusque à iudice rationem fidei suæ apud Senatum reddere, elegantissimam Apologiam, pro fide sua exhibuit, cuius nomine, Senatus decreto, capite truncatus est. Delator verò, ex sententia Perennij iudicis, fractis cruribus punitur, eò quòd delatores Christianorum, data ab imperatore lege, vti uere non sinebantur. Quin nec Senatus ipse, hoc Martyrocidium diù impunè tulit. Siquidem non multò post ferente, nescio qua occasione, Imperatoris iussu, multi ex Senatoribus, alijque viri nobiles, per Perennium præfectum interfecti sunt. Post biennium deindè Perennius & ipse à militibus laceratus est, cui successit in præfecturam Cleander, qui & ipse ab Imperatore, neci mandatur. Post hæc Commodus, vbi regnasset annos 12. menses 9. per præfectum Lætum & concubinam Martiam, propter mortis metum, quam Imperator eis intentabat, nocte strangulatus est.

Ex Dione.

Theophilus, Antiochenus, Pantænus.

Alexand. Apolonius, Martyr.

Delator Apollonij perennius

Index Senatus.

Iusta dei vindicta in Delatorem, in perennium iudicē, in Senatores, post martyrocidium Apollonij.

Commodus Imp. regnauit annos 12. menses 9. strangulatus.

Decursa hucùsque tempora Romanæ monarchiæ, ab Augusto, ad M. Antoninum philosophum, Commodi patrem, etsi dura satis videri queant, at, quæ posteriora secuta sunt tempora, si spectemus, longe his acerbiora comperiemus: in quibus, & plura & tetriora monstra regnarunt. Sequutæ sunt enim assiduæ seditiones, & multa bella ciuilia, nobilitas deleta est, partim, à tyrannis, partim à bellis ciuilibus. Exercitus ex barbaris gentibus collecti, disciplina vetus extincta, magistratuum & militum in prouincijs rapacitas, & libidines creuerunt &c.

Post M. Antoninum philosophum tempora Romanæ monarchiæ in deterius prolapsa iusto dei iudicio.

Commodo interempto, successit Pertinax, imperauit diebus 87. occisus à militibus, iuxta quosdam, à Læto præfecto, qui & Commodum peremerat.

Pertinax Imperator diebus 87. occisus.

Hinc Didius Iulianus, imperium à militibus commercatus, tenuit diebus 65. verum ob promissa nō seruata, cum in odium venisset apud milites, mox illi in Pannonia Imperatorem appellarunt Seuerum.

Didius Iulianus Imperator, occisus.

Ita Seuerus Imperator successit, interfecto Iuliano. Præfuit imperio, annos 18. Testatur Tertullianus, in libro ad Scapulam, non æquum, & beneficium solum Christianis, aliquot annis Seuerum fuisse, verum etiam, vulgo in eos furenti palam restitisse. Tandem verò motus fortasse, non tam animo suo, quàm criminibus ab insana plebe obiectis, & per Præfectos prouinciarum instigatus, tristem contra Christianos persecutionem exercuit, quæ quinta à Nerone dicitur. Quo factum est, vt qui prius magna imperij felicitate sit vsus, post ceptam dehinc persecutionem, successibus destitutus, continuis periculis, belliciſque tumultibus implicitus, exitum tandē vitæ, Eboraci, in Britannia sortitus est: licet minus cruentum, at eiusmodi tamen, vt præ vehementia dolorum, & membrorum concussione, venenum sibi dari, vehementer expeteret.

Seuerus Imp. Ex Tertull. ad Scapulam.

Quinta persecutio.

Seueri mors misera.

Antoninus Bassianus Caracalla Imperator fratricida occisus.

Antoninus Bassianus Caracalla, post sextum Imperij annum, & menses 2. occisus est. Vnâ cū eo imperauit eius frater Septiminus Geta. Quem crudelissimus Caracalla, in gremio suæ matris hærentem, primo Imperij anno, obtruncauit. Eam cædem iussus postea excusare Papinianus iure consultus, apud Senatum, recusauit, dicti-

Geta frater Imperatoris 1. anno obtruncatus.

Papinianus iureconsultus vir

tans: non tam facile esse parricidium excusare, quam patrare.

Ideoque

Idéoque iussu Imperatoris, securi percussus est, quòd causam iniustam defendere noluisset. Demum vbi multorum præstantium virorum sanguine Imperator se polluisset, occisus est consilio Macrini, à Satellite, cum fratrem ipse interfecerat.

constans iniuste occisus. Ex Spartano. Mors Antonini Bassiani fratricidæ.

Macrinus, occiso Caracalla, imperauit cum filio Diadumeno menses 14. qui paulo post necem sui filij, occisus est ipse ab exercitu.

Macrinus cum filio Diadumeno Imperator occisus.

Antoninus Heliogabalus annos 2. menses 7. regnauit. Is militari tumultu, cum Matre Semiamira interficitur. Fecerat is Cæsarem consobrinum Alexandrum, persuasus à matre, & Mammæa. Quem posteà, missis militibus, trucidauit. Hoc cum Prætorij milites resciuissent, qui Alexandri mores probabant, ipsum Heliogabalum in Cloaca, in quam fugerat, interimerunt: postea tractum per circum carnifices in Tyberim proiecerunt. Deinde & mater Soæmis, seu Semiamira, & multi scelerum ministri, interfecti sunt.

Heliogabalus Imperator, cum matre interfectus. Alexander Cæsar consobrinus Heliogabali, occisus. Heliogabalus parricida in Cloaca interfectus. Alexander Seuerus Imperator laudatissimus cum matre Mammæa fœmina Christiana interemptus.

Alexander Seuerus, qui proximo loco, post Heliogabalum, imperium sortitus est, regnauit annos 13. Fuit princeps laudatissimus, & Reipublicæ vtilissimus, sub quo res bene se & tranquillè habuerũt. Amauit literatos homines, nec minus & ipse literatus, delegit ex Senatu, & ex doctis viris, præcipuos, excellentes sapientia, & virtute, quos ad consilia adhibuit, & ad familiaritatem. Dictum ab eo sæpius repetitum, & publicè promulgatum fertur: Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Homines fugientes, & recusantes, traxit ad officia, dictitans: Inuitos, non ambientes, in Rempub. collocandos. Nihil fecit asperius, toto imperij sui tẽpore, quàm quòd fumo necauit Thurinum Verconium, quia solitus esset fumos vẽdere, & responsa Imperatoris confingere accepta pecunia, cum causas nunquam ad Imperatorem retulisset. In eos qui corrupti pecunia iniustè iudicabant, aliquando acrior erat, sæpe hunc versum recitans. Ὁ πολλὰ κλέψας, καὶ ὀλίγα δοῦς, ἐκρεύξεται.

Virtutes Alexandri Seueri. Inuiti non ambientes trahẽdi ad officia. Thurinus fumi venditor.

Notarium, in consilio Imperatorio, falsa referentem, incisis digitorum neruis, deportauit. A Christiana pietate quàm non fuit alienus, illud arguit: quòd cum Christiani locum quendam, qui publicus fuerat, occupassent, & popinarij dicerent, sibi eum deberi, rescripsit, melius esse, vt quomodocunque deus ibi colatur, quàm locus popinarijs dedatur.

Ex Lampridio. Ex Herodiano.

Scribit Herodianus, eum gessisse Imperium ἀναίμακτον. Mater eius fuit Mammæa, mulier Christiana, quæ Origenem, ob doctrinæ excellentiam, tum celebrem, accersiuit, & doctrinam religionis ex eo didicit. Hic Alexander, cum sine subditorum querela, annos imperasset 13. & menses 3. Moguntiæ à militibus, opera & consilio ducis cuiusdam, Maximini, vnà cum matre Mammæa obtruncatus est.

Imperium Alexãdri Seueri ἀναίμακτον, in cruentum. Alexander Seuerus vna cum matre nefarie per Maximinũ obtruncatus.

Maximinum hunc, homicidâ natione Thracem, corpore robustum, & præuasidũ, Alexander Imperator ob militare robur, & gigantæam corporis molem, in delitijs habuit, sed in suam perniciem, vereque, quòd aiunt, viperam in sinu alens. Maximinus ergo cum Imperator factus est, absque omni Senatus authoritate, sola militum voluntate, & studio, conatus est sibi stabilire Imperium, non iustitia, sed sæuitia, quo nulla vnquam pestis reipub. visa est grauior. Neque enim in castris solum contra milites crudelitatem exercuit, sed etiam Romæ Senatores delatos, cito multos interfecit, multis facultates eripuit: Quoscunque voluit, indicta causa, interemit. Alij eum Cyclopem, alij Busiridem, alij Antæum propter sæuitiam nominarunt. Ab hoc Cyclope, sexta persecutio contra Christianos, tum maximè contra Ecclesiarum rectores excitata est, quæ tamen cum imperio, & vita eius cito disparuit. Cum igitur ob sæuitiam exosus esset, milites in Africa, duos Gordianos, patrem, & filium Imperatores, constituerunt, non sine consensu tamen Senatus, qui mensem vnum regnarunt.

Maximinus Maximini. Cyclops. Seuitia Maximini. Sexta persecutio. Gordianus pater cum filio Imperatores interfecti post vnum mensem

Erat Gordianus pater Octogenarius, vir summa modestia & iustitia laudatissimus,

Maximinus iudicatus hostis.

Gordianus tertius imper. cũ duobus Consularibus Pupieno, & Cælio.

Maximinus Imp. cum filio interfectus annos non tres imperauit Ex Capitolino

simus, nec minus charus omnibus: Oppressi sunt tamen post mensem, duo hi Gordiani, à Capelliano duce Maximini. Quorum audita nece, Senatus illico Maximinum iudicauit hostem, & Imperatorem fecit Gordianum tertium, adiunctis duobus Consularibus Pupieno Maximo, præfecto vrbis, & Celio Balbino.

Maximinus iratus senatui, & Romam ducturus exercitum, in via retinetur, ad Aquileiam, quæ eum recipere noluit. Hanc cum obsideret, cum filio Maximino, quem Cæsarem designasset, & fames in castris esset, milites cognita voluntate Senatus, medio die, quiescentem in tentorio Maximinum patrem vix triennio imperij expleto, deinde & filium interfecerunt, conclamantibus cunctis, militari ioco: Ex pessimo genere, ne catulum quidem relinquendum. Non fuit, inquit Capitolinus, crudelius animal in terris, omnia sic in viribus suis ponens, quasi non posset occidi: cũque se ob magnitudinem corporis, propè immortalem crederet, quidam in theatro præsente ipso, versus hos Græcos recitauit.

Qui ab vno occidi non potest, à multis potest.
Elephas grandis est, & occiditur.
Leo fortis est, & occiditur.
Tigris fortis est, & occiditur,
Caue multos, si singulos non times.

Pupienus & Balbinus Imp. interfecti.

Gordianus Imper. occisus anno Imp. 6. Ex Iul. Capitolino.

Philippus Imperator cum Philippo filio occisus.

Ex Eusebio.

Decius Imper. cũ filio Decio, ann. 2.

Filius occisus pater extinctus in palude.

Septima persecutio.

Gallus Imp. cũ filio Volusiano, obtruncatus.

Ex Eutropio & Læto.

Emilianus Imp. post tres menses interficitur.

Valerianus Imp crudelis persecutor, captus à Sapore Persa, vinctus, ludibrijs omnibus expositus, regi in equum ascensuro pro scabello subijcitur, ac demum occiditur.

Cum autem Græce loquentem, non intelligeret Maximinus, & interroganti alia sententia redderetur, euasit Minus sine supplicio.

Occisis Maximinis apud Aquileiam, vt dictum est, Pupienus, & Balbinus, qui eũ Gordiano adiuncti sunt in imperio à Senatu, paulo post, Romæ à prætorianis militibus, in seditione interfecti sunt.

Vnde in Gordianum solum Imperij maiestas recidit, qui postquã imperasset annos 6. à Philippo præfecto prætorij, ab imperio deturbatus est, deinde interfectus.

Philippus, necato Gordiano, regnum cum filio suo Philippo potitur. Hic primus ex Christiano nomine Imperator fuit. Cum autem in paschate, vt narrat Eusebius, ad cœnam dominj accessurus esset, non admissus est à Romano Episcopo, Fabiano, priusquam inter alios, peccata confitentes staret, & pœnitentiæ signa ederet, & emendationẽ promittere, sicut mos erat reorum, videretur. Regnauit annos 5. Demum odio Christiani nominis, defecit ab eo Decius, qui regebat exercitum, in Illyrico. Vbi cum Imperator nominatus esset, aduersus eum expeditionem Philippus suscepit: sed Veronæ à suis militibus interficitur. Romæ filius Philippus à Prætorianis trucidatus est.

Decius Imperator, acerrimus Christianorum hostis, cum filio Decio Cæsare, gubernauit annos 2. atrocem in ciuitate dei persecutionẽ commouit, quæ septima post Neronem numeratur. In qua martyrium subijt Fabianus Romanus Episcopus, in vrbe Ierosolyma Alexander, Antiochiæ Babylas senex cum tribus filijs, qui iussi sacrificare Idolis, noluerunt: Item Laurentius, & Apollonia virgo, multaque alia Christianorum agmina. In posteriori prælio cum hostibus, dimicans filius Decij, in prima acie interficitur: Pater ira & dolore longius procedens, in palude absorptus est, vbi quæsitum eius cadauer, nusquam repertum est.

Galli res initio sat felicitèr habuerunt. At postquàm persecutionẽ, quasi per manus acceptã continuauit, pulsis pijs doctoribus, nec prosperè, deindè nec diu regnauit. Siquidem biennio nondum exacto, & ipse, & Volusianus filius in regiam sanctitatem nuper ascitus, in bello aduersus Aemilianum, à militibus deserti trucidantur: Quin nec Aemiliano auspicatius contigit Imperium, qui cum tribus regnasset mensibus, desertus à suis militibus, ad Valerianum confugientibus, interficitur. Quid de Valeriano dicam, de eius persecutione, & horrendis pœnis? Qui post multas, & graues æditas in populum Christianum cædes, & persecutiones, vbi regnasset cum filio Galieno septennium, captus à Sapore Persarum rege, ac Scabellum regi in equum ascensuro factus, miser in abiectissima captiuitate ferreis cancellis inclusus con-

consenuit. Alij excoriatum eum affirmant: Quidam paucorum conspiratione interfectum dicitur. In octaua hac persecutione Sixtus Romæ, Carthagine Cyprianus martyrio sublati sunt, præter alios, innumera penè multitudine.

Octaua persecutio.

Nec multo felicius res cessit Licinio Galieno, eius filio, qui cum persecutionis socius, antea cum patre fuerat, & publicas calamitates, & priuatam Dei in se vindictam superioribus, suisque temporibus, prouocatam, ipse cum aliis expertus est. Solutus quippè ocio, luxu, lasciuia, parum abfuit, quin vniuersam rempublicam pessundedit: Nulla pars erat Imperij, nulla prouincia (vna Italia excepta) in qua non sit tumultuatum, totque rebelliones extitere, tot tyranni hinc inde commoti in rebellionem, quot à Cæsare dictatore, ad id tempus, in tam longa Imperatorũ serie ferè nunquã. Ex quibus triginta numero à Trebellio, & Pomponio ponuntur, qui vno tempore, alij, alijs in terris exercuere imperium: in quibus fœminæ etiam quædam, Romano nomini illusere. Galienus tandem cum filio Valeriano Mediolani occisus est.

Licinius Galienus filius Valeriani Imp. occisus cum Valeriano filio.

Triginta simul rebelliones totidemque imperatores sub Galieno Imperatore.

Ex Trebellio

Ex Pomponio.

Galienus Imp. cum filio occisus.

Flauius Claudius post eum Imp. biennium non integrum expleuit.

Flauius Claudius Imp. annos non duos.

Aurelianus princeps, truculentus, & sanguinarius, sororis suæ filiam leui de causa occidit. Imperium per annos 5. tenuit. Sub hoc Aureliano, nona persecutio indicta aduersus Christianos dicitur: sed morte eius iterum interrupta, & impedita. Idèoque inter 10. persecutiones, à quibusdam non numeratur; fulmine enim impeditus, scelus, quod destinauit, persequi non audebat.

Aurel. Imp. an. 5. fulmine impeditus.

Tacitus imperauit menses 6. à militibus occisus. Huic succedit Probus Imperator, cui tribuuntur anni 6. menses 4. Is tumultu militari interemptus est.

Nona persecutio.

Tacitus Imper. menses 6. occisus.

Probus Imperat. annos 6, menses 4. interemptus.

Post hunc Carus, & filij eius Carinus, & Numerianus, imperium annis tribus non plenis occupant: Carus pater fulmine absumptus: Numerianus ab Apro socero suo interemptus: Carinus multis prælijs confligens cum Diocletiano, victus occubuit.

Carus cinsque filij Carinus, & Numerianus. Imp. ann. 3.

Carus Imp. fulmine absumptus.

Numerianus interfectus.

Carinus victus, occisus.

Diocletianus susceptо dehinc Imperio, Maximilianum Herculium consortem sibi adiunxit imperij, qui in Occidente gubernaret, sæuum ac truculentum Christianorum carnificem. Diocletianus 19. imperij sui anno, in immanissimum degenerans tyrannum, ad summam crudelitatem nihil reliquum fecit, quin omnibus machinis & tormentis nomen Christi è terris deleret, edicta cruentissima contra ecclesias promulgauit, quæ de tollendis Christianis adeò exasperata sunt, vt vno mense, ferantur occisa 7000. martyrum, exceptis exulibus: Euseb.

Diocletianus & Maximilianus Herculius Imperatores.

Decima persecutio, ann. 19. Diocletiani incipit.

De hac laniena ita scribit Sulpitius: Hac tempestate, inquit, omnes ferè sacro Martyrum cruore orbis infectus est. Quippe certatim gloriosa in certamina ruebatur, multoque auidius Martyria tum gloriosis mortibus quærebantur, quàm nunc Episcopatus prauis ambitionibus appetuntur. Nullis vnquam bellis, mundus magis exhaustus est, neque maiori vnquam triumpho vicimus, quàm cum decem annorum stragibus, vinci non potuimus: Hæc ille. Sed neque hîc defuit opportuna Dei prouidentia: siquidem à decimo nono anno, quem dixi, Diocletiani, quo cœpta est primum hæc persecutio, vix effluxit biennium, quin Diocletianus cum collega Maximiniano, imperium abdicare, ac purpuram ponere, ferente dei prouidentia, cogebantur. Maximinianus postea & Galerius, ad recipiendum imperium sedulo Diocletianum cohortati, permouere eum nullo modo quibant. Post abdicationem vixit Docletianus Ann. 9 Maximinianus quadriennio post Constantini iussu, cuius neci insidiabatur, strangulatus est. Diocletianus cum à Constantino, & Gallerio minaces accepisset literas, quòd Maxentio, & Licinio fauisset, metuens ignominiosam mortem, è poto veneno, mortem sibi consciuit, anno post abdicationem 9.

Ex Sulpitio.

Ingens Martyrum multitudo sublata sub decima persecutione.

Diocletianus, & Maximinianus imperio abdicati post secundum persecutionis annum.

Maximinianus Herculius exsul.

Diocletianus sumpto veneno mortem sibi consciuit.

Subierunt in eorum locum mox post abdicationem, Constantius, & Galerius

Constantius &

Maximinus iudicatus hostis. Gordianus tertius imper. cũ duobus Consularibus Pupieno, & Cælio.

simus, nec minus charus omnibus: Oppressi sunt tamen post mensem, duo hi Gordiani, à Capelliano duce Maximini. Quorum audita nece, Senatus illico Maximinum iudicauit hostem, & Imperatorem fecit Gordianum tertium, adiunctis duobus Consularibus Pupieno Maximo, præfecto vrbis, & Celio Balbino.

Maximinus Imp. cum filio interfectus annos non tres imperauit. Ex Capitolino

Maximinus iratus senatui, & Romam ducturus exercitum, in via retinetur, ad Aquileiam, quæ eum recipere noluit. Hanc cum obsideret, cum filio Maximino, quem Cæsarem designasset, & fames in castris esset, milites cognita voluntate Senatus, medio die, quiescentem in tentorio Maximinum patrem vix triennio imperij expleto, deinde & filium interfecerunt, conclamantibus cunctis, militari ioco: Ex pessimo genere, ne catulum quidem relinquendum. Non fuit, inquit Capitolinus, crudelius animal in terris, omnia sic in viribus suis ponens, quasi non posset occidi: cũque se ob magnitudinem corporis, propè immortalem crederet, quidam in theatro præsente ipso, versus hos Græcos recitauit.

Qui ab vno occidi non potest, à multis potest.
Elephas grandis est, & occiditur.
Leo fortis est, & occiditur.
Tigris fortis est, & occiditur,
Caue multos, si singulos non times.

Pupienus & Balbinus Imp. interfecti. Gordianus Imper. occisus anno Imp. 6. Ex Iul. Capitolino.

Cum autem Græce loquentem, non intelligeret Maximinus, & interroganti alia sententia redderetur, euasit Minus sine supplicio.

Occisis Maximinis apud Aquileiam, vt dictum est, Pupienus, & Balbinus, qui eũ Gordiano adiuncti sunt in imperio à Senatu, paulo post, Romæ à prætorianis militibus, in seditione interfecti sunt,

Philippus Imperator cum Philippo filio occi us. Ex Eusebio.

Vnde in Gordianum solum Imperij maiestas recidit, qui postquã imperasset annos 6. à Philippo præfecto prætorij, ab imperio deturbatus est, deinde interfectus.

Decius Imper. cũ filio Decio, ann. 2. Filius occisus pater extinctus in palude. Septima persecutio.

Philippus, necato Gordiano, regnum cum filio suo Philippo potitur. Hic primus ex Christiano nomine Imperator fuit. Cum autem in paschate, vt narrat Eusebius, ad cœnam dominj accessurus esset, non admissus est à Romano Episcopo, Fabiano, priusquam inter alios, peccata confitentes staret, & pœnitentiæ signa ederet, & emendationẽ promittere, sicut mos erat reorum, videretur. Regnauit annos 5. Demum odio Christiani nominis, defecit ab eo Decius, qui regebat exercitum, in Illyrico. Vbi cum Imperator nominatus esset, aduersus eum expeditionem Philippus fuscepit: sed Veronæ à suis militibus interficitur. Romæ filius Philippus à Prætorianis trucidatus est.

Gallus Imp. cũ filio Volusiano, obtruncatus. Ex Eutropio & Læto.

Decius Imperator, acerrimus Christianorum hostis, cum filio Decio Cæsare, gubernauit annos 2. atrocem in ciuitate dei persecutionẽ commouit, quæ septima post Neronem numeratur. In qua martyrium subijt Fabianus Romanus Episcopus, in vrbe Ierosolyma Alexander, Antiochiæ Babylas senex cum tribus filijs, qui iussi sacrificare Idolis, noluerunt: Item Laureptius, & Apollonia virgo, multaque alia Christianorum agmina. In posteriori prælio cum hostibus, dimicans filius Decij, in prima acie interficitur: Pater ira & dolore longius procedens, in palude absorptus est, vbi quæsitum eius cadauer, nusquam repertum est.

Emilianus Imp. post tres menses interficitur.

Galli res initio sat feliciter habuerunt. At postquam persecutionẽ, quasi per manus acceptã continuauit, pulsis pijs doctoribus, nec prosperè, deindè nec diu regnauit. Siquidem biennio nondum exacto, & ipse, & Volusianus filius in regiam societatem nuper ascitus, in bello aduersus Aemilianum, à militibus deserti trucidantur: Quin nec Aemiliano auspicatius contigit Imperium, qui cum tribus regnasset mensibus, desertus à suis militibus, ad Valerianum confugientibus, interficitur. Quid de Valeriano dicam, de eius persecutione, & horrendis pœnis? Qui post multas, & graues æditas in populum Christianum cædes, & persecutiones, vbi regnasset cum filio Galieno septennium, captus à Sapore Persarum rege, ac Scabellum regi in equum ascensuro factus, miser in abiectissima captiuitate ferreis cancellis inclusus con-

Valerianus Imp crudelis persecutor, captus à Sapore Persa, vinctus, ludibrijs omnibus expositus, regi in equum ascensuro pro scabello subijcitur, ac demum occiditur.

consenuit. Alij excoriatum eum affirmant: Quidam paucorum conspiratione interfectum dicitãt. In octaua hac persecutione Sixtus Romæ, Carthagine Cyprianus martyrio sublati sunt, præter alios, innumera penè multitudine.

Octaua persecutio.

Nec multo felicius res cessit Licinio Galieno, eius filio, qui cum persecutionis socius, antea cum patre fuerat, & publicas calamitates, & priuatam Dei in se vindictam superioribus, suisque temporibus, prouocatam, ipse cum aliis expertus est. Solutus quippè ocio, luxu, lasciuia, parum abfuit, quin vniuersam rempublicam pessundedit: Nulla pars erat Imperij, nulla prouincia (vna Italia excepta) in qua non sit tumultuatum, totque rebelliones extitere, tot tyranni hinc inde commoti in rebellionem, quot à Cæsare dictatore, ad id tempus, in tam longa Imperatorũ serie ferè nunquã. Ex quibus triginta numero à Trebellio, & Pomponio ponuntur, qui vno tempore, alij, alijs in terris exercuere imperium: in quibus fœminæ etiam quædam, Romano nomini illusere. Galienus tandem cum filio Valeriano Mediolani occisus est.

Licinius Galienus filius Valeriani Imp. occisus cum Valeriano filio.
Triginta simul rebelliones totidemque imperatores sub Galieno Imperatore.
Ex Trebellio
Ex Pomponio.
Galienus Imp. cum filio occisus.

Flauius Claudius post eum Imp. biennium non integrum expleuit.

Flauius Claudius Imp. annos non duos.

Aurelianus princeps, truculentus, & sanguinarius, sororis suæ filiam Iouis de causa occidit. Imperium per annos 5. tenuit. Sub hoc Aureliano, nona persecutio indicta aduersus Christianos dicitur: sed morte eius iterum interrupta, & impedita. Ideoque inter 10. persecutiones, à quibusdam non numeratur; fulmine enim impeditus, scelus, quod destinauit, persequi non audebat.

Aurel. Imp. ann. 5. fulmine impeditus.

Tacitus imperauit menses 6. à militibus occisus. Huic succedit Probus Imperator, cui tribuuntur anni 6. menses 4. Is tumultu militari interemptus est.

Nona persecutio.
Tacitus Imper. menses 6. occisus.
Probus Imperat. annos 6. menses 4. interemptus.

Post hunc Carus, & filij eius Carinus, & Numerianus, imperium annis tribus non plenis occupant: Carus pater fulmine absumptus: Numerianus ab Apro socero suo interemptus: Carinus multis prælijs confligens cum Diocletiano, victus occubuit.

Carus eiusque filij Carinus, & Numerianus. Imp. ann. 3.
Carus Imp. fulmine absumptus.
Numerianus interfectus.
Carinus victus, occisus.

Diocletianus suscepto dehinc Imperio, Maximilianum Herculium consortem sibi adiunxit imperij, qui in Occidente gubernaret, sæuum ac truculentum Christianorum carnificem. Diocletianus 19. imperij sui anno, in immaniss imum degenerans tyrannum, ad summam crudelitatem nihil reliquum fecit, quin omnibus machinis & tormentis nomen Christi è terris deleret, edicta cruentissima contra ecclesias promulgauit, quæ de tollendis Christianis adeò exasperata sunt, vt vno mense, ferantur occisa 7000. martyrum, exceptis exulibus: Euseb.

Diocletianus & Maximilianus Herculius Imperatores.
Decima persecutio, ann. 19. Diocletiani incipit.

De hac laniena ita scribit Sulpitius: Hac tempestate, inquit, omnes ferè sacrò Martyrum cruore orbis infectus est. Quippe certatim gloriola in certamina ruebatur, multoque auidius Martyria tum glorioss mortibus quærebantur, quàm nunc Episcopatus prauis ambitionibus appetuntur. Nullis vnquam bellis, mundus magis exhaustus est, neque maiori vnquam triumpho vicimus, quàm cum decem annorum stragibus, vinci non potuimus: Hæc ille. Sed neque hîc defuit opportuna Dei prouidentia: siquidem à decimo nono anno, quem dixi, Diocletiani, quo cœpta est primum hæc persecutio, vix effluxit biennium, quin Diocletianus cum collega Maximiniano, imperium abdicare, ac purpuram ponere, ferente dei prouidentia, cogebantur. Maximinianus postea & Galerius, ad recipiendum imperium sedulo Diocletianum cohortati, permouere eum nullo modo quibant. Post abdicationem vixit Docletianus Ann. 9. Maximinianus quadriennio post Constantini iussu, cuius neci insidiabatur, strangulatus est. Diocletianus cum à Constantino, & Gallerio minaces accepisset literas, quòd Maxentio, & Licinio fauisset, metuens ignominiosam mortem, è poto veneno, mortem sibi consciuit, anno post abdicationem 9.

Ex Sulpitio.
Ingens Martyrum multitudo sublata sub decima persecutione.
Diocletianus, & Maximinianus imperio abdicati post secundum persecutionis annum.
Maximinianus Herculius cæsus.
Diocletianus sumpto veneno mortem sibi consciuit.

Subierunt in eorum locum mox post abdicationem, Constantius, & Galerius

Constantius &

Gal. Maximianus Imp. Constantius & Maximinus Cæsares.

us Maximinianus: qui Cæsares sub se substituerunt, Constantius Constantinum filium, Galerius Maximinum. Regnauit Constantius Cæsar annos 15. post assumptum verò imperium, annos 2. propensus Christianorum patronus. Obijt tandē Eboraci: Galerius Maximinianus cōllega Constantij, capitalis ecclesiæ hostis, Cæsar annis 21. Augustus imperauit annos 7.

Constantij obitus in Eboraco.

Inter hæc Romæ Maxentius, Maximiniani Herculij filius, tumultu militari, Augustus appellatus, inuasit imperium, imperauitq; septēnio, suma cū immanitate.

Maxentius imperiū Romæ adeptus an. 7.

Paulo post Galerius Maximinianus, vermibus scatens, & vlcere fetens, agnoscensque dei manum, rabiendi demum finem fecit, qui morbo demum consumptus, perijt. Imperium itaque Romanum, hoc tempore inter quatuor principes diuisum est, quorum vnus Constantinus Christianis fauit, tres reliqui Galerius, Maximinus, & Maxentius, eos hostili tyrannide Christianos adflictabant.

Galerius Maximinianus vermibus exesus.

Constantinus, Galerius, Maximinus, Maxentius.

Ex tribus his Maxentius, cum Romanos, tum maximè Christianos, Imperio tyrannico duriter premeret, Constantinus, missis è Roma legatis, qui opem ab illo exposcerent, cœpit primum hac de re animo cogitare. In hac deliberatione, contigit ostentum mirabile, quod ipse postea, addito iureiurando, alijs recitare consueuerat. Etenim die quadam, post meridiem, vergente sole, vidit columnam lucidam, crucis specie, in cœlo fulgentem, cum hac inscriptione: In hoc Vince: Per somnum etiam Christus ei adparens, monet, vt crucis signo pro vexillo, vteretur. Quod cum fieri curasset, cum Maxentio congreditur, copias illius omnes prælijs aliquot fudit. Maxentius obuiam ei factus, in fuga apud Pontem Miluium, cum exercitu, flumine subuersus disperijt.

Maxentius Imper. eiusque subuersio.

Signum victoriæ Constantino ostensum a Christo.

Victoria Constantini contra Maxentium.

Maxentius, ad exemplum Pharaonis in gurgite submersus.

Maximinus Orientis tyrannus, & Christianorum hostis asperrimus, aduersus Licinium ducens, Tharsi, acerbissimis corporis cruciatibus repentè correptus, & atroci liquescentium membrorum ardore consumptus, eodem ferè mortis genere, quo Galerius, interijt, cum quadriennio Cæsar, triennio Augustus, imperasset.

Maximinus, maximis mēbrorum cruciatibus adesus, perijt.

Licinius Constantiam Constantini sororem in vxorem habuit, qui inito cum Constantino fœdere, Christianis amicus esse aliquandiu cœpit, mox pactorum oblitus, persecutionem in Christianos molitur. Quem per literas, officij mouens Constantinus, nihil profecit. Permotus itaque lachrymis, & precibus piorum Constantinus, comparato contra eum exercitu, Licinium eò adegit, vt tribus prælijs victus imperio se abdicaret. Salute verò ei impetrata, per Constantiam vxorem, Thessalonicæ priuatus vixit. Non ita tamen desistens Licinius, circa sequentis anni initium, nouas insidias iterùm contra Constantinum molitus, obtruncatur.

Ex Euſebio & Vict. & alijs.

Licinius Christianis inimicus.

Licinius tribus prælijs victus a Cōstantino.

Licinius contra Constantinum iterum rebellans occiditur.

Extinctis, hunc in modum, sex hostibus Christianorum, Diocletiano, Maximiniano, Herculio, Galerio Maximiniano, Maxentio, Maximino, & Licinio, solus Constantinus rerum summa potitur.

Constantinus solus Imper.

Atque hæc hactenus de tempore primarum persecutionum, de Imperatoribus eorumque pœnis, iustissima dei retributione, irrogatis.

Quæ omnia, si ritè inspiciantur, haud difficilem præbent coniecturam, quid de mari in sanguinē verso, quid de piscibus, in oceano mortuis intelligendā sit. Quòd si enim bestia illa, de mari ascendens, Romanam monarchiam necessario significat, dubitari certè non potest, quin mare, in quo sedet bestia, pro sedē ipsius, seu pro populis, Romano imperio subiectis, eadem necessitate accipiatur. Quod si verum sit, haud difficile hinc fuerit existimare, quid per sanguinariam maris conuersionem, quid per pisces in mari mortuos, intelligatur. Quid enim ænigma hoc aliud innuere potest, quàm vt Romana bestia consimili retributione, dignas à deo pœnas exoluat, ob sanguinem iustorum hominum iniustissime effusum.

Bestia è mari ascendens.

Mare sedes bestiæ.

Cæterum excipiet hîc forsan aliquis, non respondere similitudinem, de mari, & Romana sede. Nam vt verum sit, plerosque Imperatores, pœnas dedisse

Obiectio Catholicorum.

suæ

ſuæ crudelitatis, in profundendo Martyrum ſanguine, at nihilo minus, ſedes Romani imperij inconcuſſa permanſit, atque etiamnum manet, vigetque.

His, qui pro ſede beſtiæ hæc diſputant, quid dicam, niſi quòd ſuam ipſi produnt inſcitiam, & perdunt cauſam, quos ſeries ipſa temporum, rerumque anteactarum hiſtoria manifeſtè redarguit. Primum quod de ſede Romani imperij illabefacta afferunt: falſum eſt. Deinde quod Romanam ſedem negant ſedem eſſe beſtiæ, haud minus falſum & illud: quod abundè à nobis iam ante, in capite 13. idoneis argumentis commonſtratum eſt. Reſponſio ad Catholicos. Falſum. Falſum.

Ad rem præſentem redeamus. Beſtia aſcendit de mari: Verum. Mare poſtea concreuit in ſanguinẽ: Certè. Piſces omnes καὶ τὰ τῶν ἰχθύων, in mari mortua ſunt: Negari non poteſt. Iam verò marina hæc in ſanguinẽ conuerſio, piſciumque interitus, quid aliud indicat, quid loquitur, niſi cruentam dei vindictã in vlciſcendo ſuorum ſanguine? Haud dubium eſt. Age, & quid aliud teſtantur tot exempla diuinæ iracundiæ, plenis velut phialis, effuſæ in Romanam ſedem? ſingulos ſpectemus Cæſares, qui omnes ferè in ſuo cæſi ſanguine perierunt, tum præcipue, ſi tempus aduertamus Maxentij, in quo, non vnus modò Imperator, ſed vniuerſum, vt ita dicam, corpus ſedeſque beſtiæ, pariter cum Maxentio, in vndas corruens, vno eodemque die, ſuo ſanguine præfocata, diſperijt. Mare, ſedes beſtiæ. Diuina iracũdia effuſa in Romanam ſedem. Maxentius Imperator cũ militibus in vndis ſubmerſus perijt.

In quo tamen admonendus eſt pius lector, vt quum mare in ſanguinem audiat contabeſcere: piſceſque emortuos, ne id ita accipiat, ac ſi Romanum imperium penitus iam extinctum, populoſque imperij omnes delendos putet. Cum imperium Romanum dico, non externam reipub. politiam, ſed ſedem ſolum beſtiæ, intelligo. Eſt autem beſtia nihil aliud, niſi vis & furor Satanæ, quo agitati Imperatores Ethnici, Chriſtum oppugnant in membris ſuis. Sic ſedes beſtiæ populus eſt, cœtuſque malignantium, vbicunque cum beſtia conſpirans, contra Chriſtum. Sedes beſtiæ quid ſit.

Vt igitur compertius res eluceat, adhibenda diſtinctio eſt, ita vt non Romas duas ſtatuamus, ſed vt gemina vrbis Romæ conditio conſideretur. Eſt enim Roma perſequens: Eſt & Roma fauens. Perſequens Roma illa dicitur, in qua beſtia Romana, nacta ex Satana poteſtatem, cunctas orbis prouincias, in odium ſanctæ Ciuitatis concitauit. Atque hi vt plurimum fuderunt Chriſtiani ſanguinis: ita nec ipſi rurſus inulti, vindicem dei potentiam, effugerunt. Siquidem ex omni Imperatorum numero, poſt Neronem, vt nullus eſt ferè (ſi tres aut quatuor excipias) qui in ſuo cadens ſanguine, violenta manu non occubuit: ita Maxentij tempore vniuerſa ſimul beſtiæ poteſtas, in Tyberim flumen corruens, Pharaonis exemplo, demerſi in rubro mari, cum ſuis turmis deleta eſt. Non quòd vrbs ipſa extincta ſit, ſed quòd perſecutio vrbis cum perſecutoribus, finem acceperit, victus vinctuſque ſit Satan, vſque ad annos mille, donec iterum ſolutus, veterem potentiam, ad modicum tempus, recuperauit. Exhauſta hoc modo ſecunda phiala, de tertia nunc, quid agat, quid effundat, prophetam audiamus. Vrbis Romæ duplex conſideratio. Roma perſequens. Roma fauens. Sedes Romana inimica populo dei. Sanguis ſanguine vindicatur. Poteſtas perſequendi beſtiæ adempta. Exemplum Pharaonis demerſi in mari rubro.

4 *Et tertius Angelus effudit phialam ſuam in flumina, et in fontes aquarum, et facta ſunt ſanguis.*

Quod ſi mare in ſanguinem rubricatum, Romanos perſecutores ſignificat, vt dictum eſt, pari ratione & de fluminibus ſentiendum videtur. Sicut Oceanus ipſe ſedem Romanæ beſtiæ repræſentans in ſanguinem contabuit: idem & minoribus prouinciis, præfectiſque prouinciarum accidiſſe, haud dubium eſt: Capite enim conuulſo, membra ſubſiſtere non poſſunt. Quoniam autem ita deo viſum eſt, de ſummis principibus pœnas ſumere ſanguinis illius, quem nefariè effuderunt, non potuit in reliquis prouinciarum proceribus, aliud expectari, quin, qui in pari eſſent cauſa, pari ſimiliter iudicio perſtringerentur. Quod res ipſa plurimus comprobata exemplis indicat. Quotus enim quiſque ex cunctis prouincialibus præfectis, quorum permulti multo acriores ipſis Imperatoribus vi- Mare. Flumina. De præfectis prouinciarum perſecutoribus.

Lætus præfectus prætorij, interfecit Pertinacem Imperatorem & Commodum, ipse similiter interfectus à Seuero Imperatore.

Vigellius Saturninus, qui primus gladium in nos egit, inquit Tertullianus, lumina amisit. Tertul. ad Scapulam.

Claudius Herminianus præfectus Cappadociæ indigne ferens vxorē in sectam Christianorum transisse, post diras Christianorū pressuras peste correptus, viuus vermibus exeditur, mandans ne Christiani hoc scirent & gauderent. Ex Tertull.

Antiochus præses sub Aureliano inter tormēta Agapiti Martyris subito de tribunali decidens se totum in interioribus ardere clamauit, & expirauit. ex Henric. de Erfordia.

De Demetrio vide Cyprianum.

De Scapula Tertullianum.

De Tryphone Iustinum Martyrum.

Perennius præfectus, de cuius tyrannide, vide Lampridium & Herodianum, a militibus discerpitur.

Maximinianus. Maximinus.

Licinius post Maxentium Imperatores.

debantur ita mortui sunt, vt non suo prostrati sanguine occumberent plena sunt testimoniis temporum monumenta, si cui perlegere libeat, quæ referunt annales, de Læto, Hilariano, Vigelio Carthaginensi, Claudio Herminiano præfecto Cappadociæ, Cæcilio præfecto, Cappella, Vespronio, Demetrio, Scapula Carthaginensi, Triphone Iudæo, Aquilæ præfecto Alexandriæ, Antiocho præside sub Aureliano, Arrio Antonino præfecto in Asia, Perennio præfecto.

Adiungamus his porrò δυναστὰς illos qui post Maxentium, in externis Imperij Romani prouincijs, per Asiam & orientem, ad paucos annos crudelissimè depopulati sunt ecclesias dei: non multo post, sub Constantino, cum reliquis tyrannis, iusto Dei iudicio, sublati, proprio cruore affatim expleti sunt, quos sanguis sanctorum nullo modo exaturare potuit. Quemadmodum ex ijs, quæ sequuntur intelligere licebit. Sic enim Angelus, qui potestatem habebat aquarum, lætissima acclamatione deum celebrantem audimus apud Ioannem, in hunc modum.

5 *Et audiui Angelum aquarum, dicentem: Iustus es domine, qui es, & qui eras, sanctus, qui hoc iudicasti.*

6 *Quia sanguinem sanctorum, & prophetarum effuderunt, & sanguinem eis dedisti bibere.*

Et audiui alterum dicentem, Etiam domine deus omnipotens, vera & iusta sunt iudicia tua.

Hæ phialæ in quos potissimum quadrāt.

Ex Angelicis hisce vocibus satis perspicuum esse reor, in quos potissimum homines emittuntur istæ phialæ, in hos nimirum, qui poluti sunt sanctorum sanguine. Quod aliter quadrare non potest, nisi in prophanam illam bestiæ sedem, quæ tam diu bellum gessit cum electis dei, per annos plus minus trecentos: Tanto enim spatio perdurauit cruenta illa primitiuæ ecclesiæ persecutio. In qua tanta vis viguit diuinæ iracundiæ, adeoque id temporis omnia redundarant sanguine, vt vix scias, vtrum grauiora subierunt tormenta, pij Martyres sub prophanis Imperatoribus; an Imperatores ipsi acrioribus dei flagellis perstringerentur: vtrum sæuiores illi, contra dei populum, an deus contra ipsos, asperior in retaliandis ipsorum iniurijs: vtrum ex electis dei, plures Ethnicorum insania oppressi fuerint, an Ethnici pluribus ac grauioribus pressi malis, peste, fame, sanguine, gladio, seditione, siti, terræmotu perierint. Perijt enim passim per omnes prouincias, ex omni gentilitate, infinita milium multitudo; ac merito quidem: Digni enim erant, quia sanguinem sitierunt, & sanguinem biberunt.

Quæstio, vtrū plures Martyres ab Ethnicis: an Ethnici a dei vindicta sublati sunt.

At interim mirabitur, forte quispiam, quid causæ sit, cur clementissimus Deus, misericordiarum pater, non impios solum, qui commeruerant, sed pios etiam, nihil omnino commeritos, impiorum manibus, tam crudeliter, præter omnem causam excruciandos permiserit.

Obiectiuncula.

Huic vt respondeam, vtcunque cæcutiat his in rebus humana ratio, quæ fines rerum minime intueri solet, de deo semper hoc statuendum est, quod docet hic Angelus.

Responsio.

Vera, & iusta sunt iudicia tua Domine Deus omnipotens.

In qua ode, tria occurrunt aduertenda: Veritas, iustitia, omnipotentia. Vt nihil frustra promittit dei veritas: ita nec quicquam iniustè iudicat illius æquitas, cuique pro suo merito, parique talionis trutina distribuens. Quo fit, vt qui sanguine hauriendo, tam inexplebili tenentur siti, consimilem & ipsi exitū in proprio volutantes

lutantes sanguine sortiantur. Cum veritate & iustitia accedit haud minus admirāda vis potentiæ, cū pari coniuncta prouidētia. Qua fit, vt nihil temerè, nihil cæco fortunæ casu in rebus geratur humanis, quod nō oculatissimo prouidētiæ lumine præuideat, non æquissimo iudicio moderetur, non prudētissimo fine pontentique consilio constituat dominus: quemadmodum rectissime de summo omnipotentis dei nūmine dicitur: Οὐδὲν ἀπροσόητον, οὐδὲν ἀμελέμενον παρὰ θεοῦ, πανλὰ σκοπίνει ὁ ἀκέιμητος ὀφθαλμος, πᾶσι παρεῖσιν ἐκποριζων ἑκάστω τὴν σωτηρίαν. Quæ cum ita sint, rectè ex ijs ostenditur, nihil temere fieri, in supplicijs iustorum perferendis, quod non iustissimè à deo & præuidetur, & permittitur.

Primū quid magis consentaneum, quàm vt sancti & electi dei, conformes filio dei reddātur in hac carne, eiusque, vt ait Petrus, vestigiis respondeant, quod queant. Deinde, quid si Deo ita visum sit, vel vt fidem suorū probet, vel vt carnis ferociam, & sublimes spiritus, ad humilitatem emolleat, vel ad patientiam exerceat, ne cum impijs pariter damnentur? Nouit enim ille effrenem naturæ nostræ ad omne mali genus, fragilitatem, maximè vbi rebus ad votum affluentibus, sine pressuris liberæ habenæ ad omnem laxantur licentiam: Nemini non notum est, quod dici solet. *Luxuriant animi rebus plerumque secundis.* Et rursus *Deteriores omnes sumus licentia.*

Cur deus electos suos affligi in hoc seculo permittat.

Deteriores omnes sumus licentia.

Adde huc, quòd eadem res conducit non parum ad illustrandam gloriam dei, hoc ipso nomine, quòd quo maiores in angustias redacti sunt fideles dei serui, tanto illustrius enitescit in his vel fouendis pietas, vel in eruendis mirifica dei potentia.

Quanquam præter hæc omnia, non deest & alia causa, plus satis iusta & grauis, quæ diuinam bonitatem sæpe in iracundiam, in peculiarem ipsius populum exasperat. Quænam verò ea existat, ex Cypriano, Eusebio, & aliis licebit cognoscere. Sic enim Cyprianus, cuius verba libro 4. Epist. 4. hæc sunt. *Intelligendum*, inquit, *& confitendum est, pressuræ istius tam turbidam vastitatem, quæ gregem nostrum maxima ex parte populata est, & adhuc vsque populatur, secundum peccata nostra veniſſe, dum viam domini non tenemus, nec data nobis ad salutem, cælestia mandata seruamus. Fecit dominus noster voluntatem sui patris, & nos non facimus domini voluntatem, patrimonio & lucro studentes, superbiam sectantes, æmulationi & dissensioni vacantes, simplicitatis & fidei negligentes, seculo verbis solis & non factis renunciantes, vnusquisque sibi placentes, & omnibus displicentes: vapulamus itaque, vt meremur, quando nec confessores, qui exemplocateris, ad bonos mores, esse debuerant, teneant disciplinam. Itaque, dum quosdam insolenter extollit, confessionis suæ tumida, & inuerecunda iactatio, tormenta venerunt:* Hæc ille.

Cyprian lib. 4. Epist. 4. Corrupti Christiani. rum mores.

Nec multum ab his dissona sunt, quæ ab Eusebio recitata congessimus, in hunc modum: *Postquam verò res nostræ, per nimiam illam libertatem ad molitiem & segnitiem degenerarunt, & alij alios sunt odio, ac contumelijs prosecuti, & tantū non nosmetipsos, per nosipsos, armis, ac telis verborum, vbicunque contigit impugnauimus, & Episcopi, in Episcopos irruperunt, ac populi, contra populos seditiones mouerunt: deinde infanda hypocrisis ac simulatio, ad summum vsque malitiæ progressa fuit, diuinum iudicium pro more suo, dum adhuc cœtus ecclesiastici congregarentur, sensim, ac pedetentim inuisere cœpit, ita vt persecutio, à fratribus, qui in militia erant, exordia sumeret. Cum autem nullo illius sensu tāgeremur, neque deū placatū nobis, ac propitium reddere conaremur, sed quasi impij, delicta nostra, neque deum curare, nec visitare, putaremus, nequitias nostras alias, alijs cumulauimus: Et qui pastores nostri videbantur, repulsa pietatis norma, mutuis inter se contentionibus fuerunt inflammati, & dum hæc sola, contentiones, videlicet minas, æmulationem, mutuum odium, & inimicitiam exaggerant, & ambitionem suam quisque in modum tyrannidis, studiose persequitur: tunc sanè dominus, tunc, inquam, secundum vocem Hieremiæ, filiam Sion obscuram reddidit, & gloriam Israelis cœlitus deiecit, nec recordatus est scabelli pedum suorum, in die iræ suæ. Et submersit dominus omnia speciosa Israelis, & destruxit omnes macerias eius.*

Euseb. lib. 8. cap. 1. Nimia in ecclesia libertas quid efficit. Obseruent hæc nostræ ecclesiæ rectores & ministri.

Threnorum. cap. 7. Psal. 89.

Psal.88. *Et secundum psalmorum vaticinia, subuertit, & terminauit testamentum serui sui, &*
Ibid. *prophanauit in terram, per destructionem ecclesiarum, sanctuarium suum, & destruxit*
Psal.88. *omnes macerias eius. Posuit munitiones eius formidinem, diripuerunt que populi multitudinem, omnes qui illac transierunt. Et praterea opprobrium factus est vicinis suis. Exaltauit enim dextram inimicorum eius, & auertit adiutorium gladij eius, & non est ei auxiliatus in bello, sed & destitit ab emundatione eius, & sedem eius in terram collisit, imminuitque dies temporis eius, & super hac omnia, effudit super illum confusionem &c.*

Hæc ex Eusebio, quæ propterea recensenda hoc loco ac tempore existimaui, vt admoneantur nostri homines, mature sibi caueant, in loco, idque tanto enixius, quanto magis impura scelerum nostrorum contagia, disidia, contentiones, odia intestina, ambitio, rapina horum temporum, cæteræque vitiorum pestes (quæ non modo se illis æquarunt, imò multis etiam parasangis exuperarunt, adeóque ad summum, vt videtur, peruenerunt) pœnas pariter cum ijsdem haud minores à deo exposcant. Quod pro ineffabili sua misericordia, clementissimus auertat dominus. Amen Verto ad quartam nunc phialam.

Temporum nostrorum corruptio.

Quartus Angelus cum quarta phiala.

8 *Et quartus Angelus effudit phialam suam in solem, & datum est illi, æstu affligere homines, & igni.*

9 *Et æstuarunt homines æstu magno, & blasphemarunt nomen Dei, habentis potestatem super has plagas, neque egerunt pœnitentiam, vt darent illi gloriam.*

DE QVARTA PHIALA.

Quarta phiala iniecta in solem.

PRæcesserunt Angeli tres, cum tribus phialis, quibus percussa est terra, mare, flumina, fonteſque aquarum. Subsequitur modo quartus Angelus, cum sua hydria iracundiæ, quam coniecit in solem. Quid sole significatur, restat modo exquirendum: Quanquam nihil opus hic multa curiositate. Satis per se res aperta est, si missis ambagibus & sophisticis inuolucris, simplicem prophetæ sensum perpendamus, ex circumstantijs. Cæterum à simplicitate hac interpretandi, nimium hodie se remouent complures, vt video, maximè hi, qui in studio versantes explanandæ Apocalypseos, singulas ferè minutias huius scripturæ vertunt in allegorismos. Sic Beda, sic Haymo, hosque sequuti, Richardus de sancto Victore, Thomas item, nostrique hodiè temporis non pauci, locum hunc enarrantes, septem Angelos per allegoriam referunt, ad septem prædicatorum ordines. Nicol. de Lyra, de primo Angelo commentans, vlcus illud ex prima phiala conflatum, accommodat ad Adrianum Papam, qui damnauit constitutionem Constantini Imperatoris, de abolendis imaginibus, in templis Christianorum, & restituenda matrimonij liberate in ecclesiasticis. Aretas in secundo Angelo edisserens, ita sententiam exponit, quasi mutatio maris, fontium, & fluuiorum, ad tempus illud maximè pertineat, quo in fine temporum, ob sanguinem sanctorum, & prophetarum, Enoch, & Eliæ, mare, naualibus prælijs & terra, & flumina eorum, qui tunc occidentur, sanguine rubescant. Augustinus (si tamen Augustini sit liber) aliter exponit, qui omnes has plagas, non corporales, sed spirituales esse putat, quæ in anima fiunt.

Beda, Haymo, Rich. de Sãcto Victore Thomas.

Nicol. de Lyra. Aretas. Ex libro Augustini in Apocal.

Nam isto, inquit, tempore, illæsus erit omnis populus, ab omni plaga corporis, quia non meretur in præsenti seculo flagellari, quasi qui acceperit totam sæuiendi potestatem, sed spiritualiter mortalia peccata, quæ sunt vlcera in animabus suis, patiuntur omnes impij, & superbi &c.

Iuxta Henric. Bullingerum, Aqua in scripturis doctrinam significat, vnde flumina & fontes aquarum, pro doctoribus ecclesiasticis, & principibus accipiuntur, quos cum deus dedit populo ad defensionem, ipsi contra, autores fiunt, & incen-

Henr. Bullingerus.

incensores seditionum, & bellorum, in quibus cadunt, & sese interficiunt, qui sanguinem sanctorum fundunt, Hæc ille. Nec multum ab his abludit Aretius, & Bibliander. Fontes, inquit ille, sunt sacræ literæ, flumina illarum illustris cognitio, quæ conuertitur in sanguinem, hoc est, noxia, & pestilens redditur, in multorum cordibus. ex Aretio. Aretius.

Sic Bibliander, flumina, & fontes per metaphoram significant eloquia sacra, sapiẽtiam cælestem, sic apud Ezechielem, & Zachariam adumbratur euangelij præconium, fons est æternus ille logos dei. Sunt receptacula huius fontis sacræ literæ, istæ aquæ conuersæ sunt in sanguinem, quando à pseudodoctoribus Antichristianis, detorquentur ad affectus humanos, & sensus carnis &c. Thod. Bibliander.

In mari huius mundi, inquit D. Chytræus, sanguis corruptus, ad corruptelas dogmatum, quæ hominibus pestem & perniciem afferunt, referri potest. D. Chytræus.

Auguſt. Marloratus, per flumina, pseudoprophetæ, & impostores, Antichristi ministri propriè designantur, qui dulces, & suaues scripturarum fontes, corruptis suis interpretationibus turbant, & sua somnia, loco verbi dei, populo annunciant, quin & Euangelicam doctrinam, modis omnibus persequuntur, & ad piorum persecutionem, principum corda inflammant. Nec malè quidem hæc ab hijs dicta puto: vtrum mentem prophetæ attingant, dubito. Quid plura? scio plena esse hic omnia figuratis metaphoris, & vmbrarum typis, seu sacramentis, vt vocat Hieronimus, ita vt in verbis penè singulis, multiplices lateant intelligentiæ. Cæterum qui sacramenta hæc ita intelligunt, vt nihil aliud speculentur, quàm spiritualem solum mystagogiam, cunctaque vertunt in Allegorias, non satis mihi videntur, mentem prophetæ aduertere. Cuius cum scopus omnis in eo præcipuè elaborat, primum vt externas, & corporales piorum perpessiones in hac vita: In altera deindè immortales eorum coronas. Tertiò, vt sæuas tyrannorum grassationes contra pios, iustaque iracundiæ diuinæ flagella in præsenti seculo: In altero autem, æternam damnationem prænunciet. Hic cum scopus, inquam, tenor ac summa sit totius libri, quæ omnia nihil aliud, quàm præsagia existant, quibus præmonere nos voluit deus, quæ in ecclesia, extraque ecclesiam, afflictiones obuenturæ sunt, non est, quòd in his intelligendis, ad allegorias confugiamus, sed historias potius temporum consulamus, videamusque in ijs, ecclesiæ statum, regnorum mutationes, tyrannorum exitus, populorum vastationes, rerumque publicarum & priuatarum ruinas, sicque ex ordine temporum, res, ita vt gestæ sunt, aut gerendæ, consideremus. Redeo vnde digressus sum, ad quartam phialam. Aug. Marloratus. Scopus libri Apocalyptici. In explicanda Apocalypsi nõ ad allegorias, sed ad historias potius recurrendum.

8 *Et quartus Angelus effudit phialam suam in solem, &c.*

Quid solis appellatione significatur, non vna constat omnium coniectura, Hoc ille, alij aliud sentiunt.

In hoc non pauci conueniunt, vt per solem Christum allegoricè intelligant. Vt Theod. Bibliander, Aretius, Franc. Lambertus, Pet. Artopæus, eiusque notæ alij. Gul. Fulco in hunc locum commentans ita sententiam exponit: quia nimirum reprobi Antichristi ministri, solem iustitiæ, (Christum videlicèt intelligens) suis figmentis obscurant, & sanguinarijs suis decretis è medio explodunt, hinc efficitur, vt deus natiuum solis calorem, & natiuum influxum, qui natura salutaris esse solet, ita pestiferum, & exitialem reddat, vt immoderato æstu, omnia adurens, hominesque ipsos miserrimè torquens. famem, sitim, pestem, cæteraque morborum genera teterrima, inducat: Hæc ille. Qui si sensibile hoc corpus solis simpliciter intelligat, si famem, sitim, pestem similesque morbos torquendis hominum corporibus inducat: recte sentit: Sin aliter, solem pro Christo accipiat, haud video, qui conueniat, vt quisquam Angelus, phialam suam in Christum immittat, tantamque vim in illum possideat, vt præter naturam suam cogatur ille, externo Bibliander, Lambertus, Pet. Artopæus. G. Fulco. Per Solem Christus non commodè significatur, hoc loco.

externo impulsu, quicquam exequi. Certissimum illud constat, si quando ita deo visum est, iram suam de cœlo patefacere, contra impietatem hominum, aut vim potentiæ suæ, coercendis malitiosis hostium furoribus distringere, innumeras alias habet creaturas, Angelos, pestem, gladium, bella, famem, sitim, solis æstum, cœli intemperiem, mare, fluminum inundationes, fulmina, grandines, terræmotus, καὶ τὰ παρόμοια τούτοις, vt nihil necesse sit, phialam aliquam in Christum, ad obeundas has legationes, infundere.

Henr. Bullingerus.

Audiamus de eadem hac quarta phiala, suis nunc verbis loquentem Bullingerum. Hanc plagam plærique interpretantur allegoricè, per solem, intelligentes Christum, exhilerantem conscientias fidelium, obscurari verò hunc in animis hominum, magis elegentium tenebras Antichristi, quàm Christi lucem: eaque de causa conscientias errore seductas, ardere variis cupiditatibus, & desperationibus, quibus adigantur ad varias blasphemias. Hanc, inquit ille, expositionem vt non repudio, ita, meo quidem iudicio, simplicior fuerit sensus, si intelligamus quartam plagam, esse æstum, & siccitatem ingentem, terræ sterilitatem, inopiamque rei frumentariæ, denique sitim intolerandam, homines & iumenta affligentem, postremo & morbos excitantem æstuantes, iuxta illud, quod in lege loquitur; Dabo vobis cœlum aereum, & terram ferream &c. Hæc Bulling.

Allegoricus sensus huius phialæ non probatur Bullingero.

Huic Bullingeri calculo vt subscribam, cum alijs adducor argumentis, tum non minimè hùc me mouent historiarum exempla, de crebra, & multiplici fame, siti, sterilitate, rerumque omnium penuria, quæ passim referuntur in historicorum literis: In Eusebio, Sigeberto, Vopisco, Vrspergensi, Sabellico, alijsque id genus Chronicis: Tum verò inter cætera, non indignum reducta repetitione hic fuerit, quod supra à nobis memoratum est, nec parum ad rem pertinet, quod in historia Eusebij & Tertulliani, recolitur, in hunc modum.

Eusebius lib. 5. cap. 5
Tertullia. in Apologetico cap. 5.

Anno Domini, 162. Imperabat Romæ M. Antoninus, Philosophus: Præsidebat ille annis 19. Sub initium huius Imperatoris, vel vt alij habent, anno imperij illius quinto, sæua cumprimis, longeque acerbissima incrudescere cœpit contra Christianos persecutio, quæ post Neronem, quarta numeratur, in qua complures fortissimi constantissimique martyres, vitam pro Christi doctrina, exposuerunt. Iustinus fuso sanguine martyrio coronatur. In Asia Polycarpus Smyrnensis Episcopus, discipulus Ioannis, vitam incendio deposuit, cumque eo duodecim alij è Philadelphia, in quibus erat Metrodorus, Smyrnæ martyrium subierunt. In Græcia similiter non pauci. Sed nusquam huius incendij rabies exarsit vehementius, nec grauiores vsquam suppliciorum formæ, excruciandis sanctorum corporibus excogitatæ, quàm in Gallijs, apud Lugdunum præsertim, & Viennam. Vbi crudelissimè affecti sunt nece, Epagathus, Sanctus, Viennensis ecclesiæ Diaconus, Attalus Pergamenus, Beatus Photinus, Blandina, cum cæteris, de quibus copiosa extat epistola è Gallijs scripta, apud Eusebium.

M. Antoninus, philosophus, Imperator.
Quarta persecutio.
Iustinus Martyr.
Polycarpus Martyr.
12. Martyres ex Philadelphia
Persecutio Gallicana.
De ijs vide supra in vita Antonini.

In medijs istis furoribus euenit tandem, non sine singulari propitii numinis prouidentia, anno Imperatoris decimo, aut vndecimo, expeditio necessariò susciplenda Imperatori, contra Marcomannos, fortissimam Germanorum gentem. Qua occasione, mira ac rara quædam diuinæ pietatis erga Christianos lux emicuit Vix enim in medio erat itinere, cum rapido solis æstu, aerisque intemperie, subito percussi, summa laborantes aquæ penuria, diebus quinque, in grauissimâ sitim, ac siccitatem inciderunt, non ad tædium modo suæ militiæ, sed ad vitæ etiam periculum: In quo perierunt & multi. Accidebat porrò ad malorum cumulũ loci difficultas. Erant enim angustis montium lateribus miserè coarctati, vbi aciem commodè disponere, minus licuit, nec procul abfuerant hostium ingentes, omnibusque rebus instructissimæ copiæ, quæ & viribus, & numero, longè superiores videbantur. Imperator ducumque ordines, iis impliciti malis, ad summam penè adacti desperationem, quid agerent, quo se verterent, nescire.

Bellum Marcomannicum, de quo vide superius.
Æstu solis percussus exercitus.
Sitis & ardoris vehementia in exercitu Romano.

pergere

Pergere propter montium asperitatem non licebat: Tum vt retro cederent, maius erat periculum, ne hostes à tergo fugientes opprimerent. Vnum relinquebatur, à dijs opem vt quærerent, atque id quidem agunt sedulo, nec quicquam proficiunt. Tot vndique malorum labyrinthis constrictum, penèque iam exanimatum imperatorem, adijt tandem præfectus legionis duodecimæ, quæ Melitana dicebatur. In qua plures esse Christianos ignotæ sibi religionis indicat, hij quid precibus possent, apud deum suum experiri vellet, suadet, monet, rogat sedulò.

Ea audita re, Antoninus ad extremum redactus articulum, missa protinus ad Christianos legatione, petijt ab ijs, pro se deo suo supplicarent: Quod cum illi, positis in terra genibus, fusisque ad Christum precibus fecissent, protinus pluuia milites, aquam ore & scutis excipientes, mirificè recreati sunt, viresque recolligunt. Quæ res vt Romanis cesserit feliciter, ita ex aduerso, in Marcomannos & Quados, tanta vis fulminis & grandinis ex ea tempestate defilijt, vt nulla nec potestas eis resistendi nec manendi locus relinqueretur, Quo factum est, vt pulsis in fugam aduersarijs, Romani & vita & victoria potiti sint. Habes ergo, Christiane lector, in vna historia, geminum tibi exemplum diuinæ iracundiæ, simul & miserecordiæ expositum. Alterum in Romanos persecutores, qui bestiam sequebantur, quos ex solis percussione aerisque insueto ardore correptos, dira quædam sitis ac siccitas insedabilis, diebus quinque miserum in modum perurebat. Ex quo multi sine dubio ad desperationem & ad blasphemiam, nullus autem ad erroris pœnitentiam adducebatur.

Preces Christianorum pro hostibus.

Pluuia Christianorũ precibus impetrata.

Miraculum in victoria, precibus impetrata.

Exemplum diuinæ iracũdiæ & clementiæ.

Exemp. iracundiæ in Romanos persecutores.

Exẽplum clementiæ erga Christianos.

Contra vero misericordiæ singulare editum est miraculum, etsi in Romanos aliquo modo, vt videri possit, at nequaquam tamen ipsorum causa, sed Christianorum. Agebant siquidem Christiani per id tempus, in summis agonibus ac persecutionum pressuris, miserimè discrutiati, quos vt eximeret tandem dominus ex ijs angustijs, hac vti via voluit paterna ipsius clementia: Quod res ipsa certissimo experimento mox comprobauit. Obstupefactus enim Imperator, pluuiæ, quæ accidit, mirabili impetratione simulque victoria, precibus Christianorum parta, exhileratus, magnis illos honoribus affecit, adeoque in perpetuam rei memoriam, legionem in qua militabant, κεραυνόβολον appellauit, moxque scriptis ad Senatum literis, vt dictum est, & ad reliquas prouincias, decreto cauit ne quid deinceps, se viuo, contra Christianos moueretur. Quod si quis faceret, reo immunitas, accusatori mortis condemnatio decernebatur. Post hanc victoriam, vixit Antoninus annos 8. Quo toto tempore interiecta est persecutionis remissio, quæ & postea sub Commodo eius filio, per annos 12 mediocris perdurauit.

1. Fulmineam. Vide supra in vita Antonini.

Nec multum ab hac historia dissonum videtur, æquè memorabile & illud diuinæ clementiæ exemplum erga Theodosium Magnum Imperatorem, de quo mentio celebratur apud Orosium, Auentinum, & alios scriptores ecclesiasticos, anno Domini 394. Narratio in hunc habet modum: Arbogastes & Eugenius Imp. collectis Gallorum, Francorumque viribus, instructas acies campis expedierant, & arcta Alpium latera atque transitus, præmissis callidè insidijs, occuparant, ea spe, vt licet viribus impares forent, ipsa tamen belli dispositione vincerent. Theodosius interea in summis Alpibus constitutus, expers cibi & somni, Christum solus solum, qui omnia posset, lachrymis & precibus enixè inuocat. Dehinc, postquam insomnem noctem precum continuatione transegit, arma corripit, seque in bellum illico immittit. Vbi iam ad vicina committendæ pugnæ spacia, peruentum est, continuò ingens & ineffabilis turbo ventorum, in ora hostium irruit: Ferebantur per aerem spicula missa Christianorum atque vltra mensuram humani iactus, in aere portata, nusquam propemodum cadere sinebantur, priusquam in hostes impingerent, eorumque ora pectoraque verberarent. Tela verò, quæ ipsi hostes intorserunt, ventis excepta ac retrorsum coacta

Consimile exemplum diuinæ pietatis erga Theodsium imper. an. 394.

Ex Orosio, Auentino, & aliis.

Venti pugnant pro Theodosio Imperat.

Eugenius Imper. occidentalis victus, & interfectus.

ipsosmet infeliciter configebant. Eugenius captus ac interfectus est. Argobastes sua se manu interemit. De hoc bello August. lib. 5. Ciuit. Theodosius (inquit) contra robustissimum Eugenij exercitum, magis orando, quàm feriendo pugnauit, vt nobis retulerunt milites, qui adfuerant, extorta illis quidem esse è manibus, quæcunque iaculabantur: cum à Theodosij partibus, in aduersarios vehemens ventus iret, & non solum quæcunque in eos iaculabantur, citatissimè raperet, verum etiam ipsorum tela, in eorum corpora retorqueret. Vnde & poeta Claudianus, quamuis à Christi nomine alienus, in eius tamen laudibus dixit:

Ex August. lib. 5. Ciuit. Cap. 26.

Claudianus poeta gentilis.

Obruit aduersas acies, reuolutaque tela
Vertit in Autores, & turbinæ repulit hastas,
O nimium dilecte deo, cui militat æther:
Et coniurati veniunt ad classica venti.

Poterat, scio, quarta hæc phiala, de percussione solis, de æstuante aeris ardore, de sterilitate terræ, de siti intolleranda hominum & iumentorum, haud minus ad alia item tempora deflecti, si singula id genus exempla, quæ scriptis mandantur annalibus, referre libuisset. Mihi tamen præ cæteris, hæc vna maxime accommoda interpretatio visa est, vel quia ad expressionem huius prophetiæ, ea quàm proximè accedere, vel quia ad tempora illa primarum persecutionum, quatuor istæ priores phialæ potissimum pertinere videantur.

Gul. Fulconis in hac re opinio.

Quòd si alijs minus satisfacere eadem hæc videbitur interpretatio, nullius ego fidem hic astringo, vt nostræ, siuè in hac re, siuè in alijs assertioni astipuletur. Quãquam ne quis putet meam hanc solam assertionem esse, audiamus hac in re, & grauem, & eruditam Gul. Fulconis sententiam (cuius ego iudicio, vt par est, non parum tribuo) qui de septem his phialis disceptans, opinionem in hunc modum exponit: vt quatuor priores phialæ, vsitata dei flagella designent, quibus mundum ob scelera castigare solet: vt prima phiala pestem, secunda & tertia bellum, & cruentas cædes, quarta famem morbosque acres & acutos significent. Atque has quidem phialas ita partitur, vt quatuor primas phialas ad superiora ecclesiæ tempora referat, tres verò reliquas, posteriorum velut temporum flagella, ad debellandam Antichristi tyrannidem destinatas astruat, idque meo quidem iudicio doctè, & perquam appositè. Quoniamque de quatuor illis precedentibus Angelis, eorumque phialis, satis modo dictum est, supereſt porrò, vt de tribus modò sequentibus, exequamur.

Quatuor priores phialæ quid significant.

QVINTA PHIALA.

5. Phiala

ET quintus Angelus, effudit phialam suam super sedem bestiæ, & factum est regnum eius tenebrosum, & commanducauerunt linguas suas præ dolore, &c.

De sede & regno bestiæ, iam ante dictum est. Regnum hoc Romanum esse imperium, argumentis, spero, non inidoneis, euicimus. Quæ si minus aduersarijs satisfaciant, ipsi, pro sua Roma, adferant auspiciora. Nam quæ hactenus attulerunt de Antichristo venturo, de duobus prophetis, de tribu Dan, de sede, & templo Ierosolymitano, quis non videt ἀνεμώλια esse, somnijs similiora dormitantium, quàm disputantium vigilijs. Sin aliter, firmiora nequeant, quin taceant ergo, ac discant: Imo discamus pariter omnes, ex sacra scripturæ authoritate, quid sequendum sit, tum in hac re, tum in alijs. Quid enim sacra scriptura, de aduentu Antichristi, edocuit vnquam, quòd non in Romano hoc Antichristo, numeris omnibus perfectum consummatumque sit? Siue spectemus permissam ei tyrannidem in sanctos, siue immensam potentiæ magnitudinem, siue continuum victoriæ successum, in subiugandis nationibus, vnde omnes mortales in admirationem adorationemque sui rapiat, vt nulla vsquam gentis vis tam potens esset,

Romanum imperium, regnum bestiæ.

Fabulæ catholicorum de Antichristo venturo.

esset, aut fortitudo, quæ valuerit, cum bestia hac congredi, aut illi resistere. Quemadmodum de ea dicitur: *Quis similis bestiæ, aut poterit pugnare cum ea &c.* Quæ omnia, aliter quàm in sedem solam Romanæ reipublicæ, nullo cadere modo poterunt. Iam verò quid de hac sede porrò pronunciat propheticum oraculum, iterum atque iterum, attendamus. Sic enim sequitur. Supra cap. 13.

Et quintus Angelus effudit phialam suam super sedem bestiæ, &c. Quintus Angelus, cum quinta phiala.

Primùm, hanc bestiæ sedem, non aliter accipi, quàm pro Romana solum monarchia, demonstratum est. Nunc quid accidit huic monarchiæ audiamus.

Et factum est regnum eius tenebrosum, &c.

Vt nihil est stabile aut diuturnum, in caducis huius mundi rebus, quantumlibet ad tempus sublime, & splendidum, cum multis experimentis testatissimum sit, tum nulla re illustrius cernitur, quàm in fatali vrbis huius casu, cuius amplitudine, cum nihil gloriosius, maiestate splendidius, nihil potentia admirabilius in terrenis regnis auditum aut visum sit hominibus, quo tandem eadem hæc euaserit, ex eo constare potest, quod de eadem sede hîc futurum prænunciatur. *Et regnum eius*, inquit, *factum est tenebrosum.* Quæ, quantaque gloria, & amplitudo huius sedis fuerit, qua cæteris omnibus præluxit nationibus, nemini incompertum est. Vnde discamus, quàm nulla fides fluxis huius mundi rebus, quantumuis florentibus, adhibenda sit. Vt lucem tenebræ consequuntur, vt aduersa tempestas solet nautas atque vectores inopinantes opprimere: sic aduersi casus florentem statum sæpenumerò peruertunt, malorumque omnium fluctibus obruunt, atque ad miseriæ scopulos allidunt. Regnũ bestiæ tenebrosum. Gloria & prosperitas mundi, quàm incerta res sit & caduca.

Quare secundis rebus nunquam ita efferamur, quin semper id, quod res est, cogitemus, quàm subito humana opes euanescant, quàm ex alto gradu, multi principes, ac imperia maxima, cum omnium mortalium admiratione, conciderunt: quanto denique seueritatis impetu, summus ille iudex, eorum statum, qui nimium sibi præsidunt, quasi turbine conuellat atque deijciat. Præclarè hac de re Valerius. Caduca, & fragilia, puerilibus similia crepitaculis, sunt ista, quæ vires & opes humanæ dicuntur. Affluunt subitò, repentè dilabuntur. Nullo in loco, nulla in persona stabilibus nixa radicibus consistunt, sed incertissimo flatu fortunæ, huc atque illuc acta, quos in sublimè extulerunt, improuiso recursu destitutos miserè immergunt. Cernere hoc licebit, cum multis priuatis publicisque exemplis, tum nusquam euidentius, quàm ex regni huius mutatione, quæ ex quanta sublimitate & splendore, in quas deiecta sit tenebras, ipse rei exitus abundè comprobat; Idque non vno modo, nec vno tempore, siuè ad tempus primæ bestiæ, siuè secundæ, historiam referamus. Vt enim duplex est bestia, ita vna est vtriusque bestiæ sedes, idemque regnum. Porrò etsi regnum idem sit vtriusque, at diuersus est tamen regnandi modus. Valerius Max. Bestia duplex, at eadẽ sedes, idem regnum vtriusque.

Aliter regnabant Ethnici olim imperatores Romani: aliter Romani nunc pontifices. Illi apertos se hostes professi, aperta rebellione Christi fidem & nomen oppugnabant, manifestam idololatriam, aduersus synceram dei gloriam, & doctrinam, summa tyrannide, modisque omnibus tuebantur. Aliter Romani pontifices, in eandem sedem & autoritatem succedentes, sub alio quidem schemate se gerunt, at idem agentes tamen. Quamobrem cum eadem sedes sit vtriusque bestiæ, quid de hoc pronunciat regno nunc vates, accipiamus: *Et factum est*, inquit, *regnũ eius tenebrosum.* Quod siue de priore bestia, siue de secunda intelligatur, haud multũ interest. Nihil enim obstat, quin rectè in vtramque partem accipi possit, obtenebratio illa Romanæ Monarchiæ, siuè de politicis imperatoribus, siue de põtificibus ecclesiasticis intelligatur. Contigit enim cœlitus sub vtrisq; funesta lues, nisi quòd credibile mihi magis videtur, prophetã intellexisse, de ruina illa imperij Romani, quæ cõtigit sub Gothis, Vandalis, Hunnis, Rugianis, seù Herulis, & Lõgobardis. Quater sub barbaris his principibus Roma capta est. Primũ sub Alarico Gothorum Modus regnãdi diuersus in vtràque bestia. Aliter regnabat prima olim bestia aliter nunc secunda. Eiusdem Romanæ sedis duplex obtenebratio, sub diuersis temporibus.

rum rege, quemadmodum superius à nobis, suo loco expositum est, cap. 13. Tempore siquidem Honorij imperatoris Constantinop. anno Domini 412. Alaricus Gothorum rex, postquam Italiam per partes populatus est: Romam biennio obsidet, obsessam armis & inedia fatigat, Pertulere aliquandiu Romani obsidionem, estque interim tanta rerum omnium inopia laboratum, vt ne ab humanis quidem carnibus, nedum ab alia ciborum obscœnitate, abstinuerit miserabilis ciuitas. Capitur vrbs, quæ totum cæpit orbem, imo prius fame perijt, quàm gladio, & vix pauci qui caperentur reperti sunt, ad infandos exitus erupit esurientium rabies, & sua inuicem membra laniarunt, dum mater non parcit filio, & recipit vtero, quem nuper effuderat: Hæret vox, inquit, Hieronymus, & verba singultus intercipit.

Roma quater capta, vt supra demonstratum est.

Roma fame dira distringitur.

Ex Auentino lib. 5.

Quis cladem illius noctis? quis funera fando
Explicet? aut possit lachrymis æquare dolorem?
Vrbs antiqua ruit, multos dominata per annos,
Plurima perque vias sparguntur inertia passim
Corpora, perque domos, & plurima mortis imago.

Augustin.

Astipulatur Hieronymo, Aurel. Augustinus, cuius scripta temporis illius, atrocitatem non vno demonstrant loco. Postremo, siue armorum vi, siue Ciuitate omnibus malis fatigata, siue inedia Ciuitas subacta, vt Ciues fame affecti, arma sustinere amplius non possent, nedum hostem à mœnibus arcere, à Gothis Roma capta est, primo die April. anno Dominicæ natiuitatis 412. circumsessa est, capta verò & direpta, anno 414. Ex hoc tempore, prouinciæ paulatim defecerunt, gentes deletæ, regna excisa sunt, retro omnia fluere, misceri. Quid multis? Romanus corruit orbis. Roma olim gentium Domina, triduo direpta est, exhaustaque spoliis, ex omni terra conquisitis. Gothi triduo postquam vrbe potiti sunt, inde digressi Campaniam primo, mox Lucaniam, & Brutios populantur, in Siciliam transmittere satagentes, per aduersas tempestates non potuerunt, aliquot in freto nauibus, medio conatu amissis. Alaricus Victor Roma discedens, abducit Placidiam, filiam Theodosij Magni, sororem imperatorum: quam Hatulpho cognato suo, connubio iungit. Nec multo post, Consentiæ rex ipse moritur.

Roma à Gothis capta, spoliata an. 414. Ex Auentino

Alaricus rex Gothorum moritur.

Romani post Gothorum digressum, ita paucis mensibus, in pristinum ab ea clade, qua fuerant affecti, se statum vindicarant, vt præter pauca incendij vestigia, nihil hostile passi viderentur. Vnde Athulphus, qui in locum Alarici regis suffectus est, repetita vrbe, eam iterùm vi captam diripit. Sunt qui scribant cupiuisse Athulphum Romam funditus euertere, alteramque diuerso loco vrbem statuere, abolitaque antiqui nominis memoria, pro Romanis Gothos, pro Roma Gothiam nominare, ipseque nouæ vrbis conditor, in Augustorum locum surogatus pro Augusto Athulphi nomen ad posteros transmittere. Cæterum Placidiæ vxoris tempestiua persuasio, adeò regis animum, ab eo auertit proposito, vt pro vrbis euersore, instaurator dici maluerit. Hinc deuastata Italia, Romaque iterum capta, quicquid supererat superiori cladi, attritũ est, Athulphus inde in Gallias transiit. Hoc itaque modo, vxoris moribus mitior factus fœdus inijt cum Romanis, quamobrem à suis interficitur. Atque hæc de prima irruptione Gothorum in Romam, Duce Alarico, & Athulpho, à quo post menses aliquot, iterùm Roma, vt dictum est, quæ multis seculis formidini ac terrori exteris gentibus fuerat, occupata est, & dispoliata.

Roma rursum capta per Athulphum Gothum.

Athulphus rex Gothorum a suis interficitur.

Secunda verò seu tertia Romæ dilaceratio post annos 44. accidit per Vandalos, duce Genserico, cuius historia apud scriptores refertur in hunc modum: Genserico rex Vandalorum, impar Gothis, incitatus à Bonifacio, duce Valentiniani, adduxit in Africam quinquaginta milia Vandalorum, & occupata parte Africæ, concedente Bonifacio, deinde Hypponem, vbi Augustinus mense obsidionis tertio, ætatis suæ 76. moritur: Carthaginem porrò & alias vicinas vrbes, fraude & armis cœpit. Vexauit Siciliam, Romam postea aggreditur, imperante Martiano, anno

Secunda, seu tertia Romæ diruptio.

Genserico Vandalorum rex.

Hypponensis Ciuitas, & Carthago à Vãdalis occupata.

Domini

Domini 459. Quam ille præsidio prorsus vacuam, nullo aduersante, ingressus, non solum priuatas Ciuium domos spoliauit, sed etiam sacrarum ædium donaria, auro gemmisque exornata, nonnulla insuper aurea vasa, è templo Hierosolymitano, à Tito allata, rapuit: eaque cum Eudoxa, & duabus eius filiabus, in Affricam secũ asportauit. Addit Iustinianus, Gensericum Imperialia ornamenta, in Affricam abduxisse.

Augustinus in obsidione vrbis suæ mense 3. anno ætatis 76. moritur.
Sicilia vexata.
Roma tertio capta, & spoliata à Vandalis.
Iustinianus Lib. 1. de officio præfecti prætorio Africæ.

Sic Roma gentium domina in potestatem venit Vandalis. Qui exactis 14. diebus, direptionis præda onusti, vrbe excesserunt, & Affricam repetiuerunt. Ab hoc tempore, inquit Onuphrius, parum imperij, aut maiestatis Roma habuit. Accepta enim hac Vandalorum clade, paulatim considere incipiens, non multo post, cum omnibus prouincijs occidentalis imperij, nomen & maiestatem amisit. Hoc itaque modo Vandali, prostrata Roma, Affricam occupant, annos 95. Gensericus regnum tenuit annos 37. Vir astutus, intentus in omnes fallendi occasiones, fœdera faciens, eademque violans pro commodo suo. Interdum victus arte se rursus erigens. Addictus Arrianis expulit Orthodoxos. Deuicta itaque Carthagine, & Roma, Vandali regnum in Affrica & Italia tenent annos 95. Roma itaque hoc modo intra annos 44. bis aut ter capta dicitur.

Ex Onuphrio.
Regnum Vandalorum.
Roma intra annos 44. ter capta.

Posthæc, anno Dominicæ incarnationis 476. iuxta alios 480. Imperante Romæ Augustulo filio Orestis, qui postremus Occidentalium Imperator. dicitur, vsque ad Carolum magnum, Odoacer Rugius, exercitum in Italiam ad vrbem Ticinum ducit. vbi Oreste fugato, vrbes vicinæ metu deditionem faciunt. Inde Romam ingressus Odoacer, regem se Romæ, & Italiæ, non Imperatorem nominauit, triumphansque in capitolium ascendit. Magnæ cædes, & diriptiones in vrbe Roma, & alibi factæ sunt. Agrorum tertiam etiam partem suis distribuit. Regnauit annos quatuordecim, seu quindecim. Quo demum interfecto, Italiam tenuit Thodoricus Gothorum rex annos 36. post hunc Atalaricus eius nepos. Cui deinde adiunctus est in imperij societatem Theodatus Gothus, vt supra memoratum est. Sub hijs duobus, ingens Italiæ incidit dilaceratio, Roma sæpius capta, Mediolanum funditus deletum à Gothis, qui triginta milia ciuium illic interfecerunt. Sunt & aliæ multæ vrbes detritæ, magni vtrinque exercitus trucidati.

Augustulus postremus Imperator occidentalis.
Odoacer Rugiorum rex
Odoacer Rugius Romã capit & diripit.
Odoacer interfectus.
Theodoricus Gothorum rex.
Atalaricus rex.
Theodatus Gothus.

Vtiges rex à Gothis, interfecto Theodato, constituitur, qui Romam à Bellisario occupatam, strenuèque defensam, irrita obsidione, premere molitur. Qui demum cæso Gothorum exercitu viuus comprehenditur, & à Bellisario Constantinopolim, Imperante Iustiniano, perducitur, cui sufficitur à Gothis Ildobaldus, & huic rursus, anno exacto, successit Araricus.

Vide supra pag 221.
Mediolanum deletum.
Vtiges frustra Romam obsidet.
Theodatus interfectus.
Ildobaldus.
Araricus Gothorum rex interfectus.

Occiso Ararico. apud Gothos suscepit imperium Totilas, cui per triennium præfuit. Ab eo Roma iam iterum vastatur, anno Domini 546. qui capitolium incendit, præcipua ædificia diruit, & mœnium tertiam partem euertit. Incolas etiam alio transtulit: Inde ædificijs ignis vndique immittitur. Incensam omni parte Romam Gothus vacuam reliquit. Tredecim dies incendium emicuit. Fuit vrbs Roma amplius quadraginta diebus, in ea solitudine, vt nec mulier nec vir quisquam, in ea relinqueretur. Egressus ex vrbe Totilas cum toto exercitu, eam desolatam penitus, & vacuam reliquit, vt verè hîc locum habeat, quod lusit quidàm non in eleganti hoc districho, de Roma sentiens

Totilas Gothorum rex.
Roma iterum capta et vastata per Totilã.
Roma incensa in qua nec mulier, nec vir relictus, per dies 40.

Vulgus ab extremis distractum partibus orbis
Seruorum serui nunc tibi sunt domini.

Ex Auentino & procopio.

Bellisarius paulo post, eam rursus recepit, Ciues hinc indè dispersos reuocauit, & mœnia destructa renouare cœpit. Sed reuocato mox ab Imperatore Bellisario, Totilas, arrepta mox occasione, iterum Romam cœpit, eamque restaurat, & quantum anteà studij in ea desolanda, tantum nunc in reparanda exhibuit, vt infamiam, quam superior subuersio ipsi pepererat, nouo nunc beneficio, mansuetu-

Roma rursus a Totila capta,

Totilas victus & interfectus.

dine, atque clementia aboleret. Quotquot etiam ad sacras ædes confugerant inuiolatos esse iussit.

Teias postremus rex Gothorum in Italia interficitur.

His ita gestis, vix tres effluxerant anni, quin Totilas à Narsete, Iustiniani cubiculario, prælio victus, interficitur. Successit ei Teias, postremus Rex Gothorum in Italia, qui hoc ipso anno, cum Narsete strenuè dimicauit, victusque ac fugiens, occiditur. Hoc vltimo prælio, quo, de summa rerum decertatum est, tanto animorum ardore Gothi pugnarunt, vt ne quidem occiso Teia rege, ante pugnandi finem fecerint, quàm Narses per præconem, ijs veniam daret, qui arma ponerent. Sic Gothorum in Italia, imperium concidit, quod à principio Odoacris perdurauit annis 77. A principio Alarici, vsque ad coronationem Caroli Magni, & expulsionem Lombardorum, annis 400. Longobardi autem (quoniam de his incidit hic narratio) anno Christi 568. pannonias egressi, duce Albonio, Italiam inuaserunt, ibique pulsis Constantinopolitani Imperatoris copijs, regnum Longobardicum instituerunt, quod ad annos 206, (vsque ad annum Christi 744) tenuerunt. Quo temporum interuallo, Italiam omnem, præter Romam in ditionem suam sub 24. Regibus, redigerunt.

Finis regni Gothici in Italia.

Regnum Gothorũ in Italia ab Odoacro perdurauit ãn. 77. ab Alarico ad Carolum magnum & expulsionem Lombard. anno 400.

Regnũ Longobardorum in Italia durat ann 206.

Tanto scilicèt interuallo, Imperium populi Romani occidentale occidit, ac defecit, barbaris, & perigrinis Italiam, firma possessione tenentibus.

Ex Paul. Dione et Onuphri.

Italia sub barbaris gentibus, ann. 400.

IVSTA DEI VINDICTA IN GOTHOS

& Vandalos, cæterosque eiusdem militiæ principes,

Vindicta dei in Gothos cæteraſque gentes Barbaras.

POst duras has, quas dixi, & diuturnas occidentalis Imperij calamitates, per Gothos, per Vandalos, similesque exterarum gentium barbaros acceptas, non indignum historia fuerit, nec lectori, spero, molestum, viciſsim ijs adiungere, intestinas similitèr cædes, & clades, quibus ipsi inter se barbari partim conflictabantur, partim per alios infestati, ex toto demum occidente pulsi, exturbatique sunt. Qua in re, in primis obseruandum est, ex toto principum eorum numero, qui in Affrica, & occiduis Europe partibus, grassati sunt tam immaniter, vix vnum, aut alterum exceptione excludi posse, quin omnes communi fato occisi, interierunt. Radagisus primum Gothorum rex, Alaricus deinde, Adaulphus, Radagisus, Singericus vix degustato imperio, eodem anno obijt. Attila parricida, corpore inflammatus, suo sanguine necatur. Theodoricus 1. in bello Catalaunico cadit. Theodoricus 2. Vestgothorum rex, sua etiam Nemesi non carnit, Maximus, Maioranus. Quatuor imperatores occidentales vnius decennij spacio occubuerunt, Maximus, Auitus, Maioranus à Ricimere extinctus, Seuerus veneno, vt fertur, sublatus. Anthemius à Ricimere genero suo occisus. Glycerius emenso annui imperij spacio, à Iulio nepote pulsus imperio exuitur, & fit episcopus in Dalmatia. Augustulus filius Orestis Gothus, victus ab Odoacro, imperio pellitur. Odoacer Hunoricus Genserici filius, sæuus persecutor Orthodoxorum fidelium, corpore vermibus exeso moritur. Odoacer à Theodorico tèr profligatus cum exercitu, tandem per Sicarios interficitur. Theodatus post necem Amalasunthæ fugatus ab Vtige in fuga interficitur. Totilas à Belisario superatus, interficitur. Hilimer post necatum Hilderichum regem à Belisario captus, bonis omnibus exutus, Iustiniano Constantin. Imperatori ad triumphum deducitur: Vualamir in prælio superatus, in Austria perijt.

Reges Gothorum & Vandalorum, omnes ferè violenta morte occubuerunt.

Theodoricus rex Gothicus, eius crudelitas & exitus.

De Theodorici exitu, cuius superius paulo mentionem attigimus, non indigna narratio est, quæ referatur. Erat Thodoricus hic rex Gothicus, cuius omnis cura ad Italiam instaurandam, legibus formandam, reparandam, & exornandam, conferebatur.

ferebatur. Ac licèt ipse Arrianus esset, Catholicos tamen non afflixit, sed clementèr ac reuerentèr habuit, vir initio strenuus & laudatæ memoriæ: Sed postremus eius actus cruentus fuit. Primum Ioannem Episcopum Romanum carceri mandauit, in quo perijt. Erat hoc tempore magna autoritas Romæ duorum Senatorum, Symmachi & Boetij ipsius generi, quos Theodoricus, cum diù captiuos tenuisset, quia decretis illius quibusdam aduersarentur, sunt qui existimant, quia impedierant, ne Arianis ecclesiæ tribuerentur, tandem in vrbem Ticinium eos euocauit, bona publicauit, ipsosque demum interfici iussit. Erant hi duo inter Romanos, & Senatorios viros, primarij vtrique consulari dignitate perfuncti, nec minus philosophiæ, supra cæteros, & æquitatis studio addicti, multis, tam ciuium, quàm exterorum inopiæ succurrendo saluti fuere. De Symmacho hoc fertur, quòd cum Thrasamundus Vandalorum rex, in affrica 220. Episcopos in Sardiniam relegauit, Symmachus quotidiana his subsidia ministrare non cessauit. Ex Diaco. & alijs.

Ioannes Episcopus Romanus in carcere moritur.

Symmachus. Boetius. Viri consulares.

Crudelitas Theodorici in Symmachum & Boetium.

Symachi laus Ex Paul diacono & aliis.

Boetius verò vir doctus imprimis, & sapiens, quantum in disciplinis philosophicis profecit cum alia, tum erudita illius in Aristotelem opuscula indicant: quantum porrò in gubernatione reipub. profuit, quàm bonam causam, quàm bonam conscientiam sustinuerit, quàm malam denique gratiam, post res præclarè gestas, reportauerit, ipse in libro de consolatione, velut philosophiam ipsam alloquens, suamque deplorans infelicitatem, huiusmodi verbis abundè testatur.

Boetius insignis philosophus.

Ex Boetio, in lib. de consolatione philosophia.

‘ Quod à te, inquit, philosophia, inter secreta ocia didiceram, transferre in a-
‘ ctum publicæ administrationis optaui, tu mihi & qui te sapientum mentibus inser-
‘ uit deus, conscij estis, nullum me ad magistratum, nisi omnium commune bonum,
‘ studiũ detulisse. Quoties ego Congastum in imbecillis cuiusque fortunas impe-
‘ tum facientem obuius excepi? Quoties regiæ domus præpositum ab incepta &
‘ perpretrata iam prorsus iniuria deieci? Quoties miseros quos infinitis calum-
‘ nijs, impunita Gothorum auaritia semper vexabat, obiecta periculis autoritate
‘ protexi? Nunquam me à iure ad iniuriam quisquam detraxit. Et mox eodem in li-
‘ bro, idem de se quærens: Quis igitur innocentiam nostram euentus exceperit
‘ vides, pro veræ virtutis præmijs falsi sceleris pœnas subimus. At vero hic etiam
‘ nostris malis cumulus accedit, quòd existimatio plurimorum non rerum merita,
‘ sed fortunæ spectat euẽtum, eaque tantum iudicat esse prouisa, quæ felicitas com-
‘ mendauerit. Quo fit, vt existimatio bona primum omnium deserit infelices. Vl-
‘ tima aduersæ fortunæ sarcina est, quòd dum miseris aliquod orimen affingitur,
‘ quæ perferũt commeruisse creduntur. Et ego quidem bonis omnibus pulsus, dig-
‘ nitatibus exutus, existimatione fœdatus, ob beneficium supplicium fero: hæc de se
‘ Boetius. Ex quibus quàm indignè viri isti boni, nullius criminis conuicti, à Theodorico condemnati sunt, audistis hactenùs, post iniustam hanc crudelitatem, quæ porro consecuta sit pœna vicissim ex verbis procopij accipiamus.

Mirum diuinæ vindictæ exemplum in Theodoricum regem Gothicum.

Sic enim scribit ille, Thedorico, paucis post diebus cœnanti cum miræ magnitudinis pisis ministri decoctum caput apposuissent. Symmachi nuper occisi caput, illi est visum, præfixis & extantibus inferiori in labro dentibus, & toruè intuentibus oculis furibundè sibi, & acerbiùs comminari. Vnde monstri nouitate territus, membrisque præter modum tremebundus, & rigens, in cubiculum statim, citato gradu secescit, identidemque iubendo, togarum, vt sibi vim magnam ingererent, lecto decubuit, & parumper quieuit. Elpidio deinde medico, omnibus, quemadmodum accidissent, diligentiùs explicatis, in Symmachum Boetiumque, patratum per se scelus deflebat, quo denique deplorato, ex accepta calamitate, dolore ingenti affectus, haud multo post moritur, cum id primum, & vltimum iniustitiæ exemplum, in suos idcircò exercuisset, quia non suo, & pristino more, diligentèr peruestigata causa, in tantos viros animaduerterat.

Theodorici regis mors, diuinitus inflicta.

Longius in his forsan recensendis prouectus videar, quàm par est: faciendum tamen ideo existimaui, vel quòd res ipsa vtilem habet admonitionem, vt regna regesque exemplum capiant, vel quia præsens locus de obtenebrando hoc regno, accuratiorem postulare exegesin videbatur. Quanquam verò quod ad tenebras attinet, poterat hæc interpretatio, nihilo minus transferri ad posteriora tempora illa pontificiæ sedis, sub Romano nunc Antichristo, obtenebratæ. Quòdsi enim tenebræ hoc loco, casum & ruinam sedis designant, quis non videt, quanto ex splendore, & culmine sublimitatis, in quantum nunc contemptum & ignominiam inciderit, penèque in ludibrium, apud omnes gentes, abierit superba hæc sedes, ob turpissima simulatæ religionis mēdacia? & meritò. Digni enim sunt, qui cum cæteras omnes ecclesias, in contemptum & in tenebras coniecerint, vt & ipsi, pari vicissitudine, omnium contemptui pateant tandem, tenebrisque cooperiantur.

Obtenebratio regni pontificij per prædicationem verbi.

Verumenimuerò mihi superior ratio arridet magis, vt phiala quinta, ad tempus illud referatur, in quo regnum hoc superbiæ, vbi tamdiù sedit Antichristus, per Gothos, Hunnos, Vandalos, Rugios, & Lombardos, deiecta sit ac desolata. Id quamobrem suspicor in causa est, quòd eadem hæc phiala quinta, temporis ordine sextam proxime sequentem præcedat, quæ flumine Euphratis, exsiccato, reges ab oriente admiserit. Quod in Saracenos & Turcas rectissime quadrare videtur. Sequitur porrò:

Obtenebratio regni Romani per Gothos Hunnos & per barbaras gentes.

Et commanducauerunt linguas suas præ dolore, & blasphemauerunt deum cæli, præ doloribus, & vulneribus suis, & non egerunt pœnitentiam ex operibus suis.

Cum omnis rerum humanarum gubernatio, hominumque siue felicitas, siue aduersitas, non nisi ex summo parte luminum, tanquam ex suprema causa, cœlitus proficiscatur, nihil certè conueniebat magis, quàm vt homines in omnibus, quæcunque ferenda ipsis imponuntur, se suaque omnia, sub potenti manu dei, humili prostratione submittant, cunctàque ad sacram illius voluntatem, accepta immissaque referant, qui nihil nisi summa ratione dispensare solet, ac ne velle quidem possit. Ita vt si dextrè succedant res, gratias ei agant: Sin tristioribus afficiantur plagis, causas perquirant sedulo, inflictæ calamitatis. Quas si à seipsis ortas intelligant, ferant igitur non molestè sed modestè, quæ commeruerunt, ac matura reducti pœnitentia resipiscant. Illud enim est, quod diuina potissimum spectat gratia, in ijs quos flagellis castigat iustitiæ.

Cum pacientia ferenda omnia quæcunque a deo inferuntur siue aduersa, siue læta.

At contra nescio quo modo, miseri mortales, ita se plerique gerunt, vt siquid rei lætioris contingat, minima pars gratiarum ad deum redeat, sed sibi, suæque fortunæ imputant. Si quid eueniat, vnde doleant acriùs, adeo nulla ducti pœnitudine, à consuetis malis sese non retrahunt, vitamque in meliùs corrigunt, vt in blasphemias etiam apertas erumpant, citiùsque linguas, ac labra præ dolore commordeant, quàm corda sua reuellant ab ijs, quæ perpetrarunt, sicut his euenire videmus, de quibus tum superiùs, tum hoc ipso præsenti loco, agitur.

Impiorum erga deum ingratitudo.

Impiorum impœnitentia.

Primum enim ab Alarico victi, ac subiugati Romanenses, mitiùs ab eo aliquanto tractati, percutientem dei manum minus agnoscere videbantur, vnde duriores mox plagas experti sunt, per Vandalos & Rugios. Durissimè demum per Totilam, flamma, ac ferro vexati, vrbe incensa, ac solo æquata, pulsi extra sedes, in miserimas redacti sunt angustias. Quanquam nec sic quidem domiti, ducti pœnitentia ad dominum se percutientem reuertebantur, sed lachrymas & preces, in blasphemias, doloris magnitudine potiùs consternati, quàm religionis studio commoti, conuerterunt. Vnde exasperata magis diuina in eos iracundia, Lombardos excitauit, qui fœda seruitute, totam Italiam suæ subiectam potestati, ad annos 204. perdomuerunt; gentemque olim florentissimam, crassis ignominiæ tenebris, ac caligine inuoluerunt, Vt rectè in his locum haberet, quòd Esaias Propheta verbum domini non audientibus comminatur, cui etiam Ioannes

Romanenses afflicti per Gothos Vandalos Rugios Longobardos vix tandem post multos annos castigantem dei manum agnouerunt, sed deteriores reddebantur.

alluisse

illuſiſſe aliquo modo videatur.

Quodſi non dixerint ſecundum verbum hoc, non erit eis matutina lux, Et tranſibit per eam, & indurabitur, & eſuriet, & cũ eſurierit iraſcetur, & maledicet regi ſuo, & deo ſuo. Et ſuſpiciet ſurſum, & ad terrã intuebitur, & ecce tribulatio & tenebræ, diſſolutio & anguſtia diſperſa, & non poterit auolare de anguſtia ſua, &c. De quinta ſatis: Pergamus ad ſextam phialam. Eſaias cap. 8.

SEXTA PHIALA.

ET ſextus Angelus effudit phialam ſuam in flumen illud magnum Euphratem, & ſiccauit aquam eius, vt præpararetur via regibus, ab ortu ſolis.

DE SEXTA PHIALA, SEXTI ANgeli, variaque eius interpretatione.

SExtus hic Angelus, cum ſua phiala, quid nobis ominatur, rei ſiue ſecundæ, ſiue aduerſæ, non ſatis inter doctos, ea de re, conuenit. Illud certum, cum vaſa hæc cœleſtis iracundiæ, emiſſa à deo proficiſcuntur, ad calamitates infligendas, non leuè eſſe oportet, quicquid ſit, quod ſexta hac vrnula effundendum portenditur. In quos autem, quo loco aut tempore, per quos adminiſtros, iracundia hæc dei caſura ſit, reſtat modò excutiendum. Mittoque hîc primum antiquas priſcorum patrum incertas diuinationes. Cum enim Prophetica hæc vaticinia, nõ niſi ex rerum euentu, ac temporum hiſtoria, rectè perſpici queant: haud mirum eſt, ſi qui longius ab his abfuerint temporibus, haud minus abfuiſſe ab iſtarum rerum recta intelligentia videantur. Priſcorum autorum interpretationes incertæ.

Venio ad noſtros, qui quo viciniores hiſce vixerunt temporibus, hoc certius, ex ipſo rerum euentu, de rebus iudicare potuerunt. Quorum nec ipſe diligentiam illaudo, nec iudicia repudio, neque equidem diffiteor vera eſſe, quæ de veteri nouaque Babylonia, hoc loco docte non minùs, quàm argutè diſſerunt. Cæterum an genuinum Prophetæ ſenſum ſatis exprimant, nonnihil addubito. Quod, quo dilucidiùs conſtare poſsit, verba primum autoris attendamus, ſimulque cum circumſtantijs prophetiæ, iſtorum conferamus expoſitiones.

Agit autem Ioannes hoc loco, de multis, primum de Regibus, de viæ præparatione ab ortu ſolis, de Euphrate eiuſque exſiccatione &c. Age & reges iſtos, quoſnam eſſe dicemus? Sunt, inquiunt, fideles eccleſiæ doctores, & prædicatores verbi. Quid ita? Sic enim miniſtri in ſcripturis, ſacerdotes & reges, deo facti dicuntur. Eſto quidem, neque enim negandũ, quod cum ſcriptura libentèr fatemur. * Feciſti, inquit, nos deo noſtro reges & ſacerdotes, regale nimirum ſacerdotium, &c. Rectè, & quid hinc ſtruitur tandem? Vt via, inquiunt, ab oriente præparetur. Reges ſunt ſacri Chriſti miniſtri, & præcones verbi. Miniſtri ergo fideles, & præcones verbi, veniunt ab oriente. Reges ab oriẽte. Viæ præparatio. Euphratis exſiccatio. Circumſtãtiæ perſonarum. Reges ab oriẽte quid ſignificent.

* Audio ac reſpondeo, Vt vt verum hoc ſit, honorario Regum nomine, quandoque in ſcripturis, pios miniſtros, & prædicatores Euangeli) commendari, non ſequitur proinde vbicunque regum in literis ſacris fit mentio, miniſtros protinùs euangelicos ſignificari. Feciſti, inquit, nos reges deo noſtro, verum quidem, at non hominibus tamen, nec in mundo reges ſunt. Addamus huc verba Petri: Vos, inquit, eſtis genus electũ, regale ſacerdotium, gens ſancta, &c. Non de

* Apocalip. cap. 1.5. 1. Pet. 2.

* Miniſtri fideles quomodo reges dicuntur 1. Pet. 2.

solis scilicèt ecclesiastis, sed de vniuerso electorũ genere hoc innuens, quare aũt dicèt oportet, vniuersum electorum genus, quod Petrus Regale vocat sacerdotium, ex oriente prouenisse, ab ijs desiccari Euphratem, ac funditùs protritam esse Romanam sedem: aut fieri certè non posse, vt hic in solos ministros accommodetur.

Orientis interpretatio iuxta quosdã. Haymo. Zacharias. cap 6. Primasius in Apoc. Aretius. Luc. 2.

Pergamus porrò: Et vndè, quæso, egrediuntur Reges isti? Ab oriente, inquit, Ioannes, & ab ortu solis. Rectè, & quid sub oriente hoc, aut ortu solis significari dicemus? Oriens hic, inquiunt, Christus est. Iuxta illud Zachariæ: Ecce vt oriens, inquit, nomen eius. Vnde Primasius: Idcirco, inquit, ab ortu solis venire dicuntur, quia à domino vocantur, qui est verus sol iusticiæ &c. Sic Aretius, Reges inquit, dicuntur orientis, hoc est vere fideles, qui reges sunt & sacerdotes altissimo. Quin eadem ratione magos illos, qui ab oriente accesserant ad Christum, reges & sacerdotes altissimi existimemus, quia ab oriente, hoc est, à Christo, ad Christum accesserunt adoraturi.

Locus, pro persona non rectè accipitur

Iam verò quàm nulla ratione id conuenit, nec solet vsquam in scripturis audiri, vt locus pro persona quoquo modo accipiatur? præsertim cum locus non singulari numero, sed in plurali positus, vnicam personam significare non potest. Quòdsi Ioannes Christum hîc intellexisset, sub voce Orientis, voluisseteque non locum, sed personam significare, nunquam sub eo numero, rem expressisset: ἀπὸ τῶν ἀνατολῶν, sed singulari potiùs numero vteretur, ἀπὸ τῆς ἀνατολῆς, quemadmodum Lucas de miseratione dei in Christo intelligens, in quo, inquit, ἐπισκέψαλο ἡμᾶς ἡ ἀνατολὴ ἐξ ὕψους, Rursúsque Zacharias de Christo sentiens, ἰδοὺ ἀνὴρ, inquit, ἀνατολὴ ὄνομα αὐτῷ.

ἀπὸ τῶν ἀνατολῶν. Luc. 1 Zachar. cap. 6.

De loco audistis, vnde exeunt reges, quorum præparatur via, non à sole, sed ab ortu solis, vt dictum est. Age, & quo dirigunt iter? quo tendunt? aut quo pergunt denique? Restat modò, vt audiamus. Nempe, ad Babyloniam, inquiunt, diruendam. At vndè id colligunt? præsertim cum nulla hîc auditur apud Ioannem mentio Babyloniæ? At dicent, opinor, ex verbis prophetæ dilucidum esse. Sic enim Ioannes:

Circũstantia loci.

Et sextus Angelus effudit phialam suam in flumen illud magnum Euphratem, & siccauit aquam eius, vt præpararetur via regibus, ab ortu solis.

Siccatio Euphratis quid significat, iuxta quosdam. Herodotus lib. 1. Xenophon lib. 7.

Ex his ita ratiocinantur plerique interpretes, ad hunc modum alludentes ad verterem historiam, de capta Babylonia. Quemadmodum enim à Cyro, & à Dario Medo, prior Babylon, vt aiunt, debellata est, per desiccationem Euphratis, vt apud Herodotum, & Xenophontem clarissimè constat: Ita non dubium est, quin Ioannes huc alludens, quod olim euenit superiori Babyloni, idem nunc de spirituali Babylone futurum intelligat. Illic quamdiù Euphrates pleno inundauit alueo, firmo propugnaculo munita erat ciuitas, aduersus vim hostilem. At postquam siccatum est flumen, reflexo per alia diuerticula, aquæductu, militibus facilis patebat irruptio in Ciuitatem.

Babylonis propugnaculum, Euphrates. Papatus Romani propugnacula.

Nec alitèr se res habet in spirituali sede Antichristi, nisi quòd hoc solum interest, nempe quòd prior illa Babylon, vnum illud munimentum haberet, flumen scilicèt Euphratem. Habet autem Romana hæc Babylon, non vnum, sed plura vastaque propugnacula. Quænam illa? Tributa, inquiunt, Vectigalia amplissima, priuilegia, prædia, opes, census, principum applausus, Imperatorum addicta suffragia, Regum coniurata consilia, totius denique populi obsequia, quotquot Christo & beato Petro debent obedientiam. Accedit huc conuocata conciliorum autoritas, purpuratus Cardinalium senatus, mitræ, pallia, indulgentiarum emporia, Monachorum & rasorum ordines, Iesuitarum seminaria, qui non modò ad causæ defensionem, sed ad mortem etiam pro Antichristo, se deuouent. Adde huc signorum ac titulorum fumos, compositas hypocriticæ simulationis fraudes, schemata, prætextus, legum edicta, non atramento, sed sanguine con-

Munimenta & propugnacula Romani papatus.

scripta

ſcripta.

His alijſque id genus præſidijs, atque præſtigijs munita hactenùs res ſtetit Romana, aduerſus omnem periculi metum. Nunc verò ijs denudata ſubſidiarijs adiumentis, quo ſe ſuſtineat, nihil habet reliquum, ſic enim diſputant noſtri: Quod vtinam verum eſſet. Magno certè malo orbis Chriſtianus liberatus eſſet. Sed age, Vndè docebunt verum hoc eſſe, quod aſtruunt? Nempè ex hac, opinor, demonſtratione, quam in breuem, vt aiunt, ſummam ſic complectuntur, alludentes ad veterem Babylonem, in hanc formam: Nam ſi Roma, & Romanus Papatus, cum ſuo Antichriſto, ſit quædam Babylon (quod negari non poteſt) quicquid ergo roboris potentiæ, opulentiæ habet Romanus Papatus, quibus nitatur, eſt alter quidam Euphrates. Qui autem Romano Papatui pericula vltima quæque creant, ſunt quaſi duo illi vetuſti reges, Cyrus ſcilicèt, & Darius, ab ortu, id eſt, à Media, & Perſide, cum ſuis copijs venientes.

Roma omnibus ſuis denudata præſidijs iuxta noſtros interpretes.

Babylon, Roma, Euphrates Cyrus Darius.

Quibus, vt pari vicißim breuitate reſpondeam: Scio non nullam habere quidem iſta veri ſimilitudinem, ſi externam ſpectes rerum hiſtoriam. Scio Babyloniam veterem olim communitam fuiſſe Euphrate, vaſto flumine, quo demum ſiccato per Cyrum, & Darium, vrbs mox in poteſtatem venit hoſtibus. Scio & Romam Babylonem eſſe quandam, quæ & flumen ſuum magnum Euphratem, ſuas munitiones habeat. Porrò nec dubium eſt, quin, vt flumen hoc magnum deſiccatum eſt aliquando, per reges ab oriente, ſublatæque ſint omnes munitiones eius: Ita veniet, Veniet ſine dubio, ſumma dies, & ineluctabile tempus, quo Roma, & Romanus Papatus, qui nunc reges terræ in prælium congregat contra Chriſtum tam hoſtiliter, efferturque cum Lucifero vſque ad cœlum ipſum, ad inferos vſque cum dæmonibus tandem deprimetur, luetque æternas ſanguinis effuſi pœnas, in luctu & tormentis nunquam finiendis. Sicque ſpoliata demum mater illa magna fornicationum, omnibus diuitijs, delitijs, & ornamentis, mittetur tanquam ingens molaris lapis, in barathrum damnationis profundiſsimæ. Atque in hoc hactenus omnes, opinor, ſatis conuenimus. Tantum inter nos diſcrimen eſt, non in re adeò ipſa, ſed in ratione duntaxat temporis.

Superior interpretatio refellitur.

Argumentum à ſimilitudine.

Apocalip. cap. 18.

In damnatione magnæ meretricis, nulla inter interpretes diſſenſio.

Quod enim Ioannes propriè tribuit ſeptimæ phialæ, & quintæ, ſiue quod ad excidium Romanæ ſedis, ſiue quod ad eius obtenebrationem attinet, id iſti ad ſextam transferunt, adducti, opinor, mentione deſiccati Euphratis, in ſexta hac phiala, hincque ita colligunt, ſub alluſione hac Euphratis deſiccati, exterminium Romani papatus ſignificari. Non rectè tamen, meo quidem iudicio, cum apud Ioannem, longè aliud ſenſus ſpirat prophetiæ. Id cur ita cenſeam non deſunt certæ rationum perſuaſiones, quas hic ſi liceat, non grauabor ordine exponere. Ita tamen nequis iſta à me dicta, aut adducta accipiat, quaſi contendendi aut aduerſandi ſtudio, ac non diſcendi potius ac conferendi gratia, producantur.

De tempore quo exterminanda ſit meretrix error interpretum.

Rationes cur excidium Romani Papatus in ſexta hac phiala minimè intelligitur.

Excuſatio autoris.

RATIONES, QVIBVS INTERPRETATIO ſcriptorum quorundam, ſuper ſextam hanc Phialam refellitur.

PRimùm verba Ioannis de ſiccato Euphrate attentè aduertamus, *Et ſiccata eſt aqua eius &c.*

Prima ratio.

Verum hoc: At cur ſiccata ſit aqua, cauſam modo perpendamus. Quippe ad expugnandam, inquiunt, Babyloniam: deinde ſub eius typo, ad Romanum Papatum, per reges orientales, prorſus excindendum. Vtinam certè, nihil enim optabilius. Sed vndè iſtud liquebit? cum ex verbis prophetæ, nulla auditur Babyloniæ aut Romæ mentio? Neque enim ita Ioannes dicit, ſiccatam eſſe aquam, aut præparatam

Cauſa deſiccatæ aquæ apud Prophetam, exquiritur.

tam viam regibus, ad vastandam Babylonem, ad vastandam Romam. Sed simpliciter, ait, ideo siccatum esse flumen, vt via regibus præparetur. In quem finem, aut qua causa aduentant Reges non hic exprimitur: at ex circumstantijs tamen mox sequentibus, facilè id colligitur, quod verò fortasse propius est: puta, non vt vrbs Roma, aut vna aliqua Ciuitas, per prædicationem verbi expugnetur, verum vt ipsi potiùs verbi prædicatores, ipsaque adeo Christi ecclesia ac fides publica, per externos hostes in periculum veniat: maiorque in orbe Christiano intelligatur dissipatio, quàm quæ vel ad vnam vrbem, aut paucas Ciuitates pertineat. De quo plura deinceps, Christi ope, inferius, in versu 13. & 14.

2. Ratio. Porrò, quod ad reges attinet, qui ab oriente aduocantur, quid hinc struũt audiamus. Nempè, ex eo assumũt sacerdotes & pios ministros significari, qui ab oriente populaturi sunt Papatũ. Quid ita? Testante nimirũ euangelica ipsa veritate, qua deo nostro reges dicimur, & regale sacerdotium. Sit Ita: At hîc rursus admoneamur oportet, huius honoris titulum, nec cuiuis ministro deberi, nec soli huic ordini competere, sed in genere ad omnes patere Christianos, quotquot Christianæ fidei complectitur vniuersitas. Neque enim quisquam audiuit vnquam, nec fert scripturæ ratio, eos qui prædicationis vacant ministerio, regum cognomento appellari, vt Esaias, quum admiratur pedes annunciantium bona, pacem prædicantium, nusquam tamen eos reges nominat. Ex quo intelligas huius allusionis vocabulum, nequaquam in hanc hominum sortem propriè cadere, sed in alios, quorum via ab oriente à domino præparatur.

Regale cognomentum non propriè in ministris tribuitur.

Esaias, cap. 52.

3. Ratio. Tertia ratio; Iam vt hoc donemus, ex prædicatione Euangelij, magna ex parte, obrupta propugnacula, imminutas vires, regnumque bestiæ obtenebratum esse. Quod nec quisquam inficiari potest. Scio enim multos à deo excitatos, atque à Christo (qui verus sit sol iusticiæ) vocatos esse proximis his annis, pios doctosque verbi ministros, quorum salutifera opera, noua quædam lux euangelicæ doctrinæ orbi cæpit illucescere; vnde plurimæ vrbes, nationes, ac integra regna, hinc inde à Romana obedientia, iam indies magis magisque descisc unt. Porrò nec dubium sit, quin magna sedi incussa sit obtenebratio: quod nemo non videre potest. Attamen, quum de hac ipsa obtenebratione superiùs in quinta phiala à propheta præmonstratum sit, id quod & omnes isti in suis fatentur commentarijs, nihil causæ video, cur idem nunc in sequenti hac phiala retractari quisquam putet, nisi nullam interesse differentiam inter quintam, & sextam phialam existimemus: quod dictu perabsurdum fuerit.

Obtenebratio Romanæ sedis ad quintam phialam spectat.

4 Ratio Quarta dehinc sequitur ratio, seu demonstratio potius. Qua necessario refellitur istorum interpretatio, qui phialam hanc sextam referunt ad extinctionem Romanæ sedis, per prædicationem verbi, quum rectiùs referenda sit ad extinguendam prædicationem verbi, per Papatum ipsum Romanum. Iam verò quod arguunt ex siccata aqua Euphratis, per Cyrum & Darium regem, oppressum fuisse regnum Babylonis: vt verum hoc non negemus, iuxta externam historiam; non tamen proindè consequitur in hac sexta phiala, reges orientales, aut ministros Christi ideo excitatos esse, vt vrbem Romam omnibus spolient opibus ac munimentis. Habet Roma suum quidem tempus, certissimæ mactationi destinatum, quando nullum meretritiæ sedis vestigium relinquetur.

Argument. deficcato olim ane Euphrate per Cyrum, vastata est Babylon: Ergo siccato rursus Euphrate in sexta hac phiala, vastabitur Roma, per ministros verbi, negatur consequentia.

Tempus destruendæ Babylonis.

Cæterum ex præsenti quidem loco, hoc colligi non potest, vel hoc maximè argumento, quod hæc ipsa bestia sedesque Romana, congregare dicitur reges totius terræ in prælium, ad diem magnum omnipotentis dei, sicut in versu 14. consequitur, sub ijs verbis: *Sunt enim*, inquit, *spiritus dæmoniorum, facientes signa, & procedunt ad reges totius terræ, congregare illos in prælium ad diem magnum omnipotentis dei.*

Quod

Quod quo modo fieri posset, non video, si quidem iuxta istorum interpretationem, omnes vbique populi, reges, & regna totius terræ, ab obedientia Babylonici Antichristi prorsus desciscerunt. Ex quo satis perspicitur, quàm non conueniat horum interpretatio cum præsenti phiala, qui locum hunc de siccato Euphrate, vel ad historiam Cyri, vel ad exterminationē pontificiæ sedis accōmodant: Quarum altera multo antè scriptam Ioannis Apocalypsin præcesserat, altera dehinc sequitur in septima phiala, quæ tota occupatur in descriptione Babylonicæ extirpationis, vt suo loco posthac inferius, si voluerit dominus, docebitur.

Quod proprium est septimæ phialæ, in sextam phialā nō rectè transfertur.

Interim, quod ad præsentē attinet phialam, aut longe me fallit coniectura, aut aliam habet illa interpretationem. Qua de re, si liberum mihi permittatur effari, quod sentio, dicam, si non quod verum sit, quod videtur tamen.

Apocal. cap. 9. Interpretatio sextæ phialæ, iuxta sensum autoris.

Ita siquidem mea fert coniectura, phialam hanc sextam respondere sexto Angelo, cum sexta sua tuba, cap. 9. à quo soluti sunt quatuor Angeli, in flumine magno Euphrate alligati, qui parati erant in horam & diem, & mensem, & annum vt occiderent tertiam partem hominum. Et numerus equestris exercitus vicies millies, decem milia, &c.

Equestris hic exercitus, quin Turcas & Tartaros, eiusq; viciniæ orientales populos, vltra flumen Euphratem, demonstret nemo est, opinor, qui ambigit, vel ex ipsa multitudine inusitata, vel ex strage hominum hinc consecuta, res facile colligi poterit. Occisa quippè ab ijs dicitur tertia hominum pars: Itidem neq; aliter, mea quidem ratione, de sexta hac phiala sexti Angeli, sentiendum est in qua eadem planè res, licèt alijs verbis, ac diuersa descriptione, significatur. Quemadmodum enim solutis quatuor Angelis, qui prius alligati in flumine Euphrate, cursum eorum impedientes, egressi ordines equitum, longè lateq; euagabantur per partes occidentales, ad exscindendam tertiam hominum partem, igne fumo, & sulphure quæ procedebant de ore ipsorum. Eadem allusione dicitur & hoc loco, siccari aquas Euphratis, vt preparetur via regum ab ortu solis aduentantium, qui non nouæ Babyloni vastitatem inferrent, sed qui coniunctis simul cum Babylone viribus, vniuersam potiùs ecclesiam Christi impeterent, tertiámq; eius partem, per tres immūdos spiritus ex ore eorum egredientes, obruerent: quod & euentus ipse indicat. Quid enim, an non Turcæ Orientales, cum suis Bassis & Mammalucis, infesti christiani nominis hostes plusquam tertiam ecclesiæ partē Christo auulserunt? An non Romana bestia ex altera parte, cum Dracone in necem piorum conspirans, reges totius terræ, & copias hostiles quotidiè conglomerat in prælium aduersus sanctos. Quid quæso illustrius? quæ demonstratio manifestior? Pergamus in descriptione huius phialæ.

Vide supra cap 9.

Sextæ tubæ, & sextæ phialæ, mutua cōuenientia.

Plusquam tertia pars Christianiorbis per Turcas occupata.

13 *Et vidi de ore Draconis, & de ore Bestiæ, & de ore Pseudopropheta, exire tres immundos spiritus in modum ranarum.*

14 *Sunt enim spiritus Dæmoniorum facientes signa, & procedunt ad reges terræ, congregare illos in prælium, ad diem magnum omnipotentis Dei.*

A tempore Apostolorum.

Post tot cruentas pugnas, & bellorum furias, quibus hactenùs concussa est innocua Christi ecclesia, autore Satana eiúsque Archistratego Antichristo, venitur nunc tandem ad atrocissimum prælium, idemque omnium nouissimum. In quo, de summa rerum concertabitur, vtra pars victura sit, aut casura imperpetuū: Agnus, an Draco, Christus, an Antichristus. Qui contra Christū armantur, tres militiæ duces ἀρχηγοὶ, ac principes primarij instruuntur. 1. Draco. 2. Bestia. 3. Pseudopheta. Draco, Satan est. Bestia, Romanus Pontifex. Pseudopheta pro Turca Mahumetano accipitur. Atque ex his tribus, tres immundi spiritus, instar ranarum exeūt.

1 Draco.
2 Bestia.
3 Pseudopropheta.

In quo perspicuè discrimen ab oculis ponitur, inter regnū Christi, & huius mundi. Sicut enim Christus per spiritum sanctum, res ecclesiæ suæ sustinet, fouet, ac gubernat, per quem animos suorum sanctificat, ad pacem instituit, ad patientiam componit: Contra res habet in gubernatione huius seculi, cui princeps præ-

Quo spiritu ecclesiā suam regit Christus.

Quo spiritu immundus

Draco & Antichriſtus regnum ſuum gubernat.

eſt Satan, vbi regnat Antichriſtus, dominatur Pſeudopheta. Quorum omnis adminiſtratio per ſpiritus immundos regitur & gubernatur, non ad pacem inclinaris, ſed bella ciens, ad prælium Reges concitans, vbi nihil ſanctum, nihil ſpirituale aut diuinum, ſed omnia furoribus & tumultibus concitata, immundicijs fœdata vniuerſa. Eóque ſpiritus immundi dicuntur, quia ſpiritus ſunt Dæmoniorum,

Spiritus dæmoniorum ranarum inſtar.

quos ἐις ἐκόνα ranarum depingit propheta. Sicut in cænoſis & paluſtribus lacunis, ſqualleт fæteque maximè hoc ranarum genus, quo nihil aſpectu deformius, fætore ſordidius, aut voce inſuauius, eadem & immundis his ſpiritibus Dæmoniorũ rectè reſpondet ſimilitudo, in quibus nihil ſanum, aut ſyncerum, plena omnia

Spiritus illuſionum.

errore, hæreſi, illuſione, putidiſſimis præſtigijs, mendacijs fabulis, & efficacia ſeductionum, qua omnes in peſtiferas errorum illuſiones pertrahunt, veritatem

Turciſmus.

dei oppugnant, cultum illius, in cultum Beſtiæ & Draconis tranſferunt. Sic Turca cum ſuis Saracenis, & Calypha, Mahumetum ſummum Pſeudoprophetam,

Romaniſmus.

pro ſummo propheta venerantur. Sic Romanus Archymyſta, ſeſe pro vicario Chriſti, pro Petri, & Pauli ſucceſſore mentitur, quo nihil falſius, nihil fallacius.

Papa cum ſuis ampullis.

Denique quum ſuperbus Lucifer nihil ſpirat aliud, quàm glorias pompas huius mundi, ampullas, gazas, latifundia, patrimonia, regna, diademata, ſeruum tamen ſeruorum verbis ſe profiteri non pudet. Quin nec deeſt Satan choragus ipſe totius fabulæ, cum ſuis methodijs, & conſutis phrenapatijs, quibus falſa pro veris

Satan faſcinator Archidux prælij.

ſuggerit. Hincque impurus faſcinator, credulas regum mentes ſuis ludibrijs effaſcinat, in ſuas partes pertrahit, in prælium conglomerat ad diem magnum omnipotentis Dei.

De prælio igitur audiſtis, de inſtructo exercitu, de paratis copijs. Confluunt enim reges terræ, cum Dracone, cum Beſtia, & Pſeudopropheta, prælium inituri contra Chriſtum, & cœleſtem eius militiam pugnaturi. Reſtat nunc de loco

Locus pugnæ.

& tempore pugnæ, de exitu, de euentu victoriæ. In quem tandem finem & cataſtrophem, hæc cadit tragœdia, audiamus: ſi tamen pauca priùs quæ neceſſario præmonenda ſunt, ex propheta obiter ſubijciamus: Sic enim verſu 15. ſubſequitur.

15 *Ecce venio ſicut fur: Beatus qui vigilat, & cuſtodit veſtimenta ſua, ne nudus ambulet & videant turpitudinem eius.*

ADMONITORIA PRÆPARATIO AD iudicium, deque incerta eius propinquitate.

IMpiorum hæc ferè conſuetudo eſt, quo maiorem dei patientiam perſentiunt, in ferendis malis, hoc efferatiores redduntur ad lædendum: Quoniamque tardius iram illius procedere vident, nunquam venturum eſſe iudicium putant. Antichriſtus cum eccleſia ſua malignantium, tanto iam tempore, totque ſeculis ciuitatem dei dilectam perſecuti ſunt. Ideoque quoniam res ſuas adhuc ſtare & florere videt, hinc ſibi in ſuo ſcelere impenſius blandiuntur, quaſique re bene geſta, pergũt indies pro ſua tyrannide, in Chriſti eccleſiam crudeliter graſſari, nunquã crudelius tamen, nunquam atrocius, quàm nouiſſimis ijs temporibus. Ita vndique quibus

Triplex agmẽ armatum, contra populum dei.

maximè poſſunt viribus, ſynceram fidei profeſſionem, Chriſti cultum, euangelij gratiam oppugnant, idque non ſuis ſolum nec paucis copijs, ſed triplici agmine muros Hieruſalem cingunt, quorum primam aciem Draco ipſe occupat, Secundam Antichriſtus, Tertiam Pſeudopheta poſſidet. Porrò ne quid deſit virium, adhibentur ſupplendis agminibus Reges non paucarum gentium, ſed totius terræ. Nec dubium denique, quin maxima pars totius populi, tum ex Catacatholicis, tum ex gentibus, huic militiæ admiſceantur, ſuſpicantes ita ſe tutiores fore,

Reges totius terræ, pro Antichriſto contra Chriſtum.

non

non si meliori, sed maiori se parti adiunxerint. At longè isti cæca falluntur opinione, quod olim magno suo malo experientur, nisi rectiùs admoniti, maturè sapiant. Nesciunt enim quid serus secũ vehit cunctorum dierum vesper; Nec vident, quid miseris immineat mortalibus. Veniet enim sicut fur, in nocte, repentinus & fatalis dies, qui vno momento, gentes, nationes & populos, communi muoluet exitio, quoscunque incautos, imparatos, aut aliud agentes offenderit. Quocirca clementissimus dominus, pro immensa sua misericordia, qua vult omnes saluos fieri, ne quem inadmonitũ prætereat, amica & salutarj τῇ παραινέσει animos hominũ anticipat, atque in tempore, ne cum tempore pereant, præmunit.

Ecce venio, inquit, *sicut fur. Beatus, qui vigilat, & custodit vestimenta sua &c.*

Pia & salutaris admonitio.

Pia cumprimis & diuina commonefactio, qua supinam mortalium oscitantiam excitat dominus ad vigilandum, adiecta familiari similitudine nocturni grassatoris: Qui nunquam irrumpit in alienas ædes, nisi ex improuiso, tum cum se minimè expectari persentiat. Quòd si igitur vigilare solent homines, ne externis bonis excutiantur, quanto magis nobis vigilãdum, ne tanto potiores animæ thesauros amittamus. Discamus igitur moniti maturè sapere. Discant, videantque reges terræ, priúsquam descendunt in certamen, contra quem pugnant, pro quibus dimicant. Videant & hi quos dominus dispensatores rei præfecit familiari, vt, peregrè agente hero, familiam curent illius diligenter, ne tyrannidem in eam exerceant, ne crapula inebrientur, luxúque ac voluptatibus æs prodigant domini sui. Denique caueant ac vigilent vniuersi homines, vt custodiant vestimenta sua.

Repentinus iudicij aduentus.

Admonitio ad Reges terræ.

Ad ministros ecclesiæ.

Ad vniuersos mortales.

DE VESTIMENTIS CVSTODIENDIS.

ET cur vestimenta? Quid, an nihil est, quòd amittamus amplius præter amictum & vestitum? Occurrit hîc altera figura metaphorica; Intelligamus enim oportet, non simplicitèr hîc agi de externis indumentis, quibus ad luxum plerunque ac ornatũ induimur, cæterum de internis potius. Quod ad externum autẽ cultũ attinet, vsus ipse vestium considerandus est, cui potissimum causæ subseruiunt. Adhibentur enim vestimenta in hunc maximè finem, vt corporis tegant turpitudinẽ, partim ab iniuria cœli tueantur. Nec refert, quàm præciosa sint, aut agrestia, modò corpori tegendo seruiant. Sic Adam, sic Eua, cum soli & nudi essent, recens pulsi è Paradiso, tegendæ suæ nuditati, quæ locus, & tempus proxima ad manum suppeditabat, arripuerunt. Eandem natura curam & solicitudinem, præ cunctis animantibus, solis ingessit hominibus, vt quamlibet inculte se vestiri malint, quàm vt nudi conspiciantur.

Duplex amictus.

Vsus externarum vestium.

Adam & Eua suum pudorẽ tegunt.

Sed fit, nescio, qua morũ temporũque prauitate, vt quæ præsidia nobis natura dedit ad honestatem & necessitatẽ, ea nunc vertunt homines ad materiam superbiæ, non contenti ijs, quæ simpliciter membra tegant, nisi sumptibus vestiarijs prodiosa quadã insania, sese totos cunctasque facultates exhauriant: Quãquam nec negauerim vestium apparatus habere suam conuenientiam, & diuersitatem. Aliter vestiuntur Reges pro sua dignitate, aliter subditi. Vndè Christus: Qui mollibus induuntur, inquit, in aulis Regum sunt. Rursus, qui mulieribus congruit apparatus, non idem mox viris conuenit. Quanquãm & has ipsas etiã fœminas, ad sobriam temperantiam reuocat D. Petrus quarum ornatum, non externum esse vult, qui situs sit in plicatura capillorum, & additione auri, aut in palliorum amictu, &c.

Abusus in vestibus.

Sumptuosa hominum ambitio in cultu.

Apparatus vestium habet suam conuenientiam & diuersitatem. Mat. 11. 1. Pet. 3.

Nunc verò quid hîc dicendum, imo quid exclamandum de præsenti seculo, quod non homines, sed monstra hominũ gignere videtur. Quid enim monstrosius, prodigiosis, & plusquam prodigiosis vestium formis, quas indies nobis gignit Italia, Gallia, tum maxime omnium Anglia hæc nostra: Vbi viri non modo virilem modum, sed muliebrem etiam vanitatem exuperant. Sic culti, vt non partes corporis

Prodigiosæ vestium formæ his temporibus.

obuelent, ſed oſtentant potiùs. Deſino de ijs plura dicere, quia deſunt vocabula, quibus prophanas has vanitates exprimam. Ad prophetam redeo, qui rectè admonet, vt veſtimenta cuſtodiamus, non monſtris his ſimilia, quæ abijcienda ſunt potiùs, ſed de his ſentiens, quæ verè nuditatem noſtram obtegunt.

Duplex indumentorum ratio: Externa, Interna.

In quo id primùm teneamus: vt duplex eſt nuditas, ita duplex eſt indumentorum ratio, altera externi corporis, altera interni. Quod ſi tantopere cauere ſolemus, ne nuda corporis noſtri dedecora foris pateant oculis intuentium, quanto magis vigilandum, vt veſtimenta interni pudoris cuſtodiamus, ne nudi ambulemus in conſpectu æterni numinis, videantúrque interna probra turpitudinis noſtræ? Iam verò quibus potiſsimùm indumentis interna hæc noſtra nuditas obueletur, in eo non omnes forſan Theologi conueniunt.

Indumenta quibus interna noſtra nuditas maximè tegitur apud deum

Maxima pars, omnia trahunt ad virtutes morales, piáſque vitæ actiones. In quibus vniuerſam formam, & pulchritudinem iuſtitiæ humanæ conſtituunt. Sed nimis curta hæc ſupellex eſt, ad tegendam miſeram nuditatem noſtram, in conſpectu dei, ne videatur. Vnicum duntaxat tegumenti genus eſt, quo id præſtetur, præterea nullum. Illud autem indumentum cuiuſmodi ſit, indicabit D. Paulus, nemo rectius. Induamini, inquit, Dominum Ieſum Chriſtum: Tutiſsimus hic ſolúſque amictus eſt, & veſtis nuptialis, qua occultentur omnis immundiciæ noſtræ

Rom. cap. 13.

Veſtis nuptialis.

τὰ σκύβαλα, non vt ne ſint, ſed vt ne imputentur. Quomodo autem induitur hæc panoplia, idem nos docet alibi, ad Galatas ſcribens: Nam quicunque baptizati eſtis, inquit, Chriſtum induiſtis.

Chriſtus induendus.

Per fidem igitur Chriſtus induitur. Sic enim ille; Omnes enim filij Dei eſtis, eò quòd credidiſtis Chriſto Ieſu. Gal. 3. Hunc itaque amictum ſi poſsidemus, retineamus ſtudioſè: ſi nondum tenemus, quæramus ante omnia hanc margaritam, quærentes vt Chriſtum inueniamus, inuentum vt amplectamur, qui à patre nobis donatus eſt, ſicque donatus, non vt ipſe ſolum iuſtus ſit, ſed vt ſit iuſtitia noſtra. Hoc paludamento quiſquis opertus incedit, tutus eſt ab omni dedecore. Sine illo, nullum reſtat turpitudinis noſtræ tegendæ Pharmacum, neque in cœlo neque in terra.

Gal. cap. 3.

Chriſtus iuſtitia noſtra.

His igitur præmoniti conſilijs, vigilemus omni adhibita cura, vt Chriſtum ante omnia induamus, ſicque cuſtodiamus veſtimenta noſtra, ne nudi ambulemus, videantque turpitudinem noſtram. Id facilè fiet, ſi ſeria ducti pœnitentia, ad Chriſtum ex animo conuertamur, in illum nos totos immergamus, totamque in illum ſpem tranſferamus, vt in illo inueniamur, non habentes iuſtitiam noſtram, quæ ex lege eſt, ſed illam, quæ ex fide eſt Chriſti, quæ ex deo eſt, iuſtitia in fide, ad cognoſcendum illum, & potentiam reſurrectionis eius, &c.

Optima turpitudinis tegendæ ratio.

Phil. cap. 3.

Antipophora.

Nec tamen hæc eo pertinent, quaſi à fidei communione, cætera charitatis officia, & beneficentiam erga proximos ſemoueam. Habent hæc, ſcio, laudem ſuam apud deum & apud homines. Non igitur honeſta hæc pietatis opera ac benemerita in proximos collocata excludo: Cauſas tantum, & effectus rerum excutio, quid fides, quid opera per ſe apud deum efficiant. Si quæratur, quæ ſola cauſa ſit, quæ miſerum peccatorem iuſtificet, quæ latronẽ dextrum in Paradiſum euexerit, quæ Publicanũ iuſtiorẽ Phariſæo domũ remiſit, quæ Mariam peccatricem ſaluam fecit, quæ gentes feras & barbaras deo reconciliauit, reiectis cum operibus iuſtitiæ ſuæ Iudæis; quæ filios nos deo gignit, regnique hæredes aſcribit, quæ cœlum aperit, peccata expurgat, opera noſtra commendat deo, quæ alioqui nullum haberent apud deum locum; quæ vincit mundum; quæ Satanam expugnat; quæ tela illius ignita extinguit, hæc omnia quin ſoli debentur fidei, haud dubium eſt.

Fides ſola quid præſtet apud deum.

Obiectiuncula

Age, & quid igitur inquies ſanctorum operibus relinquetur, ſi ſalutem omnem ſola fides perficit? Si hoc vno ſatis inſtructi viatico ad vitam videamur, quid pluribus opus operum bonorum officijs? Si ſola hæc ſatis ſit veſtis, ad tegendas deformitates, quorſum Ioannes veſtimenta nos cuſtodire monet, non de vna loquens veſte, ſed de pluribus?

Ad

Ad hæc diluenda, non multis opus erit verbis. Quod pijs quidem debetur operibus, nemo detrahit. Imo cum Apostolis, cum Christo ipso, ad omnem vigilãtiam, dignãque Christiana professione conuersationem inuitamus sedulò. Planéque fidem improbamus illam, quæ nullo recte agendi studio permouetur. Rectè igitur monet Ioannes ad custodienda vestimenta, quibus significatur timor Domini, fiducia in Deum, innocentia, vitæ puritas, beneficentia erga poximos, &c. Quæ omnia, vt vigilanter ab omnibus custodiantur vestimenta, necessaria ratio est. Age, & quid tum postea? Ergo cum nec vestis vna sit, nec fides sola, quæ nuditatem tegit, sola proindè fides non est, quæ iustificat.

Responsio ad obiectionem.
Fides nullo recte agendi studio excitata, nulla est.
Vestimenta quid significant, apud Ioannem.

Quin eadem dialectica concludant Arborem, aut radicem, quæ natura sua ferax sit, & fœcunda, causam non esse solam suorum fructuum, quia fructus, tanquam effectus, causam necessario consequuntur. Nec aliter de fide existimandum est, quàm quia solam esse in iustificando affirmamus, non ideo nudam, aut solam à charitate pijsque operibus relinquimus. Quemadmodum enim arbor, quæ bona est, fructus ædit bonos, qui tanquam effectus sequuntur, non præcedunt causam, vt testatur Augustinus, nec arborem ipsi bonam reddunt, sed ab ipsa boni efficiuntur: Itidem fides in Christo filio dei, quæ viua vigensque sit, etsi in iustificando sola sit apud deum cui per se semper placet; apud homines tamen in externa actione nunquam sola, est sine charitate, nec vnquam bonis destituitur operibus, quibus tanquam vestimentis induimur, atque à nuditate defendimur, non propter merita operum, sed propter fidem, à qua proficiscuntur. Vnde rectè Ioannes beatum pronunciat, qui vigilat & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, sentiens nimirùm de fide, & operibus, quæ ex fide Christi, filij Dei promanant. Nam alioqui, quod ad vestimenta ipsa bonorum operum attinet, nunquam illa spurcitias nuditatis nostræ tegerẽt, imo augerent magis, nisi fides esset Christi, quæ personam primum, deinde opera ipsa personæ causa, commendaret Deo. Quæ alioqui sine fide, aut ante fidem, adeo nihil iuuant, vt Augustino nihil videantur aliud, quàm magnus cursus extra viam.

Obiectio.
Dilusio obiectionis.
Fides in iustificando apud Deum sola, in operãdo apud homines non sola.
Vestimenta tegunt, & non tegunt.
Fides Christi personam deò commendat, persona commendat opera.
August. ex prologo Psal. 31.

Quapropter in custodiendis vestimentis, quisquis consilium Angeli rectè asseruare voluerit, duplex ei adhibenda cautio est: Primùm, ne opera sua quantumuis præclara, quoquo modo fide careant. Deindè, ne fides, quam foris iactat, quantumuis gloriosè, operibus dignis destituantur: vtrinque enim graue subest periculum. Nec facile scias, vtro in genere, siue hinc ad Scyllam, siue illinc ad Charybdim sæpius impingunt mortales. Primum multos videas, qui in inculcandis legis præceptis, vitaque secundum canones instituenda, ingenti se contentione defatigant, addunt hùc inuocationes, satisfactiones meritorias, vota, vigilias nocturnas, ordinis regulas, & austeritates, plagas præterea sibi inflictas. Totas denique conciones de præceptis, de consilijs, de obedientia, vitæque austeritate, audies; in quibus nulla ferè Christi mentio, nec vllum de fide verbum ingeritur. Putántque satis hæc supérque esse, quæ iræ dei opponant. Quod falsum atque delirum esse, duplici ratione ostenditur.

Duplex cautio
Operum merita periculosa.
Opera nostra nullo modo satisfaciunt.

Primum, quòd opera nostra, quæcunque secundum legem perfectissimè etiam à nobis, in fragili hac carnis infirmitate geruntur, aut geri possunt, ex se tamen imperfecta sunt, ieiuna, deo exosa, nihiloque meliora, quam panniculus mulieris menstruatæ. Quæ licèt in scripturis nonnunquam deo placere dicuntur, ampliſque præterea præmijs coornantur, nequaquam tamen propria ipsorum causa id factũ existimemus, sed fidei, sine qua iudicium dei sustinere nulla ratione queant, nihiloque nos meliores reddunt, quàm seruos tantùm, planéque inutiles, etiam quũ fecerimus omnia. Rectè & præclarè August. Quid meruimus, interroget iustitiam, inueniet pœnam, interroget misericordiam, inueniet gratiam &c. Idemque alibi: Væ laudabili vitæ hominum, si remota misericordia discutias eam. Quia autem non exquiris delicta vehementèr, fiducialiter speramus. Nec male Ber-

Prima ratio.
Opera per se imperfecta sunt.
August. lib. cõfessio 9. cap. 13.

Bernardus in Sermo.de Anunt.B.Mer.

nardus: Perſpicuum autem ſit,idem homines ſancti opus,& peccatum eſſe, & optime factum,ſed diuerſis reſpectibus. Peccatum eſt,& malũ ſecundum rigorem iudicij dei,quia illud opera ſanctorum bona ferre non poſſunt, iuxta illud : Non intres in iudicium cum ſeruo tuo,quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.

Bona ſanctorum opera iudicium dei ferre non valent.

Altera ratio,quur bona opera nihil per ſe conferunt ad ſalutem æternam, ex ſcripturis in hunc modũ petitur: quòd ea ſolum promiſsione dei gratuita nititur, abſque omni operum conditione, teſte D. Paulo. Si ex operibus, inquit, iam gratia non eſt gratia. Alioqui ſi ex operibus daretur vita æterna, cur igitur excluſis operibus, ſimpliciter promittit dominus? Qui credit in me habet vitam æternam. Rurſuſque fides tua te ſaluum fecit. Recte Fulgentius : Ex gratia datur non ſolum iuſtificatis vita bona, ſed & glorificatis vita æterna: Quod Pauli prædicatione tenemus compertiſsimum. Gratia autem dei, inquit, vita æterna in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Gratia autem cur dicitur, niſi quia gratis datur: audiamus de eo Auguſtinum. Si gratia eſt, inquit, gratis datur. Quid eſt gratis datur? Gratia conſtat. Nihil boni feciſti, & datur tibi remiſsio peccatorum. Attenduntur opera tua, & inueniuntur omnia mala. Si quid deberetur iſtis operibus, deus redderet, vtique damnaret. Non tibi deus reddit dèbitam pœnam, ſed dat indebitam gratiam. Ex quo vides gratiam & meritum ita inter ſe contraria pugnare ex diametro, vt nulla ſimul ratione cohæreant. Vnde acutè & grauiter Auguſt. de meritis operum diſputans: Moueas licet in bonis operibus laertos, & videaris nauim optime gubernare, in ſaxa feſtinas.

Secunda ratio quur opera per ſe nihil cõferũt ad ſaluté. Rom.cap.11. Fulgentius.lib. 1.ad Monimũ. Rom cap.6. Auguſt. 1. Quinquagena ex prolog. Pſal.31.

Gratia & operum merita, contraria ſunt. Auguſt.de meritis operum ex Prologo Pſal.31.

Quæ cum ita ſint, vt nulla omnino ſit ſalus, niſi in gratuita dei promiſsione, per fidem Domini noſtri Ieſu Chriſti conſtituta: Deindè nec vlla ſit fides vera, niſi quæ viua ſit parens bonorum fructuum. Vtrinque cauendum eſt; Primùm ne vana lactati ſpe, ſalutem ac remiſsionem ita in operibus quæramus, vt vltroneam dei gratiam quoquo modo euacuemus. Quin nec minus ex altera parte admonendi ſunt, qui fidem, & Euangelij profeſsionem verbis crepant tam magnificè,ne quo modo fidem factis dehoneſtent, verũ vt omni adhibita vigilantia, operum veſtimenta cuſtodiant, ne nuda fides reperiatur. Non quod ſola ea ſine operibus non iuſtificet,ſed ne iuſtificans illa fides, nuda aut ſola ſine operibus bonis appareat, quæ alioqui ſine acceſsione bonorum operum, non vera fides, ſed ficta, pictáque potius vmbra fidei dicenda eſt: Cuiuſmodi Hypocritarũ τῶν ἀθεων, & Epicureorum eſſe ſolet, quorum plena hodiè ſunt omnia, maiorque quotidiè creſcit frequentia. Quo magis admonendi ſunt, quotquot ſaluti ſuæ conſultum cupiunt, maturè vigilent. Non procul abeſt ſuprema agni victoria, qui cum ſanctis triumphabit in ſecula. Sic igitur nos geramus, ne imparatos dies triumphalis offendat. Sic Chriſtum Dominum induamus, ſic profiteamur, vt profeſsioni vita reſpondeat. Sic veſtimenta cuſtodiamus, vt nec fides operibus denudetur,nec opera fide deſtituantur : ſine qua nihil iuuant apud deum, neque apud homines,ſecuti ſaluberimum illud Apoſtoli conſilium: Diſcedat ab iniquitate, quiſquis nominat Dominum Ieſum Chriſtum. Faxit Dominus Amen.

Duplex admonitio.

Fides non ſola eſt ſine operibus. Ergo fides ſola non iuſtficat. Fallax Argum. Athei,Epicurei admonean tur.

Opera cũ fide coniungenda.

Poſt hæc hortamẽta,redit denuo diuinus vates ad cæptã narrationẽ de prælio,& prælij loco,in quo cõcurritur ab hoſtibus cõtra pios cœleſtis doctrinæ profeſſores.

16 *Et congregabit illos in locum,qui vocatur Hebraicè Harmageddon.*

DE LOCO PVGNÆ HARMAGEDDON.

Exercitus innumerabilis deſcriptio.

DE copijs militaribus, & numeroſo exercitu eorum, qui huic conſcribuntur militiæ,de Ducibus item & Regibus totius terræ,cum ipſorum ſatellitijs iam ante partim attigimus. Quod ad numerum autem & multitudinem attinet armatorum

torum militum, nunquam auditum arbitror exercitum in terris huic cõsimilẽ. Quid enim illic deesse potuit militaris potentiæ, vbi cum Dracone mundi principe, cum Bestia, cum Pseudopropheta, eorũq; agminibus, principes etiã gentiũ, Regesq; non paucarum nationum, sed totius terræ, coniunctis simul subditorum viribus, descendere in aciem dicuntur, tot militum myriades aduersus pusillum Christi gregem congressuri? Quis dubitare possit, quam in partem hæc cadat victoria? Verùm de exitu victoriæ, mox paulo in septimi Angeli phiala, Christo duce, videbitur. Interim de loco prælij destinato, quid verba ferunt Prophetæ, exequamur.

In locum, inquit, *qui hebraicè vocatur Harmageddon*. Vnde haud obscura præbetur æstimandi copia, quid de fine huius duelli, vel ex loco ipso, & vocabuli mysterio, conijciendum sit, cum Harmageddon nominat. De huius verò vocis interpretatione, non exigua occucurrit inter eruditos ambiguitas: Quorũ alij aliud, pro suo quisque captu iudicant. Quibusdam Harmageddon ex Hebræa Etymologia accipitur pro monte furum, vel pro consurrectione iniquorũ testium. Sic Richard. de S. Victore, eumque sequutus Thomas. Apud Bedam significatur hoc vocabulo, consurrectio iniquorum testium, seu mons gibbosus; Alij exponunt excidium riui, Alij exercitum vastationis. Apud Haymonem, quem sequitur Thomas, appellatur mons à latrunculis, vel mons globosus à multitudine populorum. Addit Lambertus vocem hebræam compositam esse, ab Har, quod est mons, & Geded fructus, vt sit mons electorũ pomorum. D. Chytræus inter eruditos cum primis celebris, quem honoris causa nomino, dictionem hebræam ita deducit, ab Herem, quod sonat maledictum, & Gad & Gedõ quod significat exercitũ accinctũ ad prælium. D. Gul. Fulconẽ nequeo præterire, quem vt sæpe lubenter nominare soleo, ita iudicio plurimum tribuo. Qui post citatam quorundam expositionem, qui legendum putant Charmageddon, id est, deuotum excidio agmen: tum ipse propius in eorum sententiam concedere videtur, qui vocem hebraicam Harmageddon, Gnarmagednon legunt, id est, astutiam excidij, vt sensus sit, Principes in eum locum adducendos esse, fraude dæmonum, vbi excidio perirent.

Harmageddõ.
Richard. de S. victore.
Thomas.
Beda.
Haymo.
Thomas.
Franc. Lãbert.
D. Chytræus.
Gul. Fulco.

Aretio aliter placet, dici nomen à Chaitz, quod est anathema, & Gedad, quod sonat turmam & exercitum. Theod. Bibliander cum Bullingero prorsus concinens, aut hic potius cum illo ita existimant, verbum Harmageddon Syriacum esse. Arma siquidem Syris, idem est, quod occisio aut excidium. Gedon Syris est riuus. Vnde Armagedon pro excidio riui non incommode accipiatur.

Aretius.
Theod. Bibliander.
Bullingerus.

Inter veteres Augustinus rem prorsus silentio intactam præterit. Aretas verbo quidem vno aut altero attingit, sed ita, vt nihil dixisse omnino videatur. Idem & de Andrea Cappadociæ Episcopo censendum: Qui leui pede transiliens hunc locum, ex voce Armageddon nihil aliud, quàm intercisionem denotat. Abbas Ioachim apertè suam ignorationem in hac re confitetur,

Augustinus.
Aretas.
Andreas Cappadociæ episcopus.
Abbas Ioach.

De Petro Artopæo, de Sebastiano Meyer, & August. Marlorat. qui verbis Sebastiani totus insistit, quid multa dicam? Qui ad Etymon hebraicæ compositionis, rem totam reuocant. Sic Artopæus, ab Harma, seu Haram, quod significat anathema vel execratio, & Gadod, quod significat incursionem facere, Harmageddon deriuat. Sebast. Meyer, huncq; secutus Marloratus, ita interpretantur, vt Harmageddon significet exercitum vastitatis, siue occisionis, putantq; ita potiùs scibendum Harmah Gedoron.

Petrus Artopæus.
Sebast. Meyer.
August. Marloratus.

Non erat animus, minúsque ferebat otium, vt in his commemorandis tantum aquæ perderem, faciendum tamen existimaui, quo hisce ob oculos legentium propositis, pro suo quisq; delectu ex singulis excerperet, quod maxime probaretur.

Mihi verò cæterorũ infimo & postremò, ordinẽ & naturam rei, reliquasq;

Autoris coniectura de Harmageddo.

loci, temporis, & personarum circumstantias perlustranti, simulque cum historia rerum in veteri testamento gestarum conferenti, nihil omnino causæ videtur, cur in voce Harmageddon, docti scriptores adeò se torqueant, cum res per se satis sua luce clarescat. Quis enim tam hospes est in lectione veteris testamenti, qui non nouit Mageddon, non Appellatiuum, sed nomẽ esse propriũ, certi cuiusdam loci, aut Ciuitatis, ad quam propriè alludit hîc Ioannes, cuius frequens etiam sit mentio in literis sacris: veluti Iosue 12. & 17. Iudicum, 5. Zachariæ. 12. 2. Reg. 9.

Harmageddõ proprium loci nomen.

Iosue 12. & 17. Iudic. 5. Zach 12. 2. Reg. 9.

Ciuitatis Harmageddon cur mentio inducitur.

Cur autem Ioannes hanc vnã Ciuitatẽ præter cæteras, in descriptione huius prælij commemorat, haud obscura ratio est, si quis rem rectè introspiciat, exitumque admirandæ victoriæ, vtrinque cum historia conferat, libro Iudic. cap. 4. & 5. descripta. In qua mira quadam similitudine, adumbratur cœlestis huius pugnæ typus tam graphicè, vt nihil videri possit expressius.

Conditio & status Israelitarũ, tempore suorũ Iudicum

Quod quo plenius appareat, historiam veteris testamenti attentius intueamur, simulq; cũ historia conferamus. Cum permultæ illustres claruerunt victoriæ apud Israelitas, tempore Iudicum, quos excitauit deus ad restituendam populi sui libertatem, tum nulla admirabilior meo iudicio enituit, ad Sampsonem vsque, quàm hæc ipsa in terra Chanaan, ad quam adludit hoc loco Ioannes. Tãta tunc tyrannide premebatur populus dei, sub rege Iabin & Sisera, per annos viginti, vnde nulla videbatur omnino elabendi spes, nisi deus pro infinita sua misericordia manum adiunxisset.

Exempla diuinæ misericordiæ in opitulãdo.

Aug. lib. de Ciuit. cap. 18.

Vnde discamus viribus nostris minimè fidendum esse, sed potentiæ dei, qui & hodiè sepænumero in rebus deploratis, robustissimas aduersariorum copias, per imbecilles vermiculos debellat atque peruincit. Huius argumenti non desunt passim exempla, tum alijs in libris, tum maximè in eodem hoc libro Iudicum, quos duodecim, quidam tredecim, numerant, spacio annorum. 329.

Eglon Rex Occisus. Ehud Scæua. Samp. contra Philistæos.

Sic ab Eglon Rege oppressos suos vindicauit Deus, per Ehud, dextra manu captũ. Sic per Gedeonem à Madianitis liberauit: Per Sampsonem à Philistæis, per alios item ab alijs. Nos ad historiam præsentem, quæ in manibus versatur, reflectamus.

Iabin. Rex Chanaan victus, occisus. Deborah. Sisera manu Iahel. Occisus.

Agitur enim de insigni & stupenda expeditione illa, in qua dominus exercituũ, singulari potẽtiæ miraculo, per Deborham imbecillẽ fœminã, populũ suum è diuturna & ineluctabili seruitutis tyrannide eripuit, quã Iabin Rex Chananæus, & Sisera dux belli exercitatissimus, contra Israelitas, per viginti annos exercuit. Quod néq; rarũ est in populo dei exemplum, ita siquidẽ omnium ætatum cõmunis fert experientia, Vt nunquã deo defuit in mundo ecclesia sua, ac peculiaris quidã cætus, in quo mirabiles potentiæ suæ, iustitiæ, & misericordiæ vires elucent: ita eadem hæc ecclesia semper suos habet coniuratos aduersarios, deo rebelles, ecclesiæ infestos, quos etsi æterna sua benedictione excludit dominus (de ijs loquor qui destinata malitia deo se opponunt) tamen in præsenti vita multis eos bonis ditat, honoribus ornat, diuitijs ac delitijs cumulat, pergentes in peccatis suis, quoad in perpetuam tandem præcipitentur miseriam.

Ecclesiæ nunquam desunt oppugnatores

Felicitas reproborum in hac vita.

Contra res habet in peculiari sorte electorũ dei. Qui si quando à recto religionis deflectant cursu, spretoq; dei cultu, turpi se idololatria polluunt, nec auscultãt verbo dei, nec ambulãt in via domini, sequuntur mox atroces pœnæ, dignaque diuinæ seueritatis animaduersio, qua effrenem populi sui petulantiã restringat, ad pœnitentiam conuertat, atque in officio contineat. Eaque causa solet dei iudicium in domo ipsius incipere, teste Petro, non quo perdat, aut cum impijs abijciat, quos delegit in populum suum, sed vt castigatos in hoc seculo in viam reuocet, clamantes exaudiat, atque miserijs eripiat. Sicut accidit veteri olim populo, qui typum tunc gerebant Christianæ ecclesiæ: Sic enim Israelitas olim Deus ex Egypto eductos, atque per deserta transuectos, in terra collocauit promissionis, quæ lacte

1. Pet. cap. 4.

Ex lib. Iosuah.

&

& melle manare dicebatur, occisis die vno, vno & trigintà regibus, pacisceus cum eis hac conditione, ne quem locum gentibus idololatris in suis finibus permitterent, aut commertium cum eis haberent. Perspexit enim id quod res erat, diuina prouidentia futurum, vt prauo improborum exemplo, & consuetudine, in idololatriam falsosque cultus facile pertraherentur. Quod & euenit: Mortuo siquidem Iosuah, sublatisque senioribus, qui prius opera spectabant dei, ideoque populum in ordine aliquo continere potuerunt.

Exempla diuinæ seueritatis & clementiæ erga suos.

Postea emerserunt demum posteræ generationes, feceruntq; filij Israel malum in oculis Iehouæ, pactumque eius nefariè violarunt, magis quàm patres eorum, ambulando post deos alienos, seruiendo eis, & incuruando se eis. Dereliquerunt autem Iehouam, & seruierunt Baal, & Astharoth. Et iratus est furor Iehouæ, tradiditque eos in manũ diripientium, & vendidit eos in manum inimicorum eorum in circuitu, nec potuerunt vltra cosistere coram inimicis suis. Dixitq; Iehoua: Eo quòd transgressa est gens ista pactum meum, quod præcepi patribus eorum, nec obedierunt voci meæ; Etiam ego posthac non expellam quenquam à facie eorum de gentibus, quas reliquit Iehosua, vt per eas tentem Israelem, sint ne seruaturi viam meam, &c.

Lib. Iud cap. 2.

Itaq; iratus est furor domini contra Israel, venditq; eos in manum Chusani regis Aram, cui seruierunt annos octo. Clamauerunt autem filij Israel ad Iehouam, suscitauitq; illis primùm Othonielem fratrem Caleb: qui egressus in prælium contra Chusan, obtinuit, perfregitq; tyranni potentiam: Vnde quieuit terra quadraginta annis, quoad in viuis esset Othoniel.

Iratus deus cõtra Israelit. Chusan Rex Aram. Othoniel excitatus contra Chusan.

Post hæc, redeunt iterũ ad ingeniũ Israelitæ, diuinã indignationẽ exasperantes. Pugnauit itaque contra eos Eglon Rex Moab, qui adiunctis sibi filijs Ammon, & Amalec, miserum in modum eos infestauit, spacio annorum octodecim. Ingrauiscente indies magis magisque intolleranda afflictionum asperitate, cum ferre amplius non possent, ad preces conuersi, clamauerunt ad dominum. Qui commiseratus tristem populi sui calamitatem, suscitauit eis liberatorem, Ehud virum sceuam, dextra manu captum. Quòd autem deus virum non potentem, non strenuum in oculis hominum eligit, facit suo more. Non enim Cesares non Augustos, non Præsules & Pontifices, ad restaurandum religionis suæ negotium, sed humilia contemptáque huius mundi deligit, quibus excelsa conuellit, molitionesque hominum quantumuis videntur inexpugnabiles, dissipat. Quid quod, mulieres nonnunquam magnis gerendis rebus adhibet. Quod exẽplis non paucis monstrari potest, in Debora, Iaele, Iudith, &c. Redeo ad Scæuolam nostrum: Qui excitatus à domino, ad Eglon regem accessit, cum muneribus missus ab Israelitis. Quid multis? Venit Ehud, munus obtulit, amorem Regis simulauit, sicam parauit, eam occultauit, abijt, redijt, quasi secretũ aliquid nunciaturus, solus solum adgreditur, tyrannũ præpinguem transfigit, mortuum reliquit, ostium clausit, incolumis euasit, paucis collectis copijs, reliquos debellauit, suos liberauit,

Eglon Rex Moabi, cui seruierunt Israelitæ. an. 18. Iudic. cap. 3.

Ehud Sceuola

Deus per infirma mundi, sæpe etiã per mulieres res magnas gerit.

Longum esset singula referre admiranda stratagemata, quæ per Iudices, diuina effecit manus in defensionem populi sui. Ex ijs nulla tamen insignior, quàm quæ proximo Capite Iudic. 4. & 5. in hæc describitur verba:

Iudic. cap. 4. 5

Addiderunt autem filij Israel facere malum in oculis Iehouæ, Ehud mortuo. Et vendidit eos Iehouah in manum Iabin Regis Chanaan, cui princeps exercitus Sisera. Et clamauerunt filij Israel ad Iehouam, quia nongenti currus ferrei erant ei, & ipse oppressérat Israelem fortitèr viginti annis. Deborah autem mulier Prophetis, vxor Lappidoth, iudicabat Israelem tempore illo, & ascendebant ad eam filij Israel, ad iudicium. Misit autem illa, & vocauit Barachum filium Abneam, nuncians ei ex præcepto domini, vt tolleret de filijs Napthali, & Zebulum, decem milia virorum in montem Thabor, futurum confirmans,

Iabin Rex Chanaan. Sisera. Captiuitas Israelis sub Chananeis. Deborah Iudex Israelis. Barach.

vt

» vt dominus ad se pertraheret ad torrentem Cison, Siseram, principem exer-
» citus Iabin, & currus eius, & multitudinem eius, traderétque eum in manum
» ipsius.
» Quid multis? Barach admonitus verbo domini, congregauit Zebulum, &
» Napthalim in Cedes, ascenditq; in pedibus suis, & decem milia virorum, as-
» cendit quoque cum eo Deborah.

Sisera armatus nongentis falcatis curribus mouet contra Israel.

Quod vbi audisset Sisera, congregauit omnes currus suos nongentos ferreos, & omnem populum, qui erant secum de Hasereth gentium, ad torrentem Cison.

Dixitque Deborah ad Barach: Surge, hæc est dies, in qua tradidit Iehouah Siseram in manum tuam, nonne Iehouah egressus est ante te?

» Victores Israelitæ contra regẽ Chananæorum.

Age, & quid sit tandem? Descendit Barach de monte Thabor, & decem milia virorum post eum. Et contriuit Iehouah Siseram & omnes currus, & castra vsque ad Hasareth gentium, & ceciderunt omnia castra Siseræ acie gladij, non remansit ne vnus quidem. Fugit autem Sisera pedibus ad tabernaculum Iael vxoris Heber Cinæi. Quæ demum inter dormiendum clauum malleo in tempus eius adegit, sicque prostratus ille humi, extinctus est.

Panalothria Chananæorũ. Sisera fugit, occiditur.

Iabin Rex Chananæorũ victus, occisus

Humiliauit itaque deus die illo regem Chanaan coram filijs Israel, adeoque inualuit fortitudo illorum contra Iabin regem Chanaan, donec ipsum prorsus exciderint. Hæcque hactenus ex historia Iudicum, de inuicta dei potentia, aduersus inimicos populi sui.

» Mageddo locus victoriæ contra Chananæos partæ. Iud. c. 5. ver. 19

Rectè, & vbi demum, quo in loco ædita est strages hæc Chananæorum? Indicat Deborah ipsa sequente capite vers. 19. Nẽpe iuxta aquas Mageddo. Sic enim illa: Venerunt, inquit, Reges, pugnauerunt, tunc pugnauerunt Reges Chanaan in Tanach & iuxta aquas Mageddo, desiderabile argentum non acceperunt, &c.

» Harmageddõ ciuitas montana.

Erat autem Mageddo Ciuitas in terra Chanaan montana, quam posteà muniuit Salomon, quoniamq; in monte sita erat, hinc Harmageddon dicitur. Har enim Ebræis mons est, hincque fluuius præterlabens nomen à Ciuitate Harmageddo traxit, ex quo aquæ Mageddo appellantur.

Aquæ Mageddo.

Dixi de Mageddo, & prostratis hostibus, à præpotente manu dei, iuxta aquas Mageddo. Vmbras rerum cum rebus nunc conferamus. Quis enim non videt hæc sub typo gesta esse, quibus res maioris momenti significentur? Id quod ex prophetica hac descriptione Ioannis palàm liquere potest. Rex Chananæus cum nongentis curribus falcatis, tantaque militari multitudine, quid nobis adumbrat aliud, quàm fremitus, & furores Regum & populorum, cum Satana, & Antichristo, aduersus dominum & Christum eius rebellãtium? Quid Deborah mulier inermis & inualida, nisi ecclesiam nobis repræsentat? Quid locus Harmageddo, eiusque ciuitatis, præ cæteris vrbibus, mentio in Apocalypsi adhibetur, nisi vt vniuersalem stragem hostibus dei paratam, atque in foribus imminentem designet? Hinc in monte Mageddo, siue in Harmageddo, locus huic expeditioni destinatus à Ioanne nunciatur sub his verbis:

Historiæ collatio.

Victoria Deborah, typus victoriæ ecclesiæ contra Antichristum.

Circumstantia loci, vbi parta est victoria.

Et congregauit illos, inquit, *in locum, qui vocatur Hebraicè Harmageddon.*

Circumstantia personæ, quæ pertraxit eos ad locũ pugnę.

Age, & quis congregauit eos? Quis obsecro, nisi qui Siseram ad torrentẽ Cison pertraxerat, summus videlicèt exercituum Dominus, Sic enim à domino ipso testatũ legimus. *Et pertraham te ad torrentem Cison Siseram principem exercitus Iabin, & currus eius, & multitudinem eius, &c.* Age, & qua causa, obsecro, in eum locum eos congregauit? Vt tradam eos, inquit, in manum tuam.

1. Cor. 9. Matt. 11.

Hæc illis in figura contigerunt, vt cum Paulo dicam, propter doctrinam vero nostram scripta sunt. Regnum dei vt vim patiatur, non nouum, vetus exemplum

emplum eſt à primis rerum primordijs. Nunquam caruit hoſtibus eccleſia dei, nunquam tamen pluribus aut grauioribus infeſtata, quam hiſce temporibus. Si ſolus Satan aduerſaretur, aut ſi cum ſolo Antichriſto nobis res eſſet, aut ſi pugnandum cum ſolo Pſeudopropheta foret, vel vna quæuis iſtarum rerum ſatis haberet moleſtiæ. Nunc tres iſti iunctis ſimul vmbonibus, cum regibus totius terræ, cum ſubditis, cum vniuerſa penè mundi colluuie, toto impetu communi coniuratione, vnanimi conſenſu, puſillum Chriſti gregem adoriuntur. Non aliter atque Iabin olim, & Siſera, poſt diuturnam Iſraelitarum afflictionem, vi tandem bellica, & curribus ferreis, eos diſcindere ac dilacerare nitebantur.

Reges totius terræ, autore Antichriſto, inſurgunt aduerſus dominũ

Exitus rerum ſpectandus.

Sed ſiſte interim, quiſquis es, pie Lector, ſta paulum, finem belli, cataſtrophem tragœdiæ ſpecta quo tandem latere cadet hæc alea. Nec te commoneant aduerſariorum infinitæ turmæ, ambitioſa iactationum crepitacula, terribiles armatorum acies, rurſus nec te deijciat diuerſæ partis exigua pucitas. Perindè deo eſt, in paucis atque in multis vincere, vt ait Ionathas. Non titulos verborum, aut externas hominum ſpecies, ſed cauſam rei perpende. Scio non deeſſe illis nec defuturas magnificas iactantiæ ampullas, ſublimes partium ſuarum defenſiones, glorioſos fucatæ oſtentationis fumos, fallaces prætextus de catholica ſua eccleſia, in qua, vt ex Auguſtino citant, ſemper Catholicæ viguit principatus, de ſucceſsione, de temporis antiquitate, de conſenſione doctorum, conciliorum autoritate: teſtimonia omnium ætatum & gentium, Antiſtites, Patriarchæ, Cæſares, Reges. Omnia, inquiunt, fidei noſtræ ſeruiunt, omnia nobis ſuffragantur, omnia nobis fidem vnam exhibent, quam Catholici profitemur. Quæ omnia cum falſiſsima ſint, meris confuta mendatijs, tamen maxima hominum pars, totiúſque penè orbis incolæ, neſcio quibus effaſcinati præſtigijs, in eaſdem ſimul partes conſpirant, vireſque cum ipſis confũgunt, pro Antichriſto contra Chriſtum dimicaturi.

Victoria ex deo eſt, non ex hominũ multitudine. 1. Reg. 14.

Falſæ Papiſtarum iactationes de ſua eccleſia.

Papiſtarum inanis de eccleſia ſua gloriatio.

Sed videant iſti etiam atque etiam, quid agant, cauſámq; non ex multitudine, ſed ex ſacris dei oraculis expendant, priuſquam deſcendunt in certamen, ne quod Chananæis iſtis vſu venit, in eundem & ipſi lapidem impingant, ni caueant. Quod ſi multitudo hominum, ſi armatorum copia, ſi robur belli, ſi currus ferrei, ſi Regum auxilia, ſi fauor, ſi plauſus mundi, quicquam hîc valuiſſet, quis non videt Chananæos, multis partibus ſuperiores fuiſſe Ebræis? Denique ſi temporis antiquitate res metienda foret, nemini dubitandum eſt, quin Iabin, Siſera, Eglon, cæterique terræ Chanaan inquilini, antiquitate poſſeſſionis, multo priores ac grandiores Iſraelitis fuerint: Siquidem Chananæi, ſi antiquitatem numeres, longo ſeculorum tractu, tempora Ioſuah præceſſerunt. Iactent quantum lubet antiquos ſuos maiores noſtri Catholici, quid hoc ad rem, ſi ipſi maioribus nulla conſanguinitate reſpondeant? Si deus non approbet, velitque pro Chananæis iſtis, nouos incolas in ſedes ipſorum inferere?

Admonitio.

Antiquitas téporis non præſcribit contra electionem dei.

Scio priſcis maioribus, viriſque Apoſtolicis ſuam deberi reuerentiam, nec diffiteor veteris Romanæ eccleſiæ aliquam apud illos viguiſſe celebritatem. Reſtituant igitur conſimilem nunc eccleſiæ formam, ijſdem moribus, exemplis, doctrina, pietate, cultu, antiquæ illi eccleſiæ conformem, vincant etiam ſine armis: Si nequeant, quid antiquitatem iactant, vbi nihil veteratum, omnia inuerſa, omnia innouata ſunt, niſi fortè vetuſtatem ſuæ vrbis intelligant? Quanquam neq; vrbs, ſi exædificationem ſpectes, adeo antiqua eſt, quum ſæpe totilam funditus ſuccenſa, ac ſolo æquata, per dies quadraginta, vacua ſine maſculo, aut fœmina iacuerit: Vnde nihil nunc Roma antiquum præter nomen duntaxat obtinet. Sed de iure antiquitatis, ſequente mox capite, fuſiùs, volente Chriſto, vbi de meretrice Babylonica agendum ſit.

Romæ nihil antiquum, omnia noua.

Romæ nihil vetus præter nomen.

Interea, ſi tam certa ſtat ipſorum opinio, de incorrupta ſuæ doctrinæ ſtabilitate,

bilitate, quam à primis ecclesiæ incunabulis acceptam, ab Apostolis, à patribus comprobatam, à Concilijs confirmatam, hucúsque puram putam, sartam tectamque ab omni nouitatis interruptione, penes se retinent. Hæc si ita per se clara & indubitata existant, vt ferunt, quid igitur tot muniti testibus, tot suffulti doctorum suffragijs, tanta conciliorum vallati autoritate, quid captant, quid postulant, quid moliuntur amplius? Quid opus bellico hoc apparatu? Quorsum bellum tam atrox indicitur? Quid arma hæc ferunt? Quorsum Reges totius terræ in prælium euocantur?

Age, & quæ causa tantorum tumultuum? Draco, Bestia, Pseudopropheta cum armatis Regibus, quid spectant, quid petunt? Pro quo dimicant, aut contra quos? Contra Christum? Non, sed pro Christo Christiq; causa inquiunt. Quid ita, quis iusit? Christus ipse emissis discipulis ad personandum Euangelij verbum, contra eos qui impedirent, aut auersarentur, nihil aliud, quàm puluerē de pedibus excutere iubet, ad diem iudicij causæ cognitionem referens. Paulus ad gentium conuersionem emissus, non armis, non vi externa rem agit. Arma siquidem nostra non carnalia esse, sed spiritualia confirmat, &c. Rursus, debemus nos qui potentes sumus, infirmitates impotentium portare, ac non placere nobis ipsis. Alibi, Si quis occupatus fuerit delicto aliquo, vos qui spirituales estis, instaurate huiusmodi spiritu mansuetudinis. Quibus igitur armis propugnatur Euangelium audistis ex Paulo. Arma nunc istorum cuiusmodi sunt, ex Ioanne accipiamus.

Christus causam Euangelij sui armis defendi nolit. 2. Cor. 10. Rom. 15. Gal. 6. Arma Euāgelij spiritualia. Arma Papæ carnalia.

Vt procedant ad reges totius terræ, ad congregandum illos ad prælium in diem illius magni Dei omnipotentis, & congreganit illos in locum, qui vocatur Harmageddon.

Non est quod multis hîc tecum agam, pie lector, de progenie hac viperarum, & ranarum, de tribus istis furijs, & facibus huius prælij. Satis perspicit tua prudentia quàm nihil sit tutum, nihil tranquillum, vbi dominatur Draco, Bestia, & Pseudopropheta, qui vt nihil minus ferre possunt, quàm gloriam filij dei, ita nihil sitiunt magis, quàm cædes, sanguinem, & interitum Christianorum. Sic deo visum est, peccata populi sui duris castigare flagellis, simulque ad patientiam exercere, per tres furias istas, longo iam tempore in nos emissas. Sicut Israelitas olim, à vero dei cultu diffluentes, varijs sæpe prælijs & cladibus diuexatos exercuit, per Chananæos. Philistæos, Madianitas, Amorrhæos, Moabitas, & consimiles, idque non vno, nec exiguo quidem tempore. Nunquam enim illis defuerunt hostes: Nunquam ferè, aut perquam raro tempus vacuum fuit, à seuera dei castigatione.

Draco. Bestia. Pseudopropheta. Flagella piorū in hac vita. Israelitæ per Chananæos similesque hostes, subinde castigati.

Cum primùm in terram promissionis diuina sorte adoptati sunt, non diù ocio & tranquillitate perfruebantur, quin subinde noui in eos hostes inualuerunt, à quibus in grauem sæpe seruitutem subacti sunt. Atque hæc prima eorum afflictio fuit, post promissæ terræ possessionem, quæ calamitas tempore Judicum, durauit annis trecentis, vno minus, à morte Iosuah, ad Heli sacerdotem. Augustinus numerat annos, vt dictum est, 329. supputans fortè a morte Iosuah, ad tempus regum. Talis igitur status erat populi Israelitici: Primum sub Iudicibus continebantur, deindè sub Regibus, quibus seruiebant vsque ad captiuitatem Babylonicam, non sine multis tamen, & continuis ferè perturbationum procellis. Deindè post captiuitatem, imperium tenuerunt Sacerdotes, vsque ad Messiam. Nec dissimilis conditio Christianæ etiam ecclesiæ existit: In quo externa Respub. Israelitarum nihil aliud, quàm typus quasi quidam videri possit eorum, quæ postea in ecclesia sunt consecuta, tam expressè vtrinque conuenit similitudo.

Afflictio Israelitarum in terra promissionis, annis 300.

Prima afflictio veterum Israelitarum tempore Iudicum sub Chananæis, Sidonijs, Hithæis, Amorrhæis, Perizæis, Hiuæis, & Iebusæis, durauit annos 299. Consimili

Collatio ecclesiæ Israeliticæ & Christianæ.

simili exemplo, si prima Christianorum persecutio ad calculum reuocetur, tempore suorum Doctorum, & Iudicum, anni fluxerunt 294. ad initium Constantini.

Posteà, gens Israelitarum gubernata est per Reges: Qui tamen non omnes cum pietate & laude vixerunt. Non aliter Christianorum Ecclesia, post Constantinum, per Reges, & Imperatores regebatur: E quibus non omnes tamen pij ac synceri euaserunt. Demùm post captiuitatem Babylonicam, pro Regibus successerunt summi Sacerdotes & Pontifices in gubernacula Israelitarum. Nec dissimili ratione postrema hæc tempora Christianorum se habent, quando excussis Regibus, & Imperatoribus, summam nunc rerum possident Pontifices Romani, & Cardinales, ab annis iam quingentis, inde adeo à tempore Hildebrandi: sicut & Ebræis consimili annorum spacio accidisse legimus.

1 Israelitæ primũ sub Iudicibus.
2 Israelitæ sub Regibus.
3 Israelitæ sub Sacerdotibus.
Ecclesia Christiana.
1. Sub proprijs iudicibus.
2. Sub Imperatoribus & Reg.
3. Sub Pont.

Iam porrò pressuras vtriusque populi consideremus, quæ non multum inter se dissimiles videntur, nisi quòd hostes fuerint dissimiles. Illi enim per vicinas nationes plerunq; infestabãtur. Ecclesia Christi, quo latius per omnes terras diffunditur, eò plures & acerbiores aduersarios sustinet. Ea enim propria ecclesiæ natura est & conditio, vt regnum cœlorum semper ferè vim patiatur, idque tantò virulentius, quantò vehementius contra mundum & Satanam militat. Nunquam autem vis hæc, cum tota mundi potentia, atrocius erupit contra verbum dei, quàm nouissimis his temporibus, maximè ab annis his trecentis: Quando solutus è vinculis Satanas, omnibus telis & machinis, Christi gloriam, eiusque calcaneum, impetit. Quin & circa eadem initia, cæpit Turca se armare contra ecclesiam adeoque grassando profecit, vt tertiam totius ecclesiæ partem Christo eripuerit.

Afflictiones vtriusq; ecclesiæ, Israeliticæ, & Christianæ.
Regnum cœlorum vim patitur. Mat. 11.
Satan solutus his trecentis annis.
Turca ecclesiam Christi infestans iam trecentis annis.

Ad hæc nec defuit porrò suis partibus Bestia illa, qua Romanus Antichristus significatur, qui quas turbas, quas cædes & strages innocentissimorum martyrum trecentis his annis ædiderit, legantur historiæ.

Antichristus sanctos Christi martyres impugnans trecentis iam annis.

Cæterum ab orbe condito, nunquam grauior parata pestis, nec vnquàm furiosius hucusque conspiratum fuit, ad ecclesiæ Christianæ exitium, quam hisce diebus. Ita furit nunc Satan, insanit Pseudopropheta, tumultuatur Antichristus ὁ θυμώδης, conspirat concilium vniuersum Tridentinum, inita occulta confœderatorum coniuratione, qua terra marique, vis comparatur, insidiæ struuntur, Reges totius terræ in prælium aduocantur.

Generalis conspiratio contra ecclesiam Christi postremis ijs temporibus.
Concilij Tridentini Antichristiana cõfœderatio.

De quo prælio agit hîc Ioannes. *Ad congregandum illos*, inquit, *in prælium diei illius magni Dei omnipotentis &c.* Age, & curdies hic magni dei omnipotentis dicitur? Quia etsi impij bellum cient, deus tamen omnipotentiam suam die illo, stupendo modo exeret, dabitque vitam suis, eamque sempiternam. Succubent enim autores belli, solusque Deus cum suis regnabit inæternum. Ideoque dies, vt dixi, magni dei omnipotentis dicitur, quia solus omnipotens pugnabit die illo, pro populo suo, cunctósque Euangelij hostes, quamuis in hoc mundo feroces, glorioso robore ac multitudine inuictos, repentino inuoluet exitio, iuxta oraculare hoc Ioannis vaticinium, de loco victoriæ sic admonens:

Dies magni Dei.

Et congreganit illos in locum, qui vocatur Hebraicè Harmageddon.

Quid hebraica hac voce significatur, supra explicatum est. Harmageddon autem hoc loco à propheta producitur, quo illustris dei omnipotentis victoria contra hostiles phalanges intelligatur.

Locus Harmageddon.

Quemadmodum enim Rex Iabin, Sisara, cæterique cum his Chananæorum Satrapæ, miseros Israelitas, quos diuturna seruitute, totos iam annos viginti oppressos

Similitudo victoriæ diuinæ

contra Siserã, & contra Antichristum.

preſſos, in perpetuam eos captiuitatem ſubiugare ſumma opè nitebantur: ſed fruſtra. Pugnans enim dominus exercituum pro puſillo ſuo grege, (puſillum enim dico, quòd tantum duæ tribus Zabulon & Nephthalim in bellum prodire ſunt auſi) vno momento vniuerſas hoſtium vires perfregit, exercitum ad internecionem deleuit, ad aquas Mageddo, ita vt nec vnus eorum vlus euaſerit: Iudic. cap. 4. Itidem nec diſsimile factum ſubeundum ſibi putent, quicunque pro ſede beſtiæ, tanquam pro aris & foci depugnant tam acriter, contra regnum Euangelij. Veniet enim dies magni dei omnipotentis, vt ait Ioannes, qui eos ad aquas Mageddo congregabit, vbi cæſis hoſtibus atque ad internecionem deletis, in æternum eos interitum peſſundabit: populum verò dei, poſt longas iniurias, & perſecutiones, ſempiternæ reſtituet libertati, iuxta victoriam Deborah, ad quam adludit Ioannes, Iud. 5. Venerunt Reges & pugnauerunt: Venerunt Reges Chanaan in Ianach iuxta aquas Mageddo, nihil tamen inde prædantes. De cœlo pugnatum eſt contra eos, ſtellæ manentes in ordine & curſu ſuo, aduerſus Siseram pugnauerunt &c. Age, & quando dies veniet huius victoriæ? Exponit Vates ipſe: Tempore nimirum, non ſexti, ſed ſeptimi Angeli. Ita enim ſequitur.

Iudic. 4. Victoria cœleſtis cõtra Antichriſtum, eiuſque ſatellites.

Iudic cap. 5.

Tempus diuinæ huius victoriæ.

17 *Et ſeptimus Angelus effudit phialam ſuam in aerem, & exiuit vox magna de cœlo a throno, dicens:*

Factum eſt.

Quemadmodum cætera omnia myſteria huius voluminis, ſeptennario ferè numero definiuntur, ſicut in ſeptem libri ſignaculis, deindè in ſeptem tubis oſtenſum eſt: Conſimile ratione hic accidit. Poſtquam enim variæ hactenùs Phialæ præceſſerunt ſingulæ cum ſuis plagis, tandem poſt has omnes ſeptima ſequitur Phiala, quæ ſummum humanis molitionibus colophonem imponit. Vndè vox ingens, in medio aere, exiuit à Throno, dicens: Factum eſt. Sicut ſeptima prius clangente tuba, facta ſunt omnia regna mundi huius, Domini noſtri Ieſu Chriſti. Vtque Chriſtus ipſe in cruce pendens, eadem ferè verba, conſummatũ eſſe conclamauit, ſignificans nihil reſtare ampliùs quod vel ad dolores ſuos, vel ad redemptionem noſtrã reliquum ſupereſſet: Ita non multum ab eadem figura abludere videtur hoc loco prophetica vox ſeptimi Angeli, è cœlo inclamãs, Factum ſeu conſummatum eſt: quaſi dicat Impleta nunc, ac finita menſura diuinæ iræ, quæ prius templum totum occupauit, vt nemo ingredi poſſet, nihil ſupereſſe, quod vel Draco, vel Antichriſtus, aut Pſeudopropheta, in moleſtanda eccleſia dei moliri poſsit amplius.

Septem libri ſignacula.
Septem tubæ.
Septem phialæ.
Vox ſeptimæ phialæ.
Factum eſt.
Vox Septimæ tubæ.
Vox Chriſti in cruce conſummatum eſt.
Vox Factum, quid ſignificat.

Satis iam ſatis Draco ſuis veneficijs orbem dementauit. Satis Antichriſtus Romanus, cum Pſeudopropheta tumultuati ſunt in mundo. Satis ſuperque feralibus ſuis pugnis, perſecutionibus, incendijs, inquiſitionibus, flammis, ac facibus, pyrachmones iſti miseram Chriſti eccleſiam concuſſerunt, dilaniarunt. Tulitque hucuſque deus conniuens pro lenitate ſua. Nunc euoluto demùm temporum curſu, venit præfinita tandem diẽs magni dei omnipotentis, qua verè dicere licebit de Antichriſtianis iſtis maſtygis, quod Cicero olim de Catelinarijs coniuratoribus dixiſſe fertur: Vixerunt. Quid autem, inquies, an non viuunt adhuc, vigent, valentque boni iſti viri? Scio ac video, nec mirum quidem. Quippe nondum ſextam phialam exceſsimus, qua permiſſum eſt iſtis à deo τοραγεύειν, nondum ad ſeptimum Angelum, vltimamque phialam peruentum eſt. Cogitemus, quid paulo ſuperiùs præmonuerit propheta. *Et impletum eſt templum*, inquit, *fumo, à maieſtate dei, & nemo poterat introire in templum, donec conſummarentur ſeptem plagæ ſeptem Angelorum.*

Dies Domini & victoriæ eius.

Vixerunt.
Supra cap. 15.

Durantibus itaque ſeptem his plagis ſeptem Angelorum, nulla immunitas à continuis laboribus, & plagis, in terris expectanda fuit. Atque de ſex quidem

Ira dei quando cõſummatur.

quidem prioribus plagis sex phialarum iam antè expositum est. De septima verò plaga septimi Angeli, quid ferat, ad quos pertineat, aut quid sonet vox illa de cœlo, Factum est, videant aduersarij. Nam ad eos proprie pertinere videntur, quæcunque septimus hic Angelus, cum sua phiala mundo ominatur. Quæ cuiusmodi sint, singula ordine describit proxima pericope.

18 *Et facta sunt fulgura, & voces, & tonitrua, & terræmotus magnus, qualis nunquam fuit, ex quo homines fuerunt super terram, talis terræmotus sic magnus.*

19 *Et facta est Ciuitas magna in tres partes, & Ciuitates gentium ceciderunt: Et Babylon magna venit in memoriam, ante deum, dare illi calicem vini indignationis iræ eius.* Zachar. cap. 13

20 *Et omnis insula fugit, & montes non sunt inuenti.*

21 *Et grando magna sicut talentum, descendit de cœlo in homines, & blasphemauerunt deum hommes, propter plagam grandinis; quoniam magna facta est vehementer.*

Cum his conferamus nunc ea quæ præcesserunt, de mirabili victoria Deboræ, ad aquas Mageddo, vbi deus omnipotens propria indutus virtute, miras potentiæ suæ vires exercuit. Victi enim sine manibus hostes vndique conciderunt. Sic enim in Cantico legimus: De cœlo dimicatum est contra eos: Stellæ manentes in ordine & cursu suo, aduersus Siseram pugnauerunt. Torrens Cison traxit corpora eorum, quorum nec vnus remansit &c. Collatio huius victoriæ, cum victoria Deboræ.

Quemadmodum igitur Stellæ de cœlo pro Deborah contra Cananæos pugnauerunt, ita alludens huc Ioannes, diuinam victoriam contra hostes Euangelij depingit, quæ nulla humana vi, sed armis solùm cœlestibus conficitur. Facta sunt enim Fulgura, inquit, voces, & tonitrua, & terræmotus, quo concussa Ciuitas magna in tres partes discinditur: Ciuitates gentium ceciderunt. Tum imprimis Ciuitas magna illa Babylon, quamuis glorioſa, meretrix cum suis fornicatoribus, dignas sua impietate pœnas luit, cuius ideo horrenda damnatio ad viuum descripta, oculis omnium hominum ad contemplandum mox subijcitur: Quemadmodum audiemus. Fulgura, Voces, Tonitrua, Terræmotus. Cõcussa ciuitas in tres partes Cadunt ciuitates Gentium. Meretrix Babylon damnatur. Omnis insula fugit. Montes non inueniuntur. Grando magna.

Accedit his porrò grando supra modum immensa ac talentaris, qualis ab orbe condito nunquam ante visa nec audita est. Denique fugit omnis insula, nec montes vsquam inuenti sunt amplius. Quæ omnia, quid portendunt aliud, quàm supremum iudicij diem, quæ finem rebus omnibus ac temporibus imponet? Dies Iudicij.

Quanquam non desunt, qui secus suspicantur, nondum his rebus finem denotarum, plenæ consummationis, sed præparationes has esse in aduentum Christi. Quid ita? Gentium enim Ciuitates, inquiunt, quæ ceciderunt, peregrinas, & falsas religiones designant, vt Turcarum, Iudæorum, & Barbarorum, quas omnes certùm est in aduentu Christi, vel paulo anteà abolendas esse. Quasi verò septima hæc phiala, aduentum Christi, & supremum diem magni dei omnipotentis, non manifestè denunciet. Exemplum sumamus ab his, quæ precesserunt septem sigillis, & septem tubis. Quid ergo dicemus? An non septimum sigillum, an non septima item tuba, manifestam continent prophetiam, de aduentu Christi, & fine seculi? Et quî minus ïdem de septimo etiam phiala iudicandum videbitur. Responsio ad tacitam obiectionem quorundam. Rationes quibus septima phiala finem seculi denũciare ostenditur. 1. Ratio.

Præterea, quid vult vox illa de cœlo audita, γέγονε, Factum est, quomodo factum, si quid restat adhuc infectum, quod posterius sit absoluendum? Ad hæc, quo modo septem hæ plagæ nouissimæ appellantur, si qua plaga post has restat deinceps effundenda? 2. Ratio. Cap. 15.

Quid quòd, hæc istorum ratio secum ipsa pugnat, prorsusque sese iugulat. Nam vt donemus hoc illis, quod assumunt, Ciuitates illas gentium, peregrinas esse religiones, Turcarum, Iudæorum, Barbarorum, vt aiunt, quæ omnes in ad- 3. Ratio.

uentu Christi subuertendæ sunt: Esto sane. Concludamus igitur. Sed Ciuitates istæ gentium iam in septima phiala ceciderunt. Relinquitur proindè religiones istas peregrinas omnes in septima hac phiala, euertendas esse, in qua aduentus Christi absque dubio significatur.

4. Ratio. Postremò, vt rem verbo conficiamus, quum in calce præcedentis capitis, nemo introire poterat in templum, donec consummarentur septem plagæ septē Angelorum, facile hinc constat, post septem has finitas phialas, septem Angelorum, nullam iracundiam, nullas plagas superesse deinceps, quæ sanctos dei à libero ingressu templi dei impediat, aut tranquillitatem eorum perturbet. Ad proximum modo caput accingamur.

CAPVT. XVII.

1 *ET venit ad me de septem Angelis, qui habebant septem phialas, & locutus est mecum, dicens: Veni & ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ sedet super aquas multas.*

2 *Cum qua fornicati sunt Reges terræ, & inebriati sunt, qui inhabitabant terram de vino prostitutionis eius.*

3 *Et abstulit me in spiritu in desertum. Et vidi mulierem sedentem super Bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiæ, habentem capita septem & cornua decem.*

4 *Et mulier erat circundata purpura & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso & margaritis, habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione & immundicia fornicationis suæ.*

5 *Et in fronte eius nomen scriptum, Mysterium: Babylon magna, mater fornicationum & abominationum terræ.*

6 *Et vidi mulierem ebriam de sanguine sanctorum, & de sanguine martyrum Iesu. Et miratus sum cum viderem illam, admiratione magna.*

7 *Et dixit mihi Angelus: Quare miraris? Ego dicam tibi sacramentum mulieris & Bestiæ, quæ portat eam, quæ habet capita septem, & cornua decem.*

8 *Bestia quam vidisti, fuit, & non est, & ascensura est de abysso, & in interitum ibit, & mirabuntur inhabitantes terram (quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ, à constitutione mundi) videntes Bestiam, quæ erat, & non est.*

9 *Et hic est sensus, qui habet sapientiam, septem capita, septem montes sunt, super quos mulier sedet, & reges septem sunt.*

10 *Quinque ceciderunt, vnus est, & alius nondum venit, & cum venerit, oportet illum breue tempus manere.*

11 *Et Bestia quæ erat, & non est, & ipsa octaua est, & de septem est, & in interitum vadit.*

12 *Et decem cornua quæ vidisti, decem reges sunt, qui regnum nondum acceperunt, sed potestatem tanquam reges vna hora accipient post Bestiam.*

13 *Hi vnum consilium habent, & virtutem, & potestatem suam Bestiæ tradent.*

14 *Hi cum agno pugnabunt, & agnus vincet illos, quoniam dominus dominorum est, & rex regum, & qui cum illo sunt vocati, & electi, & fideles.*

15 *Et dixit mihi, aquæ quas vidisti vbi meretrix sedet, populi sunt, & gentes, & linguæ.*

16 *Et decem cornua quæ vidisti in Bestia, hi odient fornicariam, & desolatam facient illam, & nudam, & carnes eius manducabunt, & ipsam igni concremabunt.*

17 De-

17 *Deus enim dedit in corda eorum, vt faciant quod placitum est illis, vt dent regnum suum bestiæ, donec consummentur verba dei.*

18 *Et mulier quam vidisti, est ciuitas magna, quæ habet regnum super reges terræ.*

Controuersia de vera & falsa ecclesia.

DIuturna hactenùs inoleuit inter partes, maximè inter theologos, cõtentio de vera & falsa ecclesia. Vt autẽ vna certaque sit Christi in terris ecclesia, id nemo negat. Cæterum quæ vera illa sit, vbi quærenda, quibus punctis & notis metienda, non conuenit inter omnes. Qui Catholicos se profitentur, ita prorsus Romanæ affixi sunt, vt nullo modo ab ea diuelli se patiantur, nec vllam putent verè Christianam esse ecclesiam, nisi quæ Romana sit, aut quæ Romanæ obtemperet. Eius ecclesiæ fidem omnis labis & erroris expertem, a primis Apostolorum fundamentis hucúsque succreuisse, à qua quicunque desciscunt, hæreticos esse, extra eam nullam fore salutem, nec sanctorum communionem. Perire non posse, quicunque in catholica hac fide & obedientia moriuntur.

Catholici, eorumque ecclesia.

Euangelici eorumque ecclesia.

Contra verò ex diuersa parte, alij, quorum professio propius ad Euangelium accedit, quo magis Romanam hanc ecclesiam excutiunt ad canonem scripturæ, ad normam euangelij, ad exempla & instituta Apostolorum, hoc minus in ea deprehendunt, quod verè pium sit & Christianum: ficta ac fucata omnia esse vident, planéque inimica ac contraria Christo & Euangelio eius, quæcunque Romæ instituuntur. Eóque fit in tanta doctrinæ corruptione, quum Romanæ obedientiæ acquiescere nequeant, nisi Christum deserant, necessaria adducantur ratione, vt relicta Roma, Christo potius quàm Pontifici adhærescant. Hincque infelix illa διχοστασία inter Christianos, quæ tam diù ecclesias perturbauit, & adhuc perturbat tam miserè.

Ad catholicos protestatio.

Sed litem hanc facilè nobis discutiet Diuus Ioannes, duobus ijs capitibus, si verba diligenter inspiciantur. Quocirca rogandi sunt hoc loco, cum cæteri omnes pie Christiani, tum maximè ex catholico hoc genere honesti viri, dilecti amici, fratresq; in Christo. Amicos, & fratres dico, non quod erroribus hominum faueam, sed quòd salutem eorum in Christo expetam, quòd me illorum misereat ex animo: Cupiamque si liceat, viros bonos à turpissimæ bestiæ obsequio, ad salutarem Christi cognitionem traducere. Itaque vt oculos paululum aperiant, animos atque aures aduertant, etiam atque etiam ab eis peto. & flagito, per Christum Dominum, per salutem ipsorum, non vt mea legant, sed vt verba prophetæ diligenter obseruent, quid hoc loco dicat, quid prædicet de meretrice Babylon, sub cuius imagine, vrbs Roma ita ad viuum suis depingitur coloribus, vt nemo tam cæcus sit, qui non apertissime videat. Quod quum ita sit, videant proinde boni isti viri in quanto versentur periculo, qui Romanas partes sectantur tam auidè. Sin minus hoc illis persuaderi poterit, quod de Roma hîc dicitur, non postulo vt nostris suasiunculis fidem adhibeant. Nos, vt ait Augustinus, de nostro nihil afferamus: auferantur è medio Chartæ nostræ, procedat in medium codex dei. Ipsum Apostolum audiant, suis verbis loquentem, de meretrice, de bestia, de septem capitibus, de decem cornibus.

August. in Sermo ad infantes.

Roma ad amussim repræsentata.

Aut si parum apud illos nostra valent argumenta, ipsi cum prophetaexeant in desertum, vt mulierem ab Angelo ostensam, sedentem super bestiam, contemplentur, mores eius, ingenium, studia, naturam, proprietates, vitæ conuersationem, habitum, vestitum, luxum, copias, delitias. δυναστιαν super reges terræ, ὑπερέχουσαν, cæteraque circumstantias euoluant, exquirant. Quæ omnia si non Romam ita ad amussim repræsentent, vt nulla sit, aut possit esse in vniuerso orbe ciuitas alia, in quam conueniat hæc προσοπογραφία, nihil repugno, quin vincat Roma, floreatque cum deaurato suo Papa, & purpuratis Cardinalibus. Sin ita est, vt ciuitas, præter hanc vnam, nusquam monstrari possit, quæ typis & vm-

bris hiſce propheticis reſpondeat, quid plura quærimus? Victi ſcripturæ autoritate, fateamur, quod negari non poteſt, Romam Acropolin eſſe Antichriſti, ac ſedem beſtiæ. Vtcunque falſa ſeducti perſuaſione, multi, non multis ab hinc annis, de ſancta hac Romanocatholica eccleſia ſenſerint. Nunc verò, choruſcante euangelij luce, quiſquis ex autoritate verbi diuini, rectè eam inſpexerit, longè aliud de ea comperiet, quàm hactenùs vulgo eſt creditum, non matrem eſſe ſed meretricem: Imo non matrem eſſe, ſed fornicationum & abominationum terræ.

Romanocatholica eccleſia non mater, ſed meretrix.

Quod quo conſpectius oculis pateat intuentium, Ioannem, de myſterio huius mulieris, in duobus his capitibus prolixe differentem audiamus, ſimulque verba propheticæ deſcriptionis obſeruemus diligenter. Ex quo facile intelligemus, vnde hæc Apoſtaſia & perfida defectio, quæ multis iam annis eccleſiam occupauit, primum enata videatur? Quod vt mundus ſciret, perneceſſarium fuit. Ideóque viſum eſt ſpiritui ſancto, locum, & ciuitatem, quæ cauſa parenſque ſit ſeductionis, per propheticam viſionem deliniare tam diligenter: quo ſic admoniti mortales, tanto impenſius ſibi caueant, ab errorum præſtigijs, ne falſa pro veris, tenebras pro luce, noxia pro ſalutiferis, pro rebus vmbras, fumos pro theſauris amplecterentur. Quod paſsim vſu venire, ex fragili humanæ corruptionis imbecillitate, cernimus.

Apoſtaſia, & fidei defectio, vnde primum exorta.

Dominus pro immenſa ſua pietate, oculos mentis noſtræ, magis ac magis aperire dignetur, καὶ λαῖς λιπάδας iſtas ſquammoſæ cæcutientiæ luminibus noſtris abſtergat, vt abdicatis errorum technologijs, ductu illius, qui via eſt, veritas, & vita, rectum vitæ curſum ad vitam feliciter teneamus: faxit Chriſti gratia Amen. Ioannem nunc audiamus.

1 *Veni & oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ ſedit ſuper aquas multas.*

2 *Cum qua fornicati ſunt Reges terræ, & inebriati ſunt, qui inhabitabant terram, de vino proſtitutionis eius.*

His verbis duo continentur. Deſcriptio meretricis magnæ, eiuſque damnatio. Quarum altera ad caput ſequens pertinet. Deſcriptio propriè eſt huius capitis: In quo lineamenta ſic pinguntur, vt qui meretricem hanc non intelligat, atque in meretrice Romam fornicantem cum regibus terræ non videat, nihil videat. Pergamus.

Mulieris deſcriptio, eiuſq; damnatio.

3 *Et abſtulit me in ſpiritu in deſertum &c.*

Abducitur hîc Ioannes ab Angelo, non corpore, ſed in ſpiritu in deſertum. Quid illuc obſecro? Cur in deſertum? Si quid oſtendendum illi eſſet, quî minus id domi fieri potuit in ſpiritu, abſque loci permutatione? Reſpondeo, locus corporis minime mutabatur, ſpiritu abductus eſt, in quo ſibi videbatur in deſerto poſitus, vel quod res agebatur ſecreti myſterij, quod cæteros cælare, ſoli Ioanni Angelus aperire voluit: vel quia communi hominum more fieri conſueuit. Solemus enim, ſi quid magnæ rei agendum ſit, ſeceſſum quærere, locaque maximè ſolitaria captamus, vbi mens ſepoſita ab hominum congreſſu, liberius vacare poſsit ijs, in quæ intenditur. Age, & quid tandem in ſolitudine hac propheta videt?

In deſertum cur abducitur Ioannes.

Et vidi, inquit *mulierem &c.*

Cum tot ſint in orbe mulierum ſpecies & genera, ſi quis inter omnes has quærat, quænam hæc mulier ſit, quam oſtendit hic Angelus, ſic breuiter accipiat, non vnam, nec ſolam, nec ſingularem perſonam eſſe, ſed typicam, quæ ſub myſtica figura, multitudinem ſignificat: Sicut de muliere illa cap. 12. legimus, quæ amicta ſole, & luna ſub pedibus eius cruciabatur, vt pareret & peperit maſculum, quæ & ipſa typum etiam gerebat, ſed longe diuerſa conditione. Illa ſiquidem typũ gerebat eccleſiæ Chriſti, Hæc typum gerit Synagogæ Antichriſti: Illa deo caſta

Mulieris oſtẽtum.
Mulier typica.
Supra cap 12.

&

& chara, hæc impudica meretrix, nec parua meretrix, sed magna. Mater vtraque, sed partus diuersi. Illa peperit suum masculum, & quotidie filios deo parit. Contra hæc spurios, nothos partus, nescio quos, adulterinos Satanæ fœtus ædit, Papas, Cardinales, glorioſos Archipræsules, Carnifices Inquisitores, rasos ordines sacerdotum, fratrum, & monachorum. Breuiter si nescis qualis hæc sit mulier, mater, meretrix, exi in desertum cum Ioanne, vbi ostendet tibi Angelus, nec ostendet modo, sed aperiet etiam, non solum externam eius speciem, sed internas etiam dotes, totamque vitæ ordinem, plena descriptione adumbrabit. Sic enim pergit.

Discrimen inter duas mulieres. 1 duas ecclesias earúq; partus. Alteram in cap. 12. Alteram in cap. 17.

3 *Et vidi mulierem sedentem super Bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiæ, habentem capita septem & cornua decem.*

4 *Et mulier erat circundata purpura & coccino, & inaurata auro, & lapide precioso & margaritis, habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione & immunditia fornicationis &c.*

Occurrit hoc loco gemina nobis descriptio: primum mulieris, deindè bestiæ, quæ eam portat, de qua paulo post (Christo ducente) dicetur. Interim quod ad mulierem attinet, monendus est iterum atque iterum pius lector, ne putet sub mulieris hac hypotyposi, certam aliquam personalem fœminam designari. Aliud quiddam sub mysterio huius personæ occultatur. Quod cuiusmodi sit, à propheta ipso exponitur.

Gemina descriptio mulieris & bestiæ.

Et mulier, inquit, *quam vidisti, est ciuitas magna &c.*

Constat autem in scripturis, sæpe sub mulierum & puellarum nomine, ciuitates rectoresq; ciuitatum designari. Verum cum tot, tamque diuersæ existant in orbe ciuitates, restat adhuc difficultas, vt ex omni multitudine, quænam vna certaque sit ciuitas illa, quam innuit hîc propheta. Quod tamen vt expedite intelligamus, non ita difficile fuerit, si quis ritè perspectis signis, indicijs, cunctisque rerum circumstantijs, cursum prona via teneat, secundum epitheta & attributa personæ, seu ciuitatis, descriptæ. Quod qui fecerit, fieri non potest, quin in vrbem ipsam Romam perducatur necesse sit. Quid ita? Quia extra hanc vnam nulla est, nec esse potest in orbe ciuitas, in quam concurrunt omnia συμπλωμαλα, & accidentia, quæ hîc describuntur.

Mulier est ciuitas magna. Ciuitas magna quænam ea sit, & qui dnã ea significatur.

Vndè merito exploditur error Thomæ, similiumque Glossatorum, qui ciuitatem hanc non vnam esse statuunt, sed publicè ad generalem multitudinem, & vniuersitatem hominum peruersorum referunt, quum contra reclamant omnes loci circumstantiæ, interpretationem aliter, quàm in vnam vrbem accomodari non posse, eamque Romam esse necessario oportere. Cum autem ciuitas nulla sit, siue parua, siue magna, quæ non sub potestate aliqua sublimiori gubernatur, eo fit, vt ciuitas ipsa in scripturis, non pro populo solùm, sed pro ijs nonnunquam, qui præsident, accipiatur: adeóque quicquid ipsi committunt principes, vniuersæ ciuitati imputetur, & è diuerso. Iam ergo quinam illi sunt, qui præficiuntur vrbi huic Romæ, exquiramus, si placet. Quod tamen nemini ignotum est. Quis enim non nouit solos Pontifices esse cum suis Cardinalibus, qui rem omnem Romanam administrant? Atque hæc hactenus de significatione nominis, qua mulier, vt dixi, pro ciuitate, ciuitas pro Antichristo accipitur. Supereſt deinceps, personarum nunc descriptio, vt quænam hæc mulier, quæ ciuitas sit, quis ille antichristus, ex proprijs charactcribus, certisque indicijs, & circumstantijs, à propheta productis, perspiciamus.

Error Thomæ Aqui. & Rhemé Glossatorũ ostenditur atque explauditur. Ciuitas Roma

Ciuitas accipitur quãdoq; pro ijs qui imperant.

DESCRIPTIO MVLIERIS, SEV meretricis Babylonicæ, in qua ſedes Antichriſti, nobis ad viuum ſpectanda proponitur.

Mulier purpurata, auro, margaritis, poculo in manu aureo exornata.

4 *ET mulier erat circundata purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide precioſo, & margaritis, habens poculum aureum in manu ſua, plenum abominatione, & immundicia fornicationis ſuæ.*

Magna mater fornicationũ, Mater abominationum terræ.

5 *Et in fronte eius nomen ſcriptum, Myſterium: Babylon magna, mater fornicationum & abominationum terræ.*

Dira crudelitas ſanguinariæ meretricis.

6 *Et vidi mulierem ebriam de ſanguine ſanctorum, & de ſanguine martyrum Ieſu. Et miratus ſum cum viderem illam, admiratione magna.*

Meretrix ebria ſanctorum Martyrum ſanguine.

7 *Et dixit mihi Angelus: Quare miraris? Ego dicam tibi ſacramentum mulieris & Beſtiæ, quæ portat eam, quæ habet capita ſeptem, & cornua decem.*

Si quis ſit, cui nondum ſatis cognitus ſit Antichriſtus, cupiatque viuam eius imaginem, tanquam in tabula graphice depictam contemplari, mores eius, ingenium, ſtudia, facta, ſedem eius, & ciuitatem vbi regnat, cæteraque, quæ ad plenam eius cognitionem attinent, propius intueri, oculos paululum ad mulieris huius deſcriptionem à propheta propoſitam, admoueat. Ita fiet, vt nemini in dubium veniat, quid de Antichriſto iudicandum ſit, vbi quærendus, quam ſedem teneat. *Et vidi mulierem ſedentem ſuper Beſtiam coccineam &c.*

Antichriſtus eiuſque ſedes, ſub imagine meretricis deſcripta.

Producitur mulier cum beſtia: Quarum altera autoritas gubernantis, altera ciuitas ipſa ſignificatur. Duo hæc neceſſario coniunguntur. Neque enim princeps ſine ciuitate, nec ciuitas rectè ſine principe, conſiſtit. Vtra nunc rerum iſtarum ſit potior altera: Vtrum princeps à Repub. an Reſpubli. à principe vires ſumat, non hîc diſcutio. De alijs Rebuſp. alij viderint. Quod ad cauſam præſentem attinet, res ſatis per ſe manifeſta eſt. Etſi olim priſci illi veteris Romæ Imperatores, à maieſtate imperij Romani dignitatem primùm ſuam ſuſceperunt, longe aliter res habet in ſpirituali hoc gubernationis ſtatu. Ciuitas enim Roma, iamdudum priſtinam ſuam dignitatem per exteros Reges inflammata, ac in cineres redacta prorſus amiſit, vt ſupra retulimus, quæ nec vnquam vulneris ſanitatem recuperaſſet niſi per Pontificem Romanum tandem reſtituta, non per vnum tamen Pontificem reſtituta, nec vno temporis momento, ſed ſenſim ac paulatim intercurrentibus annis. Vt Epiſcopi alij alijs ſuccedebant, ita magis magiſque ſuccreuit ciuitatis huius decus & amplitudo: non vi aliqua externa, non marte, ſed arte, non violenta manu, ſed nouo ac ſingulari fallendi artificio, de quo ſupra abundè expoſitum eſt: quædam breuiter hîc repetere non obfuerit.

Mulier cum Beſtia.
Ciuitas, cum principe.

Pontifex non a Roma, ſed Roma à pontifice autoritatem ſumit.
De Roma vaſtata vide ſupra pag. 220. 221, 222 &c.
Roma rurſus reſtituta per Pontifices.

RESTITVTIO VETERIS ROMÆ, per quos, quibus temporibus, quibus modis

Si priſtinæ eccleſiæ, & doctrinæ Chriſtianæ ſtatum, ad hiſtorias temporum exiganus, comperiemus toto illo primo ſexcennio, vſque ad Mauritium, & Phocam, nullo honoris diſcrimine diſtinctos inter ſe Epiſcopos, & rectores eccleſiarum, ſed æquabili autoritatis iure, vnumquemque creditam ſibi prouinciam admi-

administrasse. Eratque autoritas illa sita, non in magnificis titulis, non in externa sublimitate potentiæ, aut dignitatis gradu, non in honoribus, opibus, aut priuilegijs, quibus alij alios præcedebant, sed in doctrina, in cultu, fide, virtute, cura pastorali, internis animi dotibus, potentia spiritus, vita, exemplo, moribus. Nec quisquam ad hoc vsque tempus tam effronte impudens auditus est, qui vicarium se Christi in terris, aut vniuersale ecclesiæ caput, siue principem Sacerdotum ostentare sit ausus. Constat hoc ex Gregorio Primo. Postquam enim Mauritius, Ioanni Constantinopolitano honorarium hunc titulum primùm indulsisset, vt vniuersalis ecclesiæ Episcopus decerneretur, Gregorius, re intellecta, fumosum tantæ ambitionis τὸ τυφὸς, tam insolens & inauditum in ecclesia nullo modo ferendum existimauit. Non multo post, subijt in habenas Imperij, nefandus parricida Phocas, qui interfecto Mauritio cum vxore & liberis, honorem huius prærogatiuæ Bonifacio 3. detulit, vt primatus omnium episcoporum, Romæ penes pontificem Rom. resideret. Agebatur hic annus domini 607. quo sedit Bonifacius.

Autoritas ecclesiastarum in quibus rebus sita.

Mauritius Imp.

Ioan. Archiepiscopus Constã.

Vniuersalis episcopi principatus, quando primum irrepsit in ecclesiam.

Gregorius 1.

Phocas Imp.

Bonifacius 3.

Is cupidè amplexus, iniectam tantæ autoritatis offam recepit, retinuit, transtulit in suos posteros. Dotati, ac ditati hoc modo pontifices ab Imperatoribus, primùm per Phocam deindè per Pipinum, Carolum magnum, Ludouicum Pium: Inde per Othonem aliosque amplificati auctique immensis patrimonijs, magno in honore haberi apud omnes. Cæpit eodem tempore vrbs Roma non paruum dignitatis recuperare incrementum.

Iacta prima fundamenta Pontificiæ autoritatis.

Labentibus intereà annis, pontifices minime contenti hoc suæ vocationis statu, noua consilia animis agitare, remque alia adgredi via instituunt, omnibus id modis molientes, vt autoritas hæc, quam in vniuersam tum gerebant ecclesiam, Imperatorum dono, non iam humano, sed diuino solum iure niti, nec ab hominibus accepta, sed diuinitus à Christo in ipsos transfusa videatur: vnde nihil ipsi Imperatoribus, sed Imperatores, omnesque homines, ipsis omnem deberent reuerentiam & subiectionem. Quin nec defuerunt hic callida mechanemata, quibus id perficerent. Primùm fingunt beatum Petrum Romæ Episcopum, sedisse annis 25. Quod falsum est. Neque enim emisit Christus Apostolos, vt episcopi ciuitates occuparent, sed vt legati emissarij orbem peragrarent. Deinde, quod dicit Christus: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Et, Tibi dabo claues regni cœlorum. Hæc quasi ad personam Petri, non ad ecclesiam à Christo dicta pertinerent, (teste Augustino.) Hinc struunt illi sese illico successores esse Petri, Christique vicarios, caputque publicæ ecclesiæ necessario constitui, quisquis Romanus fuerit episcopus. Itidem, quod Petro dictum est: Rogaui pro te Petre, ne fides tua deficiat. Hinc arguunt nunquam futurum, vt fides Romanæ sedis sit defutura.

Pontifices autoritatem suã, non humano, sed diuino iure astruere incipiunt.

Pontifices quæ arte Romam iacentem in pristinum decus restituunt.

Mat. 16.

Fundamenta Pontificiæ autoritatis.

Porrò ne diuinis testimonis, humanæ deessent autoritatis adiumenta, corrogantur in causæ patrocinium, ex vetustissima antiquitate sanctissimorum episcoporum, & Martyrum præclara nomina, Anacletus, Euaristus, Alexander, Sixtus, Higinus, Pius, Eleutherius, Zepherinus, Calixtus, Fabianus, Melchiades &c. quos isti callidissimo prætextu, in defensionem suæ ambitionis, iniquissimè contorquent; cogentes ea testari, quæ non modo falsissima sunt, sed quæ nec vnquam senserint, nec dixerint.

Antiquitatis testimonia collecta in defensionem Pontificiæ sedis.

Primo Anacletum in decretis suis sic testantem citant. In nouo autem testamento post Christum Dominum nostrum, à Petro sacerdotalis cepit ordo, quia ipsi primo Pontificatus in ecclesia Christi datus est, dicente domino ad eum: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Et. Tibi dabo claues Regni cœlorum &c. Idemque rursus, Hæc verò Sacrosancta Romana & Apostolica ecclesia, non ab Apostolis, sed ab ipso domino saluatore nostro, prima-,

Anacletus in Epist. decretali anno D. 104.

Idem epistola tertia.

'primatum obtinuit, & eminentiam potestatis super vniuersas ecclesias, ac totam
'Christiani populi gregem assecuta est, sicut ipse beato Petro Apostolo dixit:
'Tu es Petrus &c.

Euaristus, in epist. decretali ann. 110.

Ex Euaristo in hunc modum: Siquidem dilectio vestra normam secuta prudentum ad sedem Apostolicam referre maluit, quasi ad caput, quid deberet de
'rebus dubijs custodire, potius quàm vsurpatione præsumere. Et mox altera e-
'pistola: Si autem, inquit, aduersus eos aliquam querelam habueritis, inqui-
'rendum erit, & autoritate huius sanctæ sedes terminandum &c.

Alexander 1. epist. 1. ann. 119.

Ex Alexandro Primo, cui hæc affingunt: Relatum est ad huius sanctæ &
Apostolicæ sedis apicem, cui summarum dispositiones causarum, & omnium
negotia ecclesiarum ab ipso domino tradita sunt, quasi ad caput, ipsoque dicen-
'te principi Apostolorum Petro: Tu es petrus, & super hanc petram ædificabo
'ecclesiam meam &c.

Ex decretali epist Sixti 1. epist 2. ann. 129.

In hoc testium catalogo, Sixtum porrò & Higinum audiamus, non quid
ipsi dicant, sed quid finguntur dicere à Romanensibus, pro tuenda sedis suæ
amplificatione. Verba Sixti episcopi & Martyris in decretis sic referuntur. Si
quis vestrum pulsatus fuerit in aliqua aduersitate, licentèr hanc sanctam & Apo-
'stolicam appellet sedem, & ad eam quasi ad caput suffugium habeat, ne inno-
'cens damnetur. Et mox ibidem: Ab hac enim sancta sede à sanctis Apostolis
'defendi & liberari Episcopi iussi sunt, vt sicut eorum dispositione, ordinante do-
'mino, primitus sunt constituti, sic huius sanctæ sedis, cuius dispositioni eorum
'causas & iudicia seruauerunt protectione, futuris temporibus sint ab omnibus per-
'uersitatibus semper liberi &c.

Higinius in decretis epist. 1. ann. 143.

Quin nec Higinio suum insuper deest in papalibus decretis suffragium.
Quippe qui in constituendis cæterorum episcoporum omnium, & metropolita-
norum iudicijs, saluum semper in omnibus Romanæ ecclesiæ priuilegium pro sin-
gulari iurisdictione, excipit à reliquis.

Quid reliquos recenseam, quos longo ordine, ex omni antiquitate connume-
rant Pios, Elutherios, Zepherinos, Calixtos, Fabianos, Melchiades sanctissimos
episcopos & martyres? Qui omnes nobis, inquiunt, patrocinantur, omnes nostræ
suffragantur authoritati, dum clarissimis argumentis fortissime defendant, Petrum
principem fuisse Apostolorum: Christum ecclesiam suam super Petrum ædifica-
sse: Soli Petro nominatim commendatas esse claues regni cœlorum: pro Petro ro-
gatum esse à Christo, ne fides eius deficiat. Denique trina astipulatione eidem
Petro à Christo delegatam esse à Christo curam pascendi gregis. Quoniamque
Petrus princeps Apostolorum Romæ sedens, episcopatum illic gessit annis 25.
hinc colligunt festiui homines, Petri successorem esse Romanum pontifi-
cem, eique iure successionis, principem in ecclesia locum deberi necessa-
rio. Sic enim ex decretis Victoris Papæ, Zepherini & aliorum citant. Quan-
quam, inquit ille, comprouincialibus Episcopis, accusati causam Pontificis scruta-
ri liceat, non tamen definire inconsulto Romano Pontifice permissum est, cum
'beato Petro Apostolo, non ab alio, quàm ab ipso dictum sit domino. Quæcun-
'que ligaueris super terram, erunt ligata & in cœlo: Et quæcunque solueris super
'terram, erunt soluta & in cœlo &c.

Testimonia ex Scripturis, & doctoribus falsata per Romanenses.

Ex Victore Papa epist. 1. an. 189.

Zepherinus epist 1. ann. 208.

Subinfert Zepherinus Papa, non multum dissimili sententia: Iudicia, inquit,
episcoporum, maioresque ecclesiæ causæ, à sede Apostolica, & non alia, sicut
'Apostoli, & sancti successores eorum statuerunt, cum alijs episcopis sunt termi-
'nandæ. Quia licèt in alios transferantur episcopos, beato tamen Apostolo Petro di-
'ctum est. Quæcunque ligaueris super terram, erunt ligata & in cœlis; & quæcun-
que solueris super terram, erunt soluta & in cœlis. Et reliqua priuilegia, quæ
soli huic sanctæ sedi concessa sunt, & in constitutis Apostolorum, eorumque
successorum alijs quam plurimis cum eis concinentibus, habentur inserta, &c.

Constitutiones Apostolorum.

Quid

Quid plura? His ſimilibusq; offutiis, & laruarum ſpectris, plebs illaqueata Chriſtianorum miſerè in errorem pertrahitur. Nec plebs modo, ipſi etiam orbis monarchæ, ſummi Imperatores, poteſtates mundi, reges terræ, principes, duces, nobiles, ignobiles, docti, indocti, ijſdem irrititi præſtigijs, audita ſuprema hac authoritate, clauiumque poteſtate, primùm in Petrum principem Apoſtolorum, deindè in Petri ſucceſſores, à Chriſto collata, partim metu, partim religione, ſe, ſuaque omnia Romanis ſubmittunt Pontificibus, tanquam Chriſti vicarijs & ſucceſſoribus, non modò ab obedientiam, ſed & ad pedum oſcula. In quo, fabulam mihi ludere videntur iſti, non multo diſsimilem Aeſopicæ illi fabulæ; in qua. Aſinus leonina pelle palliatus, apud minores terræ beſtias ſeſe pro leone oſtentare voluit: Qui aliquandiu ad primum aſpectum, nonnullum eis terrorem atque admirationem incuſſerat, vt partim metu fugere, partim ad ſubiectionem ſeſe dimittere cogerentur: donec tandem prominentibus ex capite auriculis, non leonem ex vnguibus, ſed intertisſimum aſellum ex auribus, brutæ pecudes deprehenderent, metuſque omnis in riſum, fuga in ludibrium verteretur.

Plebs Chriſtiana, inſidioſis Romanarum fictionum fabulis ludificata.

Principes quibus artibus deluſi, colla ſubmittunt Pontifici.

Aſinus leonina pelle indutus.

Pari exemplo, non multo diſsimilem nobis ludere fabulam videtur in eccleſia Chriſti, Romanus Pontifex. Cui non ſatis eſt ſe intra pelliculam continere, ſimilemque cæteris videri epiſcopis, niſi ſumpta etiam Chriſti perſona, arrepta Petri authoritate, ſummaque armatus clauium poteſtate, ita in eccleſia ſedeat, vt præſideat vniuerſis, ſicque præſideat, vt non aliter quàm pro vicario Chriſti, pro ſucceſſore Petri, pro capite vniuerſali agnoſcatur ab omnibus. Denique eo prorupit audacia, adeo intumuit ambitio, vt non vnus ei gladius ſatisfecerit, quo ſpiritualiter dominetur, niſi & temporalem adiungat, quo latius plenitudinem ſummæ poteſtatis deffundat, non in epiſcopos modo, ſed in externos quoſcunque mundi ſtatus, ſiue reges, ſiue præſides, ſiue Imperatores. Quin ne ſic quidem contentus duplici hoc gladio, niſi triplici etiam diademate inſigniatur, quo latius adhuc patentem ipſius ditionem tripartito diſtinctam oſtendat, in cœlo, in terra, in purgatorio. In cœlo Angelis præcipiens, ſanctóſque inaugurans: In terra Imperatoribus imperans: In purgatorio animas relaxans. Adde huc quarto loco, ſi placet, infernum præterea, vt nullus relinquatur vacuus omnino locus, ſiue apud ſuperos, ſiue apud inferos, quo non penetrat pontificiæ dynaſtiæ ambitio. Sed ad mulierem redeamus intermiſſam: In qua pontificiæ huius fabulæ partes omnes compertius patebunt, ſi oculos propius admouere pauliſper non pigeat.

Rom. Pontifex ſub Chriſti perſona, & Petri ſucceſſione multos fallit.

Singularis Papæ principatus.

Duplex gladius.

Triplex Corona.

Quadripartitum regnum.

Pontifex, In cœlo, In terra, In purgatorio.

In inferno quid agit.

DE MVLIERE BABYLONICA *fuſius.*

QVæ autem ſit iſta mulier, quid ſignificet, , quos figurat, quæ eius proprietates, qui mores, quanta eius turpitudo, & crudelitas, partim iam ante ex contextu prophetiæ enarrare cæpimus. Reſtat de his omnibus fuſius nunc, opè Chriſti domini, vt explicemus, quo clarius in oculos omnium incurrant, idque tanto impenſius, quo plures hodiè Catholicos conſpicimus, nonnullos etiam doctos, & piè ſtudioſos, ex inſcitia ſcripturarum, ita demerſos in fauorem Romanæ eccleſiæ, vt nullam eccleſiam Chriſti aliam in terris putent, quum nulla ſit in qua magis regnat doctrinæ perfidia, vitæ turpitudo, fœditas, crudelitas, omniſque terræ abominatio: Quod luce clarius intelliget, quiſquis in proſopopoiam huius meretricis, acrius paulo aciem intenderit.

At ilico ſcrupulum hîc forſan inueniet aliquis. Si cogitaſſet propheta hoc

Scrupulus amouetur.

Antichriſtus cur ſub mulieris perſona, potius quàm viri repreſentatur.

loco Antichriſtum mundo patefacere, cur igitur non ſub viri deſcriptione eum depinxit? cur ſub mulieris, & meretricis potiùs perſona, eum repræſentat, cum ijs notis & epithetis, quæ propriè in virum non competunt? Vt huic reſpõdeam, haud multum intereſt, vtrum ſub viri perſona, an ſub mulieris ſimilitudine, aut ſub nomine beſtiæ, Antichriſtus deſcribatur. Eadem ſub diuerſis nominibus res agitur, niſi quòd ita magis viſum eſt ſpiritui Sancto, per myſterium mulieris, & meretricis, turpitudinem eccleſiæ demonſtrare. Per mulierem autem intelligitur, vt dixi, non priuata aliqua perſona, viri aut fœminæ, ſed publica, & ſpiritualis eccleſia, ſeu Ciuitas magna. Sic enim verba indicant: *Et mulier*, inquit, *eſt ciuitas magna, quæ multitudine hominum conſtat, eaque non parua, ſed magna.* Age, & cur magna dicitur, niſi vt intelligatur immenſa multitudo eorum, quotquot Antichriſto ſeruiunt, quæ longè latèque patet, non per vnam ſolam Ciuitatem, ſed per omnes mundi partes, quæ rectè dicitur eccleſia non Chriſti, ſed Antichriſti?

Per mulierem eccleſia Antichriſti ſignificatur.

Ciuitas magna. Eccleſia Antichriſti.

Ex his igitur quæ hactenùs expoſita ſunt, ſat vides ni fallor, Chriſtiane lector, myſterium mulieris quid velit, quos repræſentat, quid ſignificet, publicam nimirum & ſpiritualem Ciuitatem, ſeu eccleſiam eorum, qui deſerto Chriſto capite, aliud ſibi caput in terris erigunt, cui ſe addicunt. Ex quo neceſſario intelligis, Antichriſti eccleſiam hanc eſſe, quam ſpiritus ſanctus ſub typo mulieris efformat, eiuſque damnationem oſtendit ijs verbis. *Veni & oſtendam tibi* inquit, *damnationem mulieris.*

Quæ quum ita ſint, tanto enixius pijs quibuſque Chriſtianis aduigilandũ eſt, vt barathrum hoc meretriciæ damnationis quoquo modo effugiant. Hoc vt fiat, diligens prius adhibenda cautio eſt, vt ex myſticis ſcripturæ literis, Antichriſtianam eccleſiam quiſque cognitam perſpectamque habeat, ne quod multis euenire ſolet, fallaci deceptus rerum diuerſiſsimarũ ſimilitudine, in communem cum ipſis errorem impingat, vt falſam eccleſiam pro vera amplectatur, dumque catholicus videri ſtudet, mancipium fiat Antichriſti, præmiumque ferat meretricis. Quod ne contingat, diligens adhibenda cautio eſt, vt ſubductis paululum ſenſibus ab externa rerum apparentium ſpecie, relictiſque hominum fabulamentis, ipſos propheticæ ſcripturæ fontes recta petamus, vndè liquido nobis tota conſtabit Antichriſtianæ eccleſiæ complexio: Nuſquam autem plenius, aut illuſtrius, quàm ex hoc ipſo prophetæ capite, in quo verſamur: Vbi, quaſi in ſpeculo liquidiſsimo, cuncta ad oculum apparebunt, ad eccleſiæ Antichriſtianæ demonſtrationem pertinentia. Quæ nos eodem ordine ac numero, quo ab ipſo deſcripta ſunt, in ſeptem aut octo conſiderationes comprehendemus.

Cautio ad Catholicos.

Scriptura de Antichriſto, teſtis certiſsimus.

De Antichriſto certiſſimum teſtimonium ex Apocalypſi petitur.

MOrs, cuius aduentantis impetũ effugere multi mortales voluerunt, nulli vnquam potuerunt, cum finis cæterarum rerum eſſe ſoleat, tum in cauſa hoc tẽpore fuit quo minus huic operi finis deſtinatus imponeretur. Morte enim præreptus bonus ille iam ſeptuagenarius ſenex, priuſquam ſupremam manum huic operi impoſuiſſet, inchoatum à ſe imperfectum reliquit. Hoc te admonendum pie Lector putaui, ne te plura deſiderantem, fruſtraq; expectantem, vana ſpes atque expectatio à ſtudio rerum aliarum detineret. Quare hijs quæ hic extant latus fruere, defunctique Pie in Chriſto laboribus conſulito, defectus autem (ſi qui ſint) aut æquanimitate tua ſubleues, aut ſuppleas induſtria. Vale.

Rerum & verborum in hiſce meditationibus *apocalypticis ſparſorum Index vberrimus,*

adhibito ad eundem conficiendum Autoris conſilio.

A

Baddon rex abyſſi. 2,82,89.

Abiuratio Hieronymi Pragenſis. 169.

Abrahæ fides. 305.

Abſynthus nomen ſtellæ, & quid denotet. 81.

Abuſus rerum damnatur, non res ipſæ, tollatur ille maneant iſtæ. 318.

Abyſſi puteus. 82. Eiuſq; fumus quid ſignificet. 5.

Acculator. ¶ Vide Sanctos.

Academiæ Pragenſis teſtimonium pro Huſſio. 161. & pro Hieronymo apologia. 187.

Academici papiſtici adiurati ad formã doctrinæ Romanæ. 301.

Achatius Conſtantinopolitanus Epiſcopus. 155.

Adam & Eua ſuum pudorem tegunt. 375.

Adaulphus Gothorũ rex Romam occupauit. 218. Eiuſdem cædes. 220.

Adhortatio ad pios Chriſti cultores. 324. Ad Romanocatholicos. 193. ¶ Vide Admonitionem.

Adiaphoræ res. 21.

Admonitio. 383. Duplex. 378. Pia & ſalutaris 375, Breuis & ſalubris ad Chriſtianos. 40, 243. Ad reges terræ, miniſtros eccleſiæ, & vniuerſos mortales. 375. Ad papiſtas perſecutores. 195. Ad ſacros paſtores & miniſtros. 18. Generalis mundo ad maturè cauendũ. 103. Salutaris de iudicij nouiſſimi tẽpore. 105. ¶ Vide Commonitionem, Exhortationẽ.

Adorare beſtiam primam. 183. & imaginem beſtiæ, quid. 268.

Adrianus imperator. 347. Scriptũ eius pro Chriſtianis, cædes Iudæorũ ſub eo imperante, quamdiu regnauit. 347.

Aduentus Chriſti, & finis Antichriſti vnum diem iuxta quoſdam efficiunt. 148. Duplex longeq; diſſimilis. 305.

Aduocati omnes in cœlo præter Chriſtum inuti & inutiles ibi admittendi præter eum ſolum nulli. 39.

Ægyptus. 5.

Æmilianus imperator poſt tres menſes interfectus. 352.

Æqualitas inter veteſtos patriarchas. 132.

Affectus quatenus in Deum cadunt, tres eorundem perturbationes. 322

Afflictio decem dierum quiddã myſticum complectitur. 26,27. Vera vera eccleſiæ nota. 27. ¶ Vide Perſecutionem.

Afflictiones huius vitæ ſanctos Dei ſẽper ferè comitantur. 64. Eccleſiarum an certus terminus in ſcripturis inueſtigari poſſit. 147. In hac vita cur pijs immittuntur. 213. Vtriuſq; eccleſiæ Iſraëliticæ & Chriſtianæ. 385. Iſraëlitarũ in terra promiſſionis annos trecentos. 384. Qui eas patiuntur in hoc mundo ſunt Deo chariſſimi. 320. Earum breuitas ex temporũ breuitate colligitur. 145. ¶ Vide Pios.

Affligi in hoc ſeculo cur electos ſuos permittat Deus. 357.

Agmen triplex contra populum Dei. 374.

Agnus cur dicitur Chriſtus. 35,36. Occiſus ob exordio mundi. 65. Per ſanguiné eius omnis noſtra victoria. 201. Nullus in eo defectus quo minus omnes ſeruentur. 279. Sine eius ſanguine nihil deo acceptũ. 283

Agnus ſtans ſuper montem & ambulans in medio eccleſiarum, non ſedens modo quid deſignet. 274.

Alaricus Gothorum rex. 218. Moritur. 364.

Alcoranus Turcarum. 91.

Alæ Monarcharum. 337.

Allegoria. ¶ Vide Apocalypſin, & Senſum tropologicum.

Allegoriæ in ſcripturis non ſpernẽdæ, earum vſus vbi maxime ſeruit. 46.

Allegoricæ interpretationes in ſcripturis quatenus admittendæ. 46.

Allegoricus ſenſus non probatus. 360.

Allegoriſmus futilis. 43.

Alexandri magni res geſtæ contra Perſas & Medos. 52.

Alexãder Seuerus imperator laudatiſſimus cũ matre Mammæa fœminà chriſtiana interemptus, virtutes eius. 351.

Alexander Cæſar conſobrinus Heliogabali occiſus. 351.

Alexãder epiſcopus Rom. martyr. 347.

Ambientes officia ad ea non ſunt admittendi. 351.

Ambitio & opes eccleſiæ creſcunt. 126

Ambitio & corruptio primùm in eccleſiam Romanam ingreſſa. 84.

Ambitio hominũ in cultu ſũptuoſa. 375

Amictus duplex. ¶ Vide Veſtes & indumentum.

Amurates Turcorum imperator. 97. Tertius. 96

Angelus quartus cũ quarta phiala. 358. quintus cũ quinta phiala. 363. Sextus de iudicio breui ſecuturo prænuntiat ac iurat, eius iuramenti validitas. 103. Cum ſua tuba. 92. Cum ſua phiala, quid ſignificet. 369. Septimus, eius claſſicum & phialã tantũmodo deeſſe, pleraq; ferè omnia quæ in apocalypſi ſunt, eſſe præterita. 2. Ex altari miſſus. 311. Cum thuribulo aureo. 69. Stans ſuper mare & ſuper terrã, quid deſignet 100. 101. Habens poteſtatem ignis. 311. Aquarum. 344. De cœlo deſcẽdens eiuſq; viſio. 100. Et cur de cœlo deſcenderit ratio redditur. 102. Non pro Chriſto ſed pro angelo propriè accipiendus. 102.

Angeli poteſtatẽ habentes ventorũ. 65.

Adhibiti in nouiſſimo iudicio, & quorſum. 311. Tres à Deo miſſi ex templo atq; ex altari, ad tẽpus exequendi iudicij ſignificandũ. 309, 310 Septẽ exeuntes è tẽplo. 334. Quatuor ſoluti. 82. Quatuor ſtantes ſuper quatuor angulos terræ, quid denotent. 63. Septem cũ ſeptem phialis. 339, 340. Tres diuinæ prædicationis nũcij. 273. Tubis canentes, non ſimul ſed ſucceſſiuis tẽporibus. 73.

Eccleſiarum quid ſignificant. 17. Eccleſiarum paſtores repræſentant maximo interpretum conſenſu. 9. Repræſentant non tam perſonas paſtorum quàm functionem. 9. In-

INDEX APOCALYPTICVS.

duti lino candido & zonis aureis. 334. ¶ Vide Ecclesias, Ministros.
Angelorum septem, deq; eorum nu bis septem. 72. Expositiones variæ. 80. 81. &c. Multitudo circa thronũ. 34. Eorum vestitus. 334. ¶ Vide Visiones.
Anglorhemenses theologi taxati. 71, 83. Eorũ glossa notata. 110. Citantes Irænei verba eiecti. 113. ¶ Vide Catholicos, Papistas.
Animalia quatuor plena oculis. 31, 32. Eorum explicatio. 33. Eorum species & proprietates diuersæ, eorũ oculi & alæ. 34.
Animalia quatuor alia apocalyptica quam habent significationem. 334. Ab Ezechiele memorata. 335, 336. Eorum oculi & alæ quid propriè significant. 337.
Annatarum nouum vectigal. 231.
Annullationes. 250.
Anni mille quibus constringendus sit Satanas. 5.
Anni mille quasi vnus dies apud Dominum. 104.
Annus angelicus. 145.
Anticategoricon. 119.
Anticipationes datarum. 251.
Antichristus eiusq; sedes sub imagine meretricis descripta. 392. Falsissima de eo papistarum opinio, decem nouissimæ sub eo persecutiones numeratæ. 55. Circunstantiæ ad eum spectantes obiter notatæ. 4. Error papistarum qui regnum eius tribus tantùm annis duraturum definiũt. 182. De eius potentia, ánq; in vita vnius personæ contineatur, nulla causa cur Enoch & Elias redeant ad eum confutandum. 183. Suo tempore defectio, qui sit & vbi sedeat ille, in sinu suo eum fouent papistæ. 110. Eius species & simulatio occulta, persona Christi vestitus, tribus modis oppugnandus, duplex papistarum error de eo, de persona eius quæstio cum responsione, vir vnus & solus iuxta papistas, contra responsionem eorum de eo. 111. Cur sub mulieris persona potius quàm viri repræsentatur, de eo certissimus testis scriptura, certissimumq; de apocalypsi testimonium petitur. 396. Quemã dogmata eius doctores promunt. 88. Confutatio eorum qui fingunt eum Hierosolymis in templo Dei sessurum. 114. Nullius hominis nomen propriũ existit, ex tribu Dan iuxta papistas, eorumq; opinio cõfutata. 113. Eius sedes, Roma an tota excludenda sit ex ordine vniuersalis ecclesiæ, non sedes sed sedendi modus eũ facit. 235. Ille cũ suis terrimi Christianæ ecclesiæ hostes. 5. Hypocrita egregius. 5. Eius nota contra papistas propugnata. 254. V- trũ Turca sit an Papa, duplex papistarum error de eo. 110. Ex proprio suo nomine sciri non potest, 271. E- ius finis & Christi aduentus iuxta quosdã vnũ efficiunt diem. 148. De triennio eius regno error papisticus, in tẽplo Dei sedet. 233. Præsagium de toto eius regno funditus euertẽdo. 293. Sanctos Christi martyres impugnans iam trecentis annis. 385. Eo autore reges totius terræ aduersus Dominũ insurgũt. 383. Ecclesiæ victoriæ contra eũ typus. 382. Victoria cœlestis contra eum eiusq; satelites 386. Fabulæ catholicorũ de eo venturo. 362. Sub duplici bestia duplex eius status significatur, 239, 240. Reges totius terræ pro eo contra Christum. 374. Eius personã gerũt singuli persecutores. 240. Elizabetha regina Angliæ à Deo illi oppositа. 327. Eius victores 328. Quòd põtifex Romanus idem ille sit varijs probatur argumentis. 115. Coniugij libertas viris ecclesiasticis per eũ interdicta. 277. Quo spiritu regnũ suum gubernat. 374. Spiritualis 223. Eius persona, descriptio iuxta papistas eorumq; traditiones. 224. Eiusdem descriptio iuxta papistarũ demonstrationes, 226, &c. Secunda ecclesiæ persecutio sub eo. 55. Fax persecutionis. 56. Eius epitheta, quid sit, 228 Attributa eius officia, dupliciter cõsideratur 229. Eius definitio in vnam personam cadere non potest, cur nomẽ eius vni singulari personæ nõ queat competere, nõ est impiorũ principale caput. 23. Pro Christo à multis colitur. 213. Cũ suis legionibus. 203. In nouissima persecutione sub eo habet Deus suas reliquias licèt quibusuis non notas. 209. Vtrũ Papa sit ille an non. 194. Ab eo Enoch & Helias mactandi iuxta papistas. 172. Quamdiu regnabit, 232. Nomen eius Romanus in quo mysterium magnũ. 270. Causa cur Ioannes nomen eius expressè reddendũ non existimabat. 272. ¶ Vide Christum, Iesuitas, Martyres, Pontificẽ Romanum
Antigonus in Asia minori. 52
Antipapæ. 128
Antipophora. 376.
Antipater in Macedonia. 52.
Antiquitas pontificiæ ecclesiæ contradicitur. 208. Ea & sedes Romanæ ecclesiæ expenditur. 252. Eiusdẽ testimonia in defensionem sedis põtificiæ collecta. 393. Eiusdem opinio nihil confert si desit puritas euangelij. 209.
Antiquum nihil Romæ, præter nomen omnia noua. 383.
Antonini Pij imperium quot annorũ & mensiũ. 347. Incruentum, scribit pro Christianis, & ad omnes ciuitates christianas, placidus eius exitus. 348
Antoninus Bassianus Caracalla imperator fratricida occisus. 350, 351.
Apocalypsis quid significet, eius contrariũ, & quid doceat lectores apocalypseos vox. 1. Cur dicatur reuelatio Christi non patris. 2, 3. Pleraq; ferè omnia in hac præterita esse, vt nihil iam desit præter septimi angeli classicum & septimi angeli phialã 2. Circunstãtiæ variæ in ea notandæ. 4. In ea explicanda nõ ad allegorias sed ad historias potius recurrendũ. 359. Eiusdẽ salutatio epistolaris. 6. Quid in eius inscriptione contineatur. 3. τῶν μελλόντων γενέσθαι. 2. Vtilitas quæ ex ea perpenditur. 3.
Apocalypseos liber in septem visiones distribuitur. 59. ¶ Vide Propheticam Reuelationem.
Apocalyptici libri scopus. 359.
Apocrypseos Apocalypseos antitheton, 2.
Apologiæ ad imperatorem pro Christiana fide. 349.
Apollonius Martyr. 350.

Apol-

Apolyon. 82,89.
Apostasia & defectio ecclesiæ Romanæ. 109. Quid. 231. Vétura qualis sit apud papistas, eorúmq; opinio refellitur. 118. Vndè primum exorta. 390.
Apostoli & Episcopi discrimen. 137.
Apostolorum tempus. 125. Eorum cõstituta. 394.
Appellatio Hussij ad Christum. 165. Non admittitur à papa. 151.
Aqua ex rupe mirabiliter. 330.
Aquæ Mageddo. 382.
Araricus Gothorũ rex interfectus. 365.
Arca, ad cuius præsentiam cadit Dagon. 290.
Archiepiscopi, deq; eorum & Patriarcharum ordine, pallio. 300. Contestationis verba in eodem tribuendò. 301.
Archiepiscopale pallium Maguntinũ. 250. ¶ Vide Pallium.
Archisilaus Macedonum rex. 218.
Argumentum Romanum. 119.
Argumenta papistarũ quibus volunt papam non esse antichristum, eaq; confutata. 226, 227, &c. ¶ Vide Testes duos.
Aristides Athenienſis apologiam pro Christianis exhibet. 347.
Arma euangelij spiritualia, papæ carnalia. 384.
Armageddon. 340.
Ars impressoria. ¶ Vide Typographicam artem.
Articuli 107. cõtra Hieronymum Pragensem. 107. Vndequadraginta contra Hussium malitioſè contorti. 152.
Asiæ minoris septem ecclesiæ. 6, 12, ¶ Vide Ecclesias.
Asinus leonina pelle indutus. 395.
Assyrij regis verba ad Ezechiam.
Assyriorũ monarchia prima. 50. Quãuis per se funesta alijs tamen comparata aurea dicitur. 51.
Atalaricus Gothorum rex. 365.
Atalaricus Theodoris nepos. 220.
Athei & Epicurei horum temporum taxati. 104. Eorum incredulitas deplorata. 104. ¶ Vide Epicureos.
Athenagoras philosophus legatus ad imperatorem pro christianis. 349.
Athulphus rex Gothorum Romã capit, à suis interficitur. 364.
Atrium Templi, alterius interpretationis de eodem coniectura. 121. Exterius & interius quid designet. 120. De eodem quæstio cum respõsione, bifariàm distingui. 124.
Atilas Hunnorum rex. 220.
Augustinus in obsidione vrbis suæ mense tertio, anno ætatis 76. moritur. 365.
Augustulus fugiens imperio se abdicat, postremus imperator Italiæ. 220. Occidentalis. 365
Aurelius comes persecutor. 347.
Aurelianus imperator fulmine impetitus. 353.
Autoritas ecclesiastarum in quibus rebus sita. 393. Pontificia. ¶ Vide pontificem Romanum.
Autoris nempe Foxij interpretatio cũ præfatione venit. 101. Eiusdem sententia de duplici angelo & duplici falce apocalypticis. 312.

B

BAal cadit ad præsentiam Eliæ. 290.
Babylon sedes regni Saracenici. 93. Propugnaculum eius Euphrates. 370. Eiusdem ruina bifariam intelligitur. 289. Eiusdem destruédæ tempus. 372. Eiusdem nomen quid denotet. 287. Expressa Romæ imago. 288. Eiusdem casus spiritualis. 289. Non de personis hominum sed de doctrinæ ruina intelligitur. 293. Ruina eius spiritualis. ¶ Vide Meretricem.
Babylonia. 5. capta. 52.
Babylonicæ ciuitatis excidium ante iudicium. 148.
Babylonicum imperium multis victorijs donatum. 51.
Babylonius pontifex. 292.
Baptismus sacramentũ fidei. 13.
Baiazethes quartus Turcorum imperator. 96. Gallos vincit. 97. Captus à Tamberlane. 97.
Baiazethes secundus, Turcorum imperator & octauus. 98.
Bellisarius & Theodatus belligerant, è magno periculo vix euasit incolumis. 221.
Bellum Marcomannicũ, 349, 360. ¶ Vide Pacem.
Bella Romanorũ innumera. 53. Hen. 4. & 5. aliorumque imperatorum & principum. 250
Benchochab 347.
Bencozba. 347.
Beneficia, officia, &c. Christi. 35. Innumera 38. Non satis à plerisq; perpensa. 39. Profecta ex eius sanguine. 280 317. ¶ Vide Officia.
Bestia apocalyptica. 384. sedis suæ obtenebratio ante iudicium. 148. Secunda, eius caput incisum denuò redintegratur. 4
Bestia gemina. 2. Duplex ex progenie serpentis exurgens. 203. At eadem sedes idemq; regnũ vtriusq;, modus regnandi in vtraq; diuersus, aliter prima, aliter secunda. 363.
Bestia prima apocalyptica de mari ascendens. 240. Per secundã curata, eius plaga per Gothos, Vandalos, &c. 254. Primam adorare. 183. Secunda de terra exurgens. 242. simulata eiusdem hypocrisis. 243.
Bestia septiceps explicata. 211, 212, 213. &c. Eiusdem explicatio, numerus & conditio adorantiũ eam, deq; eius potentia. 214. Descriptio. 213.
Bestia quarta. 53.
Bestia apocalyptica Romam repræsentans, eius societas horribilis & exitiosa, fornicatio cum ea, character quam gerit. 293. eius character in dextra manu accipitur, in dextro brachio, in fronte. 297, 298. regnum tenebrosũ. 363. Imperium Romanũ. 362. Character eius, adorare eius imaginé quid. 268. Numerus & nomé eius exquiritur. 269. 270. Duo tempora eius quid denotent. 341. Sedes eius quid sit. 355.
Bestia è mari & è sede sua ascendens. 354, 355. &c. Adempta ei potestas persequendi. 355.
Bestiæ & mulieris gemina descriptio. 391. ¶ Vide Characteré. Testes duos.
Blasphemiæ diademata decem. 214.
Bohemorum nobilium supplicatoria schedulæ pro Hussio in cõciliũ Cõstantiense oblatæ 157. Eorumq; responsio pro eius defensione. 158. ¶ Vide Nobiles & Victoriam.
Boni omnis seu mali origo ex duobus præcipuè principijs. 198
Boni aliter peccant atq; impij. 313.
Bonifacius pont. dignitatis origo. 256.
Bulla Alexandri quinti prohibens in sacellis prædicare. 188.

C

Cædes Iudæorum. 346,347.
Cæsares primùm Christum persequentes. 4.
Caius Caligula imperator interfectus 345.
Calamitatum tantarum inter Christianos causa exquiritur. 99.
Calicis vsus ademptus populo. 252.
Calumniæ depulsio. 317. Per eam viri boni oppressi. 108. Contra Hieronymũ Pragensem respondetur 168. Aduersariorum Hussij de tępore salui conductus illi dato refutata. 159.
Calumniæ mendaces in Hussium. 160. 161. Michaelis de causis contra eundem. 155. ¶ Vide Probra.
Calypha quid significet. 93.
Cãdelabra duo Apocalyptica quid denotent. 149,150,172. Septem in dextra Christi descripta. 7. Eorum explicatio. 9.
Canones conciliorũ quorundam. 133, 175.
Canonistæ vt statuunt Papæ diuinitatem. 260.
Canticum agni. 329. & Mosis. 329. Nouum, nec notum nisi pijs. 275. Sanctorum ¶ Vide Sanctos. Seniorum, angelorum, omniscq; creaturæ. 40.
Capella Bethlehem. 162.
Capita duo ecclesiæ Christus & pontifex. 8.
Captiui. 331.
Captiuitas Israëlis sub Cananæis. 381.
Cardinalis Columnẽsis iniquitas. 151.
Cardinalium pompa, luxus, purpura. 24.
Carnalibus ignotus Christus. 275.
Carinus victus prælio & occisus. 353.
Carolus Magnus Pipini filius. 257.
Carolus Martellus regiæ domus præfectus in Gallia. 257.
Carthago à Vandalis occupata. 564.
Carus imperat. fulmine absũptus. 353.
Casus papales. 247,248.
Casus Dagon ad præsentiã arcæ, Baal ad præsentiam Eliæ, Satan & Babylon ad prædicationem Christi. 290. ¶ Vide Babylon.
Cataclysmus. 329,330. ¶ Vide diluuiũ.
Catholicus apud papistas quis. 255.
Catholici, ad eósq; cautio. 396. Ad eosdem protestatio, 389. Eorum obiectioni pro defensione sui pontificis occurritur. 241. Eorum fabulæ de antichristo venturo. 362. Eorũ argumentum contra ipsos inuersum. 232. Eorũ septem argumenta seu euidentiæ ex sacris scripturis contra eos Papam suum defendẽtes nõ esse antichristum. 238. Quomodo interpretentur quadraginta duo menses. 122. Eorum obiectio cum responsione. 314,355. ¶ Vide Anglorhemenses, Papistas.
Cauillatio cum distinctione. 8. Cum responsione. 21. Papistarũ cum solutione. 183.
Cauillum Papisticum. 230
Causæ veritas quomodo metienda. 74.
Ceremoniæ. ¶ Vide Ritus.
Chananæi eiecti mirabiliter. 330. Eorũ panalorhia, victoria cõtra eos parta ab Israelitis. 382.
Chãgius Can mperator Tartarorũ. 94
Character bestiæ apocalypticæ. 257. Romam repræsentãtis. 293. Eius ratio duplex, internus, externus, spirituale quoddam signum à cæteris distinctiuum. 294. Ecclesiæ fides & baptismus, certissimus, vnus eiusdem tantummodo partim externa partim interna impressione consistens. 295, in dextra manu. 297,298.
Character confirmationis & ordinis. 297 ¶ Vide Bestiam.
Chilpericus sex Galliæ regno exuitur. 257.
Chœnices tres hordei denario vno 48
Christus filius mulieris apocalypticæ. 198, Habet suam ecclesiam in medijs Satanæ copijs. 264. Causæ necessariæ cur è terris in cœlũ se subduceret, quomodo cœlum tenens in terris præsens, corpore absens, quæ commoda suæ præstet ecclesiæ 299. Illi soli omnia mundi regna cessura, 195 Eius potentia. 198. Eius officia, beneficia, &c. 35. quomodo eum ecclesia spiritualiter parit. 199 Victoriã aduersus Satanam potitus felicitatẽ & libertatẽ per eum cõsequimur. 200. per eum Dei iustitia Dei pacata 213. Eius potentia & immortalitas in quo consistit, cur vnum caput sit ecclesiæ, bonorum caput vt impiorum diabolus, 231. Quæstiunculæ aliquot de externo eius habitu. 10. Nullo eius exemplo papæ potestas nititur, quorum vitæ ex diametro oppositæ in hoc mundo. 61. An omnes gentes quæ eius mortem antecesserũt sunt damnãdi. 64. Eius & Christianorũ hostes varij & tetterrimi 45. Eius vicarius 7. Solus præest & prospicit vniuersæ ecclesiæ. 7. In ecclesijs ambulãs, 7. Is & potiser duo capita. 8. Eius maiestas, 10. Alpha & Omega, per eum solum mortis & inferorum potestas deiecta, nulla alius nisi in eo. 11. Diuersa specie diuersis apparuit. 10. Terribilis eius aspectus hostibus præsertim suis. 10 Nullam ædificat ecclesiam nisi super petrã 13. Regnum eius duplex alterum oriens, alterum occidens. 108. Ante eius aduentum defectio. 116. Eius sacrificium à sacerdotio suo minimè auellendum. 71. Ad fidem & cultum eius exhortatio, extra eum nihil nisi peccatum, ad eum precatio. 88. Eius officia & beneficia papistis ignota 91. Eius regnum. 116. Inter personam eius & antichristi nulla proportio analogica. 112. Eius persona vestitus antichristus. 111. Quatenus angelus appellatur, cur corporaliter in nube non descenderit. 102. Non cõmodè signatur per solem in quem quarta phiala fuit effusa. 359. Pacificus nullum regnum aut imperium euertit. 22. Eius spiritus gladius. 21, Eius promissio ecclesiam suam nunquã perituram. 117. Vera eius cognitio & fides nunquam otiosa. 22. Eius beneficia & impia hominũ erga eum inhumanitas. 317. Eum negare quid sit. 266. Eius confessio non labijs sed factis cernitur. 266. Duplex potestas Romana contra eũ. 272. Eius imitatio. 278. Carnalibus ignotus. 275. Fructus & beneficia ex eius sanguine, data ei omnis potestas, fructus ex morte & passione eius. 280. Sub Christi nomine oppugnatus. 291. Liberam eius ecclesiam ad sedem solùm Romanã restringit Papa. 302. Primũ vt rex, deindè vt Iudex veniet iudicatum terram. 305. Duplex eius aduentus longéque dissimilis. 305. Dissimilitudo

do quanta inter eum & Pontificem Romanum. 132. Causam Euangelij sui armis defendi nolit. 384. Quæ bona nobis confert. 320. Quando & sub quo imperante natus & passus. 54. Eius mors humilis quot quantaque bona orbi peperit innumera eius beneficia. 38. Eius sanguine solùm hæreditatem vitæ æternæ acquisiu. 29. Eius forma seruil depressa & humilis. 38. Eius fides personam Deo commendat. 377. Viæ dux, veritatis magister, vitæ autor. 325. Spectandus in Iosepho, a Iudæis suis indignissimè oppressus, indignissime vexatus & passus, ignominia eius in gloriam, mors in vitam versa. 330. Eius persona per quam seruamur, fides sola in eum coniecta, qui qualésque sunt quos potissimum seruat. 331. Eius nomen tenent multi, potentiam verò crucis eius & resurrectionis perpauci. 314. Induendus, nostra iustitia. 376. Quid agat in sua ecclesia. 7. Quo spiritu ecclesiam suam regit. 373. Cur agnus & leo dicitur, eum perpauci norunt. 36. nihil illo abstrutius aut à ratione humana remotius, agnus & leo, regia eius maiestas 37. Eius officia & beneficia spectanda, ex certa eius notitia omnis fluit vitæ rectè instituendæ ratio, diuinum eius imperium plerisque incognitum. 28. Præter eum in cœlo nulli aduocati admittendi, ille solus Dei oraculum & propitiatorium, solus sanctus & charus patri 39. Quomodo induat qualitates pugnantes, & discrepantes pro prietates. 38 Eius beneficia, & officia non satis perpensa 39. Vide Agnum, Antichristum, Deum, Iesuitas, Regnum & Monarchiam.

Christiani, & ad eos exhortatio, plus quam tertia pars eorum nominis a Turcis occupata. 98. Eorum idololatria punita 99. Eorum mores corrupti. 357. Iustini martyris apologia pro ijs. & Antonini pij scriptum 348. Pro eorum fide apologiæ ad imperatorē. Legatus pro ijs ad imperatorem Athenagoras philosophus, eorum preces, pluuia a Deo per eos impetrata, literæ imperatoris ad senatum pro iis. 349. Senatus Romani edicta contra eos. 346. Aristidis Athenienſis pro iis apologiam exhibet, Serennius Grauianus legatus pro iis scribit, nec non Adrianus, 347. Cur a Turcis ita vincuntur. 39. Profligati ab hostibus, 97. Eorum preces pro hostibus. 361. Causa tantarum calamitatum inter eos exquiritur, eorum idololatria punita, cur ira Dei in eos tantopere accensa, in eorum templis cultus simulachrorum, ad resipiscentiam inuitantur. 99. Erepta iis Cyprus. 98. Eorum clades luctuosa. 96. Eorum discordia amittitur Hierosolyma, 94. afflicti per Turcos, intestina inter eos disidia maxima malorum causa. 95. Eorum disidia. 96. Quis restituit iis Hierosolymam. 93. Edicta contra eos æneis tabulis insculpta. 78. In Pellam fugientes. 63. Eorū officia erga paganos. 210. Vide persecutionem.

Circunstantiæ rerū, personarū, locorū temporum in apocalypsi considerandorum. 4,5. Necessariæ de equis quatuor, eorúmq; sessoribus capite 6. memoratis. 46, 47, 48. 49. Quibus probatur prophetiam de duobus testibus non posse aliter competere quàm in Hussium & Hieronym. Pragensem. 178. &c.

Ciuile dominiū clericis interdictū. 191

Ciuitas, de ea quæstio cum responsione. 124. Magna quænam ea sit, & quidnam ea significatur, accipitur quandóque pro iis qui imperant. 391. Ecclesia antichristi, non terrena sed spiritualis intelligenda. 396. Sancta quam diu calcanda a gentibus. 111.

Clades hominum 1080 in vno prælio. 220.

Claudius imperator veneno sublatus. 345.

Clauis Christi super mortem & inferos. 11.

Clauium potestas Petro vna cum cæteris apostolis communis. 138.

Clementiæ diuinæ exemplum. 361. Erga suos. 381. Vide Misericordiā.

Clementiæ Iustiniani imperatoris erga Vtigem captiuum regem exemplum. 221.

Clementis epistola. 261.

Clericis interdictum ciuile dominium. 191.

Cœlum recedens quid denotet. 56.

Cœlum, silentium ibi ad horæ dimidium. 69.

Cœlorum regnum vim patitur. 385.

Cognitio vera Christi nunquam otiosa. 22.

Collatio inter Petrum & pontificem. 13. Inter septem illas ecclesias Asiæ & nostras hodie Europæas. 19. Romanæ ecclesiæ cum superiorib. Asiæ ecclesiis 24. Institutorum Romanorum cum Turcicis 91. Victoriæ Domini cum victoria Deboræ. 387.

Cómbustio hæreticorum quando exorta. 252.

Commodus Antonini filius strangulatus. 350.

Commonitio salutaris ad reges & principes mundi huius. 60. ¶Vide Admonitionem.

Commotio ingens in toto orbe. 77.

Communio sub vtraque specie. 191. Libera. 188.

Comparatio Turcicæ doctrinæ & papisticæ. 91. Inter veteres imperatores Romanos & Pontifices nouos Romanos. 249. Vide Collationem.

Compotationes temulentæ. 325

Conciliatio rerum pugnantium. 38.

Concilium Constantiense. 131. Quam diu durauit. 185, 181, 182. Eiusdem consideratio, cum responsione contra papistas illud defendentes. 177. Eiusdem res gestæ contra Hieronymum Pragensem. 168, &c. Supplicatoria schedula eidem oblata per nobiles Bohemos 156, 157, &c. pro Hussio. 157. &c. De initiis eiusdem & rebus gestis narratio, de loco contentio. 153. Quotq; in eo qualésque consederant. 151. contra Hussium & Hieron. Pragensem. 152, &c. Eiusque rabies contra Christi martyres. 150. Eiusdem occasio. 151.

Concilium Chalcedonense contra Romanum primatum, iussu imperatoris

ratoris celebratum. 133, 137. Nicænum, Antiochenum, Africanum 133. Pisanum. 131. Quidam in eo hæreseos accusati. 160. Tridentinum, in quo antichristiana confœderatio. 385.
Concilia duo generalia vno & eodem tempore. 192.
Conciliorum decreta. 132. Dissonantia. 136. Cautiones contra primatum pontificium. 139, 140, 136. Repetitio seu commemoratio, in quibus subticetur pontificius primatus. 135.
Condemnatio vniuersalis ob peccatum originale per Christum sublata. 309.
Confœderatio antichristiana concilii Tridentini. 385.
Confessio Petri. 13.
Confessio priuata. 152.
Confessio auricularis. 130.
Confessio Christi non labijs sed factis cernitur. 266.
Confessores habent suas coronas vt martyres. 29.
Confirmatio. Vide Sacramentum.
Coniugium sacerdotibus prohibitum 129. Eius legitima libertas viris ecclesiasticis interdicta per antichristum. 277. Vide Connubium.
Connubium honorabile suam habet virginitatem 277. ¶ Vide Coniugium.
Conscientia accusatrix. 316.
Conspiratio accusatoria contra Hussium. 153. Generalis contra ecclesiam. 385.
Conspirationes pontificum & pontificiorum in necem reginæ Elizabethæ. 251.
Constantia Ethnicorum quorundam in ferendo. 29.
Constantinus magnus. 218. Profligat Maxentium. 58. Eius donatum priuilegium. 256. Signum victoriæ ostensum ei à Christo. 354. Vincit Licinium in prælio solus imperator. 354. Eius tempus, postque eum ecclesiæ status. 116.
Constantinopolis bis oppugnata. 96. Capta a Mahumete. 97.
Constantius Cæsar, obit diem in Eboraco. 354.
Constantius Patricius imperator occidentalis. 220.
Constituta apostolorum. 394.
Contemptus mundi. 305.
Contentio in ecclesia quatenus improbanda aut probanda. 21.
Contentionum pugnæ vitandæ. 325. ¶ Vide Ecclesiam.
Contractus definitio duo obseruanda denotat. 280.
Contriti corde. 331.
Controuersia de vera & falsa ecclesia. 389.
Controuersiarum omnium caput & corpus, quid. 194.
Cor nouum spiritus nouus. 275.
Cornua decem bestiæ septicipitis. 214.
Coronæ perinde dantur confessoribus atque martyribus. 29.
Corpus Christi. ¶ vide Sacramentum, Transubstantiationem.
Corporis Christi festum. 252.
Corpora duorum testium occisa per bestiam, insepulta, post tres dies & dimidium iterum reuiuiscentia. 179.
Corruptio nostrorum temporum. 358
Crimina de quibus accusatur Huſſius 255.
Crœsus Lydorum rex a Cyro superatur. 52.
Crucis Christi potentiam tenent pauci. 314.
Crudelitas Theodati Gothi. 221. Theodorici, eiusque exitus. 366, 367.
Cultus & sacrificia papalia. 24.
Cultus vetus imperatorum. 217. ¶ Vide Vestes.
Cupiditas in quem vsum data. 322.
Cura huius mundi abiicienda. 316.
Curia Romana suis coloribus depicta. 24. ¶ Vide Papam.
Cyclus quinque mensium. 84.
Cyprus erepta Christianis. 98.
Cyrus Persarum rex eiusque res gestæ, deuictus & obtruncatus. 52.

D

DAgon cadit ad præsentiam arcæ. 290.
Damnationi an omnes gentes qui mortem Christi anteceſſerunt sint obnoxiæ. 64.
Danielis prophetiæ ad Christum propriè non vlterius porriguntur. 239.
Eius hebdomadæ. 147.
Datarum anticipationes. 251.
Deborah, ¶ Vide Victoriam.
Decem dies. ¶ Vide Dies.
Decennalis Diocletiani persecutio. 26.
Decius imperator cum filio interfectus. 352.
Decretum concilii Constantiensis. 255.
Decreta pontificia executiuntur & trutinantur. 294. &c. Aliquot synodi Basilienſis. 191. Et sanctiones adulteratæ Romanæ curiæ fraudibus. 134. 135, &c.
Decretalium consarcinator. 130.
Defectio ante Christi aduentum. 110. Eiusdem prima initia. 126. Tempore antichristi, non à Romana ecclesia sed Romanæ ecclesiæ a Christo. 110. ¶ Vide Apostasiam.
Delicta publica minimè toleranda. 191.
Delphinus Galliæ incitante Eugenio papa armis Basiliam aggreditur, victus & profligatus diuina gratia. 192.
Desiderius vltimus Longobardorum rex. 257.
Deus, eius imago nulla similitudine efformanda est. 31. Mirabilis in Christo filio, magis mirabilis erga peccatores per filium suum. 330. Quum natura sua sit inuisibilis, an induat aliquando formam visibilem. 31. In rebus maximè deploratis promptissimus adiutor. 36. Etsi non deserit ecclesiam, eam tamen exerceri finit. 118. Ecclesiam suam in perpetuũ nunquam deseret. 117. Eius flagellum horrendum in sæuos persecutores. 78. Eius ira in Christianos cur adeò accensa. 99. Eius manus vindex. 77. Eius iudicium nouissimum & temporale. 57. Eius potentia in vindicando martyrum sanguine. 58. Eius voluntas semper expectanda eiusq; os consulendum in negotiis aggrediendis 340. Eius iusticia offensa per Christum pacata. 213. Eius manus adiutrix tempore opportuno. 210. Eius iusticia offensa æterna vltione pensatur. 318. Eius iudicia varia, occulta & inscrutabilia. 308. Sæpe id reputat externum quod homines internum putant. 120. Ignis deuorans. 313. Eius promissiones certi

certæ & firmæ. 105. Eius præsentia in hoc seculo obscura, ira manifesta, iudicia occulta. 338. Cur suos electos in hoc seculo affligi permittat. 357. Eius ira quando consummatur. 386. In dispensandis supplicijs suis diuersitas. 343. Per infirma mũdi sæpèq; per mulieres res magnas gerit. 381. Nullos ei chariores esse, quàm qui in mundo maximè affliguntur. 320. In operibus mirabilis, in omnibus vijs suis iustus, in iudicijs terribilis, fidelis & verax in promissis. 329. Eius thronus descriptus. 34.

Diabolus deiectus, & profligatus. 11. Non Antichristus, principale caput impiorum. 231. ¶ Vide Persecutiones, Satanam, Serpentem.

Diademata decem bestiæ septicipitis. 214.

Didacus sophista contra Hussium. 154.

Didianus Iulianus imperator occisus. 350.

Dies dominicus, eiusq; prima institutio. 3.

Dies Domini non procul abest. 3.

Dies Domini & victoriæ eius. 386.

Dies in septenarium numerum mensium resoluti, quemadmodum mẽses in septenarium annorum colliguntur. 26.

Dies magni Dei. 385.

Dies iudicij. ¶ Vide Iudicium.

Dies decem mysterio non carent, eorum discussio. 26. ¶ Vide Decennalis.

Dies tres & dimidium cap. 11. 5. Quid designent. 146, 180. Quo modo intelligendi. 182.

Dies quadraginta quinque concessi ad pœnitentiam. 224.

Dies 1260. apocalyptici quomodo intelliguntur ab autoribus. 142, 143. &c. Quid denotent. 180. Supputati. 181.

Diluuium Noah. 63. Generale inundans. 309. Post annos 600. ab orbe condito. 305.

Diolcesianus primùm oscula inuexit, quæ nunc retinet Romanus Pontifex. 217. Imperio abdicatus, sumpto veneno mortem sibi consciuit. 353.

Diplomatum confectio. 250.

Discordia quàm perniciosa in rebus pub. 93. ¶ Vide Dissentionem.

Dispensationes in causis incompatibilibus. 251.

Dissensionis incommoda. 94. 95. ¶ Vide Dissidia.

Dissidia intestina Christianorum maxima malorum causa. 95. 96.

Diuites patriarchæ. 317.

Doctor Paletz martyromastiga. 169.

Doctores prisci cum scripturis conferendi, non præferendi, eorum libri non omnes genuini. 224. Antiquis non est turum fidere in propheticis figuris & mysteriis. 123. Romanæ ecclesiæ apud eos antiqua existimatio & autoritas. 226. Per Romanenses falsati. 394. Eos deprauarunt & adulterarunt papa & papistæ. 261, 262, &c.

Doctrina Hussii (eius vitá) restituta, quæ adhuc manet in ecclesia manebitque in æternum. 185.

Doctrinæ Romanæ ecclesiæ. 301. Eiusdem summa quò tendat. 267, 254. Eiusdem cum sacra scriptura collatio. 254. Pestifera eiusdem corruptio. 251. 252. &c

Dominicam. 333.

Dominium ciuile clericis interdictum. 191.

Domitiana fulmina. 175.

Domitianus imperator interfectus. 346.

Dona septem spiritus sancti. 72.

Draco apocalypticus. 384. Quo spiritu regnum suum gubernat. 373 374. Tartareus mulierem persequens. 2.

Dulia. 286.

E.

Ecclesia Christi, non omnino omnibus conspicua, quandoque etiam occulta, in deserto nonnunquam agens, externa eius prosperitas periculosa, vbi quærenda, alia Christi alia antichristi, antiqua abacta in solitudinem Romana non erat. 208. Vniuersalis in primis persecutionibus statuit, quæ noua quæ vetus existimanda, mulieris profligatæ in solitudinem cum ea confimilis idæa. 209. Mira eius defensio 204. Vnius vnum principium. 198. Quæ commoda præstet eidẽ Christus corpore absens. 199. Eius typũ gerit mulier apocalyptica, in mundo humilis, apud Deũ gloriosa, vnà catholica, veræ & falsæ comparatio 197. Mater. 198. Eiusdẽ personalis fallax species. 197 Quomodo spiritualiter Christum parit. 199. Paupertatem euangelicam & apostolicam in eam reuocandam esse. 188. Non fit ex multitudine. 207. Discrepantes in ea opiniones inter doctos sæpe accidunt sine fidei periculo. 171. Eiusdem splendor. externus apud papistas. 154. Eiusdem ratio duplex publica & priuata. 233. Primitiuæ status. 125. In eam venenum infunditur, crescunt eius opes & diuitiæ. 126. Status eius post Constantinũ. 116. An ex eius ordine (vt vniuersalis est) Roma sedes antichristi fit tota excludenda. 235. Arma eius spiritualia non carnalia. 289. Pax læta ei per Constantinum reddita. 284. Eiusdem excæcatio vndè proficiscitur, 271. Fides & opera eius, 276. Notæ veraque eiusdem cognoscendæ ratio iuxta papistas & scripturas. 276 In ea duplex notatur persecutio. 55. Secunda eius persecutio sub antichristo. 55. Multiplices eius hostes 45. Vniuersalis merita. 333. Nunquam desunt ei oppugnatores. 380 Primitiuæ persecutiones per tyrannos imperatores autore diabolo excitatæ. 341. Hostes eius externi interni, domestici familiares. 243. Victoriæ quam habet contra antichristum typus. 381. Ad eam eiusque res propriè spectant posteriora sigilla tria. 54. Quo spiritu regit eam Christus. 373. Eius ortus, propagatio, stabilitas, conditio, 54. Apostolicæ nomen soli Romanenses sibi vendicant. 23. Aliud est eius nomen gerere, aliud vitam agere. 24. Nimia libertas in ea quid efficit. 357. Primũ sub propriis iudicibus, secundò sub imperatorib. & regib⁹, tertiò sub pontificibus. 385. Prima eius persecutio sub Romanantichis. 55. Vna catholica non personalis, &c. 230. Vera veræ definitio. 213. Primitiuæ variæ supplicíorum genera

genera perpessa 215. Veræ eiusdem notæ. 27. Vera & falsa, de quibus controuersia, Catholicorum & Euangelicorum. 389. Infestata à Turca trecentis annis, 385. Generalis contra eam conspiratio. 385. Eius natura & conditio non externis bonis aut malis metienda, Deus etsi eam non deserit exerceri tamé sinit. 118. Variis exposita casibus in hoc mundo. 118. Ex promissione Christi nunquam peritura, Deus eam in perpetuum nunquam deseret, eiusdem casus & restauratio. 117. Quid sit. 13. De reformatione, eiusdem adhibenda. 99. Nullam ædificat Christus nisi super petrã. 13 Eiusdem cum Israelitica collatio. 384. 385. Quatuor modis infestata. 45 Visibilis aliqua ratione. 25. Petra 12. Causa tumultuum in ea. 22. Capita duo Christus & pontifex. 8. Vniuersalis perire non potest. 12. Status eius a primis euulgati euangelii exordiis ad supremum vsque mundi exitum. 4. Vniuersæ præest Christus & prospicit. 7. Vna vnum Christi corpus mysticum. 8. Nihil ærumnarum passa aut passura est sine diuina prouidentia. 5. In describendis eius afflictionibus tria temporum discrimina spectanda. 5. Cur vnum sit eius caput Christus. 231. ¶ Vide Afflictiones, Characterem, Christum, Contentionem, Defectionem, Doctrinam Hussii, Ministrum, Persecutionem, Satanam.

Ecclesia Romana omnium ecclesiarum mater. 302. Errorum mater. 283. Examinatio eius ad normam diuinæ scripturæ. 28. De fide & doctrinæ eiusdem quàm minimè aberrauit Hussius. 173. Eius origo excutitur, prima esse non potuit, non vniuersalis sed particularis solum. 198. Schisma in ea. 192. Errare non posse, aut hactenus non errasse, esse falsissimum. 125. Ad eius doctrinam adiurati academici, sacramenta eiusdem & ceremoniæ. 301 Eius sedis per tria organa inclinationes tres. 290. Eiusdem tutela ad Gallos translata. 257. Errores aliquot in ea confutati. 207. Eiusdem partus. 197. Blanda eiusdem species, successio, antiquitas, ficta miraculorum mendacia, sedes, collatio huius nouæ cum veteri, 252. Falsa eius fides & opera. 276. Eius epitheta. 109. Cum aliis Asiæ ecclesiis septem collata. 24. Ab illa necessaria discessio & dissensio. 22. Mater fidei. 246. Iuxta papistas errare non potest. 255. Visibilis eius splendor. 25. Eius antiquitas contradicitur, diuersa ab ea quæ abacta erat in solitudiné, nec antiquissima nec vniuersalis. 208 Episcoporum in ea antiquorum cõmẽdatio, corruptio & ambitio quando primum in eam ingressa. 84. Eius à Christo defectio 110. Et apostasis. 109. Supra cæteras ecclesias nihil habet. 7. Eiusdem olim apud priscos doctores antiqua existimatio & autoritas, status eius quæ nunc est longè dissimilis antiquo. 226. Esse ecclesiam antichristi certis quibusdam notis demonstratur. 396. Præpostero iudicio pro vera habetur ecclesia. 326. Non mater sed meretrix. 390. Falsæ & inanes iactationes papistarum de ea. 383. ¶ Vide Papistas, & Sedem.

Ecclesiæ non locorum successione sed fide & doctrinæ integritate consistunt. 12. Earũ nomina & ordo ad quas scribit apostolicus nuncius. 15 16. Duæ per duas mulieres repræsentatæ, earumque partus. 391. Minoris Asiæ septem. 6, 12. Collatio inter septem illas Asiæ ecclesias & nostras hodie Europæas. 19. Vitia in hiis septem reprehensa. 20. Cur ad illas potiùs quàm ad cæteras ecclesias scribat Dominus 14. ¶ Vide Angelos.

Ecclesiasticarum autoritas in quibus rebus sita. 393. ¶ Vide Ministros.

Ecclesiasticæ libertatis tempora. 126.

Edicta senatus Romani contra Christianos. 346. Æneis tabulis insculpta. 78.

Electio diuina, & quòd contra eam non præscribit antiquitas temporis. 383. Eiusdem benedictio ad quos propriè spectat. 68. Per fidem gignit opera bona. 277.

Electi per misericordiam seruantur à peccatis. 315. An pauci sunt qui seruantur. 283.

Electorum psallentium causa duplex. 276. Multitudo eorum duplex, signatorum & non signatorum. 65. Numerus sine numero. 64. Numerus certus ne an incertus. 274. Iis tantummodo mysticum laudi carmen notum. 276. Eos in hoc seculo cur permittat affligi Deus. 357. ¶ Vide Signatos.

Electores sacri imperii septem. 258.

Elias. ¶ Vide Heliam.

Elizabethæ reginæ Angliæ papa conspirabundus. 61. Conspirationes pontificum & pontificiorum in eius necem. 251. Antichristo à Deo oppositа. 317.

Enochi spiritus & Eliæ. 176. Mactandi ab antichristo iuxta papistas. 172. Nulla causa cur redeant ad confutandum antichristum. 183, 184.

Epicurei, eorum ratio confutata qua credunt mundum semper duraturum. 104. ¶ Vide Atheos.

Ephesiorum prudentia in cauendis pseudoapostolis. 23.

Episcopi & apostoli discrimen. 137.

Episcopi vniuersalis prophanum vocabulum. 256. Principatus eiusdem quando primum irrepsit in ecclesiam. 393.

Episcopi pontificij quomodo electi, ornamenta in eius electione adhibenda, sine commissione apostolica non consecrantur, eorum erga sedem Romanã professio, subiectio & officium. 299. Eorum ordo & status hodie qualis sit. 24. Inter eos & sacerdotes quodnam discrimen. 300. Eorũ vnctio capitis, frontis, manuum, baculus pastoralis, amictus, liber euangeliorum ijs cõmendatus, mitræ benedictio & impositio chirothecarum benedictio. 300.

Episcopus Romanus qualis olim fuerit. 141. ¶ Vide Papam, Pontificé, & Primatum.

Epistolarũ numerus & ordo ad septẽ ecclesias scriptarum. 15, 16. Præcipua rerum capita quæ in ijs agũtur, earum inscriptio. 17.

Epitheta Romana ecclesiæ. 109. Antichristi. 228.

Equi

Equi quatuor discolores, nempè albus, rufus, niger, pallidus, quid significent iuxta interpretes. 43. 44. 45. De ijs circunstantiæ cõsideratione dignæ. 46. 47. 48. 49. Eorum interpretatio iuxta sensum Danielis de quatuor monarchijs. 50.
Equo rufo regnum Persarum comparatũ. 51. Subnigro quot & quàm horrendæ vastationes ascribuntur. 53.
Equus quartus & pallidus quid denotet. 53.
Errantium duplex consideratio. 235.
Error. ¶ Vide Papistas.
Errores aliquot in pontificia ecclesia confutati. 207. De Enoch & Elia confutati. 184.
Errorum tot absurditates vndè. 22.
Ethnici an plures à Dei vindicta sublati, quàm Martyres ab Ethnicis interempti. 356.
Euangelium, ad cuius prædicationem corruit Romanæ sedis potentia. 290. Eius causam Christus armis defendi nolit, eius arma spiritualia. 384. Eius restitutio præsignificata. 106, 107. &c. Septẽ grauissima vindictæ diuinæ argumenta aduersus hostes eiusdem. 73 Septem diuinæ vindictæ contra hostes eiusdem exempla diuersa. 79. Eiusdem restitutio prædicitur ab Hussio. 180. Eiusdem doctrinæ renouatio quã nouitatis accusant aduersarij, à Deo mittitur. 108. Restitutio eiusdem post initia Turcarum promissa. 107. Si desit eius puritas nihil cõfert antiquitatis opinio. 209. ¶ Vide Lutherum, Vindictam diuinam.
Euangelicorum ecclesia. 389. ¶ Vide Christianos.
Eucharistiæ elevatio, adoratio, circungestatio. 252.
Eugenius papa citatus ad concilium Basilense, cuius acta confirmat, eiusdemque sedem transfert. 191. Delphinus Galliæ armis Basilæam aggreditur, ilque papatu suo deiectus. 192.
Eugenius imperator occidentalis victus & interfectus. 362.
Euphrates Babylonis propugnaculum. 370. Eiusdem exsiccatio. 369, 370. &c. Causa exquiritur. 371.
Europa. ¶ Vide Ecclesias.
Eustachius cum vxore, & duobus filiis, martyres. 347.
Excelsa huius mundi cauenda. 243.
Excommunicationes Romanæ & exteræ improbatæ. 185.
Executorius processus super gratijs. 250.
Exercitus innumerabilis descriptio. 378. Percussus æstu solis, cum sitis & ardoris vehementa. 360. Satanæ duplex. 291.
Exhortatio ad Christianos. 98. Ad fidem & cultum Christi. 68. ¶ Vide Admonitionem.
Exhortatiuncula ad persecutores. 77.
Exitus rerum spectandus. 383.
Expositiones variæ de septem angelis, eorúmque tubis. 80, 81, &c.
Externum est sæpè apud Deum quod hominibus internum est. 120.

F.

FAbulis insidosis Romanarum fictionum plebs Christiana Judificata. 395.
Factio. ¶ Vide Seditionem.
Factis non labiis cernitur confessio Christi. 266.
Factum est, vox apocalyptica quid significet. 386.
Falx duplex apocalyptica quam recipit interpretationem. 311. &c. Acuta quam iudex nouissimus manu tenet, quid denotet. 310.
Falces. 322. Plures apud Ioelem & Ioannem. 322.
Famagusta. ¶ Vide Nicosiam.
Fastus Pontificii ordinis. 24, 256.
Felicitas & libertas per Christum. 200
Reproborum in hac vita. 380.
Feruidi in religione. 22.
Festum corporis Christi. 252.
Fides in Christum. 213. Sola. 68. Sola quid præstet apud Deum. 376. Sola in personam Christi coniecta seruat. 331. Contra eam solam obiectio cum responsione. 28. Eamque solam subsequi persecutionem, præcedere nunquam. 29. Non sola est sine operibus ergo fides sola non iustificat paralogismus. 378. Ea sola stamus, pugnamus, vincimus, 291. Ea sola conditio obtinendæ redemptionis, 279. Quæ vera sit, quibusque in rebus consistat. 314. Christi personam Deo commendat. 377. Sine eius periculo discrepantes in ecclesia inter doctos sæpe accidunt opiniones. 171. Ea & cognitio vera Christi nunquam otiosa. 22. Nullo recte agendi studio excitata nulla est, in iustificando apud Deum sola, in operando apud homines non sola. 377. Ea stamus. viuimus, vincimus. 314. Vix in terra inuenitur. 305. Eius mater ecclesia Romana. 246. Quænam ecclesiæ veræ & falsæ. 276. Scripturæ scopus. 253. Eius vis & potentia. 250.
Fidei sacramentum baptismus. 13.
Fides Abrahæ. 305. Petri. 136. Hussio data ab imperatore violatur à pontificiis. 152. Historica non satis est. 314. Implicita. 213. Catholicorum. 255. ¶ Vide Opera.
Fiducia propriæ iusticiæ Deo inprimis exosa. 23.
Finis seculi. 387. ¶ Vide Iudicium & Exitum.
Flagella piorum in hac vita. 384.
Flauius Claudius imperator. 353.
Flumina in sanguinem mutata. 345 Quid significet. 343. Apud Aegyptios in sanguinem mutata. 344.
Flumina post mulierem puerperam apocalypticam proiecta quid designent. 210.
Franciscanæ familiæ colluuies, 88, 353.
Fratricida occisus. 350.
Fraus Romanæ curiæ notata. 134, 135, &c.
Fraus Sinonia. 242.
Fredericus dux Saxoniæ ab Erasmo falsè notatur. 193.
Fredericus Barbarossa imperator. 246.
Frigidi in religione. 22.
Fructus. ¶ Vide Beneficia.
Fulgura, Tonitrua. 34.
Fumus ascendens è puteo. 82.
Fumus implens templum quid significet. 338.
Functiones. ¶ Vide Pastores, Angelos, & Ministros.

G

GAlba imperator interfectus. 346.
Galerius Maximinianus vermibus exesus. 354.
Galieni imperium turbidum, cum filio

lio occiditur. 353.
Galli à Baiazethe deuicti. 97. Ad eos translatæ ecclesiæ Romanæ tutela. 257.
Gallia quot contineat parœchias, quáque largos redditus ad fiscum papalem dederit. 250.
Gallus imperator cum filio Volusiano obtruncatus. 353.
Gaudium sanctorum in cœlo triumphantium eiúsq; causa. 274.
Genserícus dux Vandalorum. 79. & Rex. 364. Romam capit. 220.
Gentes quamdiù ciuitatem calcabunt. 121.
Georgiani à quo sortiti sunt nomen. 94.
Germaniæ grauamina. 251. ¶ Vide Grauamina.
Germanorum imperator primus. 257.
Gersonis calumnia cõtra Hieronymũ Pragensem. 168.
Geta frater imperatoris obtruncatus. 350.
Gibellini. ¶ Vide Guelphos.
Gladius spiritus Christi. 21.
Gladius acutus quem iudex nouissimus manu tenet, quid denotet. 310
Gladius duplex põtificis Romani. 245.
Gloria. ¶ Vide Prosperitatem.
Godefridus Bilioneus Hierosolymam restituit Christianis. 93.
Gog. 5.
Gordianus pater cum filio imperatores interfecti post vnũ mẽsem. 351.
Gordianus tertius imperator occisus. 352.
Gothorum reges, eorúmq; res gestæ. 364,365. Finis regni. 366. Qui Romam infestarunt. 218,219. Omnes ferè violenta morte occubuerunt. 366. Eorum exercitus sub Vtige. 79. ¶ Vide Regnum, Romam, Vtigem, Theodatum, Theodoricum, Totilam, Vandalos.
Græcorum monarchia tertia. 52
Gregorius Magnus contra primatum sedis episcopalis. 255.
Gratia Dei erga nos gratuita. 316, Mirabilis in seruandis peccatoribus. 333.
Gratia & operum merita contraria sunt. 378.
Gratia expectatiua. 250.
Grauamen ordinis. 333.
Grauamina Germaniæ centum per principes Germanorum descripta & ad Papam transmissa. 251.
Gubernationis ordines septem in vrbe Romana. 214.
Guelphorum & Gibellinorum seditiosa factio. 130.
Gutbertus quidam Germanus in vrbe Argentinensi primus artis impressoriæ inuentor. 192.

H

Hæreditas vitæ eternæ quomodo comparatur. 29.
Hæreseos quidam accusati in concilio Pisano. 180.
Hæreticus apud papistas & catholicos quis. 255,246.
Hæreticus hæreticorum pontifex Romanus. 253.
Hæretici catholici Pseudonomi. 66. Scorpioni comparãtur triplici ratione. 89. Eorum genera duo omnium grauissima. 87. Eorum combustio quando exorta. 252.
Harmageddon quid significet varia interpretum opinio. 378,379. Proprium nomen loci, cur mentio eius inducitur. 380,385.
Hebdomadæ Danielis. 147.
Hebræorum mira propagatio. 330. ¶ Vide Pharaonem & Israelem.
Helias. ¶. Vide Enoch.
Heliogabalus parricida in colaca interfectus. 351. Imperator cum matre trucidatus. 351.
Henricus secundus rex Galliæ. 218.
Hermes cum vxore, liberis, & familia martyres. 347.
Hieronymi Pragensis vita & martyrium, exhortatio eius ad Hussium, venit Constantiam, saluus conductus ei denegatus, in itinere interceptus & Constantiam reductus, calumnia contra eũ cũ adiecta responsione, 168. Eiusque historia. 150, &c. Citatur & euocatur ad concilium Constantiense. 156. Argumenta quibus probatur ex circunstantiis, prophetiam de duobus testibus non posse aliter competere quàm in eum & Hussium. 178. Eius abiuratio. 169. Responsio eius ad sacramentum altaris. 171. Oratio eius ad patres concilii, articuli. 107. contra eum, respondit ad obiecta, peroratio eius ad patres concilii. 170. Condemnatur, eius excelsa animi fortitudo aduersus terrores mortis, eius martyrium, 172.
Hiezabel meretrix. 292.
Hierosolyma capta, diruta. 74. Christianis restituta. 93. Eorum discordiâ amittitur. 94.
Hildebrandi fæda flagella. 129.
Hippo ciuitas à Vãdalis occupata. 364.
Hispaniæ rex inquisitoriæ autoritati subditus. 127.
Historia optimus interpres propheticæ scripturæ. 124. Hieronymi Pragensis luculenta. 168. &c. Ioannis Hussij & Hieronymi Pragensis ad plenum descripta. 150. 151. &c. Iolephi mirabilis. 330.
Historiæ. ¶ Vide Apocalypsin,
Histriones pietatis 25.
Homines id sæpe internum putant, quod Deus externum reputat. 120 Eorum conditio misera. 11. Eorum paucitas reddit annonam vilem. 52. Eorum genus duplex, per duplex templi atrium adumbratum. 220.
Honorius imperator orientis. 210.
Hostes externi interni, domestici familiares. 243. Christianæ religionis diuinitus & acerbissimè puniti. 217,218.
Humilitatis montes. 13.
Hunni. ¶ Vide Gothos.
Hussius ad concilium accitus. 152. Cochlæi probra contra eum. 188. Doctrina eius generali testificatione communitatis Pragensis defensa. 188. Ecclesia Bethlehem in qua docebat. 181. Verba eius in 12. articulo, 174. De eius fuga mendax testimonium, de fuga falsò accusatur, de fide & doctrina Romanæ ecclesiæ minimè aberrauit. 173. Testes pro eo audiri potuissent. 175. Responsio nobilium Bohemorum pro defensione eius. 158. Saluus eius conductus, nec condemnatus nec auditus in vincula mittitur, infamia & citatio quâ in eum struxerunt aduersarii. 159. Verba eius quibus se apud populum purgat, alloquitur Ludouicum ducem, falsi

ac mendaces testes contra eum subornati 167. Mendaces calumniæ de prædicatione eius, amica pro eo supplicatio, & luculentum testimoniũ 160. 161. Testimonia nobilium in regno Bohemiæ de eo, 186. cum defẽsione apologetica per rectorem & cœtum totius Pragensis academiæ 187. Iudices contra eum delegati, & commissarij, iterum incarcerandus committitur a concilio 156. difficultates eius in carcere 157. Saluus conductus ei datus, die 28. sui aduentus sistitur concilio, fides ei data ab imperatore violatur a põtificiis, articuli contra eum malitiose contorti 152. Nec auditus nec conuictus incarcerem detruditur, crimina de quibus accusatur 155. Per eum sedis Romanæ inclinatio 290. Constantiam aduenit cum nobilibus aliquot, eius aduersarii, accusatores, contra testantes, & fautores 153. Wenceslaus rex intercedit pro eo, Papæ contra eum ad eundem regem litteræ, ab archiepiscopo Bohemiæ & aliis purgatus 151. De articulis a sycophantis infamatus 151. Exempla diuinæ vindictæ in aduersarios eius, prophetica eiusdem vaticinia, de inclinatione regni pontificii, de restitutione euangelii 180. Siniſtra in eum informatio epistola eius supplex ad papam 162. Legati ad eum missi ab imperatore Sigismundo, quatuor episcopi ad eum missi 163. Obiecta contra eum crimina per episcopum quendam, pro se respondere non permittitur, sæua crudelitas concilii aduersus eum 164. conficta concilii & criminationes contra eum, Transubstantiationem cum papistis confitetur, nouum & impudens crimen obiectum contra eum, appellatio eius ad Christum, obiicitur illi excommunicationis pontificiæ cõtemptus iusta & æqua purgatio sui, sententia condemnationis contra eum 165. Orat pro persequentibus, degradatur, errores reuocare quî potuit quos nullos nouit nec quisquam ex scripturis queat ostendere: articuli per falsa testimonia ei obtrusa, sacerdotio & vestibus degradatur, potestati seculari traditur, animam eius deuouent diabolis diabolici viri, corona papyracea cum tribus depicta dæmonibus ludificatus 166. Vita eius restituta 185. ¶ Vide Hieronymum Pragensem.

Hussitarum aduersarios vindicta persequitur Deus 190

Hyperdulia 286.

Hypocrisis simulata in secunda bestia apocalyptica descripta 243. Philosophorũ & Pharisæorũ mendax. 332

Hypocritæ iuncti monachis, Iesuitis, cæteriſq; antichristi symmistis, qui fucatis titulis vulgi oculos perstringunt, præstigiisque fallacibus & hypocrisi seducunt, crucis Christi inimici quãtumuis nomen Iesu præsegerunt. 5. Fucati sub ecclesiæ titulo 121.

I.

IAbin rex Chananæorum victus, occisus 282.

Idololatria Christianorũ punita, in cultu videlicet dæmoniorũ & simulachrorũ signorũ & statuarũ aurearũ, argentearum, ærearum, lapidearũ, lignearum. &c. 99. Virginitas mentis pura & integra ab ea. 277. In templis papistarum. 285

Ierololyma. ¶ Vide Hierosolymam.

Iesu, in eius nomine omne genu flectitur. 40. Multos habet inimicos quãtumuis nomen eius præse gerunt. 5

Iesuitæ, iuncti hypocritis, monachis, reliquisq; eiusdẽ farinæ symmistis. 5. In nomine eius veniunt, prædicente quidem Euangelica cautione futurum, vt multi veniant in nomine ipsius tecti agnino vellere, quum longo aliud intus lateat quàm foris præse ferunt. 23 Eorum zelus præposterus. 287. Non pro Christo sed antichristo sese martyrio exponunt. 286. Cum aliis compluribus in necem reginæ Elizabethæ à pontifice & põtificiis subornati. 251. ¶ Vide Anglorhenienses, Rhemenses, Papistas Pontificios, & Pseudocatholicos.

Ignea vis spiritus. 21.

Ignis deuorans Deus. 313.

Ignorantia vincibilis & inuincibilis, quarum altera excusabilis altera inexcusabilis. 65.

Ildobaldus Gothorũ rex post Vtigem viuũ comprehensum, & à Belisario Constãtinopoli, imperante Iustiniano, perductum: cui Ildobaldo rursus anno exacto successit Araricus. 363

Imago Dei nulla similitudine efformanda. 31.

Imaginem bestię apolypticæ adorare quid sit. 268

Imagines sanctorum. 301. De iis abolendis cõtentio. 256

Imitationẽ Christi non insciè docet Augustinus in libro de sancta virginitate, dicens Christũ præcessisse in paupertate spiritus, qui pauper pro nobis factus est. Procul itaq; abiiciamus & nos omnem vitæ fastum. Mitis erat ille & humilis corde, discamus & nos pariter cum eo miteſcere. Lugebat ille flens super Hierusalem, esuriebat & sitiebat ille, nõ alium magis panẽ, quàm vt faceret volũtatem eius qui misit eum: idẽ sit nobis cum illo cibus. 278

*I*mmortalitas Christi in quo consistat, 231.
*I*mperator aduersus imagines. 256. Eius electio per septem Electores, cuius cõfirmationẽ, & coronationem sibi soli reseruet pontifex Romanus. 258 expulsus Italiâ per pontificem, & Longobardos. 256. Græcus iustæ possessionis iure spoliatus ex Italia eiicitur. 257.
*I*mperatorum edicta. 133. Vetus cultus. 217. Cædes & sanguis. 345. Cruentorum cruenti exitus. 345. 346. &c.
Imperatores qui Romam infestarunt. 220. Romani veteres, & pontifices Romani noui comparati. 249. Triginta simul sub Galieno imperatore. 353. Turci, eorúmq; successio, 96. ¶ Vide *I*uramentum, Persecutionem. Reges
Imperium diuinum Christi pleriſque incognitum. 28. Babylonicum multis victorijs donatum. 51. Macedonicum subactum à Romanis. 52. Romanum regnum bestiæ. 362. Ingens perturbatio per prouincias eiusdem. 77. Translatum in Byzantium. 218. Ab anno. 414. ad annum. 549. quater captum, direptum, incensum, ac in cineres redactum ab exteris nationibus, stat adhuc vt arguunt papistę verùm nõ sub nomine Cæsaris sed pontificis. 232. Vnde duplex eius caput, vnum occiditur alterum incolume consistit, quamdiu regnauit. 218
Imperium Turcicum eiusque origo prima. 93. ¶ Vide Turcos.
Imperium orbis põtifici subditum. 126.
Imperij translatio ab oriente in occidentem. 257. ¶ Vide Monarchiam & Regnũ.
Impij, eorúmque triplex ratio. 4. In hoc seculo diuinæ iracundiæ phialas non effugiunt, ac tandem ni resipiscant, cum diabolo cruciantur. 328. Multi in nouissimo iudicio cõdemnantur, grauibusque supplicijs torquentur. 313. Eorum erga Deum ingratitudo, impœnitentia. 368. Eorum infidelitas. 104. Eorum caput principale diabolus non antichristus. 123 propriè satan. 112.
Impœnitentia impiorũ. 368.
Impressoriæ artis primus inuentor. 192. ¶ Vide Typographicam artem.
Ingratitudo impiorum erga Deum. 368.
Incendendi homines viuos supplicium à quo introductum. 130.
Incendiarij Pyracmones. 195
Inclinationes tres Romanæ sedis & per quos. 290.
Incredulitas Atheorum deplorata. 104.
Induciarum pacta violata a pontifice Romano. 97.
Indulgentiæ. 302. Papales. 252.
Indumentorum ratio duplex externa & interna, quibusnã interna nostra nuditas maximè apud Deum tegitur. 376. ¶ Vide Vestes.
*I*nfidelitas impiorum. 104
*I*nfidelium impiæ ac falsæ persuasiones. 104
Informatio siniſtra contra Hussium. 162
Inhumanitas impia hominum erga Christum. 317
Innocentia sanctorum. 281
Inquisitorię autoritati subditus rex Hispanus. 127
Inscriptio epistolarum ad angelos Ecclesiarum. 17
Internum. ¶ Vide Externũ.
Interpres propheticæ scripturę optimus historia. 124
Interpretes variantes. 100. 101. 41, 42, 43, 44, 45. Nulla eorum dissensio in damnatione meretricis magnæ. 371
*I*nterpretationes priscorum autorum incertæ. 369 ¶ Vide Allegorias.
*I*nuiti ad officia trahendi. 351.
Inuocatio diuorum. 301.
Ioannes Constantinopolitanus episcopus. 255.
*I*oannes episcopus Romanus in carcere moritur. 367.
*I*oannes Hussius, eiúsque historia. 150. &c. ¶ Vide Hussium.
*I*oannes Pathmensis. 3. Cur in desertum abducitur. 390.
Ionia deleta. 52.
Ioſephi historia mirabilis, in eo spectandus Christus. 330.
Iræ lacus, magnus. 323.
Ira *D*ei manifesta. 338. Quorsum seruit, quid sit, quatenus in *D*eum cadat. 322. Quando consummatur. 386. ¶ Vide Deum.
Iracundię diuinæ exemplum. 361. Effusa in Romanam sedem. 355. ¶ Vide Phialas.
Ironia Erasmi ad ducem Saxoniæ Fredericum. 193.
Israel carnalis & spiritualis. ¶ Vide Pharaonem.
*I*sraelitæ mira Dei potentia liberati & adiuti, variisque beneficiis diuinitus cumulati. 330. Primùm sub iudicibus, secundò sub regibus, tertiò sub sacerdotibus. 385. Per Chananæos similesq; hostes subinde castigati, afflictio eorum in terra promissionis annos trecentos, eorum ecclesiæ cum Christiana collatio. 384. 385. Victores contra regem Chananæorum. 382. Eorum vestes discolores partim ex lino, partim ex lana prohibitæ. 20. Eorum euasio exemplum diuinę misericordiæ. 63. Eorum conditio & status tempore suo-

re ſuorum iudicum. 380.
lis iratus Deus, ſeruierunt annos octodecim Eglon Moabitarum regi, ſub Chananæorum captiuitate. 381. ¶ Vide Iudæos.
Italia à Mahumete vexata. 97. Sub barbaris gentibus, 400. annos. 366. ¶ Vide Longobardos.
Iubilæi papiſtici. 252.
Iudæi vindictę diuinæ expoſiti. 73. Perinde in ſuo Meſſia vt papiſtæ in ſuo antichriſto errant. 114. Vtrorúmque error maior. 115. Grauiſsima ſub Veſpaſiano & Tito perpeſſi, decies centena millia eorum cæſa. 74. Eorum meſſias fucatus dux ſeditionis, cædes eorum 51000, pręter eos qui peſte & fame perierunt, qui numerari non poterant. 347. Eorum quadraginta millia cæſa ſub Traiano. 346.
Iudicium nouiſsimum. 324. Eius tempus. 117. Non longè abeſſe, cum admonitione ſalutari de eodem. 105. Nobis incertum & incognitum. 147. Dies eiuſdem & hora incerta, eiuſdem vicinitas prænunciata, breui ſecutura, ſic prędicente ac iurante angelo. 103. Aliis ſalutifera aliis læthifera. 62. Nouiſsimum & temporale. 57. Indubitata eiuſdem venturi certitudo. 105. Diſtincta eiuſdem conſideratio iuxta Auguſtinum. 201. Dies & hora eiuſdem non perſcrutanda, propinquitas eius quin exquiratur nihil vetat, ante eius aduentũ obtenebratio ſedis beſtiæ & excidium Babylonicæ ciuitatis. 148. Hora eius incognita, at coniectura tamen vicinitas probabilis, eiuſdem deſcriptio, & quòd ſeptima tuba idipſum prænunciet. 195. Eiuſdem ſigna. 58. Qua cauſa immittitur, horrendum, eius deſcriptio. 321. De eius præparatione. 304 De eius certitudine, & ſeueritate. 305. Generale & finale. 309. Poſt hanc vitam ineuitabile. 315. Eiuſdem dies denunciata per ſeptimam phialam. 387. Vicinitas illius, 106. Certitudo comprobata, 104. Repentinus eius aduentus. 375. Admonitoria præparatio eôdem deque incerta eius propinquitate 374.
Iudicium Dei mirabile in ſeruandis iis, quos mundus, vt omnium indigniſſimos, miſeros & abiectos ſpernit & execratur. 331. Non vnum ſed plura, eaq; occulta & inſcrutabilia, deque ijſdem variis theologorum ratio. 308.
Iudicium Dei vniuerſale triplex 309. Et particulare, triplex. 308.
Iudicium condemnationis. 314. Paucorum, ſingulorum, correptionis, condemnationis. 309. Separationis. 314.
Iudicium mundi craſſum. 326. ¶ Vide Rationem.
Iudicia Dei irata habent hîc nonnunquam ſuas intermiſsiones. 339. Occulta. 338.
Iudicis perſona in extremo iudicio depicta. 309. Quidque manibus teneat. 310.
Iudices Iſraelitici & eorum res geſtæ aliquot. 380. 381.
Iulianus auunculus Iuliani. 218.
Iuramenti angelici validitas. 103. De extremo iudicio inſtante vis & certitudo. 104.
Iuramentum Othonis papæ datum. 257. Illius, forma, quo imperatores, & imperatrices in ſuſcipiendo gradu, publicè Romanæ ſedi ſeſe obligare cogebantur. 296. Quo omnes magiſtri & doctores in academiis papiſticis ad fidem & traditiones Romanæ religionis aſtringuntur. 301
Inſtantia. ¶ Vide Obiectionem.
Inſulæ locis ſuis emotæ quid deſignent. 56.
Iuſticiæ diuinæ exempla. 63.
Iuſticia Dei offenſa per Chriſtum pacata. 213. Æterna vltione penſatur. 316.
Iuſticia noſtra Chriſtus. 376.
Iuſticiæ propriæ fiducia Deo inprimis exoſa. 23. Cęca eiuſdem perſuaſio. 23.
Iuſticia Phariſaica. 333.
Iuſticia fidei. ¶ Vide Opera.
Iuſtiniani imperatoris clementia erga Vtigem captiuum regem. 221. Eius ſanctio non caret ſuſpicione falſi. 134. Excutitur. 135.
Iuſtini Martyris apologia pro Chriſtianis. 348.

L.

Lacus iræ magnus extra ciuitatem calcatus, multitudo pereuntium in eo. 323.
Ladiſlaus Vngarorum rex cæſus in bello Turcico. 97.
Lætitia. ¶ Vide Gaudium.
Laodicenſes grauiter reprehenſi, neutrales. 20.
Lapis de monte deſiliens quid innuat. 37.
Lapides pretioſi eorumque colores circa thronum. 34.
Latria. 286.
Legio fulminatrix. 349. 361.
Leges pontificiæ. 286.
Leo cur dicitur Chriſtus. 35. 36.

Lex Dei. 286. A quo, cui, & vbi data. 3. Post populi liberationem data. 50. die. 253. Ea & prophetę vsque ad Ioannem. 259.
Liber propheticus deuoratus. 2.
Libertas & felicitas per Christum. 200. Nimia in Ecclesia quid efficit. 357.
Libidō. 322.
Libri deuorati gustus. 107. & apertio eius quid denotet. 106.
Libri apocalyptici scopus. 359.
Licentia sumus omnes deteriores. 357.
Licinius Galienus filius Valeriani imperatoris occisus cum Valeriano filio. 353. Christianis inimicus, tribus prœliis à Constantino victus, rebellans occiditur. 354
Literæ politiores quia nunc reflorescunt, non ideò nouæ sunt. 209.
Liturgia Basilii. 261.
Locus pro persona non rectè accipitur. 370.
Locorum circunstantię in apocalypsi Ioannis. 5.
Locustæ. 83. Apocalypticæ quid repræsentent. 5. In earum visione duo consideranda, non tam viribus quàm numero noxiæ sunt, Ægyptiacæ. 86. Earum consideratio, quid significant. 84. Comparantur iis pontificiorum ordines, earum fusior descriptio. 89. Quos potissimùm designant. 87.
Longobardi molestant pontificem Romanum, expellunt imperatorem Italiâ. 256. Quamdiu imperium in Italia tenuerunt, finit eorum regnum. 222. In Italia per Pipinum superati. 257. Exomni prorsus Italia electi. 257. ¶ Vide Regum, Romam.
Luciferi lapsus è cœlo duplex, post casum sanctorum in cœlo accusator. 203.
Lucius Aurelius Verus collega Antonini philosophi. 348.
Lucius Verus moritur. 350.
Lucta Christiana in qua duo spectanda, non aduersus sanguinem & carnem, sed aduersus diabolum maximè. 291.
Lugentes in ecclesia. 331.
Lunæ & solis obscuratio. 78
Lutherus, per eum sedis Romanum inclinatio. 290. ¶ Vide Martinum.

M.

MAcedonicum imperium subactum à Romanis. 52.
Mageddo locus victoriæ contra Chananæos partæ. 382.
Magog. 5.
Mahometes tertius Turcicus imperator, Italiam vexat. 97. Capit Constantinopolin. 97. Eius regnum. 84. Quo anno mortuus. 92.
Mahumetæ. ¶ Vide Hæreticos.
Mahumetana secta, eiusdem exordium. 90.
Mahumatismus cum suis sectis. 45.
Malum. ¶ Vide Bonum.
Malum Neapolitanum. ¶ Vide scabiem Gallicam.
Manna de cœlo res miranda. 330.
Mansueti. 331.
Marcus Antonius Verus philosophus imperator. 348. 360. Eius mors. 350.
Mare & flumina in sanguinē conuersa quid significent. 343.
Mare vitreum. 31.
Maria regina Angliæ martyricida. 327.
Martianus imperator Orientis. 220.
Martinus Lutherus, eiusque feruor in causa Euangelii defenditur. 22. Diuina prouidentia excitatus. 193. ¶ Vide Lutherum.
Martinus cum filio Diadumeno imperator occisus. 351.
Martyres in Gallia. 348. Duodecem in Philadelphia. 348. 360. In Smyrna, & alibi multi. 348. Eorum bella, seditiones, cædes infinitæ. 249 Ingens eorum multitudo sublata sub decima persecutione. 353 An plures ab Ethnicis an Ethnici a Dei vindicta sublati sunt. 356. Plures ex statu matrimoniali quàm ex cœlibatu, qua ratione primitię Deo dicuntur. 282. ¶ Vide Primitias. Eos non mors sed causa facit. 287. Tales sese volunt Iesuitæ, sed non pro Christo. 286. Concilii Constantiensis rabies contra eos. 150. Per testes duos notati. 149. Pii nec vlla Scriptura nec ratione oppressi. 175. Eorum cædes. 205. Et sanguis effusus post deturbatum de cœlo Satanam. 201. Eorum tempus duplex. 57. Potentia Dei in vindicando eorum sanguine. 58. Non pauca eorum millia per Antichristum occisa. 327. Tot his annis aliquot cęsi, nullo recto iure nec iusta vlla causa. 60. Eorum cædes sub regina Maria. 327. Eorū sanguine meretrix Babylonica ębria. 392. Coronantur, sed habent & confessores suas coronas. 29. Eorum morte non acquiri vitam æternam, sed sanguine Christi solùm comparari. 29. Eorum cædes & sanguis. 345. Impugnati ab Antichristo trecentis annis. 385. Mille ducenti quinquaginta

ginta cremati in furno ardenti. 347. Mille ducenti duo combusti. 347. De beata eorum conditione, qui incolumes ab his plagis quibus impii feriuntur læti cum Christo triumphant, atque in tuto collocantur, eorum in hac vita statvs, eorúmque exitus. 328. Eorum descriptio æneis typis Romæ. 264. ¶ Vide Hussium, Testes.
Martyrium & vita Hieronymi Pragensis. 168. 169. &c.
Martyrocidium Apollonii. 350.
Martyromastigæ. 169.
Matrimonium ministris interdictum. 252.
Maxentius imperium Romæ adeptus. 354. Tyrannus à Constantino profligatus. 58. Imperator cum militibus in vndis submersus periit. 355. Ad exemplum Pharaonis. 354.
Maximinus è Thracia Cyclops Seueri parricida, imperium inuadit, eius sæuitia. 351. Iudicatus hostis, interfectus cum filio. 352. Maximis membrorum cruciatibus adesus, periit. 354.
Maximinianus imperio abdicatus, cæsus. 353.
Mediolanum deletum. 365.
Medorum & Persarum monarchia secunda. 51.
Mendacia in papatu. 260. In signis & miraculis. 264. Romanæ technologiæ. 258 259. &c.
Mendicantium secta. 83.
Mensis angelicus. 145.
Menses quinque dati locustis vt nocent, quid designent explicatur. 90. Eorum cyclus. 84.
Mensium septenarius numerus. ¶ Vide Dies.
Mensium quadraginta duorum annotatio. 205. 206. Tempus definitum quo ciuitas sancta à gentibus conteretur. 121. Quid apud catholicos significent, quomodo supputandi. 122. Quibus calcabitur atrium tẽpli quomodo intelligũtur ab autoribus. 142. 143. &c. Eorum mysterium per hebdomadas Danielis exponitur. 147. 216. Spatium belluę potestatem faciendi datum. 5. Eos faciendi potestas data fuit bestiæ septicipiti, explicantur. 214. Veterum & modernorum de iisdem opinio, quid cuidã acciderit de illis cogitanti. 215.
Meretrix Babylonica. 2. In qua sedes antichristi, viua descriptio. 392. Dira eius crudelitas ębria sanctorum martyrũ cæde, sub imagine eius antichristus eiusq; sedes. 392. Error interpretũ de ea quando exterminanda. 371. In eius damnatione nulla inter interpretes dissensio. 371.
Merita propria, capitis, vniuersalis ecclesiæ. 333. ¶ Vide Opera.
Merx Romana putet. 292.
Messias, eiusque regnum seu monarchia quinta. 54. Iudæorum fucatus seditionis dux. 347.
Messis. 322. Duplex apocalyptica quid significet. 311. &c.
Messores segetum. 310.
Metrodorus martyr. 348.
Michael de Causis Bohemus acerbus Hussii accusator, & calumniator. 155. martyromastiga. 169. Pontificem & cardinales incendit contra Hussium. 156.
Millenarium mundi septimum. 60.
Minister non ecclesia ipsa est, sed pars duntaxat ecclesiæ. 18. Eius regale cognomẽtum non propriè iis tribuitur. 372. ¶ Vide Ecclesiam.
Ministri ecclesię salutariter admoniti. 375. Si sacri sunt. 18. Quid obseruare debeant. 351. Fideles quomodo reges dicuntur. 369. Interdictum iis matrimonium. 252. Eorum functiones suis locis circumscriptæ. 7. ¶ Vide Ecclesiastas, Præcones, Prædicatores.
Mirabilia de semine promisso, Sara nonagenaria facta mater, &c. 330.
Miraculum in victoria precibus impetrata. 361. Singulare in reprimenda persecutione tempore M. Antonini philosophi. 349.
Miracula fictitia. 258. &c. Antichristi. 264. 265. &c.
Miseria humanę conditionis. 11.
Misericordiæ diuinæ exempla. 63. In opitulando. 380. ¶ Vide Clementiam.
Missæ sacrificium. 301.
Missarum sacrificia expiatoria. 39.
Monachi. 5. Eorum ordines. 130. Ventres esse minimè attingendos. 193.
Monarchia vnde dicitur. 50. Prima Assyriorum. 50. ¶ Vide Assyrios. Secunda Persarum & Medorum. 51. Tertia Græcorum. 52. Quarta Romanorum. 53. Quinta seu regnum Messiæ. 54.
Monarchiæ Romanæ exordia mitiora. 53. Duo eius tempora. 341. Per mare in sanguinem mutatum significata. 345. Designata. 336. In deterius lapsa iusto Dei iudicio. 350.
Monarchiæ, in tribus fuerunt aliæ phialę diuinę iracundiæ præter septẽ à Ioanne memoratas. 337. Quatuor primæ sigillis quatuor primis adumbrantur. 54. Comparatæ quatuor equis apocalypticis, quantum fuderũt sanguinis. 50. Per quatuor animalia repræsentantur. 336. 337. Post illas quatuor quintum regnum Christi exuscitatum. 54.

Monarcharum alæ. 337.
Moneta papalis. 247.
Monothelitarum opinio erronea. 256.
Montes humilitatis & superbiæ. 13.
Morbus Gallicus. ¶ Vide scabiem Gallicam.
Mores huius sęculi corrupti. 104.
Mors Christi. ¶ Vide Christum.
Mortis & inferorum potestas non aliter nisi per Christum solùm deuicta. 11. 324
Mortis potentia in miseros mortales quanta. 11. Eius meditatio. 324.
Mortales vniuersi admoniti. 375.
Moses legem à Deo in monte accepit. 3. Quid inter eum & Christum intersit. 3.
Mulier puerpera apocalyptica, inter quam capitale odium & serpentem, in solitudinem euolat, 204. Fuga eius in desertum. 205. Cur in cœlum non rapta cum filio. 199. Eius descriptio, quòd typum gerit ecclesiæ militantis. 197. Quam persequitur draco tartareus, eius fuga. 2. 209. Quomodo eam terra adiuuit, flumina post eam proiecta. 210.
Mulieris Babylonicæ apocalypticę descriptio, eiusque damnatio, ostetum, typus, 390. 391. Purpuratæ, in qua sedes antichristi ad viuum nobis spectanda proponitur, descriptio. 392. 393. &c. De ea fusiùs dicitur. 395. Per eam significatur ecclesia antichristi, non pro singulari persona sed ciuitate accipitur. 396.
Mulieres duæ earúmque discrimen & partus. 391. Et quòd deus per eas res magnas sæpè gerit. 381.
Multitudo sæpè in scripturis sub vnius nomine significatur. 230. Non facit ecclesiam. 207. Est regula fallax. 204. Impiorum qui in nouissimo iudicio condemnantur, quàmq; grauibus puniuntur supplciis 313. Pereuntium in lacu magno apocalyptico. 323.
Mundus ager Dei magnus. 310. Magnum atrium diaboli. 319. Quomodo sit eo vtendum iuxta Paulum, eiusdem vanitates. 318. Gloria & prosperitas eius quā incerta res sit & caduca. 363. Ei magis quàm Christo affixi homines. 317. Seruatus propter semen promissum. 330. Iudicium eius crassum, cura eius abiicienda. 326. Excelsa eius cauenda. 243. Non semper duraturum probatur cōtra Epicureos, in vna scapha comprehensum. 104. Peruersa eius securitas reprehenditur, ad maturè cauendum generaliter admonetur. 103. Millenarum eiusdem septimum. 60. Contemptus eius duo remedia 305. Totius ne peccata antollantur. 279. ¶ Vide Afflictiones.
Mysterium mēsium quadraginta duorum explicatur. 216. Magnum in nomine antichristi. 270.

N.

Narses successor Bellisarij, rerum ab illo gestarū narratio. 222.
Negare Christum, quid sit. 266.
Negotia aggredientes quid nobis faciendum est. 340.
Neronis horrenda flagitia, ipse sibi carnifex. 346. Occisus. 345.
Nerua imperauit annum vnum. 346.
Neutrales Laodicenses. 20. 21.
Nicosię & Famagustæ expugnatio luctuosa. 98.
Nili inundatio. 75.
Nobiles Bohemiæ verè christiani. 158. &c. In regno Bohemiæ de Hussio & Hieronymo Pragensi testimonium. 186.
Non obstantia. 280.
Notitia Christi certam vitę rectè instituendę rationem dat. 28.
Noua omnia Romę, nihil vetus prętermomen. 383.
Nouissimorum recordatio. 324.
Nubes candida apocalyptica quid importet. 310.
Nuditas nostra interna quibusnam indumentis apud Deum maximè tegitur. 376.
Numerus consignatorum. 64. Electorum sine numero. 64. Mysticus antichristi explicatus. 270. Certus pro incerto a quibusdam explicatur. 122. Septenarius perfectus. 14. Eiusdemque consideratio fructuosa. 72.

O.

Obiectiones cum solutionibus. 7. 8. 13. 28. 31. 59. 65. 67. 102. 108. 109. 148. 177. 182. 199. 201. 266. 270. 289. 304. 310. 312. 344. 354. 355. 356. 376. 377. 387.
Obtenebratio Romanę sedis ad quintam phialam spectat. 372. Regni pontificii per prædicationem verbi, per Gothos, Hunnos, & barbaras gentes. 368.
Oculi & alæ animalium quatuor apocalypticorū quid denotent. 337.
Odoacer Rugianus. 220. Regem se Romæ non imperatorem nominauit, interfectus. 220. Romam capit & diripit, interfectus 365.
Odium capitale inter serpentem & mulierem puerperam apocalypticam. 204.
Odium peccati. 305.
Officium prædonum piorum Christi. 291.
Officia & beneficia Christi spectanda. 28. 35. Papistis ignota. 91.
Officia, & quòd inuiti non am-

ambientes ad ea trahendi sint. 351.
Oleum. ¶ Vide Vinum.
Oliuæ duæ apocalypticę quid denotent, 149. 150. 172.
Opera, deque iis obiectio contra iustitiam fidei, non iustificant personas, sed a personis iustificantur. 304.
Opera, quorũ merita & gratia contraria sunt. 378. Veræ & falsæ ecclesiæ. 276. Cum fide cõiungẽda. 378. Per se nihil cõferunt ad salutem. 378. Bona non pariunt electionem nec fidẽ, sed, &c. 277. Eorum merita periculosa, nullo modo satisfaciunt, per se imperfecta. 377. Bona sanctorum iudicium Dei ferre non valent. 378.
Opera legis & fidei. 304. ¶ Vide Fidem.
Opes veræ. 325.
Opiniones inter doctos discripantes sæpe accidunt in ecclesia sine fidei periculo. 171.
Oppositio non fit propriè in nudis personis sed in qualitatibus personarum. 111
Oratio Hieronymi Pragẽsis ad patres concilii. 170.
Orchanes secundus imperator Turcicus. 96.
Ordo impiorum multiplex. 4.5.
Ordinis sacramentum. 297.
Ordines rasorum, &c. 333.
Orestes pater Augustuli victus & cæsus. 220.
Orientis interpretatio iuxta quosdam. 370.
Orientales reges quid significent. 369.
Oscula quæ Diocletianus primùm inuexit. 217.
Otho Germanorũ princeps. 257. Eius datum papæ iuramentum. 257. interfectus. 346.
Ottomannus Turca. 94. Primus Turcorũ imperator, sub eo subiguntur Tartari. 95.96.107.

P.

PAgani quibus officiis a Christianis excipiendi. 211.
Paganismus. 285.
Palliũ archiepiscopale. 300. 301. Moguntinum. 250.
Papa omnium maximè reus læsæ maiestatis, eius contra Elizabetham Angliæ Reginam conspiratio, eius potestas nullo iure nec ratione nec exemplo Christi nititur, eius vita Christi vitæ ex diametro contraria. 61. Cum suis ampullis. 374. Non esse antichristum quibusnam demonstrationibus probant catholici. 226, 227. pontificia dignitate excussus. 156. Vtrum sit antichristus an non. 194. Eius coronam minimè esse attingendam. 193. Sibi vendicat primatum diuino simul & humano iure. 134. Non admittit Husii ad Christum appellationem, aspernatur regem Wenceslaum pro eo intercedentem, ad quem contra Husium litteras scribit. 151. In Constantiam recipitur satis papaliter, dona ei missa. 153. Supra imperatorem. 259. Ad eum prosopopœa. 260. plenum ius sibi vendicat in omnibus cathedralibus ecclesiis episcopos eligendi. 299. Eius propugnatores frustra laborant. 212. Successor Petri, vicarius Christi, cuius liberam ecclesiam ad sedem solùm Romanam restringit. 302. Eius autoritas ex verbis cuiusdam legati aliorúmque notata. 237. Vniuersalis eius titulus quo primum tempore incepit, imperium orbis eisubditũ. 126. Seruus seruorum Dei. 243. Mendacia in eius signis & miraculis. 264. 265. &c. Contra imperatorem. 256. Mendacia eius in suppositiis scriptis & epistolis decretalibus sub nomine doctorum 261. Diuinitas eius apud Canonistas. 260. Non vt homo sed vt Deus sedet. 260. Mendacia Romanæ technologiæ quibus eum tuentur. 258. 259. &c. An sit successor Petri. 259. De potestate eius superba põtificii legati vox. 247. Arma eius carnalia. 384. Citatus ad concilium Basilienſe, cuius acta confirmat, & sedem transfert. 191. Quasi deus, maior homine, ens secundæ intentionis, compositus ex deo & homine secundum papistas, potestas eius extendit se ad cœlestia terrestria & infernalia, plena eiusdem descriptio, duplexq; gladius quem vsurpat. 245. Inter eum & Petrum repugnantia, vicarius Christi quantopere Christo suo capiti aduersetur. 136.
Papæ duo vno & eodem tempore. 192. Eorum fastus & res gestæ ab historiis petitæ. 255. 256. 257. ¶ Vide Pontificem Rom. Potestatem supremam, Primatũ, Schismata.
Papalia templa, & quę in iis geruntur. 24.
Papalis dignitas habet ortum immediatè à Christo, scilicet quantum ad spiritualem administrationem & officium spiritualiter regendi ecclesiam. 174. Vnde primùm profecta. 134.
Papalis moneta. 247
Papales casus. 247. 248.
Papatus Romanus, rationes cur excidium eius in sexta phiala minimè intelligitur. 371. Eius propugnacula & munimenta. 370. In eo notata mendacia. 260.
Papienus & Balbinus imperatores interfecti. 352.
Papinianus iureconsultus vir constans iniustè occisus. 350. 351.

Papiſmus. 285. Cum ſuis ſectis. 45.
Papiſtæ antichriſtum in ſinu fouentes. 110. Docent antichriſtum de tribu Dan oriundum, eorum error cõfutatus. 113. Eorum falſæ de ſua eccleſia iactationes, inanis gloriationes. 383. Eorum negatio de papa antichriſto diluta. 254. Eorum errores de antichriſto confutati, errant in eo vt Iudæi in ſuo Meſsia. 114. Stat adhuc imperium Romanum vt illi arguunt. 232. Externus eccleſiæ ſplendor apud eos. 154. Eorum error duplex. 1. de antichriſto 2. de defectione eccleſiæ, 110. Eorum de antichriſto opinio falſiſsima. 55. Eorũ cauillum. 230. Vera cognoſcẽdæ eccleſiæ ratio iuxta eos. 276. In eorum templis idololatria. 285. Quem catholicum & quem hæreticum cenſent. 255. Summa doctrinæ quam tradunt & tuentur quò tendat. 267. Poteſtatis plenitudo ab iis in pontificem ſuum deriuata. 268. Eorum error de triennio antichriſti regno. 233. Eorum argumenta ſex quibus Romanæ eccleſiæ autoritatem aſſerũt. 132. Fuga eorum in bello Bohemico. 190. Ad eos admonitio. 195. Eorum error qui regnum antichriſti tribus tantum annis duraturum definiunt. 182. Eorum de Enoch & Elia abſurda obiectio confutatur. 184. Eorum cauillatio cum reſponſione. 183. 184. Eorum rationes in defenſionem concilii Conſtantienſis, cum reſponſione contra eos. 177. Eorum ſophiſma de antichriſto quòd vna ſit perſona, contra eoſdem argumentum. 112. Eorum reſponſio ad quęſtonem de perſona antichriſti, & contra eorum reſponſionem illatio. 111. Eorum error duplex de antichriſto. 111. Officia & beneficia Chriſti iis ignota. 91. Eorum doctrina cum Turcica collatio. 91. Deſcriptio antichriſti iuxta eos. 224. 225. Argumenta quibus nituntur confutata. 226. 227. &c. Eorum ſophiſtica cauillatio. 25. Eorum error de tranſubſtantiatione. 25. ¶ Vide Antichriſtum, Catholicos, Eccleſiam Rom. Hæreticos. Romaniſtas.
Parabolæ duæ partes. 333.
Paralogiſmus Romanus cum reſponſione. 137.
Parœchiarũ in Gallia, 100000. milia. 250.
Parrius proditor Anglus. ¶ Vide Somerfeildum.
Paſtores eccleſiarũ eorúmq; functiones repræſentãt angeli. 9. Ad eos admonitio ſi ſacri ſunt. 18. Indigni notantur. 18.
Pathmos inſula vbi Ioannes exulabat. 3.
Patientia qua ſunt ferenda omnia quęcunq; a Deo inferuntur, ſiue aduerſa ſiue lęta. 368. ¶ Vide Conſtantiam.
Patres vetuſti ſi hodie viuerent videréntque quę nunc in eccleſia fiunt, aliter de religione Romana iudicarent. 123. ¶ Vide Doctores.
Patriarchæ diuites. 317.
Patriarcharum vetuſtorũ æqualitas. 132. ¶ Vide Archiepiſcopos.
Paupertas euangelica & apoſtolica in eccleſiam reuocanda. 188.
Pax læta reddita eccleſię poſt Conſtantinum. 284. Nulla in hoc ſæculo perfecta. 339. Quatenus retinenda, eidẽ quandóque bellum pręferendum. 21. Sublata de terra, quomodo intelligatur. 48.
Peccant boni aliter atq; impii. 313.
Peccatum. 17. Odiúmq; eiuſdem. 305. Aliud alio punitum. 217. Originale. ¶ Vide Condemnationem, Remedia.
Peccata tranſitoria. 316. Securitas & licentia ea committendi vnde pullulat. 424 Eorum remiſsio nulla ſine ſanguine. 38. ¶ Vide Mundum, Redemptorem.
Peccatores cęteri cur non æquè à peccatis per miſericordiam ſeruantur ac electi. 315. ¶ Vide Gratiam.
Pentecoſtes prefiguratio myſtica. 253.
Periurium pontificis Romani. 97.
Perſarum monarchia ſecunda. 57. Eorum regnũ equo ruſo comparatum. 51. Eorum rex Cyrus eiúſque res geſtę. 52. Eorum regnum deletum per Saracenos. 95.
Perſecutõ ſanctorum ſub ſigillo quinto duo denotat. 55. Sub imperatoribus. 57. prima. 345. Sub prima beſtia, ſecunda autore pontinulla tertia generalis expectanda. 239. Sub Iudęis & imperatoribus, nouiſsima ſub Turca & Antichriſto. 123. per imperatores quot annis perſtitit, nouiſsima poſt ſecundam Satanæ ſolutionem quamdiu perdurauit 206. Secunda. 346. Sub Domitiano. 75. Generalis eccleſię per quos & quouſque. 206. Tertia ſub Traiano. 75. Quarta. 360. Sub Antonino Vero. 75. Sub M. Antonino philoſopho. 348 Quinta. 350. Sub Seuero. 75. Sexta. 351. Sub Maximino. 76. Septima. 352. Sub Decio. 76. Octaua. 353. Sub Valeriano. 76. Nona. 353. Sub Aureliano. 77. Decima. 353. Sub Diocleſiano eiuſque aſſeclis. 77. Quinquen-

quẽnalis ſub variis Cæſaribus martyricídis exercita, decennalis Diocleſiani. 26
Tempore & Antonini philoſophi mirabiliter a Deo repreſſa. 349. Eius tempeſtas ſedata per litteras imperatoris. 348. Gallicana. 360. Smyrneorum. 27. Fidem ſubſequitur, præcedit nunquam. 29. Duplex notatur in eccleſia. 55. Iuxta Thomam Aquinatem quid inſinuet. 240. Vltima ſub Turca & Antichriſto. 147
In ea nouiſsima ſub antichriſto habuit deus ſuas reliquias licèt non quibuſuis notas. 209. ¶ Vide Afflictionem, Antichriſtum, Eccleſiam.
Perſecutiones primę ſub ſigillo quinto. 54. Decem obiter notatę. 73. 74. &c.
Quot annis durárunt. 216
per tyrannos imperatores autore diabolo excitatę. 341. Decem nouiſsimę ſub Antichriſto numeratę. 55.
Seuę in Galliis. 348. Earum ceſſatio per mille annos. 148
Perſecutores qui fuerint prouinciarũ prefecti. 355. Decem eccleſię nominati. 214
Eorum rabies repreſſa. 58
Singuli perſonam gerunt Antichriſti. 240. Vindictę diuinę contra eos ſeueritas 77. Eos perſequitur vltio diuina. 341. Horrendũ dei flagellum in eos ſeuientes. 78. Ad eos admonitio. 195. 77. ¶ Vide Imperatores Vindictam & Vltionem.
Perſonam commẽdat opera, perſonem Chriſti fides. 377
Perſonæ quatuor vitam humanam gúbernantes. 335. 336. Earũ circunſtantiæ in hac apocalypſi Ioannis. 4. 5. Earum in duodecimo capite apocalypſeos triplex diuerſitas. 198
Perſuaſio cæca propriæ iuſticiæ. 23
Perſuaſiones infidelium impiæ ac falſæ. 104
Pertinax imperator occiſus. 350
Perturbatio ingens per prouincias Romani imperii. 77
Perturbationes. ¶ Vide Affectus.
Peſtilentia dira ſub initio Galli Imperatoris. 342
Peſtis funeſta, mortifera deſcripta. 342. Atrox inter ethnicos. 76. Sub initium imperatoris Galli. 343
Decennalis ſub Galieno Valeriani filio. 76. Vniuerſalis. 341. &c.
Petra eccleſiæ. 12. Vna eccleſiæ duntaxat, & vbinam quærenda. 13. ¶ Vide Chriſtum, & Eccleſiam.
Petrus falsò dicitur petra à Romanenſibus, eius confeſsio, collatio inter eum & pontificem. 13. Cur tanti ſit apud Chriſtum primáque laus cur illi tribuitur, repugnantia inter eum & papam, eius fides. 136
Nunquam Romæ epiſcopus, poteſtas clauium illi cum cæteris apoſtolis communis, ſucceſſor ei legitimus quis cenſendus. 138
Eius ſucceſsio duplex. 260
Pharao cum ſuis in excidium Iſraelis conſpirat. 330. Demerſus in mari rubro. 355
Exemplum in eo diuinæ iuſticiæ. 63
Phariſæorum iuſticia. 333. ¶ Vide Hypocriſin.
Phiala ſecunda & tertia quid nobis obſeruandum præſcribunt. 343. Quarta conſecta in ſolem. 358. Quid nobis obſeruandũ det. 358 &c. Quintæ interpretatio. 361. &c. Sextę ſignificatio, varia. 369. Septimæ vox 386. Finem ſeculi denuncians. 387. Eius proprium in ſextam non rectè transfertur, ſenſus autoris in ſextam. 373
Phialę apocalypticæ in quos potiſsimum quadrant. 356
Septem. 386. Quam habent ſignificationem. 334
Quatuor priores quid ſignificent. 362
Phialæ diuinæ iræ in quos potiſsimùm recidunt. 338
Philippicus imperator. 256
Philippus imperator cũ Philippo filio occiſus. 352
Philoſophorum mendax hypocriſis. 332
Phocas parricida. ¶ Vide Primatum.
Phocenſes ſubacti a Cyro. 52
Pii in hoc ſeculo ab impiis affliguntur, poſtea cum Deo requieſcunt. 328. Eorum in hoc ſeculo quàm impiorũ durior ſæpè conditio. 118. Eos æquè ac impios frui ventorum ſilentio. 67
Eorum flagella in hac vita. 384. Eorum deſcriptio. 4
¶ Vide Afflictiones, Satanam, Canticum.
Pietatis hiſtriones. 24
Pipinus ſuperat Longobardos in Italia. 257
Piſces in mari mortui. 344
Plagis diuinis vniuerſa mortalium conditio obnoxia in hac vita. 339
Plebs Chriſtiana inſidioſis Romanarum fictionum fabulis ludificata. 595
Pluuia a Deo per Chriſtianos. 349. Eorum precibus impetrata. 361
Pœna perennis niſi accedat redemptio. 316
Pœnitentia ad quam. 45. dies ſunt conceſsi. 224
Eiuſdem ſpatium. 316
Polycarpus Smyrnenſis martyr. 348
Populo calicis vſus ademptus, & lectio ſacræ ſcripturę intercluſa. 252
Pontifex Romanus notatus. 68. Otioſè ſedens Romæ. 274. Non vbi ſedeat ſed quomodo ſedeat videndũ 235. Non ille a Roma ſed Roma ab illo autoritatem ſumit. 392. Curat plagam Romanæ maieſtatis. 255
Abſurda eius inſtituta. 39
Rapinæ, exſpoliationéſque inauditæ per eum exercitæ, redditus aureorum. 120000. Ad eius fiſcum

ex Gallia, & quid aliundè corraserint. 250. Quibus artibus deluſi principes colla ſua ei ſubmittunt, ſub Chriſti perſona & Petri ſucceſsione multos fallit, principatus eius ſingularis, gladius, corona, quadripartitũ regnum, in cœlo terra purgatorio inferno quid agit. 395. Eius ſedis prouehendæ occaſio prima. 255. Suæ autoritatis quando prima iacta fundamenta. 393. Eũ eſſe ipſiſsimum antichriſtum clariſsimè euincitur ſeptem euidentiis ex ſcripturis deſumptis. 238. Sibi ſoli reſeruat confirmationem & coronationem imperatoris. 258. Secunda perſecutio eccleſiæ eo autore. 239. Imperatorem excommunicat, regno priuat, per eum expulſus Italia, per Longobardos moleſtatus. 256. Quàm maximè Chriſto opponitur, omnes alios antichriſtos & hæreticos longè ſuperat. 253. Pacta induciarum violat cum Turcis, periurus. 97. Poteſtatis plenitudo in eum deriuata a Romanis, duplex eius ratio in reſtituenda Romanę vrbis dignitate, fraus & violentia eius notata. 268. Retinet oſcula quæ Diocleſianus inuexit. 217. Duplex poteſtas regni ſui. 244. Eius tituli inanes & immeriti pleníque blaſphemiarum. 245. Quanta diſſimilitudo inter eum & Chriſtum. 132. Eius ſedes ſupra reges & principes exaltata, vt terreſtris quidam deus in Dei templo ſedet. 235. Et quomodo. 236. Eum antichriſtum eſſe variis probatur argumentis. 115. Regni eius obtenebratio per prędicationem verbi. 368. Inter eum & Petrum collatio. 13. Is & Chriſtus duo capita. 8 ¶ Vide Antichriſtum. Papam. Poteſtatẽ, Primatum.

Pontifices Romani Europæ alaſtores, ſchiſmata inter eos pluſquam. 24. A tempore Formoſi, &c. 250. Eccleſiaſtica eorum poteſtas. 245. 246. 247. Secularis, eiusq; fructus. 248. &c. Nouem in annis nouem eorum ſchismata. 127. 128 &c. Eorum Electio publica primùm & popularis, eorũ faſtus incipit. 256. In eorum ſede tria ſpectanda. 137. Inter eos tumultus. 131. Autoritatem ſuam nõ humano ſed diuino iure aſtruere incipiunt, qua arte Romam iacentem in priſtinum decus reſtituunt, antiquitatis teſtimonia in defenſionem ſuæ ſedis. 393 primatũ ſuum falſo aſtruunt ex concilio Conſtantinopolitano. 136. ¶ Vide Papam.

Pontificii, quem putant illi cenſentque hæreticum. 246 Eorum doctrinæ peſtifera corruptio. 251. Eorúmque eccleſiæ blãda ſpecies. 252 Eorum prætextus in prohibendis ſcripturis. 66. Violant fidẽ imperatoris Huſſio datam. 152. Eorum dogmata. 88. Et ordines locuſtis comparantur, & ſcorpioni triplici ratione. 89. Sacrificorum turba. 87. Eorũ obiectio. 7. Et opinio (de apoſtaſia vẽtura) euerſa 118. Taxati quòd apocalypſin. S. Iohãnis obſcuritatis inſimulent. 2. Anglo-rhemenſes. ¶ Vide Catholicos, Doctrinam, Romanenſes.

Pontificiæ doctrinæ ratio. 7 Et iuriſdictionis ſuperba vſurpatio. 109. Duratio. 86 Cauillationis dilutio. 8

Pontificiæ legiones quinquies a Bohemis victæ & profligatæ. 190

Pontificii ordinis faſtus. 24 Regni inclinatio prædicitur ab Huſſio. 180

Potentia Chriſti in quo conſiſtat. 231

Poteſtas omnis data Chriſto. 280

Poteſtas Romana duplex cõtra Chriſtũ. 272. Suprema pontificis iure nullo nec diuino nec humano nititur. 135. Pontificia & ſacerdotum ſubiecta ſceptro ſeculari. 188. Plenitudo eiuſdem a Romanis in põtificẽ deriuata. 268. ¶ Vide Pontificem, & Papam.

Præconum piorum Chriſti officium. 291. ¶ Vide Miniſtros & Prædicatores.

Prædicare in ſacellis prohibuit per bullam ſuam Alexander quintus. 188

Prædicatio verbi libera. 191 Prophetia vocatur. 109 Obtenebrat regnum pontificium. 368. Ad eam cadit Satan & Babylon. 290

Prædicatio Huſsii infamata per aduerſarios. 160

Prędicationis diuinæ tres angeli nuncii. 273. ¶ Vide Euangelium.

Prędicatores nouiſsimis hiſce mundi diebus a Deo excitati. 285. ¶ Vide Prędicones. Miniſtros.

Prędictionum propheticarũ veritas. 105

Prędicti prouinciarum qui fuerint perſecutores. 359 356

Pragmatica ſanctio Gallica. 250

Prędium in cœlo cum Satana quando oritur. 200

Prædium vnum in quo cędes hominum. 1080. Fuit perpetrata. 220

Prępoſiti in eccleſia aliter ſedent atque in republica principes. 235

Prærogatiuæ papales. 250

Præſagium de ruina Romæ. 241

Prędentia Dei in hoc ſeculo obſcura. 338

Precatio. 299. Ad Chriſtum dominum. 68

Preces Chriſtianorum validę. 349. Pro hoſtibus. 361. Sanctorum. 71

Presbyteri quomodo ordinati.

nati. 298
Primatus sedis episcopalis a Gregorio magno contradicitur. 255. Eum indulsit Bonifacio tertio, Phocas parricida. 256. Contra eum conciliorum quorundam cautiones. 137. Eum astruentes argumentis confutantur. 132. 133. Nullo iure nec diuino nec imperatorio nititur. 134. 135. 136. &c. ¶ Vide Concilia, Papam & pontificem. Potestatem supremam.
Primitiæ Deo quo modo martyres dicuntur. 282. Earum finis, duo in iisdem spectanda. 283. De earundem interpretatione aliacôiectura. 284. ¶ Vide Martyres.
Principes quibus artibus delusi colla submittunt pontifici. 395. Aliter in republica præpositi aliter in ecclesia sedent. 235. Contra quorundam iniuriam querela. 61. Quid iis cauendum & formidandum. 62
Priuilegium Constantini donatum. 256
Problema seu quæstio. 7
Probra impiorum in bonos cedunt illis in beatitudinem. 188. ¶ Vide Calumnias.
Probus imperator interemptus. 353.
Professionis forma in coronatione regis & reginę qui papę se deuouent. 297.
Promissa. ¶ Vide Deum.
Promissio nulla vnquam facta Romanę cathedrę. 14.
Promissionis diuinæ certitudo & firmitas. 105.
Propheta librum deuorans quid significet. 107.
Prophetæ pii excruciant eos qui habitant super terram. 183. Eorum ferè omnium exitus, 107. Communis, 181. Duo mactati ac rediuiui, 2.
Prophetæ & lex vsque ad Ioannem. 239.
Prophetia. ¶ Vide Prædictiones.
Prophetia apocalyptica etsi Græcè scripta, Hebraicè tamen primum dictata videbatur. 270. Difficilis, 142. Danielis ad Christum propriè non vlterius porrigitur. 239. Ioannis visiones septem. 4. Pro prędicatione verbi accipitur. 109. Eiusdem spiritus pro sensu accipiendus. 108. Eiusdem cum temporibus conuenientia. 117. ¶ Vide Vaticinium.
Propheticę doctrinæ restitutio sub qua tuba mittitur. 107. Figuræ & mysteria. ¶ Vide Doctores antiquos & Scripturas.
Propitiatorium & oraculum Dei solus Christus. 39.
Proportio nulla analogica inter personam Christi & antichristi. 112.
Prosperitas hominum in hac vita non tollit eorum miseram conditionem. 320. Mundi quàm incerta res sit & caduca. 363. Externa ecclesiæ periculosa. 208.
Prouinciæ subiacentes monarchiæ Romanæ per flumina in sanguinem conuersa significatæ. 345. Earum præfecti persecutores. 355.
Prouocatio ad Christum in re necessaria. 165.
Prudentia Ephesiorum. 23.
Pseudoapostoli, cauebant ab iis Ephesii. 23.
Pseudocatholici horum temporum notati. 23. Inuitantur ad resipiscentiam. 99.
Pseudonomi catholici hæretici. 66.
Pseudopropheta apocalypticus. 384.
Ptolomæus in Ægypto. 52.
Pugnantium rerum conciliatio. 38.
Purgatorium. 301. Commentitium & fictitium. 39. Cõtradicitur & euincitur. 303
Puritas sanctorum. 281.
Puteus abysi. 82. Eiusque fumus quid significet. 5.
Pyracmones incendiarii. 195.

Q.

Quadratus apostolorũ discipulus. 347.
Quæstiones cum responsionibus. 7. 60. 64. 65. 111. 356. ¶ Vide Obiectiones.
Quæstiunculæ aliquot de externo habitu Christi. 10.
Querela contra principum quorundam iniuriam. 61. Iniusta aduersariorũ cum responsione ad eandem. 125.

R.

Radagisus Gothorũ rex. 218.
Rasorum ordines. 333.
Ratio humana in iudicando cæca. 326. ¶ Vide Iudicium.
Rebellio. 130.
Rebelliones triginta simul totidémque imperatores sub Galieno imperatore. 353.
Recordatio nouissimorum. 324.
Redempti qui. 279.
Redẽptionis opus per Christum, eiusque pretium. 278. In ea sex cõsideranda, quid sit, fides sola ad eam obtinendam conditio, eius beneficium vniuersale, effectus, pretium legitimum & idoneum. 279. Ea accedente pœna non fit perennis. 316. Eiusdem finis. 276. ¶ Vide Christum.
Redemptor humani generis quis. 279.
Reformatio. ¶ Vide Ecclesiam.
Reges decem persequentes ecclesiam denotati. 214. Gothorum & Vandalorũ, omnes fere violenta morte occubuerunt. 366. Ab oriente quid significent. 369. Splendidi & pii. 317. Cum subditis se abscondentes. 56. Totius terræ, autore antichristo, insurgunt aduersus dominum. 383. Pro antichristo contra Christum. 374. Contra insi-

insidentem equo albo depugnantes. 2. Admoniti salutariter. 375. ¶ Vide Professionem.
Regnum cœlorum vim patitur. 385.
Regnum Christi. 116. 194. Post priores quatuor monarchias quintum exuscitatum, sigilli quinti apertio idem demonstrans. 54. Duplex, alterum oriens alterum occidens. 106.
Regnum Gothorũ quot annos perdurauit, & quando terminauit. 366. Longobardorum in Italia quamdiu durauit. 366. Mahumeti. 84. Persarum equo rufo comparatum. 51. Deletum per Saracenos. 95. Bestiæ apocalypticæ imperiũ Romanum. 362. Tenebrosum. 363. ¶ Vide Bestiam. Romani obtenebratio per Gothos, Hunnos & barbaras gentes. 368. Saracenici prima initia. 92. Vbi sedes regia, regum suorum series, duplex tyrannorum depictum. 244. ¶ Vide Imperium & Monarchiam.
Regna duodecim, centumq; vrbes celebres deuictæ. 97.
Regna mundi omnia Christo cessura. 195.
Religio Christiana, cum exemplis diuinę vindictę in eiusdẽ hostes. 217. Feruẽtes, frigidi, nec feruidi nec frigidi, in ea notati. 22. Tepiditas in ea. 20. Affinitas inter Turcicã & Romanã. 92.
Religionis pontificiæ impietas. 39. Eiusdem ruina. 289. Sub nomine Babylonis. 287. In ea nihil spirituale, terrena ferè omnia. 25. ¶ Vide Iuramentum. Patres antiquos.
Reliquię sanctorum. 301. Earum ludibrium. 265.
Remedra contra infirmam peccandi fragilitatem, 316. ¶ Vide Peccata.
Reprehensio grauis Laodicensium. 20.
Reproborum felicitas in hac vita. 380.
Rerũ exitus spectandus. 383.
Res. ¶ Vide Abusum.
Res adiaphoræ. 21.
Responsiones cum quæstionibus siue obiecti s. 7. ¶ Vide Obiectiones.
Resurrectionis Christi potẽtiam perpauci tenent. 314.
Reuelatio seu apocalypsis à patre accepta. 2. Generalis non ad certas ecclesiis, sed promiscuè ad omnes pertinens respublicas. 30.
Reuelationis. S. Ioannis susceptæ dies. 3. Totius eiusdem scopus. 4.
Rhemenses theologi citati. 149. Sholiastæ taxati. 142. Commentantes in sacras scripturas admoniti, ad eorum commenta responsio, inuitantur ad resipiscentiam. 99.
Richardus secundus Anglorum rex. 218.
Ritus Romanæ ecclesiæ. 301. ¶ Vide Ceremonias.
Roma ciuitas magna apocalyptica. 391. Vastata, restituta per pontifices, a quibus autoritatem sumit. 392 Eam iacentem qua arte põtifices in pristinum decus restituunt. 393. Prima, in eamque irruptio per Gothos, quoties capta, & a quibus. 87. Quater aut quinquies capta & vastata breui spatio. 79. Vrbs septicollis. 2. In cineres & solitudinem redacta, vno anno ter capta, quoties capta, a quibus & quo tempore, destructa per Totilam. 222. Duplex, vetus & noua, vndeq; imperii duplex caput. 218. Primùm capta. 218. Ab Audulpho Gothorum rege occupata, iterum capta a Gesnerico Vandalorum rege. 220. Ab Vtige Gotho obsessa, à Totila possessa. 219 Vetus figurata, septicollis. 213. Septem ordines gubernationis in ea, decemque prouinciæ. 214. Sedes Antichristi, an tota excludenda sit ex ordine vniuersalis ecclesiæ. 235. Eiusdem expressa imago Babylon. 288. De ruina eius præsagium. 241. Omnibus suis denudata præsidiis iuxta nostros interpretes. 371. Duplex eius consideratio, persequens, fauens. 355. Ad amussim repræsentata. 389. Nihil ibi antiquum, omnia noua, nihil vetus prẽter nomen. 383. Quater capta, fame dira distringitur, a Gothis capta & spoliata, rursum capta per Audulphum Gothum, secunda seu tertia eiusdem vrbis dilaceratio. 364. Tertiò capta & spoliata a Vandalis, intra annos quadraginta quatuor ter capta, vastata per Totilam, incensa, nec vir nec mulier per dies quadraginta in ea relicta. 365. ¶ Vide Babylon, Bestiam. Curiam, Ecclesiã, Põtificios, Ecclesiam Romanam, Imperium Religionem, Sedem & Euangelium.
Romanarchæ ecclesiam primùm persequentes. 55.
Romanæ cathedræ nulla vnquam facta promissio. 14.
Romanus, nomen antichristi mysticum. 270.
Romani. 87. Subigunt Macedonicum imperium. 52. Eorum legiones sub Maxentio diuinam vindictam subeuntes. 78. Ingens perturbatio per prouincias imperii eorum. 77. Imperium eorum translatum in Byzantium. 218. Monarchia eorum quarta, bella innumera, mitiora monarchiæ exordia. 53. Eorum tyrannis quot quantúmq; mala in orbe consciuerit. 54.
Romani Vicarii necessitas iuxta pontificios. 8.
Romanenses afflicti per Gothos, Vandalos, Rugios, Longobardos, vix tandem post multos annos castigãtem Dei manum agnouerunt,

runt, sed deteriores reddebantur. 368. Theologi suum papam propugnantes euidentiis euicti. 240. Soli sibi vendicant nomen ecclesiæ apostolicæ. 23. Testimonia ex scripturis & doctoribus corrumpunt. 394. ¶ Vide Pontificios.
Romanismus. 374.
Romanistarum fraus in adulterandis decretis & sanctionibus. 134. 135. &c. Eorum falsa & ficta causa in astruenda sedis suæ dignitate. 137. Mendacia quibus pontificem suum tueri defendũt. 258. 259. &c. ¶ Vide Catholicos, Papistas.
Romanocatholica ecclesia nõ mater sed meretrix. 390.
Romanocatholici admoniti. 293.
Ruina Romanæ religionis. 289. ¶ Vide Babylon.

S.

SAbatum Christianorum. ¶ Vide Diem dominicum.
Sacerdotes, inter quos & episcopos eorumque ordines differentia. 300. Sacrificantium examina. 88. Coniugium iis prohibitum. 129. ¶ Vide Presbyteros.
Sacerdotium Christi ab eius sacrificio minimè diuellẽdum. 71.
Sacramentum fidei baptismus. 13.
Sacramentum cœnæ, in quo non corpora sed spiritus solùm pascendus. 24. In eo verum corpus sed inuisibile. 25.
Sacramentum altaris, de quo respondet Hieronymus. 171.
Sacramentum confirmationis & ordinis. 297.
Sacramenta septem. 301.
Sacramenta plena mysteriis. 25.
Sacrificium Christi ab eius sacerdotio minimè diuellendum. 71.
Sacrificium missæ. 301.
Sacrificia papalia. 24. Missarum expiatoria. 39.
Salus nulla nisi in Christo. 11. promissa per semen. 329. ¶ Vide Christum, Damnationem, Electos & Electionem.
Salutatio epistolaris Ioannis in apocalypsin. 6.
Saluus conductus Husio datus sed frustra. 152. Ante eius captiuitatem. 159. Hieronymo P. denegatus. 168.
Sanctiones. ¶ Vide Decreta & Iustinianum.
Sanctos semper ferè comitantur huius vitæ afflictiones. 64. Eorum accusator ante Christum in cœlo Satanas potens & inuictus. 200. 203 Secũda & tertia eorũ nota. 278. Puritas eorũ & innocentia. 281. Eorum preces. 71. Eorum inuocatio, imagines, reliquiæ. 301. Eorum persecutio sub quinto sigillo duo denotat. 55. Eorũ beata cõditio post hanc vitam. 304. Eorum canticum psallentium cum agno in monte Sion, eorúmque numerus. 274. Eorum gaudia in cœlo triumphãtium, causaque cœlestis lætitiæ apud eos. 274.
Sanderi, Throgmortoni aliorumque Iesuitarum in necem reginæ Elizabethiæ conspirationes. 251.
Sanguis humanus disertè in scriptura veteris testamẽti interdictus. 24.
Sanguis sanguine vindicatur. 355.
Sanguinis quantum fuderũt Monarchiæ quatuor. 50.
Sanguine fit remissio peccatorum. ¶ Vide Agnum, Christum.
Sapores Persarum rex. 352.
Sara nonagenaria fit mater mirabiliter. 330.
Saraceni, eorumq; regni prima initia. 92. Vbi sedes eorũ regia. 93. Deletur per eos regnum Persicum. 95.
Publici Christiani nomi, nis hostes. 4. Victi per Turcos. 95. ¶ Vide Regnum, Romam.
Satan solutus his trecentis annis. 385. Fascinator archidux prælii. 374. Propriè vnum caput impiorum omnium. 112. Post annos mille solutus. 2. Cadit ad prædicationẽ Christi. 290. Exercitus eius duplex. 291. Quomodo diuinciendus. 292. Vinctus ad annos mille, solutus post annos mille, iterum solutus anno. 1300. Dom. 148. Quando cum illo prælium initum in cœlo, sanctorum accusator ante Christum, debellatur & conteritur. 200. De cœlo deturbatus ante sanguinem martyris vllius effusum. 201. Ruens è cœlo quas turbas excitat. 202 Duplex tempus ei datum ad grassandum, atque vtrumque modicum, eius secunda solutio. 206. Eius duces & satellites. 203. In mediis eius copiis habet suam ecclesiam Christus. 204. Eius operatio. 260 Potestas in affligendis piis. 213. Eius tempus modicum. 206. Constringendus mille annis tandemque relaxandus. 5. Sub eius imperio omnes captiui tenentur præter hos solùm qui Christi sunt, mira eius efficacia in deludendis hominum sensibus. 319. ¶ Vide Diabolum.
Scabies Gallica quando orta. 341
Schedulæ supplicatoriæ per nobiles Bohemos in concilium Cõstantiense oblatę pro Husio. 157, &c.
Schisma durans quadraginta annis vno minùs. 131. Trium simul paparum. 152. In pontificia ecclesia. 192
Schismata Romani põtificis 127. 128. &c. Turbulenta & diuturna. 128. Multa

breui tempore inter pontifices Romanos. 250.
Schiſmatici pontifices abdicati. 152.
Scopus libri apocalyptici. 359
Scriptura ſacra ad ſenſum Romanæ eccleſiæ exponenda. 301. Sæpè ſub nomine vnius multitudinem deſignat. 230. Nulla nec ratione oppreſſi pii martyres. 175. Eiuſdem lectio populo interclusa. 252. Eius ſenſus ſimplex citra allegoriſmos 67. Eius vſus vulgo interdictus. 66. Eius vis & energia, collatio pontificiæ doctrinæ cum ea. 254. Eius finis & principium. 267. Totius ſumma & ſcopus. 253. Fides Chriſti. 253.
Scripturæ per Romanenſes falſatæ. 394. In iis allegorias nō eſſe ſpernendas, quatenus in iis admittendas. 46. cum iis cōferendi priſci doctores non præferendi. 224. Iis debetur primus honor, cætera cum iudicio legenda ſunt. 228. Propheticarum optimus interpres hiſtoria. 124. Vera cognoſcendæ eccleſiæ ratio ex iiſdem. 276.
Secreta quæ reuelantur in apocalypſi quo modo obſcura dicuntur. 2.
Sectæ nouæ. 333. Mendicantium. 83. Mahumetarum & papiſtarum. 87
Seculi finis denunciatur per ſeptimam phialam. 387
Securitas & licentia peccandi vnde pullulat. 324. Huius mundi peruerſa reprehenditur. 103.
Sedes beſtiæ apocalypticæ mare. 354. quid ſit. 355. Non facit antichriſtum ſed ſedendi modus. 235.
Sedes Romana, eiuſdémque duplex obtenebratio ſub diuerſis temporibus. 363. Diuina iracundia effuſa in eam, inimica populo Dei. 255. Eiuſdé obtenebratio ad quintam phialam ſpectat. 372. Autoritas eius cecidit in conſcientiis omnium fere bonorum. 289. Inclinationes eius tres, & per quos fiebant. 290. Eiusdem prouehendæ occaſio prima. 255. Eiuſdem potentia ad prædicationem euāgelii corruit. 290.
Seditio ciuilis. 130
Seditionis dux. 347. ¶ Vide Schiſmata.
Segetes agri, homines partim boni partim mali. 310
Seleucus in Syria. 52
Selimus imperator Turcorum nonus. 98. Duodecimus. 98
Semen ſalutiferum promiſſum. 329. Seruatus propter illud mundus, mirabile benedictionis abrahæ promiſſum. 330
Senatus ſeniorum. 34
Seniores viginti quatuor. 31 Circa thronum quid ſignificent, proiicientes coronas ſuas, quare viginti quatuor recenſentur. 32 35. Eorum canticum. 40
Sēſus ſcripturæ ſimplex citra allegoriſmos. 67. Allegoricus. 65. Tropologicus. 56 iuxta recētiores interpretes. 59. ¶ Vide Allegoriam.
Sententia cōdemnationis iniuſta cōtra Huſsiū. 165. 166
Septem diuinæ vindictæ contra hoſtes euangelii exempla diuerſa. 79
Septenarius numerus perfectus numerus. 14. Dierum & menſium myſticus. 26 27. Eiuſdem conſideratio fructuoſa. 72
Septimū mundi millenariū 60
Serennius Grauianus legatus pro Chriſtianis ſcribit 347
Seriphes quid ſignificet. 93
Serpens diabolus mulierem apocalypticam perſequēs. 198. Eiuſdé capitale odium cōtra mulierē apocalypticam. 204. ¶ Vide Satanam.
Serpentum morſus mirè curantur. 330
Seueritatis diuinæ erga ſuos exempla. 381
Seuerus imperator miſerè mortuus. 350.
Sicilia vexata. 365
Siccatio Euphratis quid ſignificat iuxta quoſdam. 369 370
Sigillum quintum eiuſque apertio. 54. Sub eo perſecutiones primię. 54. 55 Sextum eiuſq; apertio. 56 Septimū eiuſq; apertio. 69
Sigilla ſeptem quæ aperuit agnus. 40. Eorum explicatio varia. 41. 42. 43. 44 45. Tria poſteriora ad eccleſiam propriè réſque eccleſiaſticas pertinent. 54. Quatuor primis monarchię quatuor primę adumbrantur. 54
Sigiſmundus imperator. 131 152. Venit Conſtantiam. 155. Diuina vindicta in eum Huſsii inimicum. 180
Signa mendaci. 255. Et fictitia miracula. 258
Signa ante diuinam vindictam 58
Signa ſupremi iudicii. 58
Signaculm Dei quid ſit. 64
Signacula libri ſeptem. 72 386. ¶ Vide ſigilla ſeptem.
Signati qui ſint & eorum numerus. 64. ¶ Vide Electos.
Silentium in cœlo ad horæ dimidium. 69
Silentiū & pax publica nato ſeruatore ſub Auguſto. 71
Simplicius Romanus patriarcha. 255
Simulachrorum cultus in tēplis Chriſtianorum. 99
Sinonis fraus. 242
Siſera armatus nongentis falcatis curribus mouet bellumcontra Iſraël. 382. Fugit, occiditur. 382
Smyrnæorum eccleſia, eorum epiſcopus Polycarpus, perſecutio eorundem. 27
Societas cū beſtia apocalyptica Romam repræſentante horribilis & exitioſa. 293
Sodoma. 5
Sol obtenebratus. 82. In quē quarta phiala fuit effuſa, nō commodè figurat Chriſtum. 359. Eiuſdem & lunæ obſcuratio. 78

Soli-

Solimanus tertius Turcorum imperator decimus. 98.
Somerfeildus proditor Anglus. ¶ Vide Stukisleum.
Sophisma papisticum de antichristo sublatum. 112
Sophistarum obiectio. 8
Spatium ad pœnitendum. 316
Spiritus vis ignea. 21
Spiritus oris Christi. 290 Gladius. 21. Quonam ecclesiam suam regit. 373
Spiritus Dei vicarius Christi in terris. 9
Spiritus sancti septem dona. 72.
Spiritus prophetiæ pro sensu accipiendus. 108.
Spiritus septiformis. 34
Spiritus solum pascendus in sacramento cœnæ. 24.
Spiritus nouus cor nouum. 275
Spiritus dæmoniorum ranarum instar. 374
Spiritus illusionum. 374
Spiritus immundus quo draco & antichristus regnum suum gubernat. 374.
Stadia mille sexcenta quot conficiunt miliaria seu leucas. 313
Statua aurea apud Daniel. 2. quid significet. 37
Status duplex antichristi. 239. 240
Stella de cœlo cadens. 82 Quas habet interpretationes. 83
Stellæ de cœlo cadentes. 9 Quid significent. 56. Earundem explicatio. 9
Stephanus Gardinerus episcopus Wintonienſis. 218
Strages miseranda in expugnatione Nicosiæ & Famagustę. 98
Stukisleus proditor Anglus. ¶ Vide Sanderum.
Successionis prærogatiua in rebus spiritualibus nihil valet. 14. In functione ecclesiastica, eiusdem & politicæ discrimen. 138. Petri duplex. 159. ¶ Vide Ecclesiam.
Successor Petri legitimus quis censendus. 138
Sudor Anglicus. 341
Suldanorum prouinciæ. 93
Summum bonum apud philosophos. 318
Superbia pōtificiæ iurisdictionis. 109
Superbiæ Romanæ confusio. 58
Superbiæ mentes. 13
Supplicatio. ¶ Vide Schedulam.
Supplicium incendendi homines viuos à quo introductum. 130
Suppliciorum varia genera in primitiua ecclesia. 215. Dei diuersimodè dispensata. 343. Diuinitùs immissa, septem eaque diuersa. 79
Sycophantarum articuli aduersus Hussium. 151
Symachus laudatus, crudelitas Theodorici in eum. 367
Symphonia inter Ioelem & Ioannem. 312
Synodi autoritas superior papali. 191. Basilienſis decreta aliquot, Eugenius papa eò citatur, & eiusdem acta confirmat. 191. Chalcedonenſis nihil singulare in Romana sede agnoscit. 141
Synodus Lateranenſis. 130. Pisana. 152. ¶ Vide Concilium.

T.

TAbernaculum. ¶ Vide Templum.
Tacitus imperator occisus. 353
Tamberlanes Scytha contra Turcos. 97
Tartari, quorum imperator Changius Can. 94, Deturbati principatu, subigunt Turcos, & ab iis vicissim subiguntur. 94. Imperio Turcos depellunt. 94. Postremus Gothorum rex in Italia interfectus. 366
Templum, eiusdemque renouatio arguit priorem defectionem. 115. Dei, in quo sedet antichristus. 233 Quid sit. 234. 235. Eiusdem implementa. 124. Eiusdem & tabernaculi nullum discrimen, cur in cœlo dicitur. 334. De eo metiendo. 141. Veteris renouatio typus secundi templi 119. Ab eius denastatione ad restaurationem quot anni, eiusdem atrium exterius & interius quid denotet. 120. ¶ Vide Fumum.
Templa papalia, & quæ in iis geruntur. 24
Tempus apostolorum. 125. Constantini. 126. Martyrum duplex. 57. Satanæ modicum. 206. Duplex ei datum. ¶ Vide Satanam.
Tempus, tempora, dimidium temporis. 5. Quid denotent. 142. 146
Temporis diuturnitas non confirmat veritatem causæ. 74. Euangelicæ restitutionis promissæ obseruata ratio. 108
Tempore rectè vtantur mortales ne cum tempore pereunte pereant. 105
Tempora visionum considerata. 284. Ad certos eorundem articulos restringendus est visionum ordo. 285. Duo Romanæ monarchiæ. 341. Ecclesiasticæ libertatis. 126
Temporum circunstantiæ in apocalypsi S. Ioannis. 5. discrimina notanda tria. 5. Cum prophetia conuenientia. 117. Nostrorum corruptio. 358
Tenebras magis diligunt homines quàm lucem: verba Christi explicata. 317 ¶ Vide Obtenebrationem Sedem Romanam.
Tepiditas in religione. 20
Terra, eiusq; quarta pars occisa. 53. Quomodo mulierem puerperam apocalypticā adiuuit. 210.
Terræ-motus quid significet. 56
Testes duo apocalyptici. 172 Prophetantes eorumq; rex quid insinuent. 142. Quid significent. 149. 150. Argumenta quibus probatur ex

circunſtantiis prophetiam de ijs non poſſe aliter cõpetere quàm in Huſſium & Hieronymum. 178. 179. &c. 180. 187. Eorum corpora per beſtiam occiſa, inſepulta, reuiuiſcunt poſt tres dies & dimidium. 179
Teſtes falſi & mendaces contra Huſſium ſubornati. 167. Veridici pro Huſſio ſi audiri potuiſſent, 175. ¶ Vide Martyres.
Teſtificatio generalis cõmunitatis Pragenſis in defenſionem Euangelicæ veritatis & doctrinæ Huſſianæ. 188. &c.
Teſtimonium nobilium in regno Bohemię pro Ioanne Huſſio & Hieronymo Pragenſi. 186. &c.
Teſtimonia luculenta pro Huſſio. 160. 161.
Teſtimonia antiquitatis in defenſionem ſedis pontificiæ collecta. 393. Ex ſcripturis & doctoribus falſata per Romanenſes. 394
Teutonici ab vniuerſitate Pragenſi diſcedunt. 161
Theodatus Gothorum rex. 365. Impia crudelitas quam in Amaloſuntham exercuit. 121. Interfectus. 365. ¶ Vide Belliſarium.
Theodoricus rex Gothicus. 220. 365. Eius crudelitas & exitus. 366. &c. Mors diuinitus ei inflicta. 367
Theodoſius ſecundus imperator orientis quamdiu. 220
Theodulus Martyr. 347
Thronus Dei. 31. Deſcriptus. 34. Tonitrua, fulgura, voces, lampades ſeptem ante eundem. 31.
Ticinum vrbs ſuperata. 220
Titulus libri apocalypſeos quid admoneat. 1.
Titus imperator veneno ſublatus. 346
Tonitrua, fulgura. 34
Torcularia apocalyptica. 322. 323.
Totilas Gothorum rex, eius victoria contra Romanos, vrbem eorum obſidet & obtinet. 221. Capit Romam. 365. Victus à Narſe, fugâ vulneratur & moritur. 222. Victus & interfectus. 366.
Traianus imperator, eius res geſtę aliquot, & mors. 346.
Tranſubſtãtiationis error papiſticus. 25. 130. 252. 301.
Trapezontium ſubactum. 97.
Triticum, vinum, & oleum exiguo pretio venditum præ paucitate hominũ. 52.
Tropologicus ſenſus. 57.
Tuba quarta apocalyptica. 218. Quid denotet. 78
Tuba ſexti angeli. 92. Ab anno Dom. 1300. res geſtas hucuſque continet. 178. Eiuſdem tẽpus. 107. Adhuc durans. 100. Eiuſdẽ & phialę ſextę mutua conuenientia. 373. Septima quid denotet. 194. Iudicij nouiſſimi prænuncia. 195. Variæ expoſitiones de eadem. 80 81. &c. Eiuſdem vox. 386
Tubæ ſeptem. 386. Earũ cum Angelis ſeptem explicatio. 72. 73. 74. &c. ¶ Vide Angelos.
Tumultus inter põtifices. 131. In eccleſia & eorũ cauſa. 22.
Tunetum captum & recuperatum. 98.
Turca eccleſiam Chriſti infeſtans iam trecentis annis. 385. Origo eius imperij. 93
Turcæ pluſquam tertiam partem Chriſtiani orbis occupant. 373. 98. Poſt initia eorũ promiſſa Euangelij reſtitutio. 107. 108. &c. De eorum imperio imperatoribus & incrementis. 96. 97. &c. Quando inçepit ſecũda perſecutio generalis eccleſiæ per eoſdẽ, & quouſq; durauit. 206. Imperio depulſi à Tartaris, primus eorum rex, 94. Primus eorum imperator, vincunt & vincuntur, eorum prima incrementa, affligũt Chriſtianos vincunt Saracenos. 95.
Turcicæ doctrinæ & papiſticę comparatio. 91.
Turciſmus. 285. ¶ Vide Chriſtianos, Saracenos.
Turpitudinis tegendæ ratio optima. 376
Typographica ars primùm inuẽta. 97. Diuinitus terris immiſſa, primus eiuſce inuentor. 192. Sedis Romanæ per eam inclinatio. 290
Tyrannis impiorum diuinitùs vindicata. 217.

V.

VAlentianus vltimus imperator occidentalis. 220
Valerianus imperator crudelis perſecutor captus à Sapore Perſa, vinctus, ludibrijs omnibus expoſitus, regi in equum aſcenſuro pro ſcabello ſubijcitur, ac demum occiditur. 352
Vallis conciſionis. 322. 323.
Vandali occupant Hipponem & Carthaginem ciuitates. 364. Capiunt Romam & ſpoliant, eorũ regnum. 365. ¶ Vide genſericũ, Gothos.
Vanitates huius mundi. 318.
Vaticinia quædam prophetica Ioannis Huſſij. 180
Vectigal nouum nomine annatarum. 131
Venenum in eccleſiam infunditur. 126
Venti pugnãt pro Theodoſio imperatore. 361
Ventorum quatuor, quorum angeli poteſtatem habuerunt, ſignificatio. 65. Eorũ obſtructio quid portendit, quos potiſſimum ferit, ad obſtructionem verbi propriè accõmodari non poteſt, eorũ ſilentium tam ad pios quàm ad impios pertinet. 67
Verbum Dei. ¶ Vide Religionem, Eccleſiam, & Vindictam Dei.
Verbi prędicatio. ¶ Vide Prędicationem & Euãgelium.
Veritas cauſæ non ex diuturnitate temporis metienda ſed è contra. 74
Veritas prædictionum propheticarum. 105

Veritatis magister. 325
Vespasianus imperator. 346 Cum Tito filio belligerans contra Iudæos. 74
Vestis nuptialis. 376
Vestes Israelitarum discolores partim ex lino partim ex lana prohibitæ. 20
Vestium externarum vsus & abusus, apparatus earundē suam habet cōuenientiam & diuersitatem, prodigiosæq; earum hisce temporibus formæ. 375. ¶ Vide Indumenta.
Vestimenta quid apud Ioannem significant, tegunt & non tegunt. 377
Vestitus angelorum. 334
Viæ dux. 325
Viæ præparatio. 369
Victoria Bohæmorum contra pontificias legiones & imperatorias. 189. 190. Constantini cōtra Maxentium, eiusq; signum à Christo ostensum. 354. Deboræ typus victoriæ ecclesiæ contra antichristū. 382. Israelitarum cōtra Chananæos partę locus Mageddo. 382
Victoria celeberrima contra Christianos. 97. Totilæ cōtra Romanos. 221. Mirabiliter precibus impetrata. 361. De Deo est non ex hominum multitudine. 383
Victoria de bestia & charactere. 328
Victoria Christi aduersus satanam. 200
Victoria cœlestis contra antichristum eiusque satellites, tempus eiusdem. 386
Victoriæ diuinæ similitudo cōtra Siserā & antichristū. 385. 386. Domini cum victoria Deboræ collatio. 387
Victoria nostra omnis per sanguinem agni, causa eiusdē cœlestis excutitur. 201
Victoriis multis imperium Babylonicum donatū. 51
Vindemia apocalyptica quid significet. 311. &c.
Vindex Dei manus. 77
Vindicta Dei contra persecutores. 343. Mirum exemplum. 367. Iusta in delatorem, iudicem, & senatores, post martyrocidium Apollonii. 350. An plures ethnicos sustulerit quàm Ethnici martyres interfecerunt. 356. In Gothos cæterasque gētes barbaras. 366. Eiusce exempla in Hussii aduersarios. 180. Contra aduersarios Hussitarum. 190. In impios tyrannos, quo tardior eo grauior, exempla eiusdem in sacræ religionis hostes. 217. Contra Iudęos. 73. Quæ signa præcedunt. 58. Eiusce cōtra hostes verbi sui exempla septem. 79. Contra Maxentium & legiones Romanas. 78. ¶ Vide Imperatores.
Viennæ obsidio. 98
Vinum. ¶ Vide Triticum.
Virgines qui rectè sunt dicendi. 277
Virginitas duplex. 277. Non corpore sed mente magis consistit, summa eius laus. 282. Mentis pura & integra ab omni idololatrico cultu. 277
Viri boni per calumniam oppressi. 171
Visio angeli de cœlo descendentis. 100. Quæ in capita tria distenditur. 69
Visionis in quarto capite Reuelationis descriptio. 31 Mirabilis contēplatio. 212
Visiones apocalypticæ quatuor in 12. capite notatę. 196 Septem prophetię Ioannis 4. Liber Apocalypticus in septē distributus. 59. Quædam habentes suas introductiones. 30. Earundem ordo ad certos temporū articulos restringēdus est. 285. Earumq; tempora cōsiderata. 284. Angelorum quatuor apocalypticorū. 284. Throni circunstantiarúmque explicatio. 34
Vita præsens caduca, fragilis. 315. Ærumnosa. 324. Humanam quatuor personæ gubernantes. 335. 336
Vita vera. 325. Eiusdem autor. 325. Æternæ hæreditas quomodo comparatur. 29
Vitia in septem ecclesiis reprehensa. 20
Vlcus sæuum. 341. &c.
Vltio diuina in persecutores. 341. In thesaurarium Iuliani. 218. ¶ Vide Vindictam diuinam. Iusticiam Dei.
Vngari. ¶ Vide Ladislaum.
Vniuersalis ecclesia perire nō potest. 12. ¶ Vide Ecclesiam & Ecclesias.
Vniuersitas. ¶ Vide Academiam.
Vniuersalitas ecclesiæ pontificiæ contradicitur. 200. 209
Volūtas & missio patris. 254
Voluntas Dei semper expectanda in aggrediendis negotiis. 340
Voluptas vera. 325
Vota. 333
Vox (factum est) quid significat. 386. Septimæ phialæ, septimę tubæ, Christi in cruce Consummatum est. 386
Vrbs septicollis. 2. ¶ Vide Romam.
Vrbes centum celebres deiectę. 97
Vsurpatio pontificię iurisdictionis superba. 109
Vtiges Gothus Romam obsidet, eius exercitus, captiuus Constantinopolin ad Iustinianum imperatorem perducitur. 221. 365.

W.

WEnceslaus rex intercedit apud pōtificem pro Husio sed frustra, papales ad eum litterę. 151
Wicleui articuli Husio obiecti. 152.

Z.

ZAdochus primus Turcorum rex. 94
Zeno patritius Romanus martyr. 347
Zischę Bohemorum dux. 189.

Errata, quæ per absentiam collectoris a prælo in hunc inducem irrepsisse animaduertes, grauiora, vt cuique corrigas, leuiora patienter feras lector benevole rogat. Ab. Fl.

FINIS propositi laus Christo nescia Finis.